$3.37

*B 4260.8

Bequeathed to the
Public Library of the City of Boston
by
Theodore Parker.

Received 30th October, 1861. No. 51100

Theodore Parker

24. Aug. 1852.

See Duyms Sax. Gram. Oude Batavien &c &c. Leyden 1606. 8°

See Buckle, Hist. Civil. I. p. 274

No. 49


SAXONIS
GRAMMATICI
HISTORIÆ DANICÆ
LIBRI XVI.
STEPHANUS IOHANNIS
STEPHANIUS
summo studio recognovit, Notisq; uberioribus illustravit
SORÆ
Typis et sumptibus
Joachimi Moltkenii.
Reg. Acad. Hafn. Bibliop.
CIↃ IↃ CXLIV.
VALDEMARUS I REX
DANIÆ
ABSALON HUIDE
ARCHIEP. LUNDENS.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Boston Public Library

http://www.archive.org/details/historiaedanicae12saxo

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI,

CHRISTIANO IV.

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM, GOTHORUMQ; REGI,

DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ,

COMITI OLDENBURGI ET DELMENHORSTI,

PACIS ET MARTIS INDEFESSO CULTORI,

PATRIÆ PATRI, ET TOTIUS SEPTENTRIONIS CONSERVATORI ET AUGUSTO PERPETUO,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

PRÆCLARA HÆCCE INGENTIS HISTORICI MONUMENTA, NOTIS UBERIORIBUS ILLUSTRATA HUMILLIME' DICO CONSECROQVE.

SERENISSIME REX, DOMINE CLEMENTISSIME,



Offero Sacratissimæ Majestati Tuæ, florentissimum Historiæ Danicæ scriptorem Saxonem, Tuæ munificentiæ auspiciis, Tuoq; sub imperio, qvo se Dania feliciorem non meminit, renatum, novoq; splendori restitutum. Cujus admirandam facundiam qvum ad verissimas laudes suas ingentia Heroum facta provocassent; omnis ævi vota satiavit, orbemq; terrarum famâ Danici nominis implevit. Si verò rerum natura pateretur, ut in nostra tempora tàm sublime rediret

ingenium; in Te, Rex Augustissime, omnia virtutum exempla, qvæ posteritati repræsentavit, rediviva cerneret; Tuâq; felicitate stabilitā fateretur, tot seculorum gloriam, qvâ cæterarum se gentium magnitudini prisci Danorum Reges, exęqvaverant; qvorum sicuti Vita qvondā & Fortuna, ità nunc memoria cœlestis est. Plurima certè, rerum potiunte Majestate Tuâ, vidit ætas nostra, qvæ non modò divinam Saxonis eloqventiam fatigarent, sed & totius Antiqvitatis decora suæ celebritatis fulgore præstringerent. Adeò Dania Tua, ultrà pristinam sortem, belli pacisqve artibus à Te perducta, vix habet, qvod exoptet amplius, nisi, ut qvo Majestas Tua, optimi status auctor, Remp. loco fundaverit, eo vigeat inconcussa, & ad præsentem temporum securitatem perpetuitas accedat. Amplissimis eqvidem verbis extollit Saxo Frothonis Tertii Justitiam, Canuti Magni Pietatem, Prudentiam Gormonis, Valdemari Primi Constantiā & Fortitudinem: sed qvæ diversa multorum Principum laus est, in Te, Regum Maxime, omnium laudum svavissima concordia & concentus est. Enituit etenim, per omnia orbis Arctoi regna & ditiones, sincera PIETAS Tua, qvæ sanctissimis intenta curis id

semper

ſemper egit, ut verò numinis cultu, & incorruptâ religione, qvà patent, ſacratisſimi Imperii Tui limites efflореſcerent, nec unqvā ſubditi Tui à cœlo divortium facerent. Justitiæ Tuæ ſplendor eo maximè eluceſcit, qvòd ęqvabili temperamento civibus Tuis jura reddas, ſaluberrimas ſancias leges, peſſimi exempli mores corrigas, nulli delictorum gratiam facias, innocentiæ debitū pręſtes patrocinium, parē deniq; clementiam benè meritis impertias. Innotuit itidem terris Borealibus altisſima Prudentia Tua tam in juvandâ, qvam exornandâ patriâ: cujus egregiam ad poſteros famam transfundent tot propugnacula, tot ædificia, in diverſis utriuſq; regni partibus exſtructa, aliaqve regalis magnificentiæ monumenta etiamnunc publicis oculis & admirationi ſubjecta: ut Majeſtas Tua multo verius, qvàm Auguſtus, gloriari posſit, ſe veteris patriæ urbes atq; arces marmoreas reddidiſſe, qvum lateritias acceperit. At verò Constantiam & Fortitudinem, verè Imperatorias virtutes, bello nuper exorto Majeſtas Tua potenter exeruit, qvum ultricia arma adverſus vicinos ſumeret hoſtes, qvi nimiis ac diuturnis felicitatis ſucceſsibus elati, inq; ſummo fortunæ faſtigio nullum

ruinæ

ruinæ incommodum ſuſpicati, poſſeſsionem Daniæ rapere velut vacantem præſumebant. Turbaſſent pavidas mentes tàm periculoſi rerum motus: verũ Majeſtas Tua tantam procellam animo prorſus interrito excepit. Principio etenim, Piisſime Rex, conſilia Tua ad Deum referebas, qvem juſtũ ſuperbæ violentiæ Vindicem futurum certâ ſpe ac cogitatione præceperas. Dehinc, ut vim illatam propulſares, & qvantum provideri humanâ ratione potuit, ſecuram præſtares nutantem patriam ; totum provinciarum ambitum, qvas nondum hoſtilis inſederat exercitus, validisſimarũ legionum præſidio firmaſti. Qvæ ſanè ruentem adverſę partis impetum fortiter hucuſq; ſuſtinuerunt, & velut obice poſito repreſſerunt, nè univerſam Daniam, cujus occupandæ celeritatem improbâ ſpe devoraverat, bellicâ mole furor militaris obrueret. Mox ubi maria ſimul hoſtilibus navigiis infeſtari cognitum eſt, novi facinoris indignitate permotus, Ipſe ad arma Neptunia provolas, & maritimæ Te expeditioni accingis: haud ſecus ac patriæ ſalus inter decumanos Oceani fluctus ultimam Tibi pugnandi neceſsitatem adferret, & in æqvore tantùm ſpecioſæ victoriæ campum oſtenderet. Te igitur

duce

duce emissa est in utrumq; mare classis, qvā non viri, non arma, non vela, non venti, sed augustissimæ Majestatis Tuæ præsentia animabat ac provehebat. Postqvam consere-re manus ausæ essent hosticæ rates, pulcherrimum Fortitudinis ingenitæ spectaculum edidisti, Rex invictissime. Prætoriam Tuam, in qvâ salus nostra vehebatur, velut indagine circumventam, recentium Piratarum astus non semel opprimere tentavit. Tu contrà fretus auxilio Dei Tui, & justâ causâ, inter tonitrua & fulmina tormentorum, inter volitantia tela, stabas serenus animo vultuqve, non imperio tantùm, sed & manu pugnans, publicæ magis anxius salutis, qvàm Tuæ incolumitatis. Nulla pericula, nulla vulnera exhorruisti: qvia animus Tuus qvò excelsior, eò minus leges corporis admittit, nec æstimas hanc vitam, qvòd aliam ex gloria & laude paratam Tibi videas, qvam æternam esse benè Tibi persvasum est. Tandem gloriosam cœlitus victoriam adeptus, qvicqvid hostilium myoparonum Balthicas undas constraverat, feliciter profligasti, & in deformem fugam conjecisti. Hæc est tergemina victoria, tribus Svecorū disjectis classibus parta: qvam juxta cum innumeris in Remp. meritis tuis, sempiternitati temporis

&

& nunqvam perituræ memorię dicabimus, qvamqve fideles rerum geſtarum cuſtodes Litteræ duraturis Annalium monumentis Æternitati conſecrabunt.

Ego autem Majeſtati Tuæ devoti cultus ſpecimen exhibiturus, Saxonem hunc noſtrum, Notis meis utcunq; illuſtratum, ad auguſtiſsimi nominis Tui pulvinar humillimè depono: qvem ut in tutelam Tuam benignè recipias, & me uná cum illo, demiſſo, qvantum poſſum, animo precor. Cujus voti fiduciam in Clementiâ Tuâ colloco, qvâ Te non ſolùm ſtudia literarum, à qvibus immortalitatem exſpectas, ſed & meipſum, complecti perſenſi, qvum non ita pridem ampliſsimum illud Hiſtoriæ ſcribendæ munus mihi, licet indigno, demandares. Accipe igitur blandâ & ſerenâ fronte, Pater patriæ, Patrem Hiſtoriarū Septentrionalium, & Regum maximorum exemplo, bonas litteras, qvod facis, ab interitu vindica, & in his præcipuè Hiſtoriam, decus & ornamentum litterarum.

Deus Opt. Max. Sereniſſimam Majeſtatem Tuam porrò ſalvam & florentem ſervet, regnaq; Tua diuturnâ tranqvillitate ſtabiliat, & poſt lætiſſimum ex devictis hoſtibus triumphum, æviternam in cœlis beatitatem concedat! Ità ex animo voveo. Soræ, Prid. Non. Januar. Anno Meſſiæ, clɔ Iɔc XLV.

Majeſtati Tuæ

humillimè ſubditus

Stephanus Johannis Stephanius.

IN

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBROS XVI.

PRÆFATIO AD ANDREAM SUNONIS ARCHIEPISCOPUM LUNDENSEM.



UM cæteræ nationes rerum suarum titulis gloriari, voluptatemq́ ex majorum recordatione percipere soleant: Danorum Maximus Pontifex Absalon patriam nostram, cujus illustrandæ maximâ semper cupiditate flagrabat, eo claritatis & monumenti genere fraudari non passus, mihi comitum suorum extremo, cæteris operam abnuentibus, res Danicas in historiam conferendi negotium intorsit; inopemq́ sensum majus viribus opus ingredi, crebræ exhortationis imperio compulit. Quis enim res Daniæ gestas literis prosequeretur? quæ nuper publicis initiata sacris, ut religionis, ita Latinæ quoq; vocis aliena torpebat. At ubi cum sacrorũ ritu Latialis etiam facultas accessit, segnities par imperitiæ fuit, nec desidiæ minora, quàm antea penuriæ vitia extitère. Quo evenit, ut parvitas mea, quamvis se prædictæ moli imparem animadverteret, supra vires niti, quàm jubenti resistere præoptaret: ne finitimis factorum traditione gaudentibus, hujus gentis opinio potiùs vetustatis obliviis respersa, quàm literarum monumentis prædita videretur. Igitur oneri cunctis præteriti ævi scriptoribus inexperto, rudes laboris humeros subjicere coactus, imperiumq́ negligere veritus, audaciùs quàm efficaciùs parui; quamq́ ingenij mei imbecillitas fiduciam negabat, ab hortatoris amplitudine mutuatus.

Cujus fatis cœpti mei metam præcurrentibus, te potissimùm, Andrea, *penes quem saluberrimus suffragiorum consensus honoris hujus successionem, sacrorumq́ summam esse voluit, materiæ ducem auctoremq́ deposco: obtrectationis livorem, qui maximè conspicuis rebus insultat, tanti cognitoris præsidio frustraturus. Cujus fertilissimum scientiæ pectus ac venerabilium doctrinarum abundantia instructum, veluti quoddam cœlestiũ opum sacrarium existimandum est. Tu Galliam Italiamq́ cum Britannia percipiendæ literarum disciplinæ, colligendæq́ earum copiæ gratia perscrutatus, post diutinam peregrinationem splendidissimum externæ scholæ regimen apprehendisti, tantumq́ ejus columen evasisti, ut potius magisterio ornamentum dare, quàm ab ipso recipere videreris. Hinc ob insignium culmen meritaq́ virtutum Regius Epistolaris effectus, officium mediocritatis limitibus contentum tantis industriæ operibus exornasti, ut idem postmodum amplissimæ dignitatis viris, ad eum, quem geris, honorem translatus, beneficii nomine expetendum relinqueres. Quamobrem Scaniam tripudio dissultare compertum est, quòd Pontificem potius à finitimis mutuata sit, quàm ex indigenis legerit: quippe quæ laudabiliter delectum egit, jocunditatem ex suffragio suo meruit. Itaq; cum genere, literis, ingenioq́ niteas, ac plebem fœcundissimis doctrinæ stipendiis regas; maximũ tibi gregis amorem conciliasti, susceptiq́ ministerii partes gloriosæ executionis fiduciâ ad laudis cumulũ perduxisti. Et ne rerum dominium possessione usurpare videreris, amplissimum patrimonium sacris ædibus religiosæ liberalitatis testamento legasti: obsitasq́ curis opes decenter abjicere, quàm earum aviditate & pondere implicari maluisti. Tu item mirificũ reverendorũ dogmatũ Opus complexus, privatisq́ curis publicæ religionis officia anteponere avidus, pertinentium ad eam rerum solutionem abnuentes, salutarium consiliorũ doctrinâ, debitis sacrorum obsequiis adegisti, veteremq́ divinarum ædium injuriam religioso lucri bene-*

beneficio rependisti. Præterea lascivioris vitæ studiosos, intemperantiæq; plus æquo viribus indulgentes, saluberrimæ exhortationis perseverantiâ, ac splendidissimis frugalitatis exemplis ad honestiorem mentis habitum ab enervi mollitudine revocatos, dictísne an factis magis instruxeris, dubium reliquisti. Ita quod tuorum nulli prædecessorum obtinere tributum est, solis prudentiæ monitis impetrasti.

Nec ignotum volo, Danorum antiquiores conspicuæ fortitudinis operibus editis, gloriæ æmulatione suffusos, Romani styli imitatione, non solùm rerum à se magnificè gestarũ titulos exquisito contextus genere, veluti Poëtico quodam opere perstrinxisse; verum etiã majorum acta patrii sermonis carminibus vulgata, linguæ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Quorum vestigiis seu quibusdam antiquitatis voluminibus inhærens, tenoremq; veris translationis passibus æmulatus, metra metris reddenda curavi; quibus scribendorũ series subnixa, non tam recenter conflata, quàm antiquitus edita cognoscatur. Quia præsens opus non nugacem sermonis luculentiam, sed fidelem vetustatis notitiam pollicetur. Quantum porrò ingenij illius homines historiarum edituros putemus, si scribendi sitim Latinitatis peritia pavissent? Quibus tametsi Romanæ vocis notitia abesset, tanta tradendæ rerũ suarũ memoriæ cupido incessit, ut voluminũ loco vastas moles amplecterentur, codicum usum à cautibus mutuantes. Nec Tylensium industria silentio obliteranda: qui cum ob nativam soli sterilitatem luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ sobrietatis exerceant, omniaq; vitæ momenta ad excolendam alienorum operũ notitiam conferre soleant, inopiam ingenio pensant. Cunctarum quippe nationum res gestas cognosse, memoriæq; mandare, voluptatis loco reputant: non minoris gloriæ judicantes alienas virtutes disserere, quàm proprias exhibere. Quorum thesauros historicarum rerũ pignoribus refertos curiosius consulens, haud parvam præsentis operis partem ex eorum relationis imitatione contexui: nec arbitros habere contempsi, quos tanta vetustatis peritiâ callere cognovi. Nec minus Absalonis asserta sectando, quæ vel ipse gessit, vel ab aliis gesta perdidicit, docili animo styloq; complecti curæ habui; venerandæ ejus narrationis documentum perinde ac divinum aliquod magisterium amplexatus.

Te ergo salutaris princeps ac parens noster, cujus illustrissimam à priscis temporibus prosapiã dicturus sum, clarissima lux patriæ Voldemare, dubiũ laboris hujus progressum favore prosequi rogo: quia propositi pondere constrictus, vereor ne magis imperitiæ meæ habitum, ingenijq; debilitatem patefaciam, quàm tuam (sicut par est) originem repræsentem. Siquidem præter paternæ hæreditatis amplitudinem, conspicua regni incrementa finitimorum oppressione sortitus, Albiæq; reciprocos fluctus propagatæ dominationis labore complexus, haud mediocre claritatis momentum celeberrimæ laudis tuæ titulis adjecisti. Ita antecessorum famam atq; opinionem operum magnitudine supergressus, ne Romani quidem imperij partes armis intentatas liquisti. Cumq; fortitudine & liberalitate instructissimus habearis, plúsne hostes bellis terreas, an cives humanitate demulceas, ambiguum reddidisti. Tuus quoq; fulgentissimus avus publicæ religionis titulis consecratus, immeritaq; mortis beneficio immortalitatis gloriam consequutus, nunc sanctitatis fulgore præstringit, quos olim victoriis acquisivit. Ex cujus sanctissimis vulneribus pius virtutis quàm cruoris effluxit. Cæterùm prisco atq; hæreditario obsequendi jure, saltem ingenij viribus tibi militare constitui: cujus clarissimi patris castrensem militiã parens avusq; meus fidissimis bellici laboris operibus coluisse noscuntur. Tuo igitur ductu respectuq; subnixus, quò cætera liquidius exequar, initium à patriæ nostræ situ descriptuq; petere statui: speciosiùs singula perstricturus, si narrationis procursus competentia rebus loca permetiens, ab eorum positione dicendorum inchoamenta deduxerit.

Hujus itaq; regionis extima partim soli alterius confinio limitantur, partim propinqui maris fluctibus includuntur. Interna verò circumfusus ambit Oceanus: qui sinuosis interstitiorum anfractibus nunc in angustias freti contractioris evadens, nunc in latitudinem sinu diffusiore procurrens, complures insulas creat. Quo fit, ut Dania mediis pelagi fluctibus intercisa, paucas solidi continuiq; tractus partes habeat, quas tanta undarũ interruptio pro varia freti reflexioris obliquitate discriminat. Ex his Jutia granditatis inchoamentiq; ratione Danici regni principium tenet; quæ sicut positione prior, ita situ porrectior Teutoniæ finibus admovetur. A cujus complexu fluminis Eydori interriva-

tio-

tione discreta, cum aliquanto latitudinis excremento Septentrionem versus in Norici freti littus excurrit. In hac sinus, qui Lymicus appellatur, ità piscibus frequens existit, ut non minus alimentorum indigenis, quàm ager omnis exolvere videatur. Huic etiam Fresia minor adjacet, quæ à Jutiæ prominentia subsidentium camporum ac gremii devexioris inclinata recessu, maximos frugum proventus beneficio Oceani inundantis assequitur. Cujus refluxionis vis, plus utilitatis an periculi incolis afferat, ambiguum extat. Siquidem tempestatis magnitudine perruptis æstuariis, quibus apud eos maritimi fluctus intercipi solent, tanta arvis undarum moles incedere consvevit, ut interdum non solùm agrorum culta, verumetiam homines cum penatibus obruat. Post Jutiam insula ad Orientem versus Fionia reperitur, quam à continenti angusti admodum æquoris interjectus abrumpit. Hæc sicut ab occasu Jutiam, ita ab ortu Sialandiam prospectat, conspicuà necessariarum rerum ubertate laudandam. Quæ insula amœnitate cunctas nostræ regionis provincias antecedens, medium Daniæ locum obtinere putatur; ab extimæ remotionis limite pari spaciorum intercapedine disparata. Ab hujus ortivo latere occasivum Scaniæ media pelagi discindit interruptio, opimam prædæ magnitudinem quotannis piscantium retibus adigere soliti. Tanta siquidem sinus omnis piscium frequentiâ repleri consvevit, ut interdùm impacta navigia vix remigii conamen eripiat: nec jam præda artis instrumento, sed simplici manus officio capiatur. Cæterùm Hallandia ac Blekingia ab integritate Scaniæ, ceu rami duplices ex unius arboris stipite promeantes, Gothiæ Norvagiæq́, longa declinationis spaciis, diversisq́ recessuum interstitiis adnectuntur. Verùm apud Blekingiam apta meantibus rupes mirandis literarum notis interstincta conspicitur. Siquidem à Meridiano mari in deserta Verendiæ petrosa porrigitur semita, quam binæ lineæ exiguo discretæ spacio protractis in longum ductibus amplectuntur. Inter quas, medio loco planum, factis ad legendum figuris, undique secus exaratum ostenditur. Quod licet adeò situ inæquale existat, ut modò montium alta proscindat, modò vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum vestigia servare dignoscitur. Quarum significationem Rex Voldemarus, sancti Kanuti fausta proles, admirationis causâ cognoscere cupiens, misit qui rupem permeantes, patentium illic characterum seriem, curiosiori indagatione colligerent, ac postmodum virgulis quibusdam sub iisdem formarum apicibus adnotarent. Qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipsa cælaturæ concavitas partim cœno interlita, partim commeantium adesa vestigiis, figuratæ protractionis speciem obtrito calle confuderat. Unde conspicuum est, etiam petrinæ soliditatis rimas diutino madore complutas, aut sordium colluvione, aut irriguâ nimborum instillatione concrescere.

At quoniam regio hæc Svetiam Norvagiamq́, tam vocis quàm situs affinitate complectitur, earum quoq́, sicut & Daniæ, partes ac climata memorabo. Quæ provinciæ Septentrionali polo subjectæ, Boötemq́ & Arcton respicientes, ipsum frigentis zonæ parallelum ultimâ sui porrectione contingunt: post quas humanis sedibus locum inusitata algoris sævitia non relinquit. Ex quibus Norvagia saxei situs deformitatem naturæ sortita discrimine, rupibus infœcunda, ac scopulis undique secus obsita, glebarum vastitate tristes locorum salebras repræsentat. In cujus parte extima ne noctu quidem diurnum sidus occulitur; ità ut continui Solis præsentia alternos horarum dedignata successus, utriq́ tempori pari luminis administratione deserviat.

Ab hujus latere occidentali, insula, quæ Glacialis dicitur, magno circumfusa reperitur Oceano, obsoletæ admodum habitationis tellus, rerumq́ veri fidem excedentium, & insolitorum eventuum miraculis prædicanda. Illic fons est, qui fumigantis aquæ vitio nativã rei cujuslibet originem demolitur. Sanè quicquid fumi hujus exhalatione respergitur, in lapideæ naturæ duritiam transmutatur. Quæ res mirabilior an periculosior existat, in dubio positum constat: cùm fluidam aquæ teneritudinem tantus obsideat rigor, ut admotum quidlibet fumidoq́ ejus vapore perfusum, in lapidis proprietatem, formâ duntaxat superstite, subitâ conversione transmutet. Ibidemq́ complures alii latices referuntur, qui modo crescentis lymphæ copiis adaucti, plenisq́ exundantes alveis crebras in sublime guttas jaciunt, modò torpentibus scatebris vix ab imo conspecti, profundis subductioris terræ latibulis absorbentur. Quo fit, ut exuberantes proxima quæque

spumarum candore conspergant, exinaniti nullo visus ingenio capiantur. In hac itidem insula mons est, qui rupem sideream perpetuæ flagrationis æstibus imitatus, incendia sempiterna jugi flammarum eructatione continuat. Cujus rei admiratio supradictis æquatur; cùm tellus extremis subjecta frigoribus tanti caloris fomentis exuberet, ut ignium perennitatem arcanis instruat nutrimentis, æternumq; fovendis ardoribus præbeat incentivum. Huic etiam insulæ, certis statutisq; temporibus, infinita glaciei advolvitur moles; quæ cum adventans scabris primùm cautibus illidi cœperit, perinde ac remugientibus scopulis fragosæ ex alto voces, ac varii inusitatæ conclamationis strepitus audiuntur. Quamobrem animas ob nocentis vitæ culpam suppliciis addictas, illic algoris magnitudine delictorum pendere pœnas existimatum est. Hujus itaq; molis excisa particula, quantiscunq; nodorum condylis obseretur, mox ut supradicta glacies terris avellitur, claustra custodiamq; frustratur. Stupet animus admiratione plenus, dùm res inextricabilibus seris obsita, ac multiplici impedimentorum perplexione conclusa, sic molis, cujus pars erat, discessum insequitur, ut omnem observationis diligentiam inevitabilis fugæ necessitate decipiat. Est & illic aliud glaciei genus, montium jugis ac rupibus intersertū, quod certis vicibus constat superioribus ad ima dejectis, infimisq; rursum ad superna reflexis, versili quadam mutatione transponi. In cujus assertionis fidem affertur, quod quidam, dùm planum forte glaciale percurrerent, in objectas voragines, hiantiumq; rimarum penita provoluti paulò post exanimes fuerint, nulla glaciei rimulâ superstante, reperti. Quamobrem à compluribus existimari solet, quod quos fundæ glacialis urna desorbuit, eosdem postmodum supinata reddiderit. Illic etiam fama est pestilentis undæ laticem scaturire, quo quis gustato perinde ac veneno prosternitur. Sunt & alii fontes, quorum scatebra Cerealis poculi proprietatem imitari perhibetur. Sunt ignes, qui cùm linum consumere nequeant, aquæ mollitiem depascuntur. Est & saxum, quod montium prærupta non extrinsecâ agitatione, sed propriâ nativâq; motione pervolitat.

Et ut paulò altius Norvagiæ descriptio replicetur, sciendum, quòd ab ortu Sveciæ Gothiæq; contermina aquis utrinque secùs Oceani vicinantis includitur. Eadem à Septentrione regionem ignoti situs ac nominis intuetur humani cultus expertem, sed monstrosæ novitatis populis abundantem, quam ab adversis Norvagiæ partibus interfluа pelagi separavit immensitas. Quod cùm incertæ navigationis existat, perpaucis eam ingredientibus salutarem reditum tribuit.

Cæterùm Oceani superior flexus Daniam intersecando prætermeans, australem Gothiæ plagam sinu laxiore contingit: inferior verò meatus, ejus, Norvagiæq; latus Septentrionale præteriens, ad ortum versus, magno cum latitudinis incremento, solido limitatur anfractu. Quem maris terminum gentis nostræ veteres Granduicum dixere. Igitur inter Granduicum & meridianum pelagus breve continentis spacium patet, maria utrinq; secus allapsa prospectans: quod nisi rerum natura limitis loco congressis penè fluctibus objecisset, Svetiam Norvagiamq; conflui fretorum æstus in insulam redegissent. Harum ortivas partes Skricfinni incolunt. Quæ gens inusitatis assueta vehiculis, montium inaccessa venationis ardore sectatur, locorumq; complacitas sedes dispendio lubricæ flexionis assequitur. Neq; enim ulla adeò rupes prominet, quin ad ejus fastigium callida cursus ambage perveniat. Primò siquidem vallium profunda relinquens, scopulorum radices tortuosa giratione perlabitur, sicq; meatum crebræ declinationis obliquitate perflectit, donec per sinuosos callium anfractus destinatum loci cacumen exuperet. Eadem apud finitimos mercium loco quorundam animalium pellibus uti consvevit.

Svetia verò Daniam ab occasu Norvagiamq; respiciens, à meridie & multa Orientis parte, vicino præteritur Oceano. Post quam ab ortu quoq; multiplex diversitatis barbaricæ consertio reperitur.

Danicam verò regionem giganteo quondam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa testantur. Quod si quis vi monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatq; si callet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis invexerit. Inopinabile namq; quivis miraculi hujus æstimator animadvertet, ut molem super plano minimè vel difficile mobilem, in tantum montanæ sublimitatis apicem simplex mortalitatis labor, aut usitatus humani roboris conatus extulerit. Utrum verò talium rerum auctores post diluvialis inundationis excursum gigantes extiterint, an viri corporis viribus ante alios prædititi, parùm notitiæ traditum. Talibus, ut nostri autumant, subitam mirandamq; nunc propinquitatis, nunc absentiæ potestatem, comparendiq; ac subter labendi vicissitudinem, versilis corporum status indulget, qui hodieq; scrupeam inaccessamq; solitudinem (cujus suprà mentionem fecimus) incolere perhibentur. Ejusdem aditus horrendi generis periculis obsitus, rarò sui expertoribus incolumitatem regressumq; concessit. Nunc stylum ad propositum transferam.

SAXO-

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER PRIMUS.



DAN & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, patre Humblo procreati, non solùm conditores gentis nostræ, verumetiam rectores fuere. Quanquam Dudo rerum Aquitanicarum scriptor, Danos à Danais ortos nuncupatosq; recenseat. Hi licet faventibus patriæ votis regni dominio potirentur, rerũq; summam ob egregia fortitudinis merita, assentientibus civium suffragiis, obtinerent, Regij tamen nominis expertes degebant: cujus usum nulla tunc temporis apud nostros consvetudinum frequentabat auctoritas.

Ex qvibus Angul, à quo gentis Anglicæ principia manasse memoriæ proditum est, nomen suum provinciæ, cui præerat, aptandum curavit; levi monumenti genere perennem sui notitiam traditurus. Cujus successores postmodùm Britanniâ potiti, priscum Insulæ nomen, novo patriæ suæ vocabulo, permutarunt. Magni id factum à veteribus æstimatum. Testis est Beda, non minima pars divini styli; qvi in Anglia ortus, sanctissimis suorum voluminum thesauris res patrias sociare curæ habuit: æquè ad religionem pertinere judicans, patriæ facta literis illustrare, & res divinas conscribere.

Verùm à Dan (ut fert antiquitas) regum nostrorum stemmata, ceu quodam derivata principio, splendido successionis ordine profluxerunt. Huic filii Humblus & Lotherus fuêre, ex Grytha summæ inter Theutones dignitatis matrona suscepti. I. DAN.

Lecturi regem veteres affixis humo saxis insistere, suffragiaq; promere consveverant; subjectorum lapidum firmitate facti constantiam ominaturi. Quo ritu Humblus, decedente patre, novo patriæ beneficio, Rex creatus, sequentis fortunæ malignitate ex Rege privatus evasit. Bello siquidem à Lothero captus, regni depositione spiritum mercatus est: hæc sola quippe victo salutis conditio reddebatur. Ita fraternis injuriis imperium abdicare coactus, documentum hominibus præbuit, ut plus splendoris, ita minùs securitatis aulis quàm tuguriis inesse. Cæterum injuriæ tam patiens fuit, ut honoris damno tanquam beneficio gratulari crederetur: sagaciter, ut puto, regiæ conditionis habitum contemplatus. Sed nec Lotherus tolerabiliorem Regem quàm militem egit, ut prorsus insolentia ac scelere regnum auspicari videretur: siqvidem illustrissimum qvemque vitâ aut opibus spoliare, patriamq; bonis civibus vacuefacere, probitatis loco duxit: regni æmulos ratus, quos nobilitate pares habuerat. Nec diu scelerum impunitus, patriæ consternatione perimitur, eâdem spiritum eripiente, quæ regnum largita fuerat. II. HUMBLUS. III. LOTHERUS.

Cujus filius Skyoldus naturam ab ipso, non mores sortitus, per summam tenerioris ætatis industriam, cuncta paternæ contagionis vestigia ingeniti erroris devio præteribat. Igitur ut à paternis vitiis prudenter descivit, ita avitis virtutibus feliciter respondit; remotiorem pariter ac præstantiorem hæreditarii moris portionem amplexus. Hujus adolescentia, inter paternos venatores, immanis belluæ subactione insignis extitit, mirandoq; rei eventu futuræ ejus fortitudinis habitum ominata est. Nam cum à tutoribus fortè, quorum summo studio educabatur, inspectandæ venationis licentiam impetrasset, obvium sibi insolitæ granditatis ursum telo vacuus, cingulo, cujus usum habebat, religandum curavit, necandumq; comitibus præbuit. Sed & complures spe- IV. SKIOLDUS.

SKIOLDUS. ctatæ fortitudinis pugiles per idem tempus viritim ab eo superati produntur: è quibus Attalus & Scatus clari illustresq; fuêre. Quindecim annos natus, inusitato corporis incremento perfectissimum humani roboris specimen præferebat, tantaq; indolis ejus experimenta fuere, ut ab ipso cæteri Danorum Reges, communi quodam vocabulo Skioldungi nuncuparentur. Idem perditam & enervam vitam agentes, continentiamq; luxu labefacere solitos, ad capessendam virtutem rerum agitatione sedulus excitabat.

Præcurrebat igitur Skioldus virium complementum animi maturitate, conflictusq; gessit, quorum vix spectator ob teneritudinem esse poterat. In quo annorum virtutisq; procursu, ob Avildam, quam summæ pulchritudinis intuitu postulabat, cum Scato, Alemanniæ satrapa, ejusdem puellæ competitore, Theutonum Danorumq; exercitu inspectante, ex provocatione dimicavit, interfectoq; eo omnem Alemannorum gentem, perinde ac ducis sui interitu debellatam, tributariâ ditione perdomuit. Hic non armis modò, verumetiam patriæ charitate conspicuus extitit. Siquidem impias leges abrogavit, salutares tulit; & quicquid ad emendandum patriæ statum attinuit, summa diligentiâ præstitit. Sed & regnum, patris improbitate amissum, virtute recuperavit. Primus rescindendarum manumissionum legem edidit. Servi, quem libertate donaverat, clandestinis insidiis petitus, acrem pœnam exegit, tanquam in omnium libertorum pœnam unius crimen redundare par esset. Omnium æs alienum ex fisco suo solvebat, & quasi cum aliorum Regum fortitudine, munificentiâ ac liberalitate certabat. Ægros fomentis prosequi, remediaq; graviter affectis benignius exhibere solebat: se non sui, sed patriæ curam suscepisse testatus. Proceres non solùm domesticis stipendiis colebat, sed etiam spoliis ex hoste quæsitis: affirmare solitus; pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere.

V. GRAM. Puellam cujus amore conflixerat, acerrimo nuptiarum æmulo liberatus, in pugnæ præmium recepit, eamq; sibi matrimonio copulavit. Ex qua paulò post Gram filium sustulit. Cujus mirifica indoles ita paternas virtutes redoluit, ut prorsus per earum vestigia decurrere putaretur. Corporis animiq; præstantissimis dotibus præditam adolescentiam ad summum gloriæ statum provexit, tantumq; magnitudini ejus à posteris tributum est, ut in vetustissimis Danorum carminibus ipsius vocabulo regia nobilitas censeatur. Qvicquid ad firmandas acuendasq; vires attinuit, acerrimâ ingenii exercitatione tractabat. A gladiatoribus vitandi inferendiq; ictus consvetudinem studioso exercitij genere contrahebat. Educatoris sui Roarii filiam coævam sibi collactaneamque, quò majorem incunabulis gratiam referret, uxorem adscivit; quam postmodum Besso cuidam, quòd ejus strenuâ operâ sæpenumero usus fuerat, mercedis loco conjugem tribuit. Quo bellicorum operum socio fretus, plus gloriæ suâ an Bessi virtute contraxerit, incertum reliquit.

Qui cùm fortè Sueonum Regis Sictrugi filiam Gro, Gigantum cuidam desponsam cognosceret, tàm indignam regio sangvine copulam execratus, bellum Sveticum auspicatur; Herculeæ virtutis exemplo, monstrorum nisibus obstaturus. Initâ Gothiâ, cum deturbandorum obviorum gratiâ, caprinis tergoribus amictus incederet, ac variis ferarum pellibus circumactus, horrificũq; dextrâ gestamen complexus, giganteas simularet exuvias, ipsam Gro silvestres fortè latices cum paucis admodum pedissequis, lavandi gratiâ, petentem, equo obviam habuit. Quæ sponsum adesse rata, simulque tam insoliti cultus horrore muliebriter territa, succussis frenis, maximâ cum totius corporis trepidatione, patrio carmine sic cœpit:

Conspicor invisum Regi venisse Gigantem;
Et gressu medias obtenebrare vias:
Aut oculis fallor. Nam tegmine sæpè ferino
Contigit audaces delituisse viros.

Cui

GRAM.

Cui Bessus, sic orsus:
Virgo, caballi
Quæ premis armos,
Verba vicissìm
Mutua fundens,
Quod tibi nomen,
Quâ fueris, dic,
Gente creata?
Ad hæc Gro:
Gro mihi nomen,
Rex pater extat
Sangvine fulgens,
Fulgidus armis.
Tu quoque, qui sis,
Aut satus undè,
Promito nobis.
Cui Bessus:
Bessus ego sum
Fortis in armis,
Trux inimicis
Gentibus horror:
Atque alieno
Sæpe refundens
Sangvine dextram.

Tùm Gro:
Quis, rogo, vestrum
Dirigit agmen?
Quo duce signa
Bellica fertis?
Quis moderatur
Prælia princeps?
Quove paratur
Præstite bellum?
Contrà sic Bessus:
Gram regit agmen
Marte beatus:
Quem metus, aut vis
Flectere nescit;
Nec rogus ardens,
Nec ferus ensis,
Aut maris unquàm
Terruit æstus.
Hoc duce belli,
Signa levamus
Aurea, virgo.
Rursum Gro:
Hinc remeantes
Vertite cursum;

Ne proprio vos
Opprimat omnes
Agmine Sictrug;
Inq; feroci
Stipite figat
Illaqueatos
Guttura nexu;
Detq; rigenti
Corpora nodo;
Ac malè torvus
Trudat edaci
Funera corvo.
Iterùm Bessus:
Gram prior illum
Manibus addet,
Ac dabit orco;
Quàm sua fatis
Lumina claudat;
Inq; pavenda,
Vertice plexum,
Tartara mittet.
Nulla Sveonum
Castra timemus.
Quid minitaris

Tristia nobis
Funera, virgo?
Ad quem Gro:
En ferar isthinc
Nota revisens
Tecta parentis;
Ne venientis
Conspicer audax
Agmina fratris.
Vos remeantes
Ultima quæso
Fata morentur.
Ad quam Bessus:
Læta revise
Nata parentem;
Nec cita nobis
Fata precare;
Nec tua bilis
Pectora pulset.
Namque petenti
Aspera primùm
Difficilisq;,
Sæpe secundò
Fœmina cedit.

Posthæc Gram horrendæ monstruosæq; vocis habitum trucioris soni modulis æmulatus, silentiiq; diuturnioris impatiens, talibus puellam dictis aggreditur:

Ne timeat rabidi germanum, Virgo, Gigantis;
Me neque contiguum palleat esse sibi:
A Grip missus enim, nunquàm, nisi compare voto,
Fulcra puellarum, concubitumq; peto.

Cui Gro:

Quæ sensus exsors scortum velit esse Gigantum?
Aut quæ monstriferum possit amare torum?
Quæ conjux fore dæmonum
Possit, monstrigeni conscia seminis?
Suum Giganti quæ fero
Consociare velit cubile?
Quis spinâ digitos fovet?
Quis sincera luto misceat oscula?
Quis membra jungat hispida
Lævibus impariter locatis?
Cum natura reclamitat,
Haud plenum Veneris carpitur otium:
Nec congruit monstris amor
Fœmineo celebratus usu.

Gram contrà:

Regum colla potentium
Victrici toties perdomui manu,
Fastus eorum turgidos
Exuperans potiore dextrâ.
Hinc aurum rutilans cape,
Quo perpes maneat pactio munere:
Ac firma consistat fides,
Conjugiis adhibenda nostris.

GRAM. Quo dicto, discussis larvis, nativum oris decorem confessus, tantum penè voluptatis vero sui aspectu puellæ attulit, quantum adulterino terroris incussit: quam etiam formæ suæ luculentiâ ad concubitum provocatam, amatoriis donis prosequi non omisit. Progressus, ex obviis cognoscit, binis callem latronibus obsideri. Quos ad se spoliandum cupidius proruentes, solo exanimavit impulsu. Quo facto, ne ullum hostili solo beneficium attulisse videretur, peremptorum corpora subjectis affixa stipitibus, simulatâ pedum erectione distendit; ut quibus re nocuerant vivi, specie minarentur extincti; & post fata quoq; formidabiles non iter imagine minùs, quàm opere præpedirent. Quamobrem constat eum latrones interimendo sibi, non Suetiæ, consulere studuisse: cujus quanto odio teneretur, tam insignis facti indicio patefecit. Qui cum ab aruspicibus accepisset, nisi auro Sictrugum superari non posse; continuò ligneæ clavæ nexilem auri nodum adjecit, eâq; bellô, quo Regem aggrediebatur, instructus, voti se compotem fecit. Quod factum Bessus impensiori laudationis genere prosecutus sic cecinit:

Gram ferus clavæ gerulus beatæ,
Nescius ferri, celebrabat ictu
Ensis obtentum, pepulitq; trunco
Tela potentis.
Fata sectatus, superûmq; mentem,
Sveonum pressit decus impotentûm;
Dum neci Regem dedit, & rigenti
Contudit auro.
Namq; pugnaces meditatus artes,
Robur amplexu rutilum gerebat;
Et ducem victor, nitido, supinum
Verbere torsit.
Fata quem ferro perimi vetabant,
Aureo prudens domuit rigore,
Ense dum cassus potiore gessit
Bella metallo.
Clarius, post, hoc Agathon manebit
Agnitum latè meliore famâ;
Cui suus laudem, decorisq; culmen,
Arrogat auctor.

Occiso Svetiæ Rege Sictrugo, Gram quæsitum armis imperium possessione firmare cupiens, Svarinum Gothiæ præfectum ob affectati regni suspicionem in pugnæ certamen devocatum oppressit: fratresq; ejus septem matrimonio, novem pellice procreatos, impari dimicationis genere fraternæ necis ultionem petentes, absumpsit.

Hunc pater, ultimæ jam ætatis, ob res egregiè gestas, imperii consortione donavit, regniq; summam cum sangvine suo communicare, quàm in occiduæ vitæ statu sine participe gerere, tum utilius, tum etiam commodius duxit.

Igitur cum Ringo splendido Sialandiæ loco natus, alterum ex his honori intempestivum, alterum jam virium cursu defunctum putaret; infirmam utriusq; ætatem causatus, novarum rerum studio majorem Danorum partem solicitat: hunc puerilis, illum senilis animi deliramento regiæ potestati inhabilem protestando. A quibus bello obtritus documento hominibus fuit, nullam ætatis partem virtuti incongruam existimari debere.

Alia quoq; complura Gram Regis facinora fuêre. Adversus Sumblum Phinnorum regem bellum professus, ad aspectum filiæ ejus Signes depositis armis, ex hoste procus evasit, eamq; promisso conjugis suæ repudio pactus despondit. Quam, cum bello Norvagico, quod adversum Svibdagerum Regem, ob sororis filiæq; stuprum, susceperat, admodum occupatus, Saxoniæ Regi

Hen-

Henrico, Sumbli perfidiâ, in matrimonium promiſſam, nuncio didiciſſet, propior virginis, quàm militum charitati, relicto exercitu tacitus in Phinniam contendit, inchoatisq; jam nuptiis ſuperveniens, extremæ vilitatis veſte ſumptâ, deſpicabili ſedendi loco diſcubuit. Rogatus quidnam afferret, medendi ſolertiam profitetur. Ad poſtremum omnibus ebrietate madentibus, puellam intuens, mediis perſtrepentis convivii gaudiis, per ſummam fœmineæ levitatis execrationem, maximamq; virtutum ſuarum gloriationem, indignationis magnitudinem hujuſmodi carmine patefecit: GRAM.

Solus in octo pariter ſpicula mortis egi,
Atque novenos gladio corripui reducto,
Quando Svarinum exanimavi titulis abuſum,
Nec meritum conciliantem ſibi nomen: unde
Sæpe cruentum nece ferrum, madidumq; cæde,
Sangvine tinxi peregrino, timuiq; nunquam
Ad crepitus enſiculi, vel galeæ nitorem.
Nunc malè me projiciens fert aliena vota
Filia Sumbli fera Signe, vetus execrata
Fœdus; & incompoſitum concipiens amorem,
Fœmineæ dat levitatis facinus notandum;
Quæ proceres illaqueat, pellicit, atq; fœdat,
Ante alios ingenuos præcipuè refellens;
Nec ſtabilis permanet ulli, titubatq; ſemper,
Ancipites parturiens, dividuosq; motus.

Et cum dicto, diſcubitu evolans Henricum inter ſacra menſæ & amicorum complexus obtruncat, ſponſamq; mediis abſtractam pronubis, magnâ convivarum parte proſtrata, ſecum navigio deportat. Igitur nuptiis in exequias verſis, doceri Finni potuerunt, alienis amoribus manus injici non oportere.

His geſtis, à rege Norvagiæ Svibdagero, dum ſtupratæ ſororis injuriam ac laceſſitam filiæ pudicitiam ulciſci conatur, opprimitur. Hoc prælium Saxonicis inſigne copiis fuit, quas ad auxilia Svibdagero ferenda non tam ipſius charitas, quàm Henricianæ ultionis cupiditas provocabat.

Filii Gram, Guthormus & Hadingus; quorum alterum Gro, alterum Signe enixa eſt, Svibdagero Daniam obtinente, per educatorem ſuum Brache, nave Svetiam deportati, Vagnophto & Haphlio gigantibus, non ſolùm alendi, verumetiam defenſandi traduntur. VI. SWIBDAGERUS.

Quorum ſummatim opera perſtricturus, ne publicæ exiſtimationi contraria, aut veri fidem excedentia, fidenter aſtruere videar; noſſe operæ pretiũ eſt, triplex quondam Mathematicorum genus inauditi generis miracula diſcretis exercuiſſe præſtigiis.

Horum primi fuere monſtruoſi generis viri, quos Gigantes antiquitas nominavit, humanæ magnitudinis habitum eximia corporum granditate vincentes.

Secundi poſt hos, primam phyſiculandi ſolertiam obtinentes, artem poſſedere Pythonicam. Qui quantùm ſuperioribus habitu ceſſere corporeo, tantùm vivaci mentis ingenio præſtiterunt. Hos inter gigantesq; de rerum ſumma bellis certabatur aſſiduis, quoad Magi victores giganteum armis genus ſubigerent, ſibiq; non ſolum regnandi jus, verumetiam divinitatis opinionem conſciſcerent. Horum utriq;, per ſummam ludificandorum oculorum peritiam, proprios alienosq; vultus, variis rerum imaginibus adumbrare callebant, illicibusq; formis veros obſcurare conſpectus.

Tertii verò generis homines, ex alterna ſuperiorum copula pullulantes, auctorum ſuorum naturæ, nec corporum magnitudine, nec artium exercitio reſpondebant. His tamen apud deluſas præſtigiis mentes divinitatis acceſſit opinio.

Nec

GRAM. Nec mirandum, si prodigialibus eorum portentis adducta barbaries, in adulterinæ religionis cultum concesserit; cum Latinorum quoq; prudentiam pellexerit talium quorundam divinis honoribus celebrata mortalitas. Hæc idcirco tetigerim, ne cum præstigia portentave perscripsero, lectoris incredula refragetur opinio. His prætermissis, propositum repetam.

VII. GUTHORMUS. Occiso Gram, Svibdagerus Daniæ Svetiæq; imperiis auctus, fratrem conjugis Guthormum, eâdem sæpius flagitante, exilio abductum, tributaq; pollicitum, Danis præfecit, Hadingo patris ultionem hostis beneficio præferente.

VIII. HADINGUS. Hic primis adolescentiæ temporibus felicissimis naturæ incrementis summam virilis ætatis perfectionem sortitus, omisso voluptatis studio, continua armorum meditatione flagrabat; memor se bellicoso patre natum, omne vitæ tempus spectatis militiæ operibus exigere debere. Cujus fortem animum Harthgrepa, Vagnhofthi filia, amoris sui illecebris emollire conata, sedulâ affirmatione certabat, oportere eum primum genialis tori munus suis irrogare connubiis, quæ infantiæ ejus exactioris curæ fomenta porrexerit, primaq; subministrarit crepundia. Nec simplici verborum exhortatione contenta, carminis quoque modo sic orsa:

Quid tibi sic vaga vita fluit?
Quid cælebs tua lustra teris?
Arma sequens, jugulum sitiens?
Nec species tua vota trahit.
Eximia raperis rabie
Labilis in Venerem minimè.
Cædibus atque cruore madens
Bella toris potiora probas,
Nec stimulis animum recreas.
Ocia nulla fero subeunt;
Lusus abest, feritas colitur;
Nec manus impietate vacat,
Dum Venerem coluisse piget.
Cedat odibilis iste rigor,
Adveniat pius ille calor,
Et Veneris mihi necte fidem,
Quæ puero tibi prima dedi
Ubera lactis, opemq; tuli,
Officium genitricis agens,
Usibus officiosa tuis.

Quo corporis ejus magnitudinem humanis inhabilem amplexibus referente, cujus naturæ contextum dubium non esset giganteo germini respondere: non te moveat, inquit, insolitus meæ granditatis aspectus. Nunc enim contractioris, nunc capacioris; nunc exilis, nunc affluentis substantiæ; modò corrugati, modò explicati corporis situm arbitrariâ mutatione transformo: nunc proceritate cœlis invehor, nunc in hominem, angustioris habitus ditione, componor. Adhuc hæsitante eo, fidemq; dictis habere cunctante, tale carmen adjecit:

Ne paveas nostri, Juvenis, commercia lecti;
Corpoream geminâ vario ratione figuram,
Et duplicem nervis legem præscribere svevi.
Nam sequor alternas diverso schemate formas
Arbitrio variata meo; nunc sidera cervix
Æquat, & excelso rapitur vicina Tonanti:
Rursus in humanum ruit inclinata vigorem,
Contiguumq; polo caput in tellure refigit.
Sic levis in varios transmuto corpora flexus
Ambiguis conspecta modis: nunc colligit anceps Stri-

Strictus membra rigor, nunc gratia corporis alti
Explicat, & summas tribuit contingere nubes.
Nunc brevitate premor, nunc laxo poplite tendor
Versilis, inq; novos converti cærea vultus.
Nec me mirari debet, qui Protea novit.
Nunc premit effusos, modo clausos exerit artus
Forma situs incerta sui, speciesq; biformis.
Quæ nunc extricat, nunc membra revolvit in orbem.
Exero contractos artus, tensosq; subinde
Corrugo, vultum formis partita gemellis,
Et sortes complexa duas; majore feroces
Territo, concubitus hominum breviore capesso.

His assertis Hadingi concubitu potita, tanto juvenis amore flagravit, ut cum eum revisendæ patriæ cupidum comperisset, virili more culta prosequi non dubitaret, laboribusq; ejus ac periculis interesse voluptatis loco duceret. Quo comite susceptum iter ingressa, penatibus fortè pernoctatura succedit, quorum defuncti hospitis funus mœstis ducebatur exequiis. Ubi magicæ speculationis officio superûm mentem rimari cupiens, diris admodum carminibus ligno insculptis, iisdemq; lingvæ defuncti per Hadingum suppositis, hac voce eum horrendum auribus carmen edere coegit:

Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat,
Tartaroq; devocati spiritus pœnas luat.
Quisquis infernâ sede vocavit
Me functum fatis exanimemq;,
Ac rursum superas egit in auras;
Sub Styge liventi, tristibus umbris
Persolvat proprio funere pœnas.
En præter placitum propositumq;,
Quædam grata parum, promere cogor.
Ex hac namq; pedem sede ferentes
Angustum nemoris advenietis,
Passim dæmonibus præda futuri.
Tunc quæ nostra chao fata reduxit,
Et dedit hoc rursum visere lumen,
Mirè corporeis nexibus indens
Manes elicitos sollicitando,
Quod nisa est temerè, flebit acerbè.
Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat.
Tartaroq; devocati spiritus pœnas luat.
Nam cum monstrigeni turbinis atra lues
Intima conatu presserit exta gravi,
Atque manus vivos verrerit ungue fero,
Artubus avulsis corpora rapta secans:
Tunc, Hadinge, tibi vita superstes erit,
Nec rapient Manes infera regna tuos,
Nec gravis in Stygias spiritus ibit aquas:
Fœmina sed nostros, crimine pressa suo,
Placabit cineres, ipsa futura cinis,
Quæ miseris umbris huc remeare dedit.
Inferis me qui reduxit, execrandus oppetat
Tartaroq; devocati spiritus pœnas luat.

Igitur cum apud prædictum nemus compacta ramalibus tecto noctem agerent, inusitatæ granditatis manus domicilium penitus pererrare conspecta. Quo monstro territus Hadingus, nutricis opem implorat. Tunc Harthgrepa ar-

HADINGUS. artus explicans, ac magno se turgore distendens, manum arctius comprehensam alumno præbuit abscindendam. Ex cujus teterrimis vulneribus plus tabi quàm cruoris manavit. Cujus facti postmodum ab originis suæ consortibus laniata pœnas pependit: neq; illi aut naturæ conditio, aut corporis magnitudo, quò minus infestos hostium ungves experiretur, opitulata est.

Spoliatum nutrice Hadingum grandævus fortè quidam, altero orbus oculo, solitarium miseratus, Lisero cuidam piratæ solenni pactionis jure conciliat. Siquidem icturi fœdus veteres vestigia sua mutui sangvinis aspersione perfundere consveverant, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi. Quo pacto Liserus & Hadingus arctissimis societatis vinculis colligati, Lokero Curetum tyranno bellum denunciant. Quibus superatis fugientem Hadingum prædictus senex ad penates suos equo devehendum curavit, ibiq; svavissimæ cujusdam potionis beneficio recreatum, vegetiori corporis firmitate constaturum prædixit. Cujus augurii monitum hujusmodi carmine probavit:

Hinc te tendentem gressus profugum ratus hostis
Impetet ut teneat vinclis, faucisq; ferinæ
Objectet depascendum laniatibus: at tu
Custodes variis rerum narratibus imple.
Cumq; sopor dapibus functos exceperit altus,
Injectos nexus, & vincula dira relide.
Inde pedem referens, ubi se mora parvula fundet,
Viribus in rapidum totis assurge leonem,
Qui captivorum jactare cadavera svevit:
Inq; truces armos validis conare lacertis,
Et cordis fibras ferro rimare potenti.
Protinus admissa vapidum cape fauce cruorem,
Corporeamq; dapem mordacibus attere malis.
Tunc nova vis membris aderit, tunc robora nervis
Succedent inopina tuis, solidiq; vigoris
Congeries penitus nervosos illinet artus.
Ipse struam votis aditum, famulosq; sopore
Conficiam, & lenta stertentes nocte tenebo.

Et cum dicto, relatum equo Juvenem pristino loco restituit. Tunc Hadingus amiculi ejus rimas, sub quo trepidus delitebat, per summam rerum admirationem visus perspicuitate trajiciens, animadvertit equinis freta patêre vestigiis, prohibitusq; rei inconcessæ captare conspectum, plenos stuporis oculos à terribili itinerum suorum contemplatione deflexit.

Qui cum à Lokero captus, omnem prædictionis eventum certissimis rerum experimentis circa se peractum sensisset, Handuvanum Hellespontì Regem, apud Dunam urbem, invictis murorum præsidiis vallatum, mœnibusq;, non acie resistentem, bello pertentat. Quorum fastigio oppugnationis aditum prohibente, diversi generis aves loci illius domiciliis assvetas per aucupii peritos prendi jussit, earumq; pennis accensos igne fungos suffigi curavit: quæ propria nidorum hospitia repetentes, urbem incendio complevêre. Cujus extingvendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas reliquerunt. Adortus civitatem, Handuvanum cepit, eiq; redemptionis nomine corpus suum auro rependendi potestatem fecit: cumq; hostem tollere liceret, spiritu donare maluit, adeò sævitiam clementiâ temperabat.

Post hæc multo Orientalium robore debellato, Svetiam reversus Svibdagerum apud Gudlandiam ingenti classe obvium pugna adortus oppressit. Sicq; non solum exterorum manubiis, verumetiam paternæ fraternæq; vindictæ trophæis ad eminentem claritatis gradum provectus, exilio regnum mutavit, cui patriam non antè repetere quàm regere contigit.

Eâ tempestate, cum Othinus quidam, Europâ totâ, falso divinitatis titulo cen-

censeretur, apud Upsalam tamen crebriorem diversandi usum habebat: eamq; sive ob incolarum inertiam, sive locorum amœnitatem, singulari quadam habitationis consvetudine dignabatur. Cujus numen Septentrionis Reges propensiore cultu prosequi cupientes, effigiem ipsius aureo complexi simulacro, statuam suæ dignationis indicem maxima cum religionis simulatione Byzantium transmiserunt: cujus etiam brachiorum lineamenta, confertissimo armillarum pondere perstringebant. Ille tantâ sui celebritate gavisus, mittentium charitatem cupide exosculatus est. Cujus conjunx Frigga, quò cultior progredi posset, ascitis fabris, aurum statuæ detrahendum curavit. Quibus Othinus suspendio consumptis, statuam in crepidine collocavit; quam etiam mirâ artis industriâ ad humanos tactus vocalem reddidit. At nihilominus Frigga cultus sui nitorem divinis mariti honoribus anteponens, uni familiarium se stupro subjecit; cujus ingenio simulacrum demolita, aurum publicæ superstitioni consecratum, ad privati luxus instrumentum convertit. Nec pensi duxit impudicitiam sectari, quò promptius avaritiâ frueretur. Indigna fœmina, quæ numinis conjugio potiretur. Hoc loci quid aliud adjecerim, quàm tale numen hac conjuge dignum extitisse? Tanto quondam errore mortalium ludificabantur ingenia. Igitur Othinus geminâ uxoris injuriâ lacessitus, haud levius imaginis suæ quàm tori læsione dolebat. Duplici itaq; ruboris irritamento perstrictus, plenum ingenui pudoris exilium carpsit, eoq; se contracti dedecoris sordes aboliturum putavit. HADINGUS.

Cujus secessu Mitothin quidam præstigiis celeber, perinde ac cœlesti beneficio vegetatus, occasionem & ipse fingendæ divinitatis arripuit, barbarasq; mentes novis erroris tenebris circumfusas, præstigiarum fama ad cerimonias suo nomini persolvendas adduxit. Hic deorum iram, aut numinum violationem, confusis permixtisq; sacrificiis expiari negabat: ideoq; eis vota communiter nuncupari prohibebat, discreta superûm cuiq; libamenta constituens. Qui cum Othino redeunte, relicta præstigiarum ope, latendi gratia Pheoniam accessisset, concursu incolarum occiditur. Cujus extincti quoq; flagitia patuêre: siquidem busto suo propinquantes, repentino mortis genere consumebat, tantasq; post fata pestes edidit, ut penè tetriora mortis quàm vitæ monumenta dedisse videretur, perinde ac necis suæ pœnas à noxiis exacturus. Quo malo obfusi incolæ, egestum tumulo corpus capite spoliant, acuto pectus stipite transfigentes: id genti remedio fuit.

Post hæc Othinus conjugis fato pristinæ claritatis opinione recuperata, ac veluti expiatâ divinitatis infamiâ ab exilio regressus, cunctos qui per absentiam suam cœlestium honorum titulos gesserant, tanquam alienos deponere coëgit, subortosque magorum cœtus, veluti tenebras quasdam superveniente numinis sui fulgore discussit. Nec solum eos deponendæ divinitatis, verum etiam deserendæ patriæ imperio constrinxit, meritò terris extrudendos ratus, qui se cœlis tam nequiter ingerebant.

Intereà Asmundus Svibdageri filius, in ultionem patris pugna cum Hadingo congressus, ut filium Henricum, cujus charitatem etiam proprio spiritui præferebat, fortissimè dimicantem occidisse cognovit, avido fati animo lucem perosus, tali carmen voce compegit:

Quis nostra fortis ausit arma sumere?
Nil proficit cassis vacillanti nitens,
Lorica jam nec commodè fusum tegit:
Armis ovemus, interempto filio;
Cujus mori me cogit imminens amor,
Charo superstes ne relinquar pignori,
Utrâq; ferrum comprimi juvat manu.
Nunc bella, præter scuta, nudo pectore,
Exerceamus fulgidis mucronibus.
Ferocitatis fama nostræ luceat,

HADINGUS.

Audacter agmen obteramus hostium.
Nec longa nos exasperent certamina,
Fugaq; fractus conquiescat impetus.

Quo dicto, geminam capulo manum injiciens, absque periculi respectu, reflexo in tergum clypeo, complures in necem egit. Igitur Hadingo familiarium sibi numinum præsidia postulante, subitò Vagnoftus partibus ejus propugnaturus advehitur. Cujus aduncum Asmundus gladium contemplatus, hanc in vocem carmine clamabundus erupit.

Quid gladio pugnas recurvo?
Ensiculus fato tibi fiet,
Framea torta necem generabit.
Hostem namq; manu superandum
Carminibus lacerare fidis,
Plus verbis quàm vi connisus,
In magna vires ope ponens.
Quid me sic umbone retundis,
Audaci jaculo minitando?
Cùm sis criminibus miserandis
Obsitus & maculis refertus.
Infamis sic te nota sparsit
Putentem vitiis labeonem.

Hæc vociferantem Hadingus hasta trajicit amentatâ. Sed nec mortis Asmundo solatia defuere. Siquidem inter exiguas vitæ reliquias, vulneratum interfectoris pedem, perpetua claudicatione mulctavit, cladémq; suam, parvulo ultionis momento memorabilem reddidit. Ita alterum membri debilitas, alterum vitæ finis excepit. Corpus ejus solenni funere elatum apud Upsalam regiis procuratur exequiis. Cujus conjux Gunnilda ne ei superesset, spiritum sibi ferro surripuit, virumq; fato insequi, quàm vita deserere præoptavit. Hujus corpus amici sepulturæ mandantes, mariti cineribus adjunxerunt: dignam ejus tumulo rati, cujus charitatem vitæ prætulerat. Jacet itaq; Gunnilda aliquanto speciosius virum busti quàm tori societate complexa.

Post hæc Hadingo victore Svetiam populante, Asmundi filius Uffo nomine, conferendæ manus diffidentia adductus, in Daniam exercitum trajicit; hostilesq; lares incessere, quàm proprios tueri satius duxit: opportunum propulsandarum injuriarum genus existimans, quod ab hoste pateretur, inferre. Ita Danis ad propria defensanda redire compulsis, salutemq; patriæ exterarum rerum dominio præferentibus, domesticum solum hostilibus armis vacuefactum repetiit.

Igitur cum Hadingus è bello Svetico regressus, ærarium suum, quo bellis ac spoliis quæsitas opes excipere consveverat, furto violatum animadverteret, continuò custodem ejus Glumerum suspendio consumpsit, callidoq; commenti genere edixit, ut si quis è noxiis ablata referre curasset, honoris locum, quem Glumerus possederat, obtineret. Quo promisso sontium quidam beneficii percipiendi quàm criminis tegendi studiosior redditus, pecuniam regi reportandam curavit. Quem conscii in summam principis amicitiam receptum putantes, nec uberius quàm fidelius honoratum credentes, & ipsi pari præmii spe relatis pecuniis, reatum detegunt. Quorum confessio primùm honoribus ac beneficiis excepta, mox suppliciis punita, haud parvum vitandæ credulitatis documentum reliquit. Dignos dixerim qui solutæ taciturnitatis pœnas patibulis luerent, quos cùm silentii salubritas tutos præstare posset, vocis stoliditas in exitium pertraxit.

His gestis, Hadingus per summum integrandi belli apparatum hyberna permensus, Verno Sole frigoribus liquatis Svetiam repetit, ibiq; lustrum militando confecit. Cujus milites diuturnæ expeditionis negotio consumptis alimen-

mentis ad ultimam penè tabem redacti, silvestribus fungis famem lenire cœperunt. Tandem per summã necessitatis indigentiam commanducatis equis, ad postremum canina cadavera corporibus indulserunt. Sed neq; humanis artubus vesci nefas habitum. Itaq; Danis in extremas desperationis angustias compulsis, nocte concubia, sine auctore, tale castris carmen insonuit: *HADINGUS.*

Tetro penates omine patrios
Liquistis, hoc rus Marte sequi rati.
Quæ vana mentes ludit opinio?
Quæ cæca sensus corripuit fides,
Hoc arbitrantes posse solum capi?
Non amplitudo Svetica cedere,
Non exterorum Marte valet quati.
At summa vestri defluet agminis,
Cum Marte nostros cœperit aggredi.
Nam cum ferocem vim fuga solverit,
Et præliorum pars vaga labitur;
In terga dantes Marte prioribus
Cædis potestas liberior datur:
Majorq; ferri parta licentia,
Cum sors rebellem præcipitem fugat,
Nec tela tendat, quem metus abstrahit.

Quod præsagium crebra Danorum cæde sequens lucis eventus implevit. Nocte postera vocem hujusmodi, incerto auctore editam, Svetica auribus juventus excepit.

Quid me sic Uffo provocat
Seditione gravi,
Pœnas daturus ultimas?
Confodietur enim
Multa premendus cuspide;
Exanimisq; ruet,
Audaciam cœpti luens:
Nec petulantis erit
Livoris intactum scelus:
Augurioq; meo,
Cum bella primùm gesserit,
Contuleritq; manum;
Excepta membris spicula
Corpus ubiq; petent:
Crudosq; hiatus vulnerum
Fascia nulla premet;
Nec ampla plagarum loca
Contrahet ulla salus.

Eadem nocte congressis exercitibus, duo senes humano habitu tetriores, capitibus comâ vacuis, inter siderum micatus, triste visu caluitium præferentes, contrariis votorum studiis, monstriferos divisere conatus. Siquidem alter Danorum partibus intendebat, alter Sveonum studiosus extabat. Victus Hadingus cùm in Helsingiam confugisset, ibiq; Solis feruore percalefactum corpus frigidâ maris aquâ sublueret; inauditi generis belluam crebris ictibus attentatam oppressit, necatámque in castra perferendam curavit. Quem facto ovantem obvia fœmina hac voce compellat:

Seu pede rura teras, seu ponto carbasa tendas,
Infestos patière Deos, totumq; per orbem
Propositis inimica tuis Elementa videbis.
Rure rues, quatière mari, dabiturq; vaganti

HADINGUS.

Perpetuus tibi turbo comes: nec deseret unquam
Vela rigor: nec tecta tegent, quæ si petis, icta
Tempestate ruent, diro pecus occidet algu.
Omnia præsentis sortem vitiata dolebunt.
Ut scabies fugiere nocens, nec tetrior ulla
Pestis erit; Tantùm pœnæ vis cœlica pensat.
Quippe unum è superis alieno corpore tectum
Sacrilegæ necuêre manus: sic numinis almi
Interfector ades! Sed cùm te exceperit æquor,
Carceris Æolici laxos patiêre furores.
Te Zephyrus Boreasq; ruens, te proteret Auster,
Et conjuratos certabunt edere flatus;
Donec divinum voto meliore rigorem
Solveris, & meritam tuleris placamine pœnam.

Regressus igitur Hadingus, eodemq; cuncta tenore perpessus, tranquilla quæque proprio turbidabat adventu. Siquidem navigante eo oborta nimbi vis ingenti classem tempestate consumpsit. Naufragum hospitia petentem, subita penatium strages excepit. Nec antè malo remedium fuit, quàm scelere sacrificiis expiato, cum superis in gratiam redire potuisset. Siquidem propitiandorum numinum gratia, Frø Deo rem divinam furvis hostiis fecit. Quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum, posteris imitandum reliquit. Frøbloth Sveones vocant.

Cumq; fortè Gigantum quendam, Nitherorum Regis Haquini filiam Regnildam pactum animadverteret; indignam rei conditionem perosus, per summam futuræ copulæ detestationem ingenuo ausu nuptias præcucurrit. Norvagiamq; profectus, tam fœdum regiæ virginis amatorem armis oppressit. Adeo namq; virtutem ocio prætulit, ut cùm regiis deliciis frui liceret, non solùm suas, verumetiam alienas injurias propulsare omni voluptate jucundius duceret. Auctorem beneficii puella crebris offusum vulneribus, ignara, medendi curâ prosequitur. Cujus ne notitiam sibi temporis interjectus eriperet, crus ejus annulo vulneri incluso obsignatum reliquit. Eadem postmodum à patre eligendi mariti libertate donata, contractam convivio juventutem curiosiore corporum attrectatione lustrabat, deposita quondam insignia perquirens, Spretis omnibus, Hadingum latentis annuli indicio deprehensum amplectitur, eiq; se conjugem donat, qui conjugio suo gigantem potiri passus non fuerat.

Apud quam diversante Hadingo mirum dictu prodigium incidit. Siquidem cœnante eo, fœmina cicutarum gerula, propter foculum humo caput extulisse conspecta, porrectoq; sinu percunctari visa, quâ mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta. Cujus cognoscendi cupidum Regem proprio obvolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit. Credo diis infernalibus ita destinantibus, ut in ea loca vivus adduceretur, quæ morienti petenda fuerant. Primùm igitur vapidæ cujusdam caliginis nubilum penetrantes, perq; callem diuturnis adesum meatibus incedentes, quosdam prætextatos, amictosq; ostro proceres conspicantur: quibus prætéritis loca demum aprica subeunt, quæ delata à fœmina gramina protulerunt. Progressiq; præcipitis lapsus ac liventis aquæ fluvium diversi generis tela rapido volumine detorquentem, eundemq; ponte meabilem factum offendunt. Quo pertransito, binas acies mutuis viribus concurrere contemplantur: quarum conditionem à fœmina percunctate Hadingo; Ii sunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis suæ speciem continuo protestantur exemplo, præsentique spectaculo præteritæ vitæ facinus æmulantur. Prodeuntibus murus aditu transcensuque difficilis obsistebat: quem fœmina nequicquam transilire conata, cùm ne corrugati quidem corporis exilitate proficeret,

ret, galli caput, quem secum fortè deferebat, abruptum, ultrà mœnium septa jactavit, statímque redivivus ales resumpti fidem spiraculi claro testabatur occentu. HADINGUS.

Regressus igitur Hadingus, patriámque cum conjuge repetere orsus, imminentium sibi piratarum insidias, celeri navigatione cassavit. Qui licet iisdem penè flatibus juvarentur, ipsum tamen æquora præsulcantem paribus velis occupare non poterant.

Inter hæc Uffo, cum miræ pulchritudinis filiam haberet, potiturum eâ, qui vitâ Hadingum spoliaret, edixit. Quo pacto Thuningus quidam admodum solicitatus, adscitâ Biarmensium manu, votivum studuit impetrare progressum. Quem excepturus Hadingus, dum classe Norvagiam præteriret, animadvertit in littore senem crebro amiculi motu appellendi navigii monitus afferentem. Quem repugnantibus sociis, damnosumq́; profectionis diverticulum affirmantibus, nave susceptum centuriandi exercitus autorem habuit, in ordinanda agminum ratione curiosius attendere solitum, ut prima per dyadem phalanx, ac per tetradem secunda constaret; tertia verò Ogdoadis adjectione succresceret, semperq́; priorem insequens duplicitatis augmento transcenderet. Idem quoq́; funditorum alas in extremam aciem concedere jussit, eisq́; sagittariorum ordines sociavit. Ita digestis in cuneum catervis, ipse post bellatorum terga consistens, ac folliculo, quem cervici impensum habebat, balistam extrahens, [quæ primum exilis visa, mox cornu tensiore prominuit] denos nervo calamos adaptavit, qui vegetiore jactu pariter in hostem detorti, totidem numero vulnera confixerunt. Tunc Biarmenses arma artibus permutantes, carminibus in nimbos solvêre cœlum, lætamq́; aëris faciem tristi imbrium aspergine confuderunt. E contrario senex obortam imbrium molem obvia nube pellebat, madoremq́; pluviæ nubilo castigabat objectu. Victorem Hadingum dimissus senex, non vi hostili, sed voluntario mortis genere consumendum prædixit, clarisq́; bellis obscura, ac longinquis finitima præponere vetuit.

Quo relicto, Hadingus ab Uffone per colloquii simulationem in Upsalam accersitus, amissis per insidias sociis, noctis habitu protectus aufugit. Nam Danis ædis, in quam convivii nomine contracti fuerant, excessum petentibus, præstò erat qui cujusq́; exertum foribus caput ferro demeteret. Cujus facti injuriam prælio insecutus Uffonem oppressit, ejusq́; corpus, deposito odio, conspicui operis Mausoleo mandavit; amplitudinem hostis elaborato busti splendore confessus. Ita quem vivum hostili studio insectari solebat, extinctum honoris impendio decorabat. Et ut sibi devictæ gentis animos conciliaret, fratrem Uffonis Hundingum regno præfecit, ne imperium potius in exteros transfusum, quàm in Asmundi familia continuatum videretur.

Cumq́; sublato jam æmulo, complures annos, per summam armorum desvetudinem, rerum agitatione vacuus exegisset; tandem diutinum ruris cultum, nimiamq́; maritimarum rerum abstinentiam causatus, & quasi bellum pace jocundius ratus, talibus seipsum culpare desidiæ modis aggreditur:

Quid moror in latebris opacis,
Collibus implicitus scruposis,
Nec mare more sequor priori?
Eripit ex oculis quietem
Agminis increpitans lupini
Stridor, & usq́; polum levatus
Questus inutilium ferarum,
Impatiensq́; rigor leonum.
Tristia sunt juga vastitasq́;
Pectoribus truciora fisis.
Officiunt scopuli rigentes,
Difficilisq́; situs locorum,
Mentibus æquor amare svetis.
Nam freta remigiis probare,
Officii potioris esset,
Mercibus ac spoliis ovare,
Æra aliena sequi locello,
Æquoreis inhiare lucris;
Quàm salebras, nemorumq́; flexus,
Et steriles habitare saltus.

 Cujus

HADINGUS.

Cujus uxor, ruralis vitæ studio, maritimarum avium matutinos pertæsa concentus, quantum in sylvestrium locorum usu voluptatis reponeret, hac voce detexit:

Me canorus angit ales immorantem littori
Et soporis indigentem garriendo concitat.
Hinc sonorus æstuosæ motionis impetus
Ex ocello dormientis mite demit ocium:
Nec sinit pausare noctu mergus altè garrulus,
Auribus fastidiosa delicatis inserens;
Nec volentem decubare recreari sustinet,
Tristiore flexione diræ vocis obstrepens.
Tutius sylvis fruendum dulciusq; censeo.
Quis minor quietis usus, luce, nocte carpitur,
Quàm marinis immorari fluctuando motibus?

Eodem tempore Tosto quidam, obscuro Jutiæ loco ortus, ferocitate clarus emersit. Plebe namq; vario petulantiæ genere lacessitâ, latè crudelitatis famam extulit, tantaq; malignitatis opinione percrebuit, ut Facinorosi cognomine notaretur. Sed nec exterorum injuriis abstinens, post fœdam patriæ vexationem, etiam Saxoniam tentat. Cujus duce Syfrido, laborantibus prælio sociis, pacem petente, fore, quod ab ipso poscebatur, asseruit, dummodo sibi gerendi cum Hadingo belli societatem polliceri voluisset. Refragantem illum, conditioniq; parere metuentem, acri minarum genere ad eam, quam optabat, promissionem perduxit. Fit enim ut quod blandè non struitur, minaciter impetretur. A quo terrestri negotio superatus Hadingus, cum victoris classem inter fugiendum repertam perfossis laterib9 navigationi inutilem reddidisset, concessam scapham in altum direxit. Quem Tosto occidisse ratus, cum diu inter promiscua necatorum cadavera quæsitum reperire non posset, ad classem regressus, animadvertit eminus myoparonem mediis maris æstibus fluctuantem. Quem cum adductis in altum navigiis persequi statuisset, fractionis periculo revocatus, ægrè littus repetiit. Tunc correptis integris cœptum viæ genus exequitur. Hadingus occupari se videns, percontari comitem cœpit, an nandi usum calleret: neganteq; eo, fugæ diffidentia sponte eversi navigii concavas partes amplexus, mortis fidem insequentibus fecit. Securum deinde Tostonem, inopinatumq;, & spoliorum reliquiis avidius incubantem adortus, prostrato exercitu, prædam deserere coegit, suamq; ejus fugâ, ulciscitur.

Nec Tostoni in vindictam sui animus defuit. Nam cum ob accepti vulneris magnitudinem reparandarum intra patriam virium copiã non haberet, legati titulo Britanniã petiit. In qua profectione navigationis socios in aleæ lusum per lasciviam contraxit, rixamq; à tesserarum jactibus ortam, funesta cæde finire docuit. Ita placido exercitii genere discordiam per totum navigium diffudit, cruentamq; pugnã mutatus lite jocus progenuit. Et ut aliquod ex alieno malo commodum caperet, correptis interfectorum pecuniis, Collonem quendam piratica tunc temporis insignem adscivit. Quo comite, parvo pòst in patriam reversus, cum Hadingo, suam quam militum fortunam expendere præoptante, ex provocatione congressus occiditur. Nolebant enim priscæ fortitudinis duces universorum discrimine exequi, quod paucorum sorte peragi potuisset:

His gestis, Hadingo defunctæ conjugis species per quietem obversata, sic cecinit:

Bellua nata tibi est rabiem domitura ferarum,
Quæq; truci rapidos atteret ore lupos.

At post pauca subjunxit:

Fac caveas, ex te nocuus tibi prodiit ales;
Felle ferox bubo, voce canorus olor.

Rex

HADINGUS.

Rex manè sopore discusso, cuidam conjecturarum sagaci visum exponit. Qui lupi nomine futuræ ferocitatis filium interpretatus, Oloris vocabulo filiam denotavit; illum hostibus perniciosum, hanc patri insidiosam fore præsagiens. Eventus augurio respondit. Siquidem Hadingi filia Ulvilda privato cuidam Guthormo denupta, sive copulæ indignitate, sive claritatis affectatione permota, maritum in parentis cædem absq; pietatis respectu solicitat: reginam se, quàm regis filiam censeri malle præfata. Cujus exhortationis modum, iisdem penè verbis, quibus ab ipsa editus fuerat, explicare constitui: qui ferè hujusmodi erat:

O miseram me, cujus nobilitatem dispar copulæ nexus obtenebrat! O infelicem, cujus stemmati rustica jugatur humilitas! O infortunatã principis prolem, quã tori lege plebejus æquiparat! Miserandam regis filiam, cujus decorem ignavus pater in obsoletos ac despicabiles trãsmisit amplexus! Infaustam matris sobolem; cujus felicitati tori comerciũ derogat; cujus munditiã imunditia ruralis attrectat; dignitatem indignitas vulgaris inclinat; ingenuitatem conditio maritalis extenuat! At si quis tibi vigor inest, si qua mentem virt⁹ possidet, si dignũ te Regis generũ probas, socero fasces eripe, genus probitate redime, prosapiæ defectum virtute æstima, sangvinis damnum animo pensa. Felicior est honos audacia, quàm hæreditate quæsitus. Melius virtute culmen, quàm successione conscenditur. Aptius honores meritum, quã natura conciliat. Adde quòd senectutem subruere nefas non est, quæ proprio in ruinã pondere suppressa devergit. Sufficient socero tot temporum fasces; senilis tibi potestas obveniat. Quæ si te frustrata fuerit, alteri cedet. Lapsui vicinũ est, quicquid senio constat. Sat illi regnasse sit: tibi quandoq; præesse conveniat. Malo præterea virũ regnare, quàm patrem. Malo regis conjunx, quàm nata censeri. Melius est principem intus amplecti, quàm exterius venerari. Gloriosius nubere regi, quàm obsequi. Ipse quoq; tibi sceptrũ, quam socero malle debeas. Proximũ sibi quemq; natura constituit. Aderit cœpto facultas, si facto voluntas accesserit. Nihil est quod non ingenio cedat. Instaurandum epulum est, exornandum convivium, providendi paratus, invitandus socer. Fraudi viã familiaritas simulata præstabit. Nullo melius quàm affinitatis nomine insidiæ teguntur. Adde quòd temulentia promptum cædi iter aperiet. Cumq; rex capitis cultui intentus, fabulis mentem, barbæ manũ intulerit, pilorũq; perplexionem crinali spico, seu pectinis enodatione discreverit, applicari ferrũ visceribus sentiat. Minor occupatis solet cautela perquiri. Dextera tua tot scelerũ vindex accedat. Pium est ultricem miserorũ manũ extendere.

Talibus insistente Uluilda, vir suggestione victus, insidiis operam pollicetur. Intereà Hadingus generi dolum cavere somnio monitus, petito convivio, quod ei filia charitatis simulatione paraverat, armatorum non longè præsidia statuit; quibus adversum insidias, cum res exigeret, uteretur. Quo cibum capiente, satelles in fraudis ministerium adscitus, occultato sub veste ferro opportunum sceleri tempus tacitus expectabat. Quo rex animadverso, collocatis in vicino militibus signum lituo dedit. Quibus continuò opem ferentibus, dolum in auctorem retorsit.

Intereà rex Sveonum Hundingus occasum Hadingi falso acceptum nuncio inferiis excepturus, optimatibus contractis, eximiæ capacitatis dolium Cereali liquore completum, delitiarum loco, medium convivis apponi præcepit: & ne quid celebritatis deesset, ipse ministri partibus assumptis, pincernam agere cunctatus non est. Cumq; exequendi officii gratia regiam perlustraret, offenso gradu in dolium collapsus, interclusum humore spiritum reddidit, deditq; pœnas sivè Orco, quem falsa exequiarum actione placabat, sive Hadingo, cujus interitum mentitus fuerat. Quo cognito Hadingus parem veneratori gratiam relaturus, extinctoq; superesse non passus, suspendio se vulgo inspectante consumpsit.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER SECUNDUS.

IX. FROTHO I.



ADINGO filius Frotho ſuccedit, cujus varii inſignesq; caſus fuêre. Pubertatis annos emenſus, juvenilium præferebat complementa virtutum. Quas ne deſidiæ corrumpendas præberet, abſtractum voluptatibus animum, aſſidua armorum intentione torquebat. Qui cum paterno theſauro bellicis operibus abſumpto, ſtipendiorum facultatem, quâ militem aleret, non haberet, attentiusq; neceſſarii uſus ſubſidia circumſpiceret, tali ſubeuntis indigenæ carmine concitatur:

Inſula non longè eſt præmollibus edita clivis
Collibus æra tegens, & opimæ conſcia prædæ.
Hic tenet eximium, montis poſſeſſor, acervum,
Implicitus gyris ſerpens, crebrisq; reflexus
Orbibus, & caudæ ſinuoſa volumina ducens,
Multiplicesq; agitans ſpiras, virusq; profundens.
Quem ſuperare volens clypeo, quo convenit uti,
Taurinas intende cutes, corpusq; bovinis
Tergoribus tegito, nec amaro nuda veneno
Membra patere ſinas; ſanies, quod conſpuit, uri.
Lingva triſulca micans patulo licet ore reſultet
Triſtiaq; horrifico minitetur vulnera rictu;
Intrepidum mentis habitum retinere memento.
Nec te permoveat ſpinoſi dentis acumen,
Nec rigor, aut rapida jactatum fauce venenum.
Tela licet temnat vis ſquamea, ventre ſub imo
Eſſe locum ſcito, quo ferrum mergere fas eſt,
Hunc mucrone petens medium rimaberis anguem.
Hinc montem ſecurus adi, preſſoq; ligone
Perfoſſos ſcrutare cavos; mox ære crumenas
Imbue, completamq; reduc ad littora puppim.

Credulus Frotho ſolitarius in inſulam trajicit, ne comitatior belluam adoriretur, quàm Athletas aggredi moris fuerat. Quæ cum aquis pota ſpecum repeteret, impactum Frothonis ferrum aſpero cutis horrore contempſit. Sed & ſpicula quæ in eam conjecta fuerant, eluſo mittentis conatu læſionis irrita reſultabant. At ubi nil tergi duritia ceſſit, ventris curioſius annotati mollities ferro patuit. Quæ ſe morſu ulciſci cupiens, clypeo duntaxat ſpinoſum oris acumen impegit. Crebris deinde linguam micatibus ducens, vitam pariter ac virus efflavit.

Repertæ pecuniæ regem locupletem fecere; quibus inſtructus, claſſe Curetum partibus admovetur. Quorum Rex Dorno periculoſi belli metu hujuſmodi ad milites Orationem habuiſſe fertur: Externum, proceres, hoſtem, & totius fermè occidentis armis opibusq; ſuccinctum, ſalutarem pugnæ cunctationem ſectantes, inediæ viribus obtinendum curemus. Internum hoc malum eſt. Difficillimum erit domeſticum debellare periculum. Facilè famelicis obviatur. Melius adverſarium eſurie quàm armis tentabimus, nullum hoſti inediâ acrius jaculum adacturi. Edax virium peſtis edendi penuriâ nutritur. Armorum opem alimentorum inopia ſubruit. Illa, quieſcentibus nobis, tela contorqueat; illa pugnæ jus officiumq; ſuſcipiat. Diſcri-

ſcriminis expertes diſcrimen licebit inferre. Exangues abſq; ſanguinis detrimento præſtare poterimus. Inimicum ocio ſuperare fas eſt. Quis damnosè, quàm tutò dimicare maluerit? Quis cum impunè certare liceat, pœnam experiri contendat? Felicior armorum ſucceſſus aderit, ſi prævia fames bellū committit. Hac primam confligendi copiam duce captemus. Caſtra noſtra tumultus expertia maneant; illa noſtri loco decernat: quæ ſi victa ceſſerit, ocium rumpendum eſt. Facilè ab indefeſſo laſſitudine concuſſus opprimitur. Adeſa marcore dextera pigrior in arma perveniet. Lentiores ferro manus dabit, quem quiſpiam prius labor exhauſerit. Præceps victoria eſt, ubi tabe conſumptus cum robuſto congreditur. Taliter indemnes aliis damnorum auctores fore poterimus. FROTHO I.

His dictis, quæcunque tutatu difficilia animadvertit, defenſionis diffidentiâ populatus, adeò hoſtilem ſævitiam in vaſtanda patria præcucurrit, ut nihil, quod à ſupervenientibus occupari poſſet, intactum relinqueret. Majorem deinde copiarum partem indubitatæ firmitatis municipio complexus, ab hoſte ſe circumſideri permittit.

Cujus Frotho oppugnandi diffidentiâ concitatus, complures inſolitæ profunditatis foſſas intra caſtra fieri, latenterq; per corbes humum egeri, & in fluvium mœnibus propinqvum tacitè disjici juſſit. Quem dolum crebro ceſpite foſſis ſuperaddito occultandum curavit, incautum hoſtem præcipitio conſumpturus; futurumq; ratus, ut ignaros deſidentis glebæ lapſus obrueret. Poſt hæc ſimulato metu caſtra paulisper deſerere cœpit. Quibus imminentes oppidanos, paſſimq; eluſis veſtigiis in foveas provolutos, ingeſtis deſuper jaculis trucidavit.

Inde profectus in Trannonem Rutenæ gentis tyrannum incidit: cujus maritimas copias ſpeculaturus, crebros clavos ex fuſtibus creat, iiſdemq; carabum onerat. Quo hoſtilem noctu claſſem ſubiens, imas navigiorum partes terebro ſauciat. Quæ ne repentinum undarum paterentur incurſum, patentia foraminum loca proviſis antea clavis obſtruit, terebriq; damnum ſtipitibus penſat. At ubi foraminum copiam mergendæ claſſi ſufficere credidit, demptis obſtaculis, promptum aquis aditum patefecit, hoſtilemq; claſſem ſuâ circumfundere properavit. Ancipiti periculo circumventi Ruteni, armis prius an undis reſiſterent, hæſitabant. Naufragio pereunt, dum navigium ab hoſte vindicare contendunt. Internum diſcrimen externo atrocius erat, dum foris ferrum ſtringunt, intus fluctibus cedunt. Bina ſimul in miſeros pericula graſſabantur. Incertum erat celerius nando ſalus an dimicando peteretur. Medium pugnæ certamen nova fati diremit occaſio. Geminæ mortes uno ferebantur inceſſu: duæ lethi viæ ſocium egere periculum. Ambiguum erat, ferrum magis an fretum officeret. Gladios propulſantem, tacitus fluctuum allapſus excepit: econtrario fluctibus obviantem, obvius enſis implicuit. Aquarum eluvies cruoris aſpergine fœdabatur.

Victis itaq; Rutenis, patria Frothoni repetitur. Qui cum legatos in Ruſciam exigendi tributi ſtudio miſſos, incolarum perfidiâ, atroci mortis genere conſumptos animadverteret; duplici injuria permotus, urbem Rotalam arcta admodum obſidione perſequitur. Qua ne fluvii interſtitio prohibente tardius potiretur, univerſam aquæ molem nova rivorum diverſitate partitus, ex ignotæ profunditatis alveo meabilia vada perfecit: nec antè deſtitit, quam rapidior vortex dividuo minoratus excurſu languidiore undas lapſu ageret, ac per exiles flexus vadoſa paulatim conſtrictione rareſceret. Ita amne domito, oppidum naturæ præſidio vacuum inoffenſa militum irruptione proſternit. His geſtis, ad urbem Peltiſcam exercitum contulit. Quam viribus invictam ratus, bellum fallaciâ mutavit. Siquidem, paucis admodum conſciis, ignotæ opacitatis latebras petivit, extinctumq; ſe, quò minus hoſti terroris afferret, vulgò nunciari præcepit. Additæ in fidem exequiæ, tumulusq; conſtructus. Sed & milites conſcio fraudis mœrore ſimulatum ducis obitum proſeqvuntur. Qua fama rex urbis

FROTHO I. bis Vespasius, perinde ac victoriâ potitus, tam languidam ac remissam defensionem egit, ut hostibus irrumpendi potestate facta, inter lusus ac ocia necaretur.

Urbe captâ, Frotho spe Orientis imperium complexus, Handuvani mœnibus admovetur. Qui quondam succensæ per Hadingum urbis admonitus, cunctos ejus penates domesticis avibus vacuefecit, quo minus similis jacturæ periculo mulctaretur. Nec nova Frothoni calliditas defuit. Quippe permutata cum ancillulis veste, peritam se pugnandi puellam simulat, depositoq; virili cultu, fœmineum æmulatus, transfugæ titulo oppidum petit. Illic omnibus curiosius exploratis, postridie emisso comite exercitum muris affore jubet, portasq; sua pandendas opera pollicetur. Taliter elusis vigilibus urbs somno sepulta diripitur, securitatis pœnas interitu luens, desidiaq; sua, quàm hostium virtute, miserior. Nihil enim in re militari perniciosius animadvertitur, quàm per ocium metu vacuum, solutis neglectisq; rebus nimia fiduciæ præsumptione torpescere. Handuvanus cum patriæ res perditas eversasq; conspiceret, regias opes navibus impositas, ut undas potius quàm hostem ditaret, in altum demersit: quanquam satius fuerat adversariorum favorem pecuniæ largitionibus occupare, quàm ejus commodum mortalitatis usibus invidere. Post hæc Frothone filiam in matrimonium per legatos poscente, cavendum respondit, ne rerum prosperitate corruptus, victoriæ successum in superbiam vertat: sed potius victis parcere, & in dejectorum conditione, pristinum fulgoris habitum venerari meminerit, discatq; in miserorum sorte præteritam æstimare fortunam. Curandum itaq;, ne cujus affinitatem expetat, imperium rapiat, & quem nuptiis illustrare gestiat, obscuritatis sordibus respergat, matrimonii dignitatem avaritiæ studio corrupturus. Cujus dicti comitate & victorem generum adscivit, & regni libertatem obtinuit.

Interea Sveonum regis Hundingi conjunx Thorilda, cum privignos suos Regnerum & Thoraldum, quorum infinito odio tenebatur, ut variis periculorum generibus implicaret, regio tandem pecori præfecisset: Hadingi filia Svanhuita, sororibus in famulitium sumptis, Svetiam petit, clarissimæ indolis exitium muliebri ingenio præcursura. Cumq; prædictos adolescentes nocturnis gregum excubiis occupatos, diversi generis portentis circumfundi videret, sorores equis descendere cupientes, tali poëmatis sono vetuit:

Monstra quidem video celerem captantia saltum,
Corpora nocturnis præcipitare locis.
Bella gerit dæmon, & iniquæ dedita rixæ
Militat in mediis turba nefanda viis.
Effigie spectanda truci portenta feruntur,
Hæcq; hominum nulli rura patere sinunt.
Agmina præcipiti per inane ruentia cursu,
Hac nos progressum sistere sede jubent.
Flectere lora monent, sacrisq; absistere campis,
Arvaq; nos prohibent ulteriora sequi.
Trux lemurum chorus advehitur, præcepsq; per auras
Cursitat, & vastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni Satyris, Panumq; caterva
Manibus admixta militat ore fero.
Silvanis coëunt Aquili, Larvæq; nocentes
Cum Lamiis callem participare student.
Saltu librantur Furiæ, glomerantur eisdem
Larvæ, quas Simis Fantua juncta premit.
Calcandus pediti trames terrore redundat,
Tutius excelsi terga premantur equi.

Ad hæc Regnerus, servum regium se professus, tam longinqui à domo excessus causam astruxit, quòd cùm pastoralis operis gratia rus relegatus, pecus, cui præerat, amisisset, desperata recuperatione, reditu abstinere, quàm ultionis pœnam incurrere præoptasset. Et ne fratris conditionem silentio præteriret, tale dictis poëma subjunxit: FROTHO I.

Nos homines, non monstra puta, servosq; manentes
Per loca pascendos exagitasse greges.
At cùm per teneros ageremus tempora lusus,
Fortè remota vagum cessit in arva pecus.
Cumq; petita diu spes deforet inveniendi,
Incessit miseris sollicitudo reis.
Cumq; boum nusquam vestigia certa paterent,
Obtinuit mœstus sontia corda pavor.
Hinc est quod virgæ vulnus pœnale verentes,
Duximus in proprios triste redire lares.
Credidimus, quàm ferre manum, pœnamq; subire,
Tutius assuetis abstinuisse focis.
Sic pœnam differre juvat, reditumq; perosis
Hac dominum latebrâ fallere cura manet.
Hac ope neglecti pecoris vitabitur ultor,
Solaq; stat nostris hæc fuga tuta viis.

Tunc Svanhuita speciosissimum lineamentorum ejus habitum curiosiori contemplatione lustratum impensius admirata, Regibus te, inquit, non servis editum præradians luminum vibratus eloquitur. Forma prosapiam pandit, & in oculorum micatu naturæ venustas elucet. Acritas visus ortus excellentiam præfert. Nec humili loco natum liquet, quem certissima nobilitatis index pulchritudo commendat. Exterior pupillarum alacritas interni fulgoris genium confitetur. Facies fidem generi facit, & in luculentia vultus majorum claritudo respicitur. Neq; enim tam comis, tamq; ingenua species, ab ignobili potuit auctore profundi. Sangvinis decus cognato frontem decore perfundit, & in oris speculo conditio nativa resultat. Minimè ergo tam spectati cælaminis simulacrum obscurus opifex absolvit. Nunc itaq; celerrima declinatione crebros viæ excessus petentes, monstrigenos vitate concursus, ne elegantissimorum corporum prædâ sordidissimis pastum agminibus præbeatis.

At Regnero maximus ob deformitatem cultus rubor incesserat, cujus unicum in obscuranda nobilitate remedium ducebat. Servitutem itaq; non semper virilitate vacuam reperiri subjunxit. Sæpè enim sordido cultu robustam obtegi manum, fortemq; dextram atrâ veste concludi interdum: itaq; naturæ vitium virtute redimi, damnumq; generis animi ingenuitate pensari. Se ergo, Thor deo excepto, nullam monstrigenæ virtutis potentiam expavere; cujus virium magnitudini nihil humanarum divinarúmve rerum digna possit æqualitate conferri. Sed neq; larvas livido tantum squalore terribiles, à masculis debere pectoribus formidari; quarum effigies adulterino distincta pallore, momentaneum corporis habitum ab aëris teneritudine mutuari consveverit. Falli igitur Svanhuitam, quæ solidum virorum robur muliebriter emollire, viresq; vinci insolitas effœminato pavore perfundere conetur.

Admirata juvenis constantiam Svanhuita, ablegato nubilæ inumbrationis vapore, prætentas ori tenebras sudâ perspicuitate discussit, ensemq; variis conflictibus opportunum se ei daturam pollicita, miram virginei candoris speciem novo membrorum jubare præferebat. Taliter accensi juvenis connubium pacta, prolato mucrone sic cepit:

In gladio, quo monstra tibi ferienda patebunt,
Suscipe, Rex, sponsæ munera prima tuæ.
Hoc dignum te ritè proba, manus æmula ferri
Gestamen studeat condecorare suum.

FROTHO I.

Ferrea vis tenerum mentis confortet acumen,
Atq; animus dextræ noverit esse comes.
Æquet onus lator, & ut ensi congruat actus,
Accedat gravitas par in utroq; tibi.
Framea quid prodest, ubi languet debile pectus,
Et telum trepidæ destituere manus?
Ferrum animo coëat, corpusq; armetur utroq;,
Jungatur capulo consona dextra suo.
Hæc celebres edunt pugnas; quia juncta vigoris
Plus retinere solent, dissociata minus.
Hinc tibi, si volupe est belli clarescere palmâ,
Consectare ausu, quod premis ipse manu.

Cumq; multa ad hunc modum coaptato Rhythmorum canore prompsisset, dimissis comitibus, adversum obscœnissimas portentorum catervas, noctem dimicando permensa, luce redditâ, varias larvarum formulas, & inusitata specierum figmenta passim arvis incidisse cognoscit: inter quas & ipsius Thorildæ crebris obfusa vulneribus effigies visebatur. Quas in struem congestas ingenti pyra accensa cremavit, ne teter obscœnorum cadaverum odor pestifera exhalatione diffusus, propius accedentes corruptionis contagio sauciaret. Quo facto, Regnero Svetiæ regnum, sibi verò Regneri torum conciliavit. Qui licet tirociniũ nuptiis auspicari deforme existimaret, servatæ salutis suæ respectu provocatus promissum beneficio exsolvit.

Inter hæc Ubbo quidam sororem Frothonis Ulvildam jam pridem matrimonio complexus, Daniæ regnum, cujus procurationem perfunctoriè gerebat, uxoris nobilitiate fretus occupat. Quamobrem Frotho Orientis bella deserere coactus, apud Svetiam cum Svanhvita sorore grave prælium facit. Quo afflictus, noctu conscensâ cymbâ, per occultos navigationis anfractus, perforandæ hostium classis aditum quærebat. Deprehensus à sorore, rogatusq; cur tacito remigio varias meatuum ambages sequeretur, simili quæstionis modo percontantem absolvit. Nam Svanhvita quoq;, eodem noctis tempore, solitariam navigationem ingressa, ancipiti declinationis gyro multiplices sensim aditus recessusq; captabat. Fratrem itaq; dudum ab eo collatæ sibi libertatis admonitum rogare cœpit, ut quam bellum Ruthenicum petiturus, arbitraria nubendi potestate donaverat, assumpto conjuge frui permittat, ratumq; post factum habeat, quod fieri ipse concesserit. Tam justis precibus permotus Frotho pacem cum Regnero componit, iniuriamq; quam ex sororis petulantia suscepisse videbatur, rogatui remisit. A quibus etiam manu, quantam per eos amiserat, donatus, deforme vulnus specioso beneficio pensatum gaudebat.

Daniam ingressus, capto perductoq; ad se Ubboni ignovit, veniamque quàm pœnam, malè merito rependere maluit, quòd regnum potius uxoris impulsu, quam propria cupiditate tentasse, nec tam auctor iniuriæ, quàm imitator fuisse videretur. Ulvildam eidem ademptam, amico suo Scotto, qui & ipse Scottici nominis conditor fuit, nubere coëgit, tori varietatem supplicii loco reputans. Cujus discessum regiis etiam vehiculis prosequutus, iniuriam beneficio pensavit. Sororis siquidem naturam, non ingenium intuens, suæ potius famæ, quàm illius nequitiæ consulebat. Quæ fraternis meritis nihil ex consveti odii pertinacia remittens, novi mariti animum occidendi Frothonis, occupandiq; Danorum imperii consilio fatigabat. Segniter enim deserere solet animus, quicquid solido fuerit amore complexus. Neq; fluidis annis molitum continuò crimen elabitur. Primævam quippe mentem posterior imitatur affectio. Nec citò vitiorum vestigia pereunt, quæ tenera moribus ætas impresserit. Cum vacuas mariti aures haberet, insidias à fratre in virum convertit, mercede conductis, qui jugulum dormientis confoderent. Qua de re Scottus per pedissequam certior factus, nocte qua cædis ministerium circa se peragendum

acce-

FROTHO I.

acceperat, lecto loricatus incessit. Rogatus ab Ulvilda, quid ita assuetæ quietis usum ferreo cultu mutasset? Sic ad præsens sibi collibitum retulit. Cùm somno obfusus putaretur, irrumpentes insidiarum ministros lecto delapsus obtruncat. Quò evenit, ut Ulvildam insidiis fratri nectendis abstraheret, & aliis uxorum perfidiam cavendi documentum præberet.

Quæ dum geruntur, adoriendæ bello Fresiæ Frothoni consilium incidit, claritatem Orientis devictione quæsitam Occidentis oculis infundere avido. Oceanum petenti prima adversum Vitthonem Fresorum piratam congressio fuit, in qua sociis primos hostium impetus solo clypeorum objectu patienter excipere jussis, non antè missilibus utendum edixit, quàm penitus hostilium jaculorum imbrem exhaustum adverterent. Quæ tantò à Fresis avidius emissa, quantò à Danis tolerabilius excepta, Vitthone Frothonis patientiam à pacis cupiditate profectam existimante. Oritur ingens classicum, & immenso pila stridore dissultant. Cùm nullum incautis jaculum superesset, Danorum telis obfusi vincuntur. Fuga littus amplexi, inter flexuosos fossarum ambitus obtruncantur. Rhenum deinde classe rimatus, extremis Germaniæ partibus manus injecit. Repetito Ocean. Fresorum classem vadosis inflictam vorticibus adortus, cæde naufragium cumulavit. Nec tantas hostium acies obtrivisse contentus, Britanniam tentat. Cujus rege devicto, Melbricum Scoticæ regionis præfectum aggreditur. Cui cùm bellum illaturus Britannorum regem imminere ex speculatore cognosset, tergóq; simul ac pectori consulere nequiret, militibus ad concionem vocatis deferenda vehicula, abjiciendam suppellectilem, aurúmq; quod ab eis gestaretur, passim per arva disjiciendum edixit, affirmans solam in opum effusione opem restare. Nec aliud conclusis subsidium superesse, quàm hostem ab armis in avaritiam pellicere. Libenter prædam apud exteros quæsitam supremæ necessitati impendi debere. Fore enim ut hostes non minore aviditate collectam abjicerent, quàm repertam corriperent, oneri potius quàm usui futuram.

Tunc Torkillus avaritiâ antè alios insignis, cæterísq; eloquio præstans, capite galea nudato, clypeo innixus, Movet, inquit, Rex, plerosq; tuæ præceptionis austeritas, qui magni æstimant, quod sangvine pepererunt. Ægrè projicitur, quod maximo constat periculo quæsitum. Inviti deserunt, quod vitæ discrimine emerunt. Extremæ enim dementiæ est, virili animo ac manu parta muliebriter spernere, opesq; hosti insperatas afferre. Quid deformius, quàm belli fortunâ prædæ, quam gerimus, contemptu præcurrere certúmq; & præsens bonum, dubii mali metu relinquere? Nondum Scotos aspeximus, & arvum auro spargemus? Quales in prælio existimandi sunt, quos bellum petentes sola bellorum enervat opinio? An qui hosti formidolosi fuimus, ridiculi erimus, claritatéq; contemptu mutabimus? Mirabitur Britannus ab his se victum, quos solo vinci timore conspexerit. Illorum metu premêmur, quibus metum priores ingessimus? Quorum præsentiam contempsimus, absentiam metuemus? Quando opes probitate mercabimur, quas timore vitamus? Pecunias pro quibus pugnavimus, pugnam vitando temnemus? Quos paupertati subjicere debuimus, divitiis imbuemus? Spolia fortiter cepimus, molliter jaciemus? Quid turpius à nobis committi poterit, quàm aurum erogare, quibus ferrum infligere debemus? Pavor nunquam eximet, quod virtus peperit. Quod bello quæsivimus, bello linquendum est. Tanti præda veniat, quanti empta est, ferro precium penderetur. Præstat speciosâ defungi morte, quàm lucis aviditate vilescere. A vita parvulo temporis momento deserimur: Pudor etiam fatum insequitur. Huic accedit, quod jactantes aurum, hostis hoc avidius insequetur, quò majore metu urgeri crediderit. Præterea neutra nobis fortuna auri odium facit. Victores namq; ære, quod gestamus, ovabimus; victi sepulturæ præmio relinquemus. Hæc senior.

At milites Regis potius quàm sodalis consilium intuentes, priorémque exhor-

FROTHO I. exhortationem poſteræ præferentes, quod cuiq; opum erat, certatim loculis egerunt. Mannos quoq; variæ ſuppellectilis gerulos oneribus abſolvunt; ſicq; vacuefactis crumenis, armis habiliùs accinguntur. Quibus progreſſis ſuccedentes Britanni, in patentem latè prædam diſſiliunt. Quos Rex circa pecuniæ raptum avidius æquo occupatos conſpiciens, cavere jubet, ne deſtinatas prælio manus opum onere fatigent, ſcientes triumphum ante carpendum, quàm cenſum. Proinde auro ſpreto, auri dominos inſequantur. Nec æris, ſed victoriæ fulgorem mirentur: memirerintque ſatius trophæum prenſare, quàm quæſtum: potiorem eſſe metallo virtutem, ſi ritè amborum habitum metiantur. Hoc namque exteriorem ornatum conciliari, illam interno externóque cultui precium afferre. Quamobrem remotos à pecuniæ contemplatione oculos habeant, abſtractúmque avaritia animum belli ſtudiis impendant. Prætereà noverint prædam ab hoſtibus de induſtria rejectam, aurumque inſidiis potius, quàm uſui ſeminatum. Sed & ſimplicem argenti nitorem latentis hami fraude implicitum teneri. Neque enim facile fugiſſe exiſtimandum, qui fortem Britannorum gentem fugæ prior adegerit. Cæterùm nihil indignius opibus eſſe, quæ raptorem captivant, dum ditare creduntur. Siquidem Danos, quibus opes obtuliſſe videantur, ferro cædeque mulctandos duxiſſe. Itaque ſi ſparſa rapiant, eo hoſtem inſtruere viderentur. Si enim æris in medio poſiti ſpecie tangerentur, non ſolùm id, ſed & ſi quid eis propriæ pecuniæ ſupereſſet, amitterent. Quid enim colligere prodeſſet, quæ protinus erogare cogantur? Sin pecuniæ proſterni renuerint, hoſtem haud dubiè proſtraturos. Potius itaq; virtute arduos, quàm cupiditate pronos exiſtere debere, nec occiduos in avaritiam animos, ſed erectos in gloriam habendos eſſe: armis, non auro certandum fore.

Finiente rege, eques Britannicus cunctis onuſtum auro gremium oſtendens; Colliguntur, inquit, Rex, ex oratione tua gemini rerum affectus, unus timoris, alter malevolentiæ teſtis; cùm & opibus propter hoſtem uti prohibeas, noſque egenos tibi quàm locupletes militare ſatius ducas. Quid hac deformius voluntate? Quid exhortatione ſtolidius? Domeſticas hic gazas agnoſcimus, agnitas tollere dubitabimus? Quod armis repetere pergebamus, quod ſanguine recuperare contendimus, ultrò reſtitutum vitabimus? Propria vindicare cunctabimur? Uter timidior eſt, qui parta fundit, an qui fuſa legere pertimeſcit? En quod neceſſitas ademit, caſus reddidit. Non hoſtium, ſed noſtra hæc ſpolia ſunt: non attulit aurum Britanniæ Danus, ſed abſtulit. Quæ ſubacti invictiq; perdidimus, gratis redeuntia fugiemus? Nefas eſt tantum fortunæ beneficium indignanter excipere. Quid enim veſanius, quàm opes in propatulo conſtitutas deſpicere, concluſas ac vetitas affectare? Ante oculos collocata faſtidio dabimus, fugientia captaturi? In medio poſitis abſtinebimus, longinqua atq; extera petituri? Quando peregrina prædabimur, ſi propria refutamus? Nunquam deos tam infeſtos experiar, ut ſinum paterna avitaq; pecunia refertum, tam juſto onere vacuefacere compellar. Novi Danorum luxum; nunquam plena meri vaſa liquiſſent, ni timor aufugere compuliſſet. Facilius vitam deſeruiſſent, quàm vinum. Cōmunis hic nobis affectio eſt, hac illis imagine reſpondemus. Eſto, fugam finxerint, antè tamen in Scotos incident, quàm egredi queant. Nunquam porcis proculcandū aut belluis hoc aurū rure ſqualebit, humano melius uſui ſerviturum. Præterea ſi exercitus à quo victi ſumus ſpolia rapimus, fortunam in noſmet victoris transferimus. Quod enim certius victoriæ præſagium accipi poſſet, quàm pugnam prædâ præcurrere, caſtraq; ab hoſtibus deſerta ante prælium capere? Satius eſt metu viciſſe quàm ferro.

Finierat vix eques, & ecce omnium effuſæ in prædam manus nitida paſſim æra carpsère. Mirarêris illic obſcœnæ aviditatis ingenium, ſpeculari

poſſes

posses immoderatum cupiditatis exemplum. Videres cum gramine pariter aurum convelli, intestinum dissidium nasci, immemores hostium cives ferro decernere, familiaritatis jura, societatis respectum negligi: avaritiam omnes, amicitias neminem intueri. I. *FROTHO.*

Interea Frotho silvam, quæ Scotiam Britanniamque secernit, vasto itinere permensus, arma milites capere jubet. Cujus aciem speculati Scoti, cum sibi levia tantùm pila suppetere, Danos verò præstantiori armaturæ genere cultos conspicerent, pugnam fugâ præveniunt. Quos Frotho Britannicæ effusionis metu modicum insecutus, Ulvildæ virum Scottum cum ingenti exercitu obvium recepit, quem è remotissimis Scotiæ finibus auxilii Danis ferendi cupido perduxerat. Per hunc Scottorum insectatione relicta, cursum in Britanniam reflectere jussus, prædam, quam vafrè rejecerat, acriter recuperavit. Igitur quo æquiore animo opes deseruit, hoc facilius recepit. Pœnituit tunc oneris Britannos, sanguine pœnas avaritiæ dantes. Piguit inexpleta aviditati brachia porrexisse. Puduit minus regiæ exhortationi, quàm propriæ indulsisse cupiditati.

Post hæc celeberrimum insulæ oppidum Lundoniam petit. Cujus murorum firmitate expugnationis facultatem negante, mortis simulatione facta, vires ab astutia mutuatus est. Siquidem præfectus Lundoniæ Dalemannus, cum falsum de ejus obitu nuncium accepisset, receptis in deditionem Danis, ducem ex indigenis offert. Quem ut ex magno acervo legerent, oppidum intrare permisit. Quibus electionis diligentiam simulantibus, nocturnis insidiis circumuentus opprimitur.

His gestis, Regem in Patriam regressum, Scato quidam convivio excipit, bellicis ejus laboribus voluptatis licentiam permixturus. Apud quem Frotho dum regio more stratis auro pulvinaribus accubaret, per Hundingum quendam ad dimicandum provocatus, quanquam convivalibus mentem gaudiis impendisset, plus pugnæ propinquitate quàm epularum præsentia delectatus, duello cœnam, victoria duellum absolvit. In quo dubiæ salutis vulnere suscepto, rursum Haquini pugilis adhortatione perstrictus, provocantis nece ultionem irritatæ quietis exegit. Duos ex cubiculariis palàm insidiarum convictos, ingentibus saxis affixos pelago obruit, ponderosum animi crimen annexa corporibus mole mulctando. Ferunt quidam Ulvildam tunc ei insecabilem ferro vestem donasse, qua circumamictus nullo telorum acumine læderetur. Nec prætereundum, Frothonem contusis commolitisq; auri fragminibus cibos respergere solitum, quibus adversum familiares veneficorum insidias uteretur. Hic dum Regnerum Svetiæ Regem falsò proditionis insimulatum bello lacessit, non telorum vi, sed armorum pondere & corporis æstu strangulatus interiit, Haldano, Roë, & Scato, filiis relictis.

His virtute paribus, æqua regnandi incessit aviditas. Imperii cuiq; cura extitit; fraternus nullum respectus astrinxit. Quem enim nimia sui charitas ceperit, aliena deserit, nec sibi quisquam ambitiosè, atque aliis amicè, consulere potest. Horum maximus Haldanus, Roë & Scato fratribus interfectis, naturam scelere polluit, regnum parricidio carpsit: & ne ullum crudelitatis exemplum omitteret, comprehensos eorum fautores prius vinculorum pœna coërcuit, mox suspendio consumpsit. Cujus ex eo maximè fortuna admirabilis fuit, quod licet omnia temporum momenta ad exercenda atrocitatis officia contulisset, senectute vitam non ferro finierit. X. *HALDANUS.*

Hujus filii Roë, & Helgo fuere. A Roë Roskildia condita memoratur, quam postmodum Sveno, furcatæ barbæ cognomento clarus, civibus auxit, amplitudine propagavit. Hic brevi angustoque corpore fuit, Helgonem habitus procerior cepit. Qui diviso cum fratre regno, maris posses- XI. *ROE.* XII. *HELGO.*

HELGO. poſſeſſionem ſortitus, regem Sclaviæ Scalcum maritimis copiis laceſſitum oppreſſit. Quam cùm in provinciam redegiſſet, varios pelagi receſſus vago navigationis genere perluſtrabat. Hic licet ferocioris ingenii eſſet, luxuriâ tamen ſævitiam æquabat. Adeò ſiquidem projectus in Venerem extitit, ut ambiguæ exiſtimationis eſſet, tyrannide magis an libidine arſerit. Apud inſulam Thorø virgine Thorâ ſtuprum pati coactâ, filiam ſuſcepit, cui poſtmodum Urſæ vocabulum aptavit. Hundingum Saxoniæ regis Syrici filium, apud Stadium oppidum prælio vicit, eundemque ex provocatione adortus duello proſtravit. Ob quod Hundingi interemptor vocatus, victoriæ decus cognomine uſurpavit. Jutiæ Saxonibus ereptæ jus procurationemque Heſcæ, Eyr & Ler ducibus commiſit. Apud Saxoniam ingenui ac liberti necem pari ſumma rependendam conſtituit, perinde ac liquidò conſtare volens, quod cunctas Theutonum familias æqua ſervitus teneret, omniumq; corrupta libertas parem conditionis ignominiam redoleret.

Cùm ad inſulam Thorø piraticam reflexiſſet, Thora, necdum amiſſæ virginitatis mœrore depoſito, turpi commento nefariam ſtupri ultionem excogitavit. Siquidem filiam nubilis ætatis de induſtria littori immiſſam, concubitu patrem maculare præcepit. Qui licet inſidioſæ voluptatis illecebris corpus dediſſet, animi tamen integritatem exuiſſe credendus non eſt, cùm ei promptiſſimam erroris excuſationem ignorantiæ beneficium afferret. O ſtolidam matrem, quæ filiæ pudicitiam, ut ſuam ulciſceretur, exulare permiſit; nec ſanguinis ſui caſtitatem curavit, dummodò inceſti efficeret reum, per quem prior ipſa perdiderat cœlibatum! Atrocem fœminæ mentem! quæ veluti ſecundam ſui corruptionem in pœnam corruptoris expendit, cùm hoc ipſo potius iniuriam augere, quàm extenuare videretur. Quippe quo ſe ultionem aſſequi credidit, culpam conſtruxit: & dum noxam detrahere geſtit, nefas adjecit, ſobolis ſuæ novercam agendo, cujus, ut propriam expiaret infamiam, flagitio non pepercit. Nec dubium eandem refertum impudentia animum geſſiſſe, cujus tantus à pudore exceſſus erat, ut iniuriæ ſolatium filiæ probro petere non erubeſceret. Magnum, ſed uno expiabile ſcelus, quod concubitus noxam fauſta proles deterſit, neque opinione triſtius, quàm fructu jocundius fuit. Siquidem genitus ex Urſa Rolvo, ortus ſui infamiam conſpicuis probitatis operibus redemit: quorum eximium fulgorem omnis ævi memoria ſpecioſo laudum præconio celebrat. Fit enim ut lætis lugubria finiantur, & in ſpecioſos exitus turpiter auſpicata concedant. Igitur ut flagitioſus, ita felix patris error extitit, quem tanta luce mirificus poſtmodum filius expiavit.

Interea Regnero apud Svetiam defuncto, conjunx ejus Svanhuita parvo pòſt & ipſa morbo ex mœſtitia contracto decedit, fato virum inſecuta, à quo vita diſtrahi paſſa non fuerat. Fieri namq; ſolet, ut quidam ob eximiam charitatem, quam vivis impenderant, etiam vita excedentes comitari contendant. His filius Hothbrodus ſuccedit, qui proferendi imperii ſtudio Orienti bellum intulit, ac poſt immenſam populorum cladem, Atislum & Hotherum filios procreavit. Hisdem Gevarum quendam egregiis ſibi meritis devinctum pædagogum adſcivit. Nec Orientis victoriâ contentus, Daniam petit, ejusque regem Roe tribus præliis provocatum occîdit. His cognitis Helgo filium Rolvonem Lethrica arce concluſit, hæredis ſaluti conſulturus, utcunque ſuam fortunam tractaſſet. Deinde præſides ab Hothbrodo immiſſos, ut externo patriam dominio liberaret, miſſis per oppida ſatellitibus, cæde ſublegit. Ipſum quoque Hothbrodum cum omnibus copiis navali pugna delevit: nec ſolûm fratris, ſed etiam patriæ iniuriam plenis ultionis armis penſavit.

Quo

Quo evenit, ut cui nuper ob Hundingi cædem agnomen incesserat, nunc Hothbrodi strages cognomentum inferret. Præterea Sveonis, perinde ac parum præliis afflictos, abjectissimo conditionis instituto mulctavit, lege sanciens, ne cujuspiam eorum juxta legitimarum compositionum formulam læsio sarciretur. His gestis, ob superioris flagitii ruborem patriam penatesq; perosus, repetito Oriente, decedit. Opinantur quidam, quod exprobratæ sibi turpitudinis anxius, super districtum gladium incumbendo, voluntaria se morte consumpserit. HELGO.

Huic filius Rolvo succedit, vir corporis animiq; dotibus venustus, qui staturæ magnitudinem pari virtutis habitu commendaret. Cujus temporibus cum Danorum imperio Svetia subiaceret, Atislus Hothbrodi filius liberandæ patriæ ratione callidius quæsita, matrem Rolvonis Ursam, conjugio sibi sociandam curavit, incercedente connubii affinitate efficatioris privigno monitus super tributi laxatione daturus. Nec fortunam votis adversam habuit. Hic à puero liberalitatis odio imbutus adeò pecuniæ tenax extitit, ut munificum haberi infamiæ loco duceret. Quem cùm Ursa tantis avaritiæ sordibus obfusum videret, ideoq; eo carere cuperet, insidiis agendum rata, mira artis superficie fraudis formulam texit. Impietatis quippe simulationem amplexa, maritum capessendæ libertatis admonitum, novarum rerum exhortatione solicitat, filiumq; maximis muneribus promissis, Svetiam arcessiri curat. Ita namq; se votis maximè potituram credebat, si filio aurum vitrici nacto, regias opes fugiendo convellere, virumq; non tantum toro, sed etiam pecunia fraudare potuisset. Neq; enim avaritiam ullo melius, quàm opum subtractione mulctandam putabat. Cujus doli profunditas ab intimis astutiæ modis profecta, haud facile ex hoc discerni poterat, quod permutandi tori studium, affectatæ libertatis imagine colorabat. Cæcam viri mentem, quæ matrem adversum filii caput exarsisse putavit, nec suam potius strui perniciem intellexit! Stolidum mariti sensum, qui pervicacem uxoris industriam non advertit, transferendi connubii copiam filialis odii specie molientem. Cùm enim nulla muliebribus animis fiducia debeatur, is tanto stolidiorem fœminæ fidem detulit, quanto facilius eam sibi fidam, filio insidiosam putavit. Igitur promissorum magnitudine excitus Rolvo, cum Atisli fortè penates ingressus, ob absentiæ diuturnitatem, convictusque desvetudinem, parùm à matre cognosceretur, leniendæ famis subsidium per jocum petere cepit. Qua prandium à rege poscendum hortante, laceram vestis suæ partem exerens, operam consuentis exposcit. Cum obseratas matris aures haberet, difficile, inquit, veram ac solidam amiciciam reperiri, cum filio mater epulum, fratri soror suendi obsequium neget. Ita matris errore mulctato, magnum eidem negatæ humanitatis ruborem iniecit. Quem cum Atislus inter epulas matri discubitu junctum aspiceret, utrumque lasciviæ increpans, impudicum fratris sororisque concessum asseruit. Cui Rolvo, honestum in filio maternæ charitatis amplexum respondit, lacessitæ integritatis defensionem ab arctissimo naturæ vinculo mutuatus. Idem percunctantibus convivis, quod fortitudinis genus cæteris anteferret? Patientiam nominavit. Interrogatus ab iisdem Atislus, cui potissimum virtuti votorum suorum studiū obligasset? Liberalitatis sibi professionem aptavit. Exiguntur igitur hinc animositatis, inde munificentiæ pacta, priorq; Rolvo virtutis experimentum edere jubetur. Qui cùm igni applicaretur, parmulam parti, qua acrius urgebatur, objecit, alteroque laterum defenso, reliquum munimento vacuum, unico patientiæ duramento firmavit. Magna viri solertia, leniendi ardoris præsidium à clypeo mutuantis, ut inde exposito flammis corpori propugnaret, unde eidem inter stridentia quandoq; tela consuluisset. Æstus tamen telis acrior, cum vallatam clypeo partem expugnare non posset, defectum munimine latus invasit. Quem pedissequa, quæ fortè propter ROLVO.

ROLVO. focum astabat, intolerabili costarum ardore torreri conspiciens, egestâ dolio clepsydrâ, fuso flammam humore sopivit, mediasq; incendii pœnas, tempestivo liquoris beneficio repressit. Rolvo patientiæ consummatione laudatur. Post hæc Atisli munera requiruntur. Ferunt illum collatis in privignum opibus, ad ultimum ingentis ponderis torquem, quo donum cumulatius redderet, expendisse.

Igitur Ursa tertio convivii die, edendæ fraudis copiam aucupata, suspicato nil tale conjuge, regiâ pecuniâ vehiculis impositâ, propriis se penatibus furtivo subduxit egressu, sublustriq; nocte fugam cum filio consecuta discedit. Insequentis se viri metu percita, per summam ulterioris fugæ diffidentiam comites abjiciendæ pecuniæ jussu solicitat, vitâ vel opibus carituros affirmans; unicum salutis compendium in æris abjectione repositum, nec fugæ subsidium nisi rerum damno carpendum. Eodem itaq; exemplo utendum, quo sibi Frothonem apud Britannos consuluisse proditum erat. Adjecit etiam, non magno constare, si propria Svetis resumenda deponerent, dum inde sibi fugæ profectus, unde eis insecutionis defectus accederet, magisq; aliena restitui, quàm sua deseri viderentur. Nec mora, quo fuga celerius carperetur, reginæ jussa complentur. Aurum crumenis egeritur, opes hostium raptui relinquuntur. Sunt qui asserant, Ursam, retentis pecuniis, æs auro oblitum fugæ suæ vestigiis instravisse. Credi namq; poterat fœminam ingentia molitam facinora, metallum quoq; jactui destinatum inani fulgore pinxisse, verarum opum precia mendacis auri jubare simulantem. Videns igitur Atislus donatum Rolvoni torquem inter alia auri insignia relictum, intimū avaritiæ suæ pignus curiosius contemplatus, ut prædam exciperet, affixis humo genibus cupiditati majestatem inclinare sustinuit. Quem Rolvo tollendæ pecuniæ gratia pronum dimissumq; conspiciens, propriis prostratum muneribus risit, perinde ac cupidè repetentem, quod callidè tribuisset. Contentis præda Svetis, ocyus ad naves se recipit, fugamq; vehementi remorum conatu captavit. Ferunt autem illum quicquid præstare posceretur, primæ supplicationi prompta liberalitate tribuere solitum, nec unquam ad secundam petentis vocem distulisse rogatum. Siquidem precum iterationem munificentiæ velocitate præcurrere, quàm beneficium tarditate notare maluit. Quæ res ei maximam athletarum frequentiam conciliavit. Plerumq; enim virtus, aut præmiis pascitur, aut laudibus incitatur.

Per idem tempus Agnerus quidam Ingelli filius, sororem Rolvonis, Rutam nomine, matrimonio ducturus, ingenti convivio nuptias instruit. In quo cum pugiles omni petulantiæ genere debacchantes, in Jaltonem quendam nodosa passim ossa conjicerent, accidit, ut ejus consessor, Biarco nomine, jacientis errore vehementem capite ictum exciperet. Qui dolore pariter ac ludibrio lacessitus, osse invicem in jacientem remisso, frontem ejus in occiput reflexit, idemq; loco frontis intorsit, transversum hominis animum vultus obliquitate mulctando. Ea res contumeliosam joci insolentiam temperavit, pugilesq; regiâ abire coegit. Qua convivii injuria permotus sponsus, ferro cum Biarcone decernere statuit: violatæ hilaritatis ultionem duelli nomine quæsiturus. In cujus ingressu, utri prior feriendi copia deberetur, diutulè certatum est. Non enim antiquitus in edendis agonibus crebræ ictuū vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussionum magnitudini, quàm numero deferretur. Prælato ob generis dignitatem Agnero, tanta vi ictum ab eo editum constat, ut prima cassidis parte conscissa, supremam capitis cuticulam vulneraret, ferrumq; mediis galeæ interclusum foraminibus dimitteret. Tunc Biarco mutuò percussurus, quo plenius ferrum libraret, pedem trunco annixus, medium Agneri cor-

corpus præstantis acuminis mucrone transegit. Sunt qui asserant, morientem Agnerum soluto in risum ore, per summam doloris dissimulationem spiritum reddidisse. Cujus ultionem pugiles avidius expetentes, simili per Biarconem exitio mulctati sunt. Utebatur quippe præstantis acuminis, inusitatæq; longitudinis gladio, quem Løvi vocabat. Talibus operum meritis exultanti, novam de se sylvestris fera victoriam præbuit. Ursum quippe eximiæ magnitudinis obvium sibi inter dumeta factum jaculo confecit, comitemq; suum Hialtonem, quò viribus major evaderet, applicato ore, egestum belluæ cruorem haurire jussit. Creditum namq; erat, hoc potionis genere corporei roboris incrementa præstari. His facinorum virtutibus clarissimas optimatum familiaritates adeptus, etiam regi percharus evasit, sororem ejus Rutam uxorem adscivit, victiq; sponsam victoriæ præmium habuit. Ab Atislo lacessiti Rolvonis ultionem armis exegit, eumq; victum bello prostravit. Tunc Rolvo magni acuminis juvenem Hiarthvvarum nomine, sorore Sculda sibi in matrimonium data, annuoq; vectigali imposito, Svetiæ præfectum constituit, libertatis jacturam affinitatis beneficio leniturus. ROLVO.

Hoc loci quiddam memoratu jocundum operi inseratur. Adolescens quidam Wøggo nomine, corpoream Rolvonis magnitudinem attentiori contemplatione scrutatus, ingentiq; ejusdem admiratione captus, percontari per ludibrium cœpit, quisnam esset iste Krage, quem tanto staturæ fastigio prodiga rerum natura ditasset? Faceto cavillationis genere inusitatum proceritatis habitum prosecutus. Dicitur enim lingvâ Danicâ, Krage, truncus, cujus semicæsis ramis fastigia conscenduntur, ita ut pes præcisorum stipitum obsequio perinde ac scalæ beneficio nixus, sensimq; ad superiora provectus, petitæ celsitudinis compendium assequatur. Quem vocis jactum Rolvo perinde ac inclytum sibi cognomen amplexus, urbanitatem dicti ingentis armillæ dono prosequitur. Quâ Wøggo dexteram excultam extollens, lævâ per pudoris simulationem post tergum reflexâ, ridiculum corporis incessum præbuit, præfatus exiguo lætari munere, quem sors diutinæ tenuisset inopiæ. Rogatus cur ita se gereret, inopem ornamenti manũ, nulloq; cultus beneficio gloriantem, ad aspectum reliquæ, verecundo paupertatis rubore perfundi dicebat. Cujus dicti calliditate consentaneum priori munus obtinuit. Siquidem Rolvo manum quæ ab ipso occultabatur, exemplo reliquæ in medium accersendam curavit. Nec Wøggoni rependendi beneficii cura defuit. Siquidem arctissima voti nuncupatione pollicitus est, si Rolvonem ferro perire contingerit, ultionem se ab ejus interfectoribus exacturum. Nec prætereundum, quod olim ingressuri curiam proceres, famulatus sui principia alicujus magnæ rei voto principibus obligare solebant, virtute tirocinium auspicantes.

Interea Sculda tributariæ solutionis pudore permota, diris animum commentis applicans, maritum exprobrata conditionis deformitate, propulsandæ servitutis monitu concitatum, atq; ad insidias Rolvoni nectendas perductum, atrocissimis novarũ rerum consiliis imbuit, plus unumquenq; libertati, quàm necessitudini debere testata. Igitur crebras armorum massas diversi generis tegminibus obvolutas, tributi more per Hiarthvvarum in Daniam perferri jubet, occidendi noctu regis materiam præbituras. Refertis itaq; falsa vectigalium mole navigiis, Lethram pergitur. Quod oppidum à Rolvone constructum, eximiisq; regni opibus illustratum, cæteris confinium provinciarum urbibus regię fundationis & sedis auctoritate præstabat. Rex adventum Hiarthvvari convivalis impensæ deliciis prosecutus, ingenti se potione proluerat: hospitibus præter morem ebrietatis intemperantiam formidantibus. Cæteris igitur altiorem carpentibus somnum, Sveones, quibus scelesti libido propositi communem quietis usum ademerat, cubiculis furtim delabi cœpere. Aperitur ilico telorum occlusa congeries, & sua sibi quisq; tacitus arma connectit. Deinde regiam petunt, irruptisq; penetralibus in dormientium corpora fer-

ROLVO. rum distringunt. Experrecti complures, quibus non minus subitæ cladis horror, quâm somni stupor incesserat, dubio nisu discrimini restitêre, socii an hostes occurrerent, noctis errore incertum reddente. Ejusdem fortè silentio noctis, Hialto, qui inter regios proceres spectatæ probitatis merito præeminebat, rus egressus, scorti se complexibus dederat. Hic cum obortum pugnæ fragorem stupidâ procul aure sensisset, fortitudinem luxuriæ prætulit, maluitq; funestum Martis discrimen appetere, quàm blandis Veneris illecebris indulgere. Quanta hunc militem regis charitate flagrasse putemus, qui cum ignorantiæ simulatione excusationem absentiæ præstare posset, salutem suam manifesto periculo objicere, quàm voluptati servire satius existimavit? Discedentem pellex percunctari cœpit, si ipso careat, cujus ætatis viro nubere debeat. Quam Hialto perinde ac secretius allocuturus, propius accedere jussam, indignatus amoris sibi successorem requiri, præciso naso deformem reddidit, erubescendoq; vulnere libidinosæ percunctationis dictum mulctavit, mentis lasciviam oris jactura temperandam existimans. Quo facto, liberum quæsitæ rei judicium à se ei relinqui dixit. Post hæc repetito ocyus oppido, confertissimis se globis immergit, adversasque acies mutua vulnerum inflictione prosternit. Cumq; dormientis adhuc Biarconis cubiculum præteriret, expergisci jussum, tali voce compellat:

Ocyus evigilet, quisquis se regis amicum
Aut meritis probat, aut solâ pietate fatetur.
Discutiant somnum proceres, stupor improbus absit,
Incaleant animi vigiles: sua dextera quenq;
Aut famæ dabit, aut probro perfundet inerti;
Noxq; hæc aut finis erit, aut vindicta malorum.
Non ego virgineos jubeo cognoscere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oscula conferre, & tenues astringere mammas:
Non liquidum captare merum, tenerumve fricare
Fœmen, & in niveos oculum jactare lacertos.
Evoco vos ad amara magis certamina Martis.
Bello opus est, nec amore levi: nihil hic quoq; facti
Mollities enervis habet, res prælia poscit.
Quisquis amicitiam regis colit, arma capessat.
Pensandis animis belli promptissima laus est.
Ergo viris timidum nihil, aut leve fortibus insit,
Destituatq; animos armis cessura voluptas.
In precio jam fama manet, laudis sibi quisq;
Arbiter esse potest, propriaq; nitescere dextra.
Instructum luxu nihil assit, plena rigoris
Omnia præsentem discant exolvere cladem.
Non debet laudis titulos, aut præmia captans
Ignavo torpere metu, sed fortibus ire
Obvius, & gelidum non expallescere ferrum.

Ad hanc vocem expergefactus Biarco, cubicularium suum Scalcum ocyus excitatum, hoc alloquitur modo:

Surge puer, crebroq; ignem spiramine pasce:
Verre larem ligno, & tenues dispelle favillas.
Scintillas extunde focis, ignisq; jacentes
Erige relliquias, & opertas elice flammas.
Languentem compelle larem producere lumen,
Ardenti rutilas accendens stipite prunas.
Proderit admotâ digitos extendere flammâ.

Quip-

Quippe calere manu debet, qui curat amicum,
Et nocui penitus livoris pellere frigus. ROLVO.

Rursum Hialto:

Dulce est nos domino percepta rependere dona,
Acceptare enses, famæque impendere ferrum.
En virtus sua quemque monet meritum bene regem
Ritè sequi, dignaque ducem gravitate tueri.
Enses Theutonici, galeæ, armillæque nitentes,
Loricæ talo immissæ, quas contulit olim
Rolvo suis, memores acuant in prælia mentes.
Res petit, & par est, quæcunque per otia summa
Nacti pace sumus, belli ditione mereri;
Nec lætos cursus mœstis præponere rebus,
Aut duris semper casus præferre secundos.
Mente pari, proceres, sortem capiamus utramque,
Nec mores fortuna regat; quia condecet æque
Delicias ac dura pati, vultuque sub illo
Ducamus tristes, quo dulces hausimus annos.
Omnia quæ poti temulento prompsimus ore,
Fortibus edamus animis, & vota sequamur
Per summum jurata Jovem, superosque potentes.
Danorum primus herus est meus, assit eidem
Ut probus est quisque: procul hinc procul este fugaces!
Forti opus est stabilique viro, non terga ferente
In dubium, bellive truces metuente paratus.
Maxima sæpe duci virtus ex milite pendet.
Tanto etenim princeps aciem securior intrat,
Quanto illum melius procerum stipaverit agmen.
Arripiat digitis pugnacibus arma satelles,
Iniiciens dextram capulo, clypeumque retentans,
Inque hostes ruat, & nullos expalleat ictus.
Nemo se retrò feriendum præbeat hosti,
Nemo enses tergo excipiat: pugnacia semper
Pectora vulneribus pateant. Certamina prima
Fronte gerunt aquilæ, & rapidis se rectibus urgent
Anteriore loco: species vos alitis æquet
Adverso nullam metuentes corpore plagam.
Ecce furens, æquoque sui fidentior hostis,
Ferro artus, faciemque aurata casside tectus,
In medios fertur cuneos, ceu vincere certus
Intimidusque fugæ, & nullo superabilis ausu.
Svetica (me miserum) Danos fiducia spernit,
Ecce truces oculis Gotthi, visuque feroces
Cristatis galeis, hastisque sonantibus instant,
In nostro validam peragentes sangvine cladem,
Distringunt gladios, & acutas cote bipennes.
Quid te, Hiarthvare, loquar? quem Sculda nocente replevit
Consilio, tantaque dedit crudescere culpa?
Quid te, infande, canam, nostri discriminis auctor,
Proditor eximii Regis, quem sæva libido
Imperii, tentare nefas, furiisque citatum
Conjugis æternam pepulit prætendere noxam?
Quis te error factum Danis dominoque nocentem
Præcipitavit in hoc rerum scelus? unde subibat

Impie-

ROLVO.

Impietas tanto fraudis constructa paratu?
Quid moror? extremam jam degustavimus escam.
Rex perit, & miseram sors ultima corripit urbem.
Illuxit suprema dies, nisi fortè quis asit
Tam mollis, quod se plagis præbere timescat,
Aut imbellis ita ut domini non audeat ultor
Esse sui, dignosq; animo proscribat honores.
Tu quoq; consurgens niveum caput exere, Ruta,
Et latebris egressa tuis in prælia prodi.
Cædes te foris acta vocat, jam curia bellis
Concutitur, diroq; strepunt certamine portæ.
Loricas lacerat ferrum, dirumpitur hamus
Nexilis, & crebro cedunt præcordia telo.
Jam clypeum regis vastæ minuere secures.
Jam longi resonant enses, crepitatq; bipennis
Humanis impacta humeris, & pectora findens.
Quid pavitant animi? quid hebescit languidus ensis?
Porta vacat nostris, externo plena tumultu.

Cumq; Hialto magna admodum strage edita prælium cruentasset, tertio tabernaculum Biarconis offenderat, quem metus causa avidum quietis ratus tali ignaviæ exprobratione pertentat:

Ut quid abes Biarco? num te sopor occupat altus?
Quid tibi, quæso, mora est? aut exi, aut igne premêris.
Euge quod præstat, eia concurrite mecum!
Igne ursos arcere licet, penetralia flammis
Spargamus, primosq; petant incendia postes.
Excipiat torrem thalamus, tectiq; ruina
Fomentum flammis, & alendo præbeat igni.
Fundere damnatis fas est incendia portis.
At nos qui regem voto meliore veremur,
Jungamus cuneos stabiles, tutisq; phalangem
Ordinibus mensi, quà rex præcepit, eamus:
Qui natum Bøki Røricum stravit avari,
Implicuitq; virum letho virtute carentem.
Ille quidem præstans opibus, habituq; fruendi
Pauper erat, probitate minus quàm fœnore pollens,
Aurum militiâ potius ratus, omnia lucro
Posthabuit, laudisq; carens congessit acervos
Æris, & ingenuis uti contempsit amicis.
Cumq; lacessitus Rolvonis classe fuisset,
Egestum cistis aurum deferre ministros
Jussit, & in primas urbis diffundere portas:
Dona magis quàm bella parans, quia militis expers
Munere non armis tentandum credidit hostem,
Tanquam opibus solis bellum gesturus, & usu
Rerum non hominum Martem producere posset.
Ergo graves loculos & ditia claustra resolvit,
Armillas teretes & onustas protulit arcas
Exitii fomenta sui, ditissimus æris
Bellatoris inops, hostiq; adimenda relinquens
Pignora, quæ patriis præbere pepercit amicis.
Annellos ultro metuens dare, maxima nolens
Pondera fudit opum, veteris populator acervi.
Rex tamen hunc prudens, oblataq; munera sprevit,

Rem pariter vitamq; adimens: nec profuit hosti
Census iners, quem longo avidus cumulaverat ævo, ROLVO.
Hunc pius invasit Rolvo, summasq; perempti
Cepit opes, inter dignos partitus amicos
Quicquid avara manus tantis congesserat annis:
Irrumpensq; opulenta magis, quàm fortia castra,
Præbuit eximiam sociis sine sanguine prædam.
Cui nil tam pulchrum fuit, ut non funderet illud,
Aut charum quod non sociis daret, æra favillis
Aßimilans, famaq; annos non fœnore mensus.
Unde liquet Regem claro jam funere functum
Præclaros egisse dies, speciosaq; fati
Tempora, præteritos decorasse viriliter annos.
Nam virtute ardens, dum viveret, omnia vicit,
Egregio dignas sortitus corpore vires.
Tam præceps in bella fuit, quàm concitus amnis
In mare decurrit, pugnamq; capessere promptus,
Ut cervus rapidum bifido pede tendere cursum.
Ecce per infusas humanâ tabe lacunas
Cæsorum excußi dentes rapiente cruoris
Profluvio toto, & scabris limantur arenis.
Splendescunt limo allisi, lacerataq; torrens
Sanguinis ossa vehit, truncosq; superfluit artus.
Danicus humescit sanguis, stagnatq; cruenta
Latius eluvies, & corpora sparsa revolvit
Elisus venis vapidum spumantibus amnis.
Impiger invehitur Danis Hiarthvarus amator
Martis, & extenta pugnantes provocat hasta.
Attamen hic inter discrimina fataq; belli
Frothonis video lætum arridere nepotem,
Qui Sirtvallinos auro conseverat agros.
Nos quoq; lætitiæ species extollat honestâ
Morte secuturos generosi fata parentis.
Voce ergo simus alacres, ausuq; vigentes.
Namq; metum par est animosis spernere dictis,
Et memorabilibus lethum consciscere factis.
Deserat os animumq; timor, fateamur utroq;
Intrepidos nisus, ne nos nota judicet ulla
Parte aliqua signum dubii præstare timoris.
Librentur stricto meritorum pondera ferro
Gloria defunctos sequitur, putriq; favillæ
Fama superstes erit, nec in ullum decidet ævum,
Quod perfecta suo patravit tempore virtus.
Quid clausis agitur foribus, quid pessula valvas
Juncta seris cohibent? etenim jam tertia te vox
Biarco ciet, clausoq; jubet procedere tecto.

Contra quæ Biarco:

Quid me Rolvonis generum, quid bellice Hialto,
Tanta voce cies? Etenim qui magna profatur,
Grandiloquisq; alios verbis invitat ad arma,
Audere & dicta factis æquare tenetur.
Ut vocem fateatur opus. Sed desine donec
Armer, & horrendo belli præcingar amictu.
Jamq; ensem lateri jungo, jam corpore primum

Lori

ROLVO. Loricâ galeâq; tegor, dum tempora caßis
Excipit, & rigido conduntur pectora ferro.
Nemo magis clausis refugit penetralibus uri
Cumq; sua rogus esse domo, licet insula memet
Ediderit, strictaq; habeam natalia terra,
Bissenas regi debebo rependere gentes
Quas titulis dedit ille meis. Attendite fortes,
Nemo lorica se vestiat interituri
Corporis, extremum perstringat nexile ferrum,
In tergum redeant clypei, pugnemus apertis
Pectoribus, totosq; auro densate lacertos:
Armillas dextræ excipiant, quo fortius ictus
Collibrare queant, & amarum figere vulnus.
Nemo pedem referat, certatim quisque subire
Hostiles studeat gladios, hastasq; minaces,
Ut charum ulciscamur herum. Super omnia felix
Qui tanto sceleri vindictam impendere posit,
Et fraudum justo punire piacula ferro,
Ecce mihi videor corvum penetrasse ferocem
Theutonico certè, qui Snyrtir dicitur, ense,
A quo belligeri cepi cognomen, ut Agner
Ingelli natum fudi, retuliq; trophæum.
Ille meo capiti impactum perfregit Høthingum
Elisum morsu gladium, majora daturus
Vulnera, si melius ferri viguisset acumen.
Cui contra lævam lateris cum parte sinistri
Dissecui, dextrumq; pedem; labensq; sub artus
Incidit in medias ferrum penetrabile costas.
Hercule nemo illo visus mihi fortior unquam.
Semivigil subsedit enim cubitoq; reclinis
Ridendo excepit lethum, mortemq; cachinno
Sprevit, & Elysium gaudens successit in orbem.
Magna viri virtus, quæ risu calluit uno
Supremam celare necem, summumq; dolorem
Corporis ac mentis læto compescere vultu!
Nunc quoq; cujusdam præclaro stemmate nati
Vitales fibras ferro rimabar eodem,
Et ferrum penitus intra præcordia mersi.
Filius hic regis, & avito sangvine lucens
Indole clarus erat, tenerisq; nitentior annis.
Non illi hamatum poterat prodesse metallum,
Non ensis, non umbo teres: tam vivida ferri
Vis erat, objectis tardari nescia rebus.
Ergo duces ubi sunt Gotthorum, militiæq;
Hiartwari? veniant, & vires sanguine pensent.
Qui jaciunt, qui tela rotant, nisi regibus orti?
Surgit ab ingenuis bellum, clarißima Martem
Stemmata conficiunt, nec enim vulgaribus ausis
Res agitur, quam sola ducum discrimina tentant.
Illustres obeunt proceres. En, maxime Rolvo,
Magnates cecidere tui, pia stemmata cessant.
Non humile obscurumve genus, non funera Plebis
Pluto rapit, vilesq; animas; sed fata potentum
Implicat, & claris complet Phlegethonta figuris.

Non

ROLVO.

Non memini certamen agi, quo promptius esset
Alternare enses, partiriq; ictibus ictus.
Dans unum tres accipio, sic mutua Gotthi
Vulnera compensant, sic dextra potentior hostis
Vindicat acceptam cumulato fœnore pœnam.
Quanquam adeò solus multorum funere letho.
Corpora tradiderim pugnans, ut imagine collis
Editus è truncis excresceret artubus agger,
Et speciem tumuli congesta cadavera ferrent.
Et quid agit, qui me nuper prodire jubebat
Eximiâ se laude probans, aliosq; superbâ
Voce terens, & amara ferens opprobria, tanquam
Uno bissenas complexus corpore vitas?

Ad hæc Hialto.

Quanquam subsidio tenui fruor, haud procul absum,
Hac quoq;, qua stamus, opus est ope, nec magis usquam
Vis aut lecta manus promptorum in bella virorum
Exigitur: jam duræ acies & spicula scutum
Frustatim secuere meum, partesq; minutim
Avulsas absumpsit edax per prælia ferrum.
Prima sibi testis res est, seq; ipsa fatetur.
Fama oculo cedit, visusq; fidelior aure est.
Rupti etenim clypei retinacula sola supersunt,
Sectus & in gyro remanet mihi pervidus umbo.
Et nunc, Biarco, viges, quanquam cunctatior æquo
Extiteris, damnumq; moræ probitate repensas.

At Biarco.

Carpere me necdum, probrisq; lacessere cessas?
Multa moras afferre solent. Namq; obvius ensis
Cunctandi mihi causa fuit, quem Sveticus hostis
In mea prævalido contorsit pectora nisu.
Nec parcè gladium capuli moderator adegit:
Nam quantum in nudo vel inermi corpore fas est,
Egit in armato; sic duri tegmina ferri
Ut molles trajecit aquas; nec opis mihi quicquam
Aspera loricæ poterat committere moles.
Et nunc ille ubi sit, qui vulgo dicitur Othin
Armipotens, uno semper contentus ocello?
Dic mihi, Ruta, precor usquam si conspicis illum?

Ad hæc Ruta.

Adde oculum propius, & nostras prospice chelas,
Antè sacraturus victrici lumina signo,
Si vis præsentem tutò cognoscere Martem.

Tum Biarco.

Si potero horrendum Friggæ spectare maritum,
Quantumcunq; albo clypeo sit tectus, & altum
Flectat equum, Lethrâ nequaquam sospes abibit:
Fas est belligerum bello prosternere divum.
Ante oculos regis clades speciosa cadentes
Excipiat. Dum vita manet, studeamus honestè
Posse mori, clarumq; manu decerpere funus.
Ad caput extincti moriar ducis obrutus, ac tu
Ejusdem pedibus moriendo allabere pronus:
Ut videat quisquis, congesta cadavera lustrat,

Qualiter acceptum domino pensavimus aurum.
ROLVO. *Præda erimus corvis, aquilisq; rapacibus esca,*
Vescetúrq; vorax nostri dape corporis ales.
Sic belli intrepidos proceres occumbere par est,
Illustrem socio complexos funere regem.

Hanc maximè exhortationum seriem idcirco metrica ratione compegerim, quòd earundem sententiarum intellectus, Danici cujusdam carminis compendio digestus, à compluribus antiquitatis peritis memoriter usurpatur.

Contigit autem potitis victoriâ Gothis omne Rolvonis agmen occumbere, neminemque, excepto Wóggone, ex tanta juventute residuum fore. Tantum enim excellentissimis regis meritis eâ pugnâ à militibus tributum est, ut ipsius cædes omnibus oppetendæ mortis cupiditatem ingeneraret, eiq; morte jungi vita jucundius duceretur.

Lætus Hiartvarus prandendi gratiâ positis mensis convivium pugnæ succedere jubet, victoriam epulis prosecuturus. Quibus oneratus magnæ sibi admirationis esse dixit, quòd ex tanta Rolvonis militiâ nemo qui saluti fugâ aut captione consuleret, repertus fuisset. Unde liquidum fuisse, quanto fidei studio regis sui charitatem coluerint, cui superstites esse passi non fuerint. Fortunam quoque, quod sibi ne unius quidem eorum obsequium superesse permiserit, causabatur; quàm libentissimè se talium virorum famulatu usurum testatus. Oblato Wóggone perinde ac munere gratulatus, an sibi militare vellet perquirit. Annuenti districtum gladium offert. Ille cuspidem refutans, capulum petit: hunc morem Rolvoni in porrigendo militibus ense extitisse præfatus. Olim namque se regum clientelæ daturi, tacto gladii capulo obsequium polliceri solebant. Quo pacto Wóggo capulum complexus, cuspidem per Hiartvarum agit, ultionis compos, cujus Rolvoni ministerium pollicitus fuerat. Quo facto ovans irruentibus in se Hiartvari militibus cupidius corpus obtulit, plus voluptatis se ex tyranni nece, quàm amaritudinis ex propriâ sentire vociferans. Ita convivio in exequias verso, victoriæ gaudium funeris luctus insequitur. Clarum ac semper memorabilem virum, qui voto fortiter expleto, mortem spontè complexus suo ministerio mensas tyranni sanguine maculavit. Neque enim occidentium manus vivax „animi virtus expavit, cùm prius à se loca, quibus Rolvo assueverat, in„terfectoris ejus cruore respersa cognosceret. Eadem itaque dies Hiartvari regnum finivit ac peperit. Fraudulenter enim quæsitæ res, eadem sorte defluunt, quâ petuntur; nullusque diuturnus est fructus, qui scelere ac perfidiâ partus fuerit. Quo evenit, ut Sveones paulò ante Daniæ potitores, ne suæ quidem salutis potientes existerent. Protinus enim à Sialandensibus deleti, læsis Rolvonis Manibus justa exolvêre piacula. Adeò plerumque fortunæ sævitia ulciscitur, quod dolo ac fallacia patratur.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SECUNDI FINIS.

SAXO-

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER TERTIUS.



OTHERUS Atisli frater, idemq; Gevari regis alumnus, cujus mentionem præmisi, post Hiartvarum utriusq; regni imperium sumit. Hujus tempora, si ab ætatis ejus origine cœpero, aptius explicabuntur. Pulchrius enim pleniusq; extrema annorum illius curricula perstringuntur, ubi prima silentio non damnantur. Interfecto ab Helgone Hothbrodo, filius Hotherus sub tutela Gevari regis pueritiæ procursum exegit. Adolescens collacteis ac coævis summa corporis firmitate præstabat. Cæterùm ingenium ejus crebræ dotaverant artes. Quippe natationis, arcus, cæstuumq; peritia, necnon, quantamcunq; ea ætas capere poterat, agilitate pollebat: haud minus exercitio, quàm viribus potens. Immaturam adhuc ætatem uberrimis animi beneficiis transcendebat. Nemo illo chelis, aut lyræ scientior fuerat. Præterea sistro ac barbyto, omniq; fidium modulatione callebat. Ad quoscunq; volebat motus variis modorum generibus humanos impellebat affectus. Gaudio, mœstitiâ, miseratione, vel odio, mortales afficere noverat. Ita aurium voluptate, aut horrore animos implicare solebat. Tot juvenis artibus Gevari filia Nanna admodum delectata, amplexum ejus expetere cœpit. Fit enim ut virtute juvenum virgines incalescant, & quorum minus complacet forma, probitas acceptetur. Multiplices enim amor aditus habet. Aliis decor oris, aliis animi virtus, quibusdam artium usus voluptatis iter aperit. Nonnullis comitas Veneris copiam parat, complures formæ candor acceptos facit. Nec levius vulnus fortes quàm pulchri puellis infligere solent. HOTHERUS.

Accidit autem ut Othini filius Balderus Nannæ corpus abluentis aspectu solicitatus, infinito amore corriperetur. Urebat illum venustissimi corporis nitor, animumq; perspicuæ pulchritudinis habitus inflammabat. Validissimum namq; libidinis irritamentum est decor. Hotherum itaq;, per quem maximè votum interpellandum timebat, ferro tollere constituit, ne moræ impatiens amor, ullo fruendæ libidinis obstaculo tardaretur.

Eodem fortè tempore Hotherus inter venandum errore nebulæ perductus, in quoddam silvestrium virginum conclave incidit, à quibus proprio nomine salutatus, quænam essent, perquirit. Illæ suis ductibus auspiciisq; maximè bellorum fortunam gubernari testantur. Sæpè enim se nemini conspicuas præliis interesse, clandestinisq; subsidiis optatos amicis præbere successus. Quippe conciliare prospera, adversa infligere posse pro libitu, memorabant, adjecto, qualiter in collacteam ejus Nannam inter lavandum conspectam, Balderus exarserit: hortatæq; ne eum, quamvis infestissimo odio dignum, armis lacesseret; semideum hunc esse testantes, arcano superùm semine procreatum. His acceptis, Hotherus labentis hospitii tegmine defectus, sub dio se relictum, totiusq; expertem umbraculi mediis repentè campis expositum conspicatur. Præcipuè verò puellarum præpetem fugam, lociq; versilem situm, ac fallacem ædis imaginem mirabatur. Ignorabat enim quæ circa se gesta fuerant, ludibrium tantum, inaneq; præstigiosarum artium extitisse commentum.

Unde rediens, Gevaro ordinem insecutæ errorem suum ludificationis exponit, filiamque ejus continuò postulavit. Cui Gevarus quàmlibentissimè se fauturum subjunxit, ni Balderi iram repulsâ contracturum metueret, priorem illum sibi consentaneas preces porrexisse testatus. Nam ne ferro quidem sacram corporis ejus firmitatem cedere perhibebat. Adjecit tamen, scire se gladium arctissimis obseratum claustris, quo fatum ei infligi possit.

HOTHERVS.

Hunc à Mimringo ſylvarum Satyro poſſideri. Eidem quoq; armillam eſſe, mirâ quadam arcanaq; virtute poſſeſſoris opes augere ſolitam. Horum præterea locorum aditum invium, ac impedimentis obfuſum, haud facilè mortalibus patère poſſe. Majorem ſiquidem itineris partem inuſitati frigoris vi perenniter obſideri. Jubet itaq; cervis jugalibus currum inſtruat, cujus celeritate eximio gelu rigentia juga traſcendat. Quò cùm pervenerit, tabernaculum ſuum ita à Sole averſum conſtituat, ut umbram ſpecus, cui Mimringus aſſueviſſet, excipiat, nec ipſum mutua tamen obumbratione contingat, ne Satyrum inſolitæ obſcuritatis jactus exitu deturbaret. Ita armillam enſemq; in expedito fore, quorum alterum opum, alterū belli fortuna comitaretur, in utroq; ingens poſſeſſori præmium eſſet. Hactenus Gevarus. Nec inerter Hotherus, quæ ab ipſo didicerat, executus, tabernaculo ad prædictum modum locato, noctu curas, interdiu venationes agebat. Utramq; temporis vicem pervigil exſomnisq; ducebat, ita diſcrimina lucis noctisq; partitus, ut hanc rerum meditationi tribueret, illam convectandis corporis alimentis impenderet. Cumq; fortè pernox attonita curis mente langueſceret, oberrantem tabernaculo ſuo Satyrum haſta petivit, obrutumq; ictu, nec ſatis fugæ potentem, vinculis intercepit. Ultima deinde per ſummam verborum atrocitatem minatus, enſem, armillasq; depoſcit. Nec ſegniter Satyrus ſalutis redemptionem, quæ ab ipſo petebatur, exhibuit. Adeò cunctis rebus prior eſt vita, cùm nihil apud mortales ſpiritu charius exiſtere ſoleat. Hotherus opum adeptione lætatus, patriam repetit, paucis, ſed inſignibus ſpoliis felix.

Quibus eum Gelderus Saxoniæ rex potitum comperiens, milites in tam illuſtris prædæ raptum, crebro concitabat hortatu. Paruit juventus regi, properanter inſtruens claſſem. Quod prævidens Gevarus, quippe divinandi doctiſſimus erat, induſtriaq; præſagiorum excultus, vocato Hothero, jubet congreſſuri ſecum Gelderi jacula patienter excipiat, non antè ſua remiſſurus, quàm hoſtem miſſilibus carere conſpiciat. Cæterùm roſtratas admoveat falces, quibus navigia lacerari, caſſidesq; & ſcuta militibus detrahi poſſint. Cujus conſilio obſequutus Hotherus, ſalutarē ejus exitum expertus eſt. Siquidem ad primos Gelderi impetus ſubſiſtere ſuos, ac corpora ſcutis protegere jubet, præſentis pugnæ victoriam patientiâ capeſſendam teſtatus. At hoſtis miſſilibus nulla ex parte cohibitis, iisdemq; per ſummam pugnandi cupiditatem effuſis, hoc avidius haſtas ac ſpicula torquere cœpit, quò Hotherum in his excipiendis patientius ſe gerere comperit. Quæ partim ſcutis, partim navigiis infixa rarum dedere vulnus, complura innoxia ac fruſtra videbantur excuſſa. Siquidem Hotheri milites regis imperium exequentes, receptam telorum vim conſertâ clypeorum teſtudine repellebant: nec rarus quidem eorum numerus erat, quæ levi ictu umbonibus impacta fluctibus incidebant. Quorum omnium copia vacuefactus Gelderus, dum eadem ab hoſtibus correpta, alacrius in ſe retorqueri conſpiceret, mali cacumen puniceo ſcuto complexus (indicium id pacis erat) ſaluti deditione conſuluit. Quem Hotherus amiciſſimo vultu, benigniſſimoq; ſermone exceptum, non minus humanitate quàm arte perdomuit.

Eâ tempeſtate Helgo Halogiæ rex, Cuſonis Finnorum Byarmorumq; principis filiam, nomine Thoram, crebræ legationis officio procabatur. Adeò quod per ſe minus validum eſt, alieni indigum noſcitur. Nam cùm ejus temporis juvenes matrimonii poſtulationem propria voce proſequendi conſuetudinem haberent, hic tanto oris vitio obſitus erat, ut non ſolum exteras, ſed etiam domeſticas aures erubeſceret. Adeò calamitas omnis conſcios vitat. Eò ſiquidem naturæ damna moleſtiora ſunt, quò liquidius patent. Hujus Cuſo legatione ſpretâ, conjugio indignum reſpondit, qui propria parum virtute ſubnixus, ad id impetrandū precaria mutuaretur officia. Quod audiens Helgo Hotherū quem politioris facundiæ noverat, ſuis favere ſtudiis obſe-

obſecrabat, alacriter ſe, quicquid is imperaſſet, executurum pollicitus. Ille ſedulâ juvenis ſupplicatione devictus, armatâ claſſe Norvagiam petit, quod verbis non poſſet, viribus peracturus. Cùmq; pro Helgone per ſummam eloquii ſvavitatem egiſſet, refert Cuſo, mentem filiæ conſulendam, ne quid contra nolentem, paterna videretur ſeveritate præſumptum. Accerſitamq; an proco allubeſceret, percontatus, annuentis Helgoni nuptias pollicetur. Igitur Hotherus obſeratas Cuſonis aures ad ea quæ precabatur exaudienda, rotundæ volubilisq; facundiæ dulcedine patefecit. HOTHERUS.

Quæ dum in Halogia geruntur, Balderus poſtulandæ Nannæ gratia Gevari fines armatus ingreditur. A quo cùm ipſius Nannæ mentem cognoſcere juberetur, exquiſitis verborum delinimentis puellam aggreſſus, cùm nullum votis locum efficere potuiſſet, repulſæ cauſam cognoſcere inſtitit. Quæ reſpondit, nuptiis Deum mortali ſociari non poſſe, quod ingens naturæ diſcrimen copulæ commercium tollat. Sed & ſuperos interdum pacta reſcindere ſolitos, ſubitoq; vinculum disjici, quod impares contraxiſſent. Neq; enim ſtabilem diſſonis ineſſe nexum, cùm apud excelſos humilium ſemper fortuna ſordeſcat. Præterea abundantiæ & egeſtatis dividuum contubernium eſſe, nec inter ſplendidas opes obſcuramq; pauperiem firma ſocietatis jura conſiſtere. Ad ultimum, ſupernis terreſtria non jugari, quæ tanto originis intervallo diſcors rerum natura ſecreverit, quòd à divinæ luculentia majeſtatis infinitum diſtet humana mortalitas. Hac reſponſi cavillatione eluſis Balderi precibus, detrectandi conjugii prudens argumenta texebat.

Quod cùm Hotherus ex Gevaro cognoſceret, multa ſuper Balderi petulantia, apud Helgonem querulus diſſerebat. Incerti ambo quid facto opus eſſet, variis ſententiam conſiliis agitabant. Amica ſiquidem in adverſis collocutio tametſi periculum non tollit, ægritudinem minuit. Inter cætera animi vota, fortitudinis ſtudio præponderante, manus claſſe cum Baldero conſeritur. Hominibus adverſum deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro, ſacraq; deûm agmina, propugnabant. Divinis humanisq; viribus permixtum aſpiceres bellum. At Hotherus tunica ferrum ſpernente ſuccinctus, confertiſſimos deorum cuneos irrumpebat, & quantum terrenus in ſuperna poterat, graſſabatur. Sed & Thoro inuſitato clavæ libratu cuncta clypeorum obſtacula lacerabat, tantum ad ſe inceſſendum hoſtes invitans, quantum ſocios ad tuendum. Nullum erat armaturæ genus, quod impellenti non cederet. Nemo ferientem tutò excipere poterat. Quicquid ictu arcebat, obruit. Non clypei, non caſſides impactum pertulere robur. Nulli corporis aut virium magnitudo ſubſidio fuit. Proinde victoria ad ſuperos conceſſiſſet, ni Hotherus inclinata ſuorum acie celerius advolans, clavam præciſo manubrio inutilem reddidiſſet. Quo telo defecti divi ſubitam dedere fugam. Inimicum opinioni eſſet, niſi fidem antiquitas faceret, deos ab hominibus ſuperari. Deos autem potius opinativè, quàm naturaliter dicimus. Talibus namq; non naturâ, ſed gentium more, divinitatis vocabulum damus.

Cæterùm Balderũ fuga curſu quæſita ſervavit. Cujus navigiis victores aut ferro laceratis, aut fluctu obrutis, non contenti deos viciſſe, claſſis reliquias ſævitiâ inſequuntur, earum jactura funeſtam belli cupidinem expleturi. Adeò plerumq; inſolentiam ſucceſſus exaſperat. Teſtis belli portus Balderi fugam vocabulo refert. Gelderum quoq; Saxoniæ Regem, eodem conſumptũ bello, remigum ſuorum cadaveribus ſuperjectum, ac rogo navigiis extructo impoſitum, pulcherrimo funeris obſequio extulit. Cineres ejus perinde ac regii corporis reliquias, non ſolum inſigni tumulo tradidit, verumetiam plenis venerationis exequiis decoravit. Poſt hæc, ne connubii ſpem ulterior rerum importunitas moraretur, repetito Gevaro, cupitis Nannæ complexibus fruitur. Deinde Helgonem ac Thoram plenis liberalitatis officiis proſequutus, novam Sveciæ nuptam advexit, cunctis tam venerabilis victoria, quàm Balderus ridiculus fuga.

HOTHERVS.

Quo tempore cum Sueonum magnates, solvendi tributi gratia Daniam petivissent, ob egregia patris merita, à popularibus loco regio cultus, fallax fortunæ lenocinium expertus est. Siquidem à Baldero, quem paulò ante devicerat, prælio superatus, ad Gevarum decurrere necesse habuit, victoriâ post regnum amissâ, quam privatus adeptus fuerat. Victor Balderus, ut afflictum siti militem opportuni liquoris beneficio recrearet, novos humi latices terram altius rimatus aperuit. Quorum erumpentes scatebras sitibundum agmen hianti passim ore captabat. Eorundem vestigia sempiterno firmata vocabulo, quanquam pristina admodum scaturigo desierit, nondum prorsus exolevisse creduntur. Idem larvarum Nannæ speciem simulantium continua noctibus irritamenta perpessus, adeò in adversam corporis valetudinem incidit, ut ne pedibus quidem incedere posset. Quamobrem bigâ rhedave emetiendorum itinerum consvetudinem habere cœpit. Tanta amoris vi suffusum pectus, ad extremam penè tabem eum redegerat. Nihil enim sibi victoriam dedisse credidit, cujus Nanna præda non fuerit. Frø quoq; deorum satrapa sedem haud procul Upsala cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus ac seculis usurpatum, tristi infandoq; piaculo mutavit. Siquidem humani generis hostias mactare aggressus, fœda superis libamenta persolvit.

Inter hæc Hotherus defectam ducibus Daniam, Hiartvarumq; celeres perempti Rolvonis pœnas dedisse cognoscens, quod vix spe complecti posset, casu sibi collatum dicebat. Nam & Rolvonem, quem, quòd ab ejus patre suum interfectum meminisset, vitâ spoliare debuerat, aliena opera supplicium luisse, & sibi potiendæ Daniæ copiam insperato rerum beneficio patuisse. Quippe regnum ejus avito sibi jure competere, si rite majorum stemmata revolvantur. Inde Sialandiæ portum Isoram ingenti classis numero occupat, imminentis fortunæ beneficio usurus. Ubi Rex ab occurrente sibi Danorum populo constitutus, paulò post Atisli fratris, quem Svetis præesse jusserat, excessu cognito, Sveticum Danico imperium sociat. Cæterum Atislum mors ignominiosa consumpsit. Dum enim Rolvonis inferias per summam animi hilaritatem convivio celebraret, potione avidius sumptâ, subito fine sordidæ intemperantiæ pœnas pependit. Ita dum alienum fatum impensioribus lætitiæ modis excolit, proprium irrumpere coëgit.

Balderus quoq; classe Sialandiam petens, cùm & armis celeber, & majestate conspicuus haberetur, Hothero Svetiam tenente, quicquid super regni fastigio postulabat, promptissimis Danorum suffragiis impetravit. Tam ancipiti censurâ majorum nostrorum sententia fluctuata est. Huic Hotherus à Svetia regressus infestum intulit bellum. Acerrimum imperii cupidis de rerum summa certamen incesserat. Eidem Hotheri fuga finem imposuit. Qui cùm in Jutiam concessisset, vicum in quo manendi usum habuit, nomine suo nuncupandum curavit. Ubi hybernis peractis, solitarius incomitatusq; Svetiam repetit. Ibi magnatibus accersitis, ob infelices rerum cursus, quibus ipsum Balderus bis victor afflixerat, lucis ac vitæ pigere se dixit. Deinde consalutatis omnibus, difficilia aditu loca devio calle sectatus, expertes humani cultus indagines perlustrabat. Fit enim ut quibus insolabilis animi dolor inciderit, obscuros externosq; secessus, quasi quoddam pellendæ tristitiæ remedium captent, nec magnitudinem mœroris inter humanos queant tolerare convictus. Adeò plerumq; amica est ægritudini solitudo. Præcipuè enim illuvies ac squalor delectant, quos adversa animi valetudo concusserit. Consueverat autem in editi montis vertice consulenti populo plebiscita depromere. Quamobrem venientes occultantis se regis inertiam causabantur, absentiaq; ejus gravissimis omnium querelis lacerata est.

At Hotherus extrema locorum devia pervagatus, insvetumq; mortalibus nemus emensus, ignotis fortè virginibus habitatum reperit specum. Easdem esse constabat, quæ eum insecabili veste quondam donaverant. A quibus cur eo locorum venerit interrogatus, infaustos belli declarat eventus. Itaq;

fide

fide earum damnata, gestarum infeliciter rerum fortunam tristesq; casus deflere cœpit, secus sibi cessisse questus, quàm ab ipsis promissum accepit. At nymphæ eum, quanquam rarò victor extitetit, æquam tamen hostibus cladem ingessisse dicebant, nec minoris stragis autorem fuisse quàm complicem. Cæterùm in expedito victoriæ gratiam fore, si inusitatæ cujusdam svavitatis edulium augendis Balderi viribus excogitatum præripere potuisset. Nihil enim factu difficile futurum, dummodo hosti in augmentum roboris destinato potiretur obsonio.

HOTHERVS.

Ex quarum dictis, Hotherus promptissimam inferendi Baldero belli fiduciam mente præsumpsit, quanquam deos armis incessere terrenis arduum nisibus videretur. Fuere quoq; ex suis qui illum tutò bellum cum superis commissurum negarent. At illi infinitus animi calor respectum majestatis ademerat. Apud fortes enim non semper impetum ratio subruit, aut consilio temeritas succumbit. Vel fortasse meminerat Hotherus excellentissimis viris incertissimam extare potentiam, exiguamq; glebam ingentes arietare currus. »

Contrà Balderus Danis in arma contractis, Hotherum acie excipit. Ingenti utrinq; clade gesta, ac ferè pari partium strage edita, nox prælium solvit. Cujus tertio fermè pervigilio Hotherus clàm cunctis res hostium exploraturus egreditur. Somnum quippe ejus profecta ab imminenti discrimine cura discusserat. Ita plerumq; ingens animi motus quieti corporis adversatur, nec alterius requiem unius inquietudo patitur. Igitur in hostium castra perveniens, tres nymphas arcanæ dapis gerulas Balderi castris excessisse cognoscit. Quas cursim insequens (nam earum fugam roscida prodidere vestigia) tandem tecta quibus assueverant subit. Igitur ab his quisnam esset rogatus, citharœdum se dixit. Nec experimentum professioni dissonum fuit. Oblatam namq; chelyn inflexis ad musam nervis, compositisq; plectro fidibus moderatus, gratum auribus melos promptissima modulatione fundebat. Cæterùm tres illis colubræ fuere, quarum tabo solidativæ confectionis epulum Baldero temperare solebant. Jamq; anguium aperto ore multa pulmento sanies influebat. Sed & nympharum quædam humanitatis studio Hotherum epulo compertivissent, ni trium maxima vetuisset, fraudem Baldero fieri protestans, si ipsius hostem corporei roboris incrementis auxissent. Ille se non Hotherum, sed Hotheri comitem dicebat. Eædem namq; nymphæ accurati nitoris cingulum potentemq; victoriæ zonam clementi benignitate ei largitæ sunt.

Qui cum pristinum iter remetiendo calle quo venerat repedaret, obvii sibi Balderi latus hausit, eumq; seminecem prostravit. Quo militibus nunciato, totis Hotheri castris alacer exultantium clamor insonuit, Danis Balderi fortunam publico mœrore prosequentibus. Qui cùm indubitatum sibi fatum imminere sentiret, dolore vulneris accensus, die postera prælium renovat. Quo fervente, lectica se in aciem deferri jussit, ne intra tabernaculum obscura morte defungi videretur. Postera nocte eidem Proserpina per quietem astare aspecta, postridie se ejus complexu usuram denunciat. Nec inane somnii præsagium fuit. Nam Balderum elapso triduo, nimius vulneris cruciatus absumbsit. Cujus corpus exercitus regio funere elatum, facto colle condendum curavit.

Hunc quidam nostri temporis viri, quorum præcipuus Haraldus erat, vigente veteris sepulturæ famâ, spe reperiendæ pecuniæ noctu adorti, repentino cœptum horrore liquerunt. Ex ipso namq; perrupti montis cacumine subita torrentis vis, magno aquarum strepito prorumpere videbatur, cujus rapidior moles incitatissimo lapsu subjectis infusa campis quicquid offendebat involveret. Ad cujus impetum deturbati fossores, abjectis ligonibus, variam carpsere fugam, irruentis aquæ vorticibus implicandos se rati, si cœptum diutius exequi niterentur. Ita à diis loci illius præsidibus incussus subitò metus, juvenum animos avaritia abstractos, ad salutis curam convertit, neglectoq; cupiditatis proposito, vitæ studiosos esse docuit. Hujus autem scaturiginis speciem adumbratam, non veram fuisse constat, nec ab imis terræ visceribus genitam, sed præstigio-

HOTHERUS.

stigiosa quadam administratione productam, cùm in arido liquidos manare fontes natura non sinat. Omnes hunc posteri collem, ad quos fractionis ejus fama transierat, intentatum liquêre. Quamobrem an quicquam opum contineat, parum compertum, cum nemo opacam ejus crepidinem, obstante periculi metu, post Haraldum tentare præsumpserit.

At Othinus, quanquam deorum præcipuus haberetur, divinos tamen & aruspices, cæterosq; quos exquisitis præscientiæ studiis vigere compererat, super exequenda filii ultione solicitat. Plerumq; enim humanæ opis indiga est imperfecta divinitas. Cui Rostiophus Phinnicus, alium ex Rinda Ruthenorum regis filia suscitandum prædixit, qui fraternæ cladis pœnas exigere debeat. Deos siquidem consortis sui ultionem orituri fratris officio destinasse. Hoc audito, Othinus os pileo, ne cultu proderetur, obnubens, prædictum regem stipendia meriturus accedit. A quo magister militum effectus, recepto exercitu, pulcherrimam ex hostibus victoriam retulit. Quem rex ob pugnam strenuè editam, in primum amicitiæ gradum adscivit, haud parcius donis, quàm honoribus cultum. Idem post parvulum temporis intervallum, solus hostium acies in fugam propulit, mirificæq; cladis auctor pariter ac nuncius rediit. Admirationi omnibus erat, quod tanta de innumeris strages unius accipi viribus potuisset. Quibus meritis fretus Othinus, tacitè regem amoris sui conscium facit. Cujus benignissimo favore recreatus, dum à puella osculum peteret, alapam recepit. Nec eum aut contumeliæ deformitas, aut injuriæ dolor, proposito depulit.

Postero siquidem anno, ne quod avidè orsus erat, ignominiosè desereret, peregrinâ veste sumpta, regis contubernium repetit. Neq; enim facilè ab occurrentibus dignosci poterat, cùm veras oris notas falsus squalor abstergeret, veterem habitum nova furaretur illuvies. Rosterum se vocitari, fabriliumq; rerum opificio callere perhibuit. Itaq; multiplices rerum formas speciosissimis æris lineamentis complexus adeò professionem artificio commendavit, ut recepto à rege magni ponderis auro, matronarum ornamenta procudere juberetur. Igitur complura fæminei cultus insignia fabricatus, tandem armillam cæteris operosius expolitam, annulosq; complures pari studio decussatos puellæ præbuit. Sed nullis flecti meritis indignatio potest. Quem Rinda basium sibi porrigere cupientem, colapho percussit. Minus enim acceptantur dona quæ præstat invisus: sanè gratiora sunt, quæ ab amicis porriguntur. Adeò interdum ex offerente oblati precium pendet. Non dubitavit enim pervicacis animi puella, quin subdolus senex libidinis aditum ficta liberalitate captaret. Præterea acre eidem æquè ac intractabile ingenium fuit. Siquidem dolum obsequio instrui, donorumq; studio flagitiis votum subesse cognovit. Quam pater plurimum objurgare, quòd nuptias detrectaret, aggressus. Illa senile perosa connubium, teneris puellarum annis præproperos deberi complexus negabat, ab infirmioris ætatis excusatione respuendarum nuptiarum subsidium mutuata.

At Othinus nihil amantium studiis perseverantiæ robore efficatius expertus, quanquam geminæ repulsæ ignominiâ affectus fuisset, tertiò Regem priori specie confusa, perfectissimam rei militaris industriam professus accessit. Eundem in hanc curam non voluptas modò, sed etiam demendæ ignominiæ cupido perduxerat. Ita præstigiarum peritis versili vultu varios habitus præ se ferendi promptissima quondam potestas incesserat. Quippe præter naturalem corporis speciem, cujuslibet ætatis statum simulare callebant. Igitur senex jocundum professionis suæ spectaculum editurus, inter promptissimos insolentius obequitare solebat. Nec eo quidem officii genere puellæ rigor inflecti potuit. Vix siquidem animus sincerè in gratiam redit, cum quo vehemens semel odium gessit. Quam cùm discessurus osculo petere vellet, ita ab ea propulsus est, ut mentum terræ nutabundus impingeret. Quam protinus cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti similem reddidit, receptam toties injuriam modesto ultionis genere insequutus. Ad-

HOTHERVS.

Adhuc tamen propositum exequi non cunctatus, [quippe spem ejus fiducia majestatis inflaverat,] puellari veste sumptâ, quartò regem viator indefessus petivit. A quo receptus non modo sedulum se, sed etiam importunum exhibuit. Qui quod muliebriter propemodum cultus esset, à plerisq; fœmina credebatur. Cæterùm se vocabulo Wecham, arte medicam testabatur; professionem quoq; promptissimis commendabat officiis. Tandem in reginæ famulitium adscitus, puellæ pedissequam egit. Cujus etiam pedum sordes serotinis horis abluere solebat. Licebat quoq; lympham pedibus ministranti suras ac superiores femorum partes contingere. At quoniam vario fortuna passu graditur, quod arte promptum non erat, in expedito casus constituit. Accidit enim puellam corporis firmitate defectam, circumspectis morbi remediis, in salutis præsidium manus, quas ante damnaverat, advocare; quemq; semper fastidio habuerat, servatorem adsciscere. Qui curiosius cuncta doloris indicia perscrutatus, ut morbo quamprimum occurreretur, medicatâ potione utendum asseruit. Cæterùm ejus temperamenti tantam acerbitatem fore, ut nisi puella vinculis se continendam dedisset, curationis vim perferre non posset. Ab intimis enim fibris, morbi propulsandam esse materiam. Quo pater audito, filiam vincire non distulit, injectamq; toro ad omnia, quæ medicus admovisset, patientiam præstare jussit. Fallebat illum fœminei species cultus, quo senex ad obumbrandam artis suæ pervicaciam utebatur: quæ res medicamenti speciem ad stupri licentiam transtulit. Medicus namq; Veneris occasione sumptâ, mutato curationis officio, prius ad exercendæ libidinis, quàm pellendæ febris negocium procurrit, adversâ puellæ valetudine usus, cujus inimicam sibi incolumitatem expertus fuerat. Aliam quoq; ea de re opinionem subtexere non pigebit. Ajunt enim quidam, quod cùm rex laborantem amore medicum tanto animi ac corporis impendio nihil profecisse cognosceret, ne benè meritum debita mercede fraudaret, clandestino filiæ concubitu potiri permiserit. Adeò interdum paterna in prolem grassatur impietas, cùm naturæ clementiam violenta corrumpit affectio. Quem errorem edito filiæ partu plena ruboris pœnitentia insecutus est.

At dii, quibus præcipua apud Byzantium sedes habebatur, Othinum variis majestatis detrimentis divinitatis gloriam maculasse cernentes, collegio suo submovendum duxerunt. Nec solùm primatu ejectum, sed etiam domestico honore cultuq; spoliatum proscribendum curabant; satius existimantes probrosi antistitis potentiam subrui, quàm publicæ religionis habitum prophanari, ne vel ipsi alieno crimine implicati, insontes nocentis crimine punirentur. Videbant enim apud eos, quos ad deferendos sibi divinitatis honores illexerant, vulgato majoris Dei ludibrio, obsequium contemptu, religionem rubore mutari, sacra pro sacrilegio duci, statas solennesq; cerimonias puerilium deliramentorum loco censeri. Mors præ oculis, metus in armis erat, & in omnium caput unius culpam recidere putares. Hunc itaq; nè publicam religionem exulare cogeret, exilio mulctantes, Ollerum quendam non solùm in regni, sed etiàm in divinitatis infulas subrogavêre; tanquam deos ac reges creare in æquo positum foret. Quem licet persunctoriè flaminem creavissent, integro rerum honore donabant, ne alieni officii procurator, sed legitimus dignitatis adverteretur esse successor. Et ne quid amplitudinis deesset, Othini quoq; ei nomen imponunt, vocabuli favore invidiam novitatis exclusuri. Quo denis fermè annis divini senatus magistratum gerente, tandem Othinus, diis atrocitatem exilii miserantibus, satis jam graves pœnas dedisse visus, squaloris deformitatem pristino fulgoris habitu permutavit. Jam enim superioris infamiæ notam medii temporis intervallum exederat. Extitere tamen qui ipsum recuperandæ dignitatis aditu indignum censerent, quod scœnicis artibus, & muliebris officii susceptione teterrimum divini nominis opprobrium edidisset. Sunt qui asserant eum quosdam deorum adulando, quosdam præmiis permulcendo, amissæ majestatis fortunam pecuniâ emercatum fuisse, & ad hono-

HOTHERVS.

res quibus jampridem defunctus fuerat, ingentis ſummæ precio reditum comparaſſe. Quos ſi quanti emerit rogas, illos conſule, qui quanti divinitas væneat didicerunt. Mihi minus conſtare fateor. Igitur Ollerus ab Othino Byzantio pulſus, in Svetiam conceſſit: ubi veluti novo quodam orbe opinionis ſuæ monumenta reſtaurare conniſus, à Danis interſectus eſt. Fama eſt illum adeò præſtigiarum uſum calluiſſe, ut ad trajicienda maria oſſe, quod diris carminibus obſignaviſſet, navigii loco uteretur, nec eo ſegnius quàm remigio præjecta aquarum obſtacula ſuperaret.

At Othinus recuperatis divinitatis inſignibus, tanto opinionis fulgore cunctis terrarum partibus enitebat, ut eum perinde ac redditum mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus orbis locus extaret, qui numinis ejus potentiæ non pareret. Qui cum filium Boum, quem ex Rinda ſuſtulerat, bellici laboris ſtudioſum cognoſceret, accerſitum fraternæ cladis memorem eſſe jubet, potius à Balderi interfectoribus ultionem exacturum, quàm armis innoxios oppreſſurum; quòd aptior ac ſalubrior pugna competeret, ubi pium belli locum juſta vindictæ licentia tribuiſſet.

Interea Gevarus Gunnonis ſatrapæ ſui dolo nunciatur oppreſſus. Cujus cladem Hotherus acerrimis ultionis viribus inſequuturus, interceptum Gunnonem atq; ardenti pyræ injectum cremavit, quòd ipſe Gevarum antè per inſidias occupatum nocturno vivum igni conſumpſerat. Taliter educatoris manibus parentando, filios demum Herletum Geritumq; Norvagiæ prætulit.

Poſt hæc, vocatis in concionem majoribus, bello quo Boum excipere debeat, periturum ſe refert, idq; non dubiis conjecturæ modis, ſed veris vatum prædictionibus expertum. Orat proinde filium ſuum Røricum regno præficiant; ne jus hoc ad externas ignotasq; familias improborum cenſura transfunderet: plus voluptatis ſe ex filii ſucceſſione, quàm amaritudinis ex propinquâ morte percepturum teſtatus. Quo ocyus impetrato, pugna cum Boo congreſſus occiditur. Nec jocunda Boo victoria extitit. Quippe tam graviter affectus acie exceſſit, ut ſcuto exceptus, atq; à peditibus viciſſim ſubeuntibus domum relatus, poſtridie vulnerum dolore conſumeretur. Cujus corpus magnifico funeris apparatu Rutenus tumulavit exercitus, nomine ejus inſignem extruens collem, ne tanti juvenis monumenta à poſterorum memoria citius dilaberentur.

Igitur Curetes ac Sveones, perinde ac Hotheri morte tributariæ ſortis onere liberati, Daniam, quam annuis vectigalium obſequiis amplecti ſolebant, armis aggredi animum induxerunt. Ea res Sclavis quoq; defectionis audaciam miniſtravit; aliosq; complures ex obſequentibus hoſtes effecit. Cujus injuriæ propulſandæ gratia Røricus contractam in arma patriam, recenſitis majorum operibus, ad capeſſendam virtutem impenſo hortationis genere concitabat. At Barbari ne bellum abſq; duce committerent, capite opus eſſe cernentes, creato ſibi rege, cæteris militiæ viribus oſtenſis, obſcuriore loco binos armatorum manipulos condunt. Nec Røricum inſidiæ fefellère. Qui cùm claſſem ſuam vadoſi cujusdam gurgitis arctis faucibus inhærere conſpiceret, harenis, quibus inſidebat, abſtractam profundo adegit, ne limoſis inflicta paludibus, diverſâ ab hoſtibus parte peteretur. Præterea latebras ſociis interdiu captandas conſtituit, quibus inſiſtentes, ex improviſo navium ſuarum irruptoribus inſultarent, fore poſſe præfatus, ut in auctorum caput propriæ fraudis eventus recideret. Barbari vero qui inſidiis addicti fuerant, Danicæ circumſpectionis ignari, irruptione temerè editâ, omnes oppreſſi ſunt, Reliqua Sclavorum manus ignoratâ ſociorum ſtrage, ſuper Rørici morâ multâ anceps admiratione pendebat. Quem inter ægras mentium fluctuationes diutulè expectatum cùm præſtolatio indies moleſtior fieret, claſſe tandem petendum ducebat.

Erat autem inter eos vir corporis habitu inſignis, officio magus. Qui proſpectis Danorum turmis, ut paucorum impendio, inquit, complurimum peri-

pericula redimantur, publicam ſtragem privato diſcrimine præcurrere liceat. Ego verò in hanc confligendi legem non deero, ſi cui veſtrûm mutuus decernendi mecum auſus inceſſerit. In primis autem prætaxatâ à me conditione utendum poſtulo, cujus talem ſanè formulam texui: ſi vicero, vectigalium nobis concedatur immunitas: ſi vincar, priſtina vobis tributa ſolvantur. Aut enim hodiè patriam ſervitutis jugo victor exuam, aut victus involvam. In utramq; fortunam prædem me vademq; recipite. Quod audiens Danorum quidam, animi quàm corporis viribus robuſtior, percunctari Røricum cœpit, quid ei præmii foret, qui pugnâ provocantem exciperet? At Røricus cum ſenas fortè armillas haberet, ita mutuis nexibus involutas, ut ab invicem ſequeſtrari nequirent, nodorum inextricabiliter ſerie cohærente, eaſdem certamen audenti in præmium pollicetur. At juvenis parum fortunæ certus, ſi, inquit, Røice, rem proſperè geſſero, tua vincentis mercedem liberalitas æſtimet, tu palmam arbiter metiaris: ſin propoſitum mihi parum ex ſententia ceſſerit, quid victo præmii debes, quem aut ſæva mors, aut ignominia gravis involvet? Has imbecillitas habere comites conſuevit, hæc ſuperatorum ſtipendia ſunt, quos quid niſi extremum dedecus manet? Quænam ſolvenda merces, quæ gratia referenda, cui fortitudinis precium abeſt? Quis impotentem Martis hederâ redimivit, præmiis victricibus decoravit? Virtuti, non ignaviæ palma tribuitur. Gloriâ infelicitas caret. Illam quippe triumphus laudis, hanc aut finis iners, aut vita deformis inſequitur. Ego verò, qui quorſum duelli fortuna vergat ambigo, præmium audacter expetere non præſumo, quod an jure mihi debeatur ignoro. Neq; enim incerto victoriæ, certum victoris præmium occupare conceditur. Superſedeo trophæi dubius coronæ conſtanter meritum flagitare. Recuſo lucrum, quod mihi mortis æquè ac vitæ ſtipendium eſſe poterit. Stoliditatis eſt immaturo fructui manus injicere, eumq; decerpere velle, quem necdum quis ſatis ſibi debitum noverit. Hæc manus aut palmam mihi præſtabit, aut finem. Hæc fatus, gladio barbarum ferit, fortunâ minus, quàm ingenio promptus. Ab eo ſiquidem repercuſſus, primi ictus magnitudine exanimatus eſt. Quo triſte Danis ſpectaculum dante, victorem ſocium Sclavi ingenti donatum pompâ, magnificis excepere tripudiis. Idem die poſterâ ſive recentis victoriæ ſucceſſu elatus, ſive alterius adipiſcendæ cupidine accenſus, hoſtes comminùs aditos priſtinæ provocationis verbis laceſſere inſtitit. Fortiſſimum namq; Danorum à ſe proſtratum ratus, nemini illorum ſecum ulterius provocatione dimicandi ſpiritum ſupereſſe credebat. Unius quoq; pugilis occaſu, totius ſe exercitus vires labefactaſſe confiſus, nihil ad quod poſteriores ſui conatus intenderent, executione difficile arbitrabatur. Nihil enim ſucceſſu magis inſolentiam nutrit, nec ullum proſperitate efficacius ſuperbiæ incitamentum eſt.

XV. RØRICVS.

Dolebat itaq; Røricus unius viri petulantiâ publicam labefactari virtutem, illuſtreſque victoriis Danos, non modò à quondam victis inſolenter excipi, verum etiam ignominioſè contemni. Præterea neminem ita animo promptum, aut manu ſtrenuum in tanto militum numero reperiri, cui ſalutem ſuam pro patria devovendi cupido ſuppeteret. Tam probroſam Danicæ cunctationis infamiam prima Ubbonis magnanimitas repulit. Præſtabat etenim corpore, incantandi artibus pollens. Huic quoq; de induſtria certaminis præmium perquirenti, Rex armillas ſpopondit. Tum ille, quam (inquit) promiſſo fidem deferam, cùm ipſe pignus in manibus habeas, nec ſub alienâ munus cuſtodia deponas? Præſtò ſit, cui pignoris depoſitum credas, ne promiſſum retractandi fas ſit. Accendit enim pugillum animos irrevocabilis præmii certitudo. Quod eum profectò per ludibrium dixiſſe conſtabat, quem in propulſandam patriæ contumeliam ſola virtus armaverat. Quem Røricus auri cupidine captum ratus, ne præter regiam conſvetudi-

nem

RØRICVS.

nem revocaturus donum, aut promissum rescissurus videretur, ut erat in navigio collocatus, armillas ingenti excussas jactu petitori porrigere statuit. Sed conatum ejus fefellit interstitii magnitudo. Armillæ enim languido, ac parum vegeto motu, citra destinatum locum, collapsæ fluctibus interceptæ sunt, unde Rørico Slyngebond inolevit agnomen. Quæ res Ubboni magno virtutis indicio fuit. Neq; enim eum obrutæ mercedis damnum audaci mentis proposito exuit, ne virtutem avaritiæ stipendiis obnoxiam fecisse videretur. Igitur avidè petito certamine, se potius honestati intentum, quàm quæstui deditum, pecuniæ cupiditati fortitudinem prætulisse monstrabat, fiduciam sui non in precio, sed magnanimitate repositam ostensurus. Nec mora, circulatur campus, milite circus stipatur, concurrunt pugiles, fit fragor, fremit spectatrix turba votorum suffragiis discors. Excandescunt igitur athletæ animis, & mutuis in vulneribus ruentes, eundem lucis ac pugnæ exitum sortiuntur. Credo procurante fortunâ, ne alter alterius exitio gloriam voluptatemq; perciperet. Quæ res Rørico rebellium animos conciliavit, tributaq; restituit.

Eodem tempore Horvvendillus & Fengo, quorum pater Gervvendillus Jutorum præfectus extiterat, eidem à Rørico in Jutiæ præsidium surrogantur. At Horvvendillus triennio tyrannide gesta, per summam rerum gloriam piraticæ incubuerat, cùm Rex Norvagiæ Collerus operum ejus ac famæ magnitudinem æmulatus, decorum sibi fore existimavit, si tam latè patentem piratæ fulgorem superior armis obscurare quivisset. Cujus classem variâ fretum navigatione scrutatus offendit. Insula erat medio sita pelago, quam piratæ collatis utrinq; secus navigiis obtinebant. Invitabat duces jocunda littorum species: hortabatur exterior locorum amœnitas interiora nemorum verna perspicere, lustratisq; saltibus secretam sylvarum indaginem pererrare. Ubi fortè Collerum Horvvendillumq; invicem sine arbitris obvios incessus reddidit. Tunc Horvvendillus prior Regem percontari nisus, quo pugnæ genere decernere libeat, præstantissimum affirmans, quod paucissimorum viribus ederetur. Duellum siquidèm ad capessendam fortitudinis palmam omni certaminis genere efficacius fore, quod propriâ virtute subnixum, alienæ manus opem excluderet. Tam fortem juvenis sententiam admirans Collerus, cùm mihi, inquit, pugnæ delectum permiseris, maximè utendum judico, quæ tumultuationis expers duorum operam capit. Sanè & audacior, & victoriæ promptior æstimatur. In hoc communis nobis sententia est, hoc ultrò judicio convenimus. At quoniam exitus in dubio manet, invicem humanitati deferendum est, nec adeò ingeniis indulgendum, ut extrema negligantur officia. Odium in animis est, adsit tamen pietas, quæ rigori demum opportuna succedat. Nam etsi mentium nos discrimina separant, naturæ tamen jura conciliant. Horum quippe consortio jungimur, quantuscunq; animos livor dissociet. Hæc itaq; pietatis nobis conditio sit, ut victum victor inferiis prosequatur. His enim supremæ humanitatis officia inesse constat, quæ nemo pius abhorruit. Utraq; acies id munus, rigore deposito, concorditer exequatur. Facessat post fatum livor, simultasq; funere sopiatur. Absit nobis tantæ crudelitatis specimen, ut quanquam vivis odium intercesserit, alter alterius cineres persequamur. Gloriosum victori erit, si victi funus magnificè duxerit. Nam qui defuncto hosti justa persolverit, superstitis sibi favorem ascîscit, vivumq; beneficio vincit, quisquis extincto studium humanitatis impenderit. Est & alia non minus luctuosa calamitas, quæ vivis interdum damnata corporum parte contingit. Huic non segnius quàm ultimæ sorti succurrendum existimo. Sæpè enim incolumi spiritu membrorum clades pugnantibus incidit: quæ sors omni fato tristior duci solet, quòd mors omnium memoriam tollat, vivens verò proprii corporis stragem negligere nequeat. Hoc quoq; malum ope excipiendum est. Conveniat igitur alterius ab altero læsionem denis auri talentis sarciri. Nam si pium est alienis calamitatibus compati, quantò magis propriis misereri? Nemo naturæ non consulit: quam qui negligit, sui parricida est.

In

In hæc datâ acceptâq; fide, pugnam ineunt. Neq; enim eis aut mutui occurſus novitas, aut vernantis loci jucunditas, quo minus inter ſe ferro occurrerent, reſpectui fuit. Horvvendillus appetendi hoſtis, quàm muniendi corporis nimio animi calore avidior redditus, neglectâ clypei curâ, ambas ferro manus injecerat. Nec audaciæ eventus defuit. Collerum ſiquidem ſcuto crebris ictibus abſumpto ſpoliatum, deſecto tandem pede exanimem occidere coëgit. Quem, ne pacto abeſſet, regio funere elatum, magnifici operis tumulo, ingentiq; exequiarum apparatu proſequutus eſt. Deinde ſororem ejus Selam nomine, piraticis exercitam rebus, ac bellici peritam muneris perſequutus occidit.

RORICVS.

Triennium fortiſſimis militiæ operibus emenſus, opima ſpolia, delectamq; prædam Rørico deſtinat, quo ſibi propiorem amicitiæ ejus gradum conſciſceret. Cujus familiaritate fultus, filiæ ejus Geruthæ connubium impetravit, ex qua filium Amlethum ſuſtulit.

Tantæ felicitatis invidiâ accenſus Fengo, fratrem inſidiis circumvenire conſtituit. Adeò ne à neceſſariis quidem ſecura eſt virtus. At ubi datus parricidio locus, cruenta manu funeſtam mentis libidinem ſatiavit. Trucidati quoq; fratris uxore potitus, inceſtum parricidio adjecit. Quiſquis enim uni ſe flagitio dederit, in aliud mox proclivior ruit: ità alterum alterius incitamentum eſt. Idem atrocitatem facti tantâ calliditatis audaciâ texit, ut ſceleris excuſationem benevolentiæ ſimulatione componeret, parricidiumq; pietatis nomine colorarett. Gerutham ſiquidem, quanquam tantæ manſuetudinis eſſet, ut neminem vel tenui læſione commoverit, incitatiſſimum tamen mariti odium expertam, ſalvandæq; ejus gratiâ fratrem à ſe interfectum dicebat, quod mitiſſimam & ſine felle fœminam graviſſimum viri ſupercilium perpeti indignum videretur. Nec irrita propoſiti perſvaſio fuit. Neq; enim apud principes fides mendacio deeſt, ubi ſcurris interdum gratia redditur, obtrectatoribus honos. Nec dubitavit Fengo, parricidales manus flagitioſis inferre complexibus, geminæ impietatis noxam pari ſcelere proſequutus.

Quod videns Amlethus, ne prudentiùs agendo patruo ſuſpectus redderetur, ſtoliditatis ſimulationem amplexus, extremum mentis vitium finxit; eoq; calliditatis genere non ſolum ingenium texit, verumetiam ſalutem defendit. Quotidie maternum larem pleno ſordium torpore complexus, abjectum humi corpus obſcœni ſqualoris illuvie reſpergebat. Turpatus oris color, illitaq; tabo facies ridiculæ ſtoliditatis dementiam figurabant. Quicquid voce edebat, deliramentis conſentaneum erat. Quicquid opere exhibuit, profundam redolebat inertiam. Quid multa? Non virum aliquem, ſed delirantis fortunæ ridendum diceres monſtrum. Interdum foco aſſidens, favillasq; manibus verrens, ligneos uncos creare, eoſdemq; igni durare ſolitus erat: quorum extrema contrariis quibuſdam hamis, quo nexuum tenaciores exiſterent, informabat. Rogatus quid ageret, acuta ſe referebat in ultionem patris ſpicula præparare. Nec parvo reſponſum ludibrio fuit, quòd ab omnibus ridiculi operis vanitas contemneretur, quanquam ea res propoſito ejus poſtmodum opitulata fuerit. Quæ ſolertia apud altioris ingenii ſpectatores primam ei calliditatis ſuſpicionem injecit. Ipſa namque exiguæ artis induſtriâ arcanum opificis ingenium figurabat. Nec credi poterat obtuſi cordis eſſe, qui tam exculto manus artificio calluiſſet. Deniq; exactiſſima cura præuſtorum ſtipitum congeriem aſſervare ſolebat. Fuêre ergo qui illum vegetioris ingenii aſſerentes, ſapientiam ſimplicitatis prætextu occulere, profundumq; animi ſtudium calliditatis commento obſcurare putarent, nec aptius aſtum deprehendi poſſe, quàm ſi illi inter latebras uſquam excellentis formę fœmina applicaretur, quæ animum ejus ad amoris illecebras provocaret. Naturæ ſiquidem tam præceps in Venerem eſſe ingenium, ut arte diſſimulari non poſſit: vehementiorem quoq; hunc motū fore, quàm ut aſtu interpellari queat: ideoq;, ſi is inertiā fingeret, futurum, ut occaſione ſuſceptâ, voluptatis illico viribꝰ

obtem-

RORICUS. obtemperaret. Procurantur igitur qui juvenem in longinquas nemorum partes equo perductum, eo tentamenti genere aggrederentur. Inter quos fortè quidam Amlethi collacteus aderat, à cujus animo nondum ſociæ educationis reſpectus exciderat. Hic præteriti convictus memoriam præſenti imperio anteponens, Amlethum inter deputatos comites, inſtruendi potius quàm inſidiandi ſtudio proſequebatur, quòd eum ultima paſſurum non dubitaret, ſi vel modicum ſenſati animi indicium præbuiſſet, maximè verò ſi Veneris palàm rebus uteretur. Quod ipſi quoq; Amletho obſcurum non fuit. Equum ſiquidem conſcendere juſſus, ita ſe de induſtria collocavit, ut ſuum ipſius cervici dorſum obvertens, adverſa caudam fronte ſpectaret. Quam frenis quoq; complecti cœpit, perinde atq; ea parte ruentis equi impetum moderaturus. Qua aſtutiæ meditatione patrui commentum illuſit, inſidias expugnavit. Ridiculum ſatis ſpectaculum fuit, cum idem habenæ expers, regente caudam ſeſſore procurreret.

Procedens Amlethus, cum obvium inter arbuſta lupum habuiſſet, comitibus tenerioris ætatis equum occuriſſe dicentibus, perpaucos hujuſmodi in Fengonis grege militare ſubjunxit, ut modeſto, ita faceto imprecationis genere patrui divitias inſequutus. Qui cum illum prudenti reſponſo uſum aſtruerent, ipſe quoq; ſe de induſtriâ locutum aſſeverabat, ne aliqua ex parte mendacio indulgere videretur. Falſitatis enim alienus haberi cupiens, ita aſtutiam veriloquio permiſcebat, ut nec dictis veracitas deeſſet, nec acuminis modus verorum judicio proderetur.

Idem littus præteriens, cum comites invento periclitatæ navis gubernaculo, cultrum à ſe eximiæ granditatis repertum dixiſſent; eo, inquit, prægrandem pernam ſecari convenit; profectò mare ſignificans, cujus immenſitati gubernaculi magnitudo congrueret. Harenarum quoq; præteritis clivis, ſabulum perinde ac farra aſpicere juſſus, eadem albicantibus maris procellis permolita eſſe reſpondit. Laudato à comitibus reſponſo, idem à ſe prudenter editum aſſeverabat. Ab iiſdem, quo majorem exercendæ libidinis audaciam ſumeret, de induſtria relictus, immiſſam à patruo fœminam, perinde ac fortuitò oblatam, obſcuro loco obviam recepit, conſtupraſſetq;, nî collacteus ejus tacito conſilii genere inſidiarum indicium detuliſſet. Conſiderans enim quonam aptius modo occultum monitoris officium exequi, periculoſamq; juvenis laſciviam præcurrere poſſet, repertam humi paleam œſtri prætervolantis caudæ ſubmittendam curavit. Egit deinde ipſum in ea potiſſimum loca, quibus Amlethum ineſſe cognovit: eoq; facto maximum incauto beneficium attulit. Nec callidius tranſmiſſum indicium, quàm cognitum fuit. Siquidem Amlethus viſo œſtro, ſimulq; ſtramine, quod caudæ inſitum geſtabat, curioſius pernotato, tacitum cavendæ fraudis monitum intellexit. Igitur inſidiarum ſuſpicione conterritus, quò tutius voto potiretur, exceptam amplexibus fœminam ad paluſtre procul invium protrahit. Quam etiam peracto concubitu, ne rem cuiquam proderet, impenſius obteſtatus eſt. Pari igitur ſtudio petitum ac promiſſum eſt ſilentium. Maximam enim Amletho puellæ familiaritatem vetus educationis ſocietas conciliabat, quod uterq; eoſdem infantiæ procuratores habuerit.

Domum itaque reductus, cunctis, an Veneri indulſiſſet, per ludibrium interrogantibus, puellam à ſe conſtupratam fatetur. Interrogatus rurſum quorem loco egerit, quòve pulvino uſus fuerit; ungulæ jumenti, criſtæq; galli, laquearibus quoq; tecti innixum ſe dixit. Horum enim omnium particulas, vitandi mendacii gratiâ, cum tentandus proficiſceretur, contraxerat. Quæ vox multo circumſtantium riſu excepta eſt, quanquam nihil rerum veritati per jocum detraxerit. Puella quoq; ea de re interrogatâ, nihil eum tale geſſiſſe perhibuit. Fides negationi habita eſt, eò quidem pronius, quo minus ſatellites facti conſcios fuiſſe conſtabat. Tum is qui præſtandi indicii gratiâ œſtrũ ſignaverat, ut ſalutẽ Amlethi vaframenti ſui beneficio conſtitiſſe monſtraret, nuper ſe ejus unicè ſtudioſũ extitiſſe dicebat. Nec inepta juvenis reſponſio fuit. Nec enim in-

dicis

dicis meritum negligere putaretur, quiddam straminis gerulum subitis adlapsum pennis, quodq; paleam posteriore corporis parte defixam gestaret, sibi conspectum retulit. Quod dictum, ut cæteros cachinno concussit, ita Amlethi fautorem prudentia delectavit. RORICVS.

Superatis omnibus, arcanamq; juvenilis industriæ seram patefacere nequeuntibus, quidam amicorum Fengonis, præsumptione quàm solertiâ abundantior, fore negabat, ut inextricabile calliditatis ingenium usitato insidiarum genere proderetur. Majorem quippe ejus pervicaciam esse, quàm ut levibus experimentis attingi debeat. Quamobrem multiplici illius astutiæ simplicem tentationis modum afferri non oportere. Subtiliorem itaq; rationis viam altiore animi sensu à se repertam dicebat, executioni non incongruam, & propositæ rei indagationi efficacissimam. Fengone siquidem per ingentis negotii simulationem de industriâ absentiam præstante, solum cum matre Amlethum cubiculo claudi oportere, procurato antea viro, qui ambobus insciis in obscura ædis parte consisteret, quid illis colloquio foret, attentius excepturus. Futurum enim ut si quid filius saperet, apud maternas aures eloqui non dubitaret, nec se genitricis fidei credere pertimesceret. Idem se explorationis ministrum cupidius offerebat, ne potius autor consilii, quàm executor videretur. Delectatus sententiâ Fengo, factâ longinquæ profectionis simulatione discedit. Is verò qui consilium dederat, conclave, quo cum matre Amlethus recludebatur, tacitè petivit, submissusq; stramento delituit. Nec insidiarum Amletho remedium defuit. Veritus enim ne clandestinis cujuspiam auribus exciperetur, primùm ad ineptæ consvetudinis ritum decurrens, obstrepentis galli more occentum edidit, brachiisq; pro alarum plausu concussis, conscenso stramento corpus crebris saltibus librare cœpit, si quid illic clausum delitesceret experturus. At ubi subjectam pedibus molem persensit, ferro locum rimatus suppositum confodit, egestumq; latebrâ trucidavit. Cujus corpus in partes conscissum, aquis ferventibus coxit, devorandumq; porcis per os cloacæ patentis effudit, atq; ita miseris artubus cœnum putre constravit. Taliter elusis insidiis conclave repetit. Cumq; mater magno ejulatu questa præsentis filii socordiam deflere cœpisset: quid, inquit, mulierum turpissima, gravissimi criminis dissimulationem falso lamenti genere expetis, quæ scorti more lasciviens, nefariam ac detestabilem tori conditionem secuta, viri tui interfectorem pleno incesti sinu amplecteris, & ei qui prolis tuæ parentem extinxerat, obscœnissimis blandimentorum illecebris adularis? Ita nempe equæ conjugum suorum victoribus maritantur: brutorum natura hæc est, ut in diversa passim conjugia rapiantur: hoc tibi exemplo prioris mariti memoriam exolevisse constat. Ego verò non ab re stolidi speciem gero, cùm haud dubitem, quin is qui fratrem oppresserit, in affines quoq; pari crudelitate debacchaturus sit. Unde stoliditatis quàm industriæ habitum amplecti præstat, & incolumitatis præsidium ab extrema deliramentorum specie mutuari. In animo tamen paternæ ultionis studium perseverat, sed rerum occasiones aucupor, temporum opportunitates opperior. Non idem omnibus locus competit. Contra obscurum immitemq; animum altioribus ingenii modis uti convenit. Tibi verò supervacuum sit meam lamentari desipientiam, quæ tuam justius ignominiam deplorare debueras. Itaq; non alienæ, sed propriæ mentis vitium defleas necesse est. Cætera silere memineris. Tali convicio laceratam matrem ad excolendum virtutis habitum revocavit, præteritosq; ignes præsentibus illecebris præferre docuit.

Reversus Fengo, insidiosæ explorationis actorem nusquam repertum, diutinæ inquisitionis studio prosequebatur, nemine se eum uspiam conspexisse dicente. Amlethus quoq;, an ullum ipsius vestigium deprehenderit per jocum rogatus, in cloacam illum ivisse retulit, perq; ejus ima collapsum, ac

RØRICVS.

nimia cœni mole obrutum, à ſubeuntibus paſſim porcis eſſe conſumptum. Quod dictum tametſi veri confeſſionem exprimeret, quia ſpecie ſtolidum videbatur, auditoribus ludibrio fuit.

Cumq; Fengo privignum indubitatæ fraudis ſuſpectum tollere vellet, ſed id tum ob avi ejus Rørici, tum ob conjugis offenſam, exequi non auderet: Britanniæ regis officio necandum duxit, innocentiæ ſimulationem alieno miniſterio quæſiturus. Ita dum occultare ſævitiam cupit, amicum inquinare, quàm ſibi infamiam conſciſcere maluit. Diſcedens Amlethus, matri tacitè jubet, textilibus aulam nodis inſtruat, ſuasq; poſt annum inferias falsò peragat, eoq; tempore reditum pollicetur. Proficiſcuntur cum eo bini Fengonis ſatellites, literas ligno inſculptas (nam id celebre quondam genus chartarum erat) ſecum geſtantes, quibus Britannorum Regi transmiſſi ſibi juvenis occiſio mandabatur. Quorum Amlethus quietem capientium loculos perſcrutatus, literas deprehendit. Quarum perlectis mandatis, quicquid chartis illitum erat, curavit abradi, novisq; figurarum apicibus ſubſtitutis, damnationem ſuam in comites ſuos, mutato mandati tenore, convertit. Nec mortis ſibi ſententiam ademiſſe, & in alios periculum tranſtuliſſe contentus, preces hujuſmodi falsò Fengonis titulo ſubnotatas adjecit, ut Britanniæ rex prudentiſſimo ad ſe juveni miſſo filiam in matrimonium erogaret.

At ubi in Britanniam ventum, adeunt legati Regem, literasq; quas alienæ cladis inſtrumentum putabant, propriæ mortis indices obtulerunt. Quo diſſimulato Rex hoſpitali illos humanitate proſequitur. Tunc Amlethus omnem regiarum dapum apparatum, perinde ac vulgare edulium aſpernatus, ſummam epularum abundantiam miro abſtinentiæ genere averſatus eſt, nec minus potioni quàm dapibus pepercit. Admirationi omnibus erat, quod alienigenæ gentis juvenis, accuratiſſimas regiæ menſæ delicias, & inſtructiſſimas luxu epulas, tanquam agreſte aliquod obſonium faſtidiret. Soluto convivio, rex quum amicos ad quietem dimitteret, per quendam cubiculo immiſſum, nocturna hoſpitum colloquia clandeſtino explorationis genere cognoſcenda curavit. Interrogatus igitur à ſociis Amlethus, quid ità heſternis epulis, perindè ac venenis abſtinuiſſet? panem cruoris contagio reſperſum, potioni ferri ſaporem ineſſe, carneas dapes humani cadaveris oliditate perfuſas, ac veluti quadam funebris nidoris affinitate corruptas dicebat. Addidit quoq; Regem ſervilibus oculis eſſe, Reginam tria ancillaris ritus officia præ ſe tuliſſe, non tam cœnam quàm ejus auctores plenis opprobrii conviciis inſecutus. Cui mox ſocii priſtinum mentis vitium exprobrantes, variis petulantiæ ludibriis inſultare cœperunt, quòd probanda culparet, cauſaretur idonea, quòd inſignem regem, excultamque moribus fœminam parum honeſto ſermone laceſſeret, laudemque meritos extremi dedecoris opprobrio reſperſiſſet.

Quibus Rex ex ſatellite cognitis, talium auctorem ſupra mortalem habitum aut ſapere, aut deſipere teſtatus eſt, tam paucis verbis perfectiſſimam induſtriæ altitudinem complectendo. Accerſitum deinde villicum, unde panem adſciverat percontatur. Qui quum eum domeſtici piſtoris operâ confectum aſſereret, ſciſcitatur item, ubi materiæ ejus ſeges creviſſet, & an ullum illic humanæ ſtragis indicium extaret. Qui reſpondit, haud procul abeſſe campum, vetuſtis interfectorum oſſibus obſitum, & adhuc manifeſta antiquæ ſtragis veſtigia præ ſe ferentem, quem à ſe perinde ac cæteris feraciorem opimæ ubertatis ſpe, verna fruge conſertum dicebat. Itaq; ſe neſcire, an panis hoc tabo vitioſi quicquam ſaporis contraxerit. Quo audito Rex, Amlethum vera dixiſſe conjectans, unde lardum quoq; allatū fuiſſet, cognoſcere curæ habuit. Ille ſues ſuâ per incuriam cuſtodiâ elapſos, putri latronis cadavere paſtos aſſeverabat, ideoq; fortè eorum carnibus corruptioni affinem inceſſiſſe ſaporem. Quum rex in hoc quoq; veracem Amlethi ſententiam comperiſſet, quonam liquore potionem miſcuiſſet inquirit. Ut farre & aqua temperatam cognovit, demonſtratum ſibi ſcaturiginis locum in altum fodere

aggreſ-

aggreſſus, complures gladios rubigine adeſos reperit, ex quorum odore lymphas vitium traxiſſe exiſtimatum eſt. Alii ideo potionem notatam referunt, RORICVS. quòd in ejus hauſtu apes abdomine mortui alitas deprehenderit, vitiumq; referri guſtu, quod olim favis inditum extitiſſet. A quo rex culpati ſaporis cauſas competenter editas videns, quùm ab eodem exprobratam ſibi oculorum ignominiam, ad generis fœditatem pertinere cognoſceret, clam conventâ matre, quis ſibi pater extitiſſet inquirit. Quâ neminem ſe præter regem paſſam dicente, rem quæſtione ex ea cognoſcendam minatus, quòd ſervo ortus eſſet accepit, notatæ originis ambiguitatem extorto confeſſionis indicio perſcrutatus. Igitur ut conditionis ſuæ rubore confuſus, ita juvenis prudentiâ delectatus, eundem cur reginam ſervilium morum exprobratione maculaſſet, interrogat. Sed dum conjugis comitatem nocturno hoſpitis ſermone laceſſitam doluit, eandem ancilla matre creatam didicit. Siquidem ille tria ſe circa eam ſervilis ritus vitia denotaſſe dicebat: Unum, quod ancillæ more pallio caput obduxerit: alterum quod veſtem ad greſſum ſuccinxerit: tertium, quod ciborum reliquias dentium anguſtiis inhærentes ſtipite eruerit, erutasq; commanducaverit. Matrem quoq; ejus in ſervitutem captivitate redactam memorabat, ne potius ſervili more, quàm genere eſſe videretur.

Cujus induſtriam rex perinde ac divinum aliquod ingenium veneratus, filiam ei in matrimonium dedit, affirmationem quoq; ejus tanquam cœleſte quoddam teſtimonium amplexatus eſt. Cæterùm comites ipſius, ut amici mandatis ſatisfaceret, proximâ die ſuſpendio conſumpſit. Quod beneficium Amlethus tanquam injuriam ſimulatâ animi moleſtia proſecutus, aurum à rege compoſitionis nomine recepit, quod poſtmodum igni liquatum clam cavatis baculis infundendum curavit.

Apud quem annum emenſus, impetratâ profectionis licentia patriam repetit, nihil ſecum ex omni regiarum opum apparatu præter gerulos auri bacillos deportans. Ut Jutiam attigit, præſentem cultum priſtinis permutavit moribus, quibus ad honeſtatem uſus fuerat, in ridiculæ conſvetudinis ſpeciem de induſtria converſis. Cumq; triclinium in quo ſuæ ducebantur exequiæ, ſqualore obſitus intraſſet, maximum omnibus ſtuporem injecit, quod obitum ejus falſò fama vulgaverat. Ad ultimum horror in riſum conceſſit, exprobrantibus ſibi mutuò per ludibrium convivis vivũ affore, quem ipſi perinde ac defunctum inferiis proſequerentur. Idem ſuper comitibus interrogatus, oſtenſis quos geſtabat baculis, hic, inquit, & unus & alius eſt. Quod utrum verius, an jocoſius protulerit neſcias. Siquidem ea vox, quanquam à pleriſq; vana exiſtimata fuerit, à veri tamen habitu non deſcivit, quæ peremptorum loco penſationis eorum pretium demonſtrabat. Pincernis deinde, quò majorem convivis hilaritatem afferret, conjunctus, curioſiore propinandi officio fungebatur. Et ne greſſum laxior veſtis offenderet, latus gladio cinxit, quem plerumq; de induſtria diſtringens, ſupremo digitos acumine vulnerabat. Quamobrem à circumſtantibus curatum, ut gladius cum vagina ferreo clavo trajiceretur. Idem quo tutiorem inſidiis aditum ſtrueret, petitam poculis nobilitatem crebris potionibus oneravit, adeoq; cunctos mero obruit, ut debilitatis temulentia pedibus, intra regiam quieti ſe traderent, eundemq; convivii & lecti locum haberent. Quos quùm inſidiis opportunos animadverteret, oblatam propoſiti facultatem exiſtimans, præparatos olim ſtipites ſinu excipit, ac deinde ædem in qua proceres paſſim fuſi humi corporibus permixtam ſomno crapulam ructabantur, ingreſſus, compactam à matre cortinam, quæ etiam interiores aulæ parietes obducebat, reſciſſis tenaculis decidere coëgit. Quam ſtertentibus ſuperjectam, adhibitis ſtipitum curvaminibus, adeò inextricabili nodorum artificio colligavit, ut nemo ſubjectorum, tametſi validius adniteretur, conſurgendi effectum aſſequi poſſet. Poſt

haec tectis ignem injicit, qui crebrescentibus flammis late incendium spargens, totos involvit penates, regiam consumpsit, omnésq; aut profundum carpentes somnum, aut frustra assurgere conantes, cremavit. Inde petito Fengonis cubiculo, qui prius à comitibus in tabernaculum perductus fuerat, gladium forte lectulo cohærentem arripuit, suumq; ejus loco defixit. Excitato deinde patruo, proceres ejus igne perire retulit, adesse Amlethum veterum uncorum suorum ope succinctum, & jam debita paternæ cladis supplicia exigere avidum. Ad hanc vocem Fengo lectulo desiliens, dum proprio defectus gladio nequicquam alienum distringere conatur, opprimitur. Fortem virum, æternoq; nomine dignum, qui stultitiæ commento prudenter instructus, augustiorem mortali ingenio sapientiam admirabili ineptiarum simulatione suppressit, nec solum propriæ salutis obtentum ab astutia mutuatus, ad paternæ quoq; ultionis copiam eâdem ductum præbente pervenit. Itaq; & se solerter tutatus, & parentem strenuè ultus, fortior, an sapientior existimari debeat, incertum reliquit.

RORICVS.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI TERTII FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER QUARTUS.



PERACTA vitrici strage, Amlethus facinus suum incerto popularium judicio offerre veritus, latebris utendum existimavit, donec, quorsum inconditæ plebis vulgus procurreret, didicisset. Igitur vicinia quæ noctu incendiũ speculata fuerat, manè causam conspecti ignis nosse cupiens, collapsam in cineres regiam animadvertit, ruinasq; ejus adhuc tepidas perscrutata, nihil præter informes combustorum corporum reliquias reperit. Adeò autem vorax flamma omnia perederat, ut ne index quidem extaret, ex quo tantæ cladis causa accipi posset. Corpus quoq; Fengonis ferro confossum inter cruentas spectabatur exuvias. Aliis indignatio patens, aliis mœror, quibusdam gaudium occultum incesserat. Hi ducis lamentabantur interitum, hi sopitam parricidæ tyrannidem gratulabantur. Ità regiæ necis eventus dividuâ spectatorum sententiâ excipiebatur.

Eâ vulgi tranquillitate Amlethus relinquendarum latebrarum fiduciam adeptus, accersitis quibus arctiorem patris memoriam inhærere cognoverat, concionem petit, in qua orationem hujusmodi habuit: Non vos moveat, proceres, præsens calamitatis facies, si quos miserabilis Horvvendilli exitus movet: non vos inquam moveat, quibus in regem fides, in parentem pietas servata est. Parricidæ, non regis intueamini funus. Luctuosior siquidem illa facies erat, quùm ipsi regem nostrum ab iniquissimo parricida (ne dicam fratre) flebiliter jugulatum vidistis. Ipsi laceros Horvvendilli artus, ipsi corpus crebris vulneribus absumptum plenis miserationis oculis aspexistis. Quem ab atrocissimo carnifice spiritu spoliatum, ut patria libertate exueretur, quis dubitet? Una manus ei fatum, & vobis servitutem injecit. Quis igitur tam amens, ut Fengonis crudelitatem Horvvendillianæ præferat pietati? Mementote quâ vos Horvvendillus benevolentiâ foverit, justitiâ coluerit, humanitate dilexerit. Memineritis ademptum vobis mitissimum regem, justissimum patrem, subrogatum tyrannum, suffectum parricidam, erepta jura, contaminata omnia, pollutam flagitiis patriam, impositum cervicibus jugum, ereptum libertatis arbitrium. Et nunc his finis; quùm suis auctorem criminibus obrutum, suorum pœnas scelerum parricidam pependisse cernatis. Quis mediocriter prudens specta-

tor, beneficium injuriæ loco duxerit? Quis mentis compos proprium in auctorem scelus recidisse condoleat? Quis cruentissimi lictoris cladem defleat, aut RORICVS. crudelissimi tyranni justum lamentetur interitum? Præstò est auctor rei, quem cernitis. Ego quidem & parentem & patriam ultione prosequutum me fateor, Opus, quod vestris pariter manibus debebatur, exercui. Quod vos mecum communiter condecebat, solus implevi. Adde quòd neminem tam præclari facinoris socium habui, nec cujusspiam mihi comes opera fuit. Quanquam haud ignorem vos huic manum daturos negotio, si petissem; à quibus fidem regi, benevolentiam principi servatam non dubito. Sed sine vestro discrimine nefarios puniri placuit. Neq; enim alienos humeros oneri subjiciendos putabam, cui sustentando proprios suffecturos credebam. Incineravi ego alios, solum Fengonis truncum vestris manibus concremandum reliqui, in quo saltem justæ ultionis cupidinem exatiare possitis. Concurrite alacres, extruite rogum, exurite impium corpus, decoquite scelestos artus, spargite noxios cineres, disjicite immites favillas: non urna, non tumulus nefandas ossium reliquias claudat. Nullum parricidii vestigium maneat, nullus contaminatis artubus intra patriam locus existat, nulla contagium vicinia contrahat, non mare, non solum damnati cadaveris hospitio polluatur. Cætera ego præbui, id solùm vobis pietatis officium relictum est. His exequiis prosequendus tyrannus, hac pompâ parricidæ funus ducendum. Sed neq; ejus cineres, qui patriam libertate nudaverit, à patria tegi convenit. Præterea quid meas revolvam ærumnas? calamitates recenseam? retexam miserias? quas ipsi me plenius nostis. Ego à vitrico ad mortem quæsitus, à matre contemptus, ab amicis consputus, annos flebiliter exegi, dies calamitosè duxi, incertum vitæ tempus periculis ac metu refertum habui. Postremò omnem ætatis partem, maximâ cum rerum adversitate miserabiliter emensus sum. Sæpè me tacitis intra vos questibus sensu vacuum gemebatis deesse ultorem patri, parricidio vindicem. Quæ res occultum mihi vestræ charitatis indicium attulit, in quorum animis nec dum regiæ cladis memoriam exolevisse cernebam. Cujus itaq; tam asperum pectus, tam saxeus rigor, quem non passionum mearum compassio molliat, ærumnarum miseratio non flectat? Misеremini alumni vestri, moveamini infortuniis meis, qui ab Horvvendilli nece immunes geritis manus. Miseremini quoq; afflictæ genitricis meæ, & reginæ quondam vestræ, extincto congaudete dedecori, quæ viri sui fratrem interfectoremq; complexa, geminum ignominiæ pondus fœmineo perpeti corpore cogebatur. Quamobrem ut ultionis studium occultarem, obscurarem ingenium, adumbratum non verum inertiæ habitum amplexatus sum, stoliditatis figmento usus, sapientiæ commentum texui, quod nunc an efficax fuerit, utrum finis sui complementum attigerit, vestro conspectui patet: vos tantæ rei arbitros habere contentus sum. Ipsi parricidales favillas pedibus proculcate: despicamini cineres ejus, qui jugulati fratris uxorem polluit, flagitio temeravit, dominum læsit, majestatem proditionis scelere lacessivit, acerbissimam vobis tyrannidem intulit, libertatem ademit, incesto parricidium cumulavit. Me tam justæ vindictæ ministrum, tam piæ ultionis æmulum patritio suscipite spiritu, debito prosequimini cultu, benigno refovete contuitu. Ego patriæ probrum dilui, matris ignominiam extinxi, tyrannidem repuli, parricidam oppressi, insidiosam patrui manum mutuis insidiis elusi: cujus si superesset, indies scelera percrebescerent. Dolebam & patris & patriæ injuriam, illum extinxi vobis atrociter, & supra quàm viros decuerat, imperantem. Recognoscite beneficium, veneramini ingenium meum, regnum si merui date, habetis tanti auctorem muneris, paternæ potestatis hæredem, non degenerem, non parricidam, sed legitimum regni successorem, & pium noxæ parricidalis ultorem. Debetis mihi recuperatum libertatis beneficium, exclusum affligtantis imperium, ademptum oppressoris jugum, excussum parricidæ dominium, calcatum tyrannidis sceptrum. Ego servitute vos exui, indui libertate, restitui culmen, gloriam reparavi, tyrannum

RORICUS. sustuli, carnificem triumphavi. Præmium penes vos est, ipsi meritum nostis, à vestra merces virtute requiritur.

Flexerat hac oratione adolescens omnium animos, quosdam ad miserationem, alios ad lachrymas usq; perduxit. At ubi quievit mœror, rex alacri cunctorum acclamatione censetur. Plurimum quippe spei in ejus industria ab universis reponebatur, qui tanti facinoris summam profundissimo astu texuerat, incredibili molitione concluserat. Mirari illum complures videres, tanto temporis tractu subtilissimum texisse consilium.

His apud Daniam gestis, ternis navigiis impensius adornatis, socerum visurus ac conjugem, Britanniam repetit. In clientelam quoq; armis præstantem juventutem adsciverat, exquisito decoris genere cultam: ut sicut cuncta despicabili dudum habitu gesserat, ita nunc magnificis ad omnia paratibus uteretur, & quicquid olim paupertati tribuerat, ad luxuriæ impensam converteret. In scuto quoq; quod sibi parari jusserat, omnem operum suorum contextum, ab ineuntis ætatis primordiis auspicatus, exquisitis picturæ notis adumbrandum curavit. Quo gestamine perindè ac virtutum suarum teste usus, claritatis incrementa contraxit. Istic depingi videres Horvvendilli jugulum, Fengonis cum incestu parricidium, flagitiosum patruum, fratruelem ridiculum, aduncas stipitum formas, suspicionem vitrici, dissimulationem privigni, procurata tentamentorum genera, adhibitam insidiis fœminam, hiantem lupum, inventum gubernaculum, præteritum sabulum, initum nemus, insitam œstro paleam, instructum indiciis adolescentem, elusis comitibus rem seorsum cum virgine habitam. Cerneres itaque adumbrari regiam, adesse cum filio reginam, trucidari insidiatorem, trucidatum decoqui, cloacæ coctum infundi, infusum suibus objici, cœno artus insterni, instratos belluis absumendos relinqui. Videres etiam ut Amlethus dormientium comitum secretum deprehenderit, ut obliteratis apicibus alia figurarum elementa substituerit, ut dapem fastidierit, potionémq; contempserit, ut vultum regis arguerit, ut reginam sinistri moris notaverit. Aspiceres quoq; legatorum suspendium, adolescentis nuptias figurari, Daniam navigio repeti, inferias convivio celebrari, comitum loco baculos percontantibus ostendi, juvenem pincernæ partes exequi, districto per industriam ferro digitos exulcerari, gladium clavo pertundi, convivales plausus augeri, increbrescere tripudia, aulæam dormientibus injici, injectam uncorum nexibus obfirmari, pertinacius sopitos involvi, tectis torrem immitti, cremari convivas, depastam incendio regiam labefactari, Fengonis cubiculum adiri, gladium eripi, inutilem erepti loco constitui, regem privigni manu proprii mucronis acumine trucidari. Hæc omnia excultissimo rerum artificio militari ejus scuto opifex studiosus illeverat, res formis imitatus, & facta figurarum adumbratione complexus. Sed & comites ipsius, quo se nitidius gererent, oblitis tantum auro clypeis utebantur.

Quos Britanniæ Rex benignissimè exceptos, regii apparatus impensis prosequitur. Qui inter epulandum, an Fengo viveret, integrísq; fortunis esset cupidè percontatus, cognoscit è genero ferro periisse, de cujus frustrà salute perquireret. Cúmq; interfectorem ejus crebris percontationibus investigaret, eundem cladis ejus auctorem, ac nuncium extare didicit. Quo audito, tacitum animi stuporem contraxit, quod ad se promissam quondam Fengonis ultionem pertinere cognosceret. Ipse equidem ac Fengo, ut alter alterius ultorem ageret, mutuâ quondam pactione decreverant. Trahebat itaq; regem hinc in filiam pietas, in generum amor, inde charitas in amicum, & præterea jurisjurandi firmitas, ipsa quoq; mutuæ obtestationis religio, quam violare nefarium erat. Tandem cum affinitatis contemptu juratoria præponderavit fides, conversusq́; ad ultionem animus, necessitudini religionem antepósuit. Sed quoniam hospitalitatis sacra violare nefas crede-

deba-

debatur, alienâ manu ultionis partes exequi præoptavit, innocentiæ speciem occulto facinore prætenturus. Igitur insidias officiis texit, lædendíq; curam adumbratis benevolentiæ studiis obscuravit. Et quia conjunx ejus RøRICVS. nuper morbo consumpta fuerat, Amlethum reparandarum nuptiarum legationem suscipere jubet, admodum se singulari ipsius industriâ delectatum præfatus. Regnare siquidem in Scotia fœminam asserebat, cujus vehementer connubium affectaret. Sciebat namq; eam non modò pudicitiâ cœlibem, sed etiam insolentiâ atrocem, proprios semper exosam procos, amatoribus suis ultimum irrogasse supplicium, adeò ut ne unus quidem è multis extaret, qui procationis ejus pœnas capite non luisset.

Proficiscitur itaq; Amlethus quanquam periculosa legatio imperaretur, injuncti muneris obsequium non detrectans, sed partim domesticis servis, partim regis vernaculis fretus. Ingressusq; Scotiam, quum haud procul reginæ penatibus abesset, recreandorum equorum gratiâ junctum viæ pratum accessit, ibiq; loci specie delectatus, quieti consuluit, jocundiore rivi strepitu somni cupidinem provocante, ordinatis qui stationem eminus observarent. Quo audito regina denos juvenes exterorum adventum apparatumq; speculaturos emittit. Quorum unus vegetioris ingenii, elusis vigilibus, pervicacius subiens clypeum Amlethi, quem capiti fortè dormitutus affixerat, tanta lenitate submovit, ut ne superjacentis quidem quietem turbaret, aut cujuspiam ex tanto agmine somnum perrumperet, dominam non modo nuncio, sed etiam rerum indicio certiorem redditurus. Delegatas quoq; ei literas loculis, quibus asservabantur, pari calliditate subduxit. Quibus regina ad se perlatis clypeum curiosius contemplata, ex affixis notulis totius argumenti summam elicuit, eumq; affore intellexit, qui exactissimo prudentiæ consilio fretus, de patruo paternæ cladis pœnas acceperit. Literas quoq; nuptiarum suarum petitionem continentes intuita, totos obliteravit apices, quod senum admodum connubium abhorreret, juvenum complexus appeteret. Inscripsit autem mandatum perinde atq; à Britanniæ rege sibi transmissum, & ejus titulo pariter ac nomine consignatum, quo se latoris peti conjugio simularet. Quin etiam facta quæ ex ejus scuto cognoverat, scripto complectenda curavit, ut & clypeum literarum testem, & literas clypei interpretes existimares. Deinde eos, quorum exploratione usa fuerat, scutum referre, literasq; loco suo restituere jubet, eodem fallaciæ genere Amlethum insequuta, quo eum in cavillandis comitibus usum acceperat.

Interea Amlethus clypeum capiti fraude subductum expertus, occlusis de industria oculis quietem callidius simulat, quod vero sopore amiserat, ficto recuperaturus. Alteram quippe fallendi vicem hòc proniùs ab insidioso quærendam putavit, quò solam prosperiùs egerit. Nec eum opinio fefellit. Speculatorem quippe clandestino aditu scutum ac chartam pristino loco reponere cupientem prosiliens corripit, captumq; vinclorum pœna coercuit. Deinde excitatis comitibus, reginæ penates accedit. Cui ex soceri personâ consalutatæ scriptum ejusdem sigillo obsignatum porrexit. Quod quum accepisset Hermuthruda, (Reginæ id nomen erat) perlegissetque, operam Amlethi industriamq; verbis impensioribus prosequuta, justas Fengonem pœnas pependisse dicebat: ipsum verò Amlethum rem humanâ æstimatione majorem incomprehensæ profunditatis ingenio molitum, quòd non solum paterni exitii, materniq; concubitus ultionem inscrutabili sensus altitudine commentus fuisset, verumetiam regnum ejus, à quo crebras insidias expertus fuerat, conspicuæ probitatis operibus occupasset. Quamobrem mirari se tam eruditi ingenii virum uno nuptiarum errore labefactari potuisse, qui quum humanas penè res claritate transcendat, in ignobilem obscuramq; copulam prolapsus videatur. Quippe conjugem ejus servis parentibus esse, quanquam eos fortuna regiis honoribus exornasset. In expetendis siquidem conjugiis prudenti non formæ fulgorem, sed generis metiendum. Quapropter si ritè „ copu- „

RORICVS. copulam appetat, proſapiam æſtimet, nec ſpecie capiatur; quæ quum illecebrarum irritamentum ſit, multorum candorem inaniter fucata deterſit. Eſſe verò quam ſibi nobilitate parem aſciſcere poſſit. Se ſiquidem nec rebus tenuem, nec ſanguine humilem, ejus amplexibus idoneam fore, utpote quam nec regiis opibus vincat, nec avito ſplendore præcellat. Quippe Reginam ſe eſſe, & niſi refragaretur ſexus, regem exiſtimari poſſe: imò quod verius eſt, quemcunq; toro ſuo dignata fuerit, regem exiſtere, regnumq; ſecum amplexibus dare. Ita & nuptiis ſceptrum, & ſceptro nuptias reſpondere. Nec parvi beneficii eſſe eam proprios offerre amplexus, quæ circa alios ferro repulſam exequi conſveverat. Hortatur itaq; placendi ſtudium in ſe transferat, in ſe votum nuptiale deflectat, genusq́; formæ præferre diſcat. Hæc dicens, aſtrictis in eum complexibus ruit.

Ille tam comi virginis eloquio delectatus, in mutua prorumpit oſcula, alternos complexum nodos conſerit, ſibiq́;, quod virgini, placitum proteſtatur. Fit deinde convivium, accerſuntur amici, corrogantur primores, nuptiæ peraguntur. Quibus expletis, cum nuptâ Britanniam repetit, validâ Scotorum manu propiùs ſubſequi juſſâ, cujus operâ adverſum varios inſidiarum objectus uteretur. Redeunti Britannici Regis filia, quam in matrimonio habebat, occurrit. Quæ quanquam ſe ſuperductæ pellicis injuriâ læſam quereretur, indignum tamen ajebat maritali gratiæ pellicatus odium anteferri, neq; ſe adeò virum averſaturam, ut quod ei fraudulentius intentari ſciat, ſilentio occultare ſuſtineat. Habere enim ſe pignus conjugii filium, cujus ſaltem reſpectus conjugalem matri charitatem commendare debuerat. Ipſe enim, inquit, matris ſuæ pellicem oderit, ego diligam: meos in te ignes nulla calamitas ſopiet, nullus livor extinguat. Quin & in te ſiniſtrè excogitatâ detegam, & quas deprehenderim inſidias pandam. Quamobrem cavendum tibi ſocerum putes, quòd ipſe legationis proventum carpſeris, omnemq́; ejus fructum in temet, eluſo mittentis voto, pervicaci uſurpatione tranſtuleris. Qua voce ſe conjugali quàm paternæ charitati propiorem oſtendit.

Hæc loquente ea adeſt Britanniæ rex, generumq́; arctius quàm affectuoſius amplexatus, convivio excipit, liberalitatis ſpecie fraudis propoſitum celaturus. Amlethus cognitâ fraude, metum diſſimulanter habuit, ducentisq́; equitibus in comitatum receptis, ſubarmalem veſtem indutus obſequitur invitanti, maluitq́; regiæ ſimulationi periculosè parêre, quàm turpiter repugnare. Adeò honeſtatem in cunctis obſervandam putabat. Quem comminus obequitantem rex ſub ipſa bipatentium portarum teſtudine adortus jaculo tranſegiſſet, ni ferrum ſubarmalis togæ durities repuliſſet. Amlethus levi recepto vulnere, eò loci ſe contulit, ubi Scoticam juventutem expectandi officio fungi juſſerat, captivo novæ conjugis ſpeculatore ad regem remiſſo, qui ſe deſtinatas dominæ literas loculorum cuſtodiæ furtim exemiſſe teſtando, crimen in Hermutrudam refunderet, ipſumq́; accurato genere excuſationis reatu proditionis abſolveret. Quem rex avidius fugientem inſequi non moratus, majore copiarum parte privavit, ita ut Amlethus die poſtero ſalutem prælio defenſurus, deſperatis admodum reſiſtendi viribus, ad augendam multitudinis ſpeciem, exanima ſociorum corpora partim ſubjectis ſtipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventum more equis impoſita, nullo armorum detracto, perinde ac præliatura ſeriatim in aciem cuneumq; digeſſerit. Nec rarius mortuorum cornu erat, quàm viventium globus. Stupenda ſiquidem illa facies erat, quum extincti raperentur ad prælia, defuncti decernere cogerentur. Quæ res auctori otioſa non fuit, quùm ipſæ extinctorum imagines laceſſentibus Solis radiis immenſi agminis ſpeciem darent. Ita enim inania illa defunctorum ſimulacra priſtinum militum numerum referebant, ut nihil ex eorum grege heſternâ ſtrage dimi-

RØRICVS.

diminutum putares. Quo aſpectu territi Britanni, pugnam præcurrere fugâ, à mortuis ſuperati, quos vivos oppreſſerant. Quæ victoria neſcio callidior, an felicior exiſtimanda ſit. Rex dum ſegniùs fugam intendit, ab imminentibus perimitur Danis. Victor Amlethus ingenti præda acta, convulſisque Britanniæ ſpoliis, patriam cum conjugibus petit.

XVI. VIGLETVS.

Intereà defuncto Rørico, Vigletus regnum adeptus, Amlethi matrem omni petulantiæ genere fatigatam regiis opibus vacuefecerat, filium ejus fraudato Lethrarum Rege, cui dignitatum jura dandi tollendiq; jus eſſet, Jutiæ regnum occupaſſe conqueſtus. Quam rem Amlethus tantâ animi moderatione excepit, ut Vigleto ſplendidiſſimis victoriæ ſuæ manubiis donato, calumniam beneficio rependere videretur. Quem poſtmodum, exigendæ ultionis occaſione ſuſcepta, bello laceſſitum devicit, atq; ex occulto hoſte, manifeſtus evaſit. Fiallerum Scaniæ præfectum exilio adegit: quem ad locum, cui Undenſakre nomen eſt, noſtris ignotum populis, conceſſiſſe eſt fama. Poſt hæc quum à Vigleto Scaniæ Sialandiæq; viribus recreato per legatos ad bellum provocaretur, mirifica animi induſtriâ duas circa ſe res, quarum alteri probrum, alteri periculum ineſſet, fluctuari pervidit. Sciebat quippe ſibi, ſi provocationem ſequeretur, imminere vitæ periculum: ſi refugeret, inſtare militiæ probrum. Præponderavit tamen in contemplatore virtutum animo ſervandæ honeſtatis cupido, obtuditq; cladis formidinem impenſior laudis aviditas, ne ſolidus gloriæ fulgor meticuloſa fati declinatione corrumperetur. Animadvertebat quoq; tantum penè inter ignobilem vitam, & ſplendidam mortem diſcriminis intereſſe, quantum dignitas à contemptu diſtare cognoſcitur. Tanta autem Hermutrudæ charitate tenebatur, ut majorem futuræ ejus viduitatis, quàm propriæ necis ſolicitudinem animo inſitam geſtaret, omniq; ſtudio circumſpiceret, qualiter ei ſecundas nuptias, ante belli ingreſſum conſciſceret. Quamobrem Hermutruda virilem profeſſa fiduciam, ne in acie quidem ſe eum deſerturam ſpopondit, deteſtabilem inquiens fœminam, quæ marito morte conferri formidaret. Quam promiſſionis novitatem parum executa eſt. Nam quùm Amlethus apud Jutiam à Vigleto acie interemptus fuiſſet, ultrò in victoris prædam amplexumq; conceſſit. Ita ” votum omne fœmineum fortunæ varietas abripit, temporum mutatio diſ-” ſolvit: & muliebris animi fidem lubrico nixam veſtigio fortuiti rerum caſus ” extenuant: quæ ſicut ad pollicendum facilis, ita ad perſolvendum ſegnis, va-” riis voluptatis irritamentis aſtringitur, atq; ad recentia ſemper avidius expe-” tenda, veterum immemor, anhelâ præceps cupiditate diſſultat. Hic Amlethi ” exitus fuit, qui ſi parem naturæ atq; fortunæ indulgentiam expertus fuiſſet, æquaſſet fulgore ſuperos, Herculea virtutibus opera tranſcendiſſet. Inſignis ejus ſepultura, ac nomine campus apud Jutiam extat. Vigletum tranquillam ac diutinam regni procurationem emenſum morbus conſumpſit.

XVII. WERMVNDVS.

Cui filius Wermundus ſuccedit. Hic prolixis tranquillitatis ociis fœliciſſimâ temporum quiete decurſis, diutinam domeſticæ pacis conſtantiam inconcuſſa rerum ſecuritate tractabat. Idem prolis expers juventam exegit, ſenior verò filium Uffonem ſero fortunæ munere ſuſcitavit, quùm nullam ei ſobolem elapſa tot annorum curricula peperiſſent. Hic Uffo coævos quoſq; corporis habitu ſupergreſſus, adeò hebetis ineptiq; animi principio juventæ exiſtimatus eſt, ut privatis ac publicis rebus inutilis videretur. Siquidem ab ineunte ætate nunquam luſus aut joci conſvetudinem præbuit, adeoq; humanæ delectationis vacuus fuit, ut labiorum continentiam jugi ſilentio premeret, ſeveritatem oris à ridendi prorſus officio temperaret. Verum ut incunabula ſtoliditatis opinione referta habuit, ita poſtmodum conditionis contemptum claritate mutavit: & quantum inertiæ ſpectaculum fuit, tantum prudentiæ & fortitudinis exemplum evaſit. Cujus pater ſocordiam contemplatus, filiam ei Sleſvvicenſium præfecti Frovvini in matrimonium aſciſcit, illuſtriſſimi viri affinitate utiliſſimum gerendi regni ſubſidium recepturo.

Huic

WERMVNDVS.

Huic erant filii Keto, & Wigo, splendidissimæ indolis juvenes quorum Wermundus non minus quàm Frovvini virtutem futuris filii profectibus deputabat.

Eâ tempestate regnabat apud Svetiam Atislus, vir famâ studioq; conspicuus: qui cùm finitimos latè bello pressisset, ne partum virtutibus fulgorem ocio desidiæq; corrumpendum relinqueret, complura novarum rerum officia sedulo frequentationis studio celebranda curavit. Inter quæ etiam insigni armaturâ succinctus, quotidianam solitarii incessus consvetudinem præbuit: tum quod in re militari nihil crebro armorum usu præstantiùs nosset, tum ut hujus agitatione studii claritatis incrementa contraheret, in quo non minus sibi fiducia, quàm laudis cupido vendicavit. Tantam quippe nullius rei violentiam existimabat, ut ejus objectu mentis suæ robur quassandum timeret. Qui cum trajectus in Daniam armis Frovvinum apud Slesvvicum acie provocasset, magnisq; invicem cædibus copiæ funderentur, accidit ipsos agminum duces ita inter se ferro concurrere, ut rem duelli more prosequerentur, & præter publicam belli sortem privati conflictus specie decertarent. Hunc enim congressionis eventum par amborum expetebat affectus, ut virtutem non partium ope, sed propriâ virium experientiâ testarentur. Quo evenit, ut crebrescentibus utrinq; plagis, Atislus armis superior prostrato Frovvino privatæ victoriæ publicam jungeret, passimq; divulsa Danorum agmina profligaret. Inde Svetiam reversus, Frovvini necem non solùm virtutum suarum imaginibus adscripsit, verumetiam impensiore verborum jactantiâ prosequi consvevit, gloriam facti vocis petulantiâ demolitus. Aliquando enim speciosiùs virtutes silentii verecundia teguntur, quàm sermonis petulantiâ publicantur.

Frovvini filios Wermundus paternæ dignitatis honoribus evehit, extincti pro patria amici liberos justo admodum beneficio prosequutus. Quæ res Atislo referendi in Daniam belli monitum præbuit. Rediit itaq; superioris pugnæ fiduciâ concitatus, non modò tenues angustasq; copias, verùm omni virtutis Sveticæ robur advectans, perinde ac totius Daniæ imperium rapturus. Quod Frovvini filius Keto per primipilum suum Folconem nomine, Wermundo, tunc fortè villam Jalungam tenenti, nunciandum curavit. Qui Regem cùm amicis epulantem reperiens, mandatum adhortatione prosequutus, adesse belli facultatem diutulè postulatam, & ultrò se Wermundi votis ingerere dixit: cùm & promptâ vincendi præstetur occasio, & maturus triumphi titulus optionis ejus arbitrio tribuatur. Magnam itaq; & inopinam felicitatis dulcedinem esse, quàm ei longis affectatam suspiriis, præsentis eventus auspicia largiantur. Venisse siquidem Atislum innumeris Sveonum copiis succinctum, perinde ac victoriæ certitudinem indubitatâ animi præsumptione complexum. Cumq; præliaturum hostem fatum fugæ anteferre dubium non sit, felicem recentis vulneris ultionem oblata belli facultate præstari.

Quem Wermundus præclarè ac fortiter legationis partes executum testatus, paulisper epulis refici jubet, quod itinera jejunis officere soleant. Qui cùm nequaquam sibi capiendi cibi otium suppetere dixisset, potione sitim lenire deposcitur. Quo præbito, poculum quoq; (nam aureum erat) adservare jubetur, affirmante Wermundo commeandi calore defessis commodius cratere quàm palmâ lympham excipi, meliusq; bibendi usum scyphi quàm manus subsidio celebrari. Quo tam benevolis verbis muneris magnitudinem prosequente, delectatus utroq; juvenis, se prius ad perceptæ potionis mensuram proprii cruoris haustu usurum, quàm Regis conspectibus terga admoturum promittit. Tam fortem ejus promissionem Wermundus mercedis nomine veneratus, aliquanto plus voluptatis ex dato beneficio, quam miles ex accepto percepit. Nec animosius locutum eum, quàm præliatum expertus est.

Com-

WERMVNDVS.

Commisso namq; bello contigit, ut inter varios turmarum procursus concurrentibus Folcone & Atislo, manúmq; diutulè conserentibus, Sveonum exercitus ducis sui eventum sequutus, fugam ingrederetur: Atislus quoque saucius ad naves ex acie convolaret. Cumq; Folco vulneribus ac labore hebetatus, sed & æstu & labore pariter sitiq; perfusus, fugam insequi destitisset hostilem, recreandi corporis gratiâ, proprium casside cruorem excepit, hauriendumq; ori præbuit. Quo facto, receptum à Rege craterem speciosissimè pensavit. Quod videns fortè Wermundus, impensiùs eum peractæ promissionis laudavit. Cui Folco speciosa vota ad debitum finem perducenda respondit. Qua voce non minorem facti sui commendationem quàm Wermundus exhibuit.

Cumq; victores, ut post prælium fit, depositis armis, acquiscentes, variis invicem sermonibus uterentur, Slesvvicensium præfectus Keto, magnæ sibi admirationi esse prædicavit, qualiter Atislus crebris obstantibus causis elapsionis copiam impetraverit, præsertim cùm is ante omnes bella gesserit primus, fugâ verò postremus incesserit: nec alius quispiam ex hostibus fuerit, cujus tantis Danorum studiis affectaretur occasus. Ad hæc Wermundus, nosse eum oportere ajebat, omnem bellorum aciem quadrifariâ dimicantium varietate distingui. Esse enim primi generis bellatores, qui fortitudinem modestiâ temperantes, rebelles acriùs cædant, fugientibus instare erubescant. Hos siquidem esse, quos diuturna armorum experientia certiore virtutis testimonio prosequatur, quiq; gloriam suam non in victorum fugâ, sed vincendorum expugnatione constituant. Esse præliantium & aliud genus, qui corporis animiq; viribus freti, sed nullâ miserationis parte præditi, in hostium tam terga quàm pectora communi cædis atrocitate desæviant. Tales quippe esse, qui juvenilis animi calore provecti, tyrocinii rudimenta bellorum auspiciis ornare contendant; quosq; tam ætatis quàm laudis ardor inflammet, inq; fas & nefas pari nisus securitate præcipitet. Esse etiam tertios, quibus inter metum pudoremq; anxiis progressum terror adimat, recursum ruboris obstaculum tollat; qui sanguine clari, inaniq; tantum proceritate conspicui, aciem numero non viribus densent, hostem umbrâ potius quàm armis feriant, & in bellatorum grege solo corporum spectaculo censeantur. Hos magnarum opum dominos fore, genere quàm animo præstantiores, quos lucis aviditas rerum dominio contracta, plus ignaviæ quàm nobilitatis viribus indulgere compellat. Esse item & alios qui speciem non rem in bellum perferant, seq; extremis sociorum agminibus inserentes, primi fugam, postremi prælium gerant. In quibus imbecillitatis habitum certi pavoris indicium detegat, cùm semper quæsitis de industriâ subterfugiis, pugnantium terga timidioris progressus pigritiâ subsequantur. His ergo de causis Regem fugâ servatum existimari debere, cum à primi ordinis militibus nulla persecutionis instantiâ fugiens premeretur, qui non victos arcere, sed victoriam conservare curæ habeant, perindèq; cuneos densent, ut trophæi novitas competentibus nixa præsidiis perfectam successus copiam adsequatur. Secundi verò generis pugnatores, quibus objecta quæq; perimere studium sit, non animi, sed opportunitatis inopiâ Atislum intactum liquisse, quòd eos non tam lædendi ausus, quàm facultas defecerit. Sed & tertii ordinis viros, qui ipsum pugnæ tempus trepido vagationis genere deducentes, successus etiam sociæ partis impediunt, quanquam lædendi Regis locum habuerunt, attentandi tamen audaciâ caruisse His modis Wermundus stupidam Ketonis admirationem absolvens, veras servati Regis causas assertione sua editas memorabat.

Post hæc Atislus Svetiam refugus petit, Frovvini cædem petulantiùs jactans, ac facinoris hujus memoriam verboso laudum suarum relatu incessanter ostentans, non quod receptæ cladis ruborem æquo animo ferret, sed ut recentis fugæ vulnus antiquæ victoriæ titulis recrearet. Cujus rei Keto & Wigo, ut par erat, indignatione permoti, in paternæ ultionis vota con-

WERMUNDUS.

conjurant. Quam ſe parum bello exequi poſſe credentes, ſumpto levioris armaturæ paratu, Svetiam ſolitarii petunt, ingreſſiq; nemus, in quo Regem abſque comite verſari ſolitum famâ cognoverant, tela latebris mandant. Indè cum Atiſlo profugorum nomine diutulè converſati, cum ab eo, quam patriam haberent, interrogarentur, Sleſvvicenſes ſe eſſe, patriamque cædis causâ liquiſſe teſtantur. Quod rex eos non de patrandi facinoris voto, ſed de patrati noxâ aſtruxiſſe credebat. Eâ quippe fraude percunctantis ſtudium eludere cupiebant, ut relationis certitudo caſſum quærenti pareret intellectum, & reſponſionis veritas tacitis adumbrata figmentis opinionem incuteret falſitatis. Plurimum quippe deformitatis olim ab illuſtribus viris in mendacio reponebatur. Tum Atiſlus ſcire ſibi libitum dixit, quis Danorum opinione Frovvini interfector credatur. Ad hæc Keto, dubitari (inquit) cui tanti facinoris claritatem arrogari conveniat, præſertim cum eum publica autoritas acie extinctum perhibeat. Reſpondit Atiſlus, fruſtra aliis Frovvini necem adſcribi, quam ipſe duntaxat alternâ manus conſertione peregerit. Mox, an ulla Frovvino ſoboles ſupereſſet, perquirit. Ketone deinde duos ejus filios extare dicente, ætatis eorum ac ſtaturæ habitum perquàm libenter ſe cognoſcere dixit. Refert Keto, hos ſibi corpore propemodum æquales eſſe, ætate pares, proceritate perſimiles. Tunc Atiſlus, ſi mens, inquit, illis ac virtus paterna conſtaret, acerba mihi tempeſtas ingrueret. Interrogante deinde eo, an crebram paternæ necis mentionem haberent: Keto, quicquid remedio temperari non poſſit, ſupervacuè verbis replicari, ſubjunxit. Nihil prodeſſe teſtatus inexpiabile malum aſſiduis iterare moleſtiis. Quo dicto, documentum dedit, ultionem minis præcurri non oportere.

Cumque regem acuendi roboris gratiâ quotidie ſolitariæ digreſſionis officio utentem videret, receptis armis cum fratre prævium ejus conſectatur inceſſum. Quibus Atiſlus viſis arenam preſſit, quod imminentes vitare deforme exiſtimaret. Illis deinde ſe perempti ab eo Frovvini pœnas ſumpturos dicentibus, præſertim cum plurimo jactantiæ faſtu ſe ſolum necis ejus fateatur auctorem, cavendum eis, inquit, ne dum ultionis effectum appetant, infirmas & inopes virium manus ſtultâ ſecum audaciâ conſerant, dumque alienum affectent exitium, proprium experiantur occaſum, optimæ indolis habitum præproperâ laudis cupidine conſumpturi. Quamobrem parcant juventæ, parcant & indoli, nec temerè votum eis inceſſerit periundi. Itaque paternæ cladis injuriam pecuniâ à ſe rependi permittant, ingentiſque gloriæ loco habeant, quod tantum principem mulctæ nomine coërcuiſſe, & veluti quodam terroris imperio concuſſiſſe credantur. Hæc verò ſe non timore percitum, ſed adoleſcentiæ eorum miſeratione motum docere. A quo Keto fruſtrà tempus tantâ verborum ambage deduci præfatus, quòd tam juſtæ ultionis affectum pecuniæ promiſſione labefactare conetur, progredi illum jubet; & ſi quid ſibi virium ſit, ſolitario ſecum experiri congreſſu. Nam & ſe, remoto fratris adminiculo, propriis acturum viribus, ne manu impari pugna conſeri videretur infamis. Duos ſiquidem cum uno decernere ut iniquum, ita etiam probroſum apud veteres credebatur. Sed neque victoria hoc pugnæ genere parta laudabilior habita, quòd potiùs dedecori quàm gloriæ juncta videretur. Quippe unum à duobus opprimi ut nullius negotii, ita maximi ruboris loco ducebatur. Tanta autem Atiſlum fiducia ceperat, ut ambos ad ſe pariter inceſſendum hortaretur, præfatus ſe tutioris pugnæ poteſtatem facturum, quibus pugnandi votum detrahere nequeat. Quam indulgentiam Keto ita averſatus eſt, ut prius ſe fato, quàm ea uſurum teſtaretur; oblatam certaminis conditionem

vitio

WERMVNDVS.

vitio sibi vertendam existimans. Quem Atislus manum secum cupidiùs conferentem modesto pugnæ genere excipere cupiens, clypeum ejus duntaxat adacto levius mucrone converberat, animosior salutis suæ, quàm efficacior defensor. Quo diutulè gesto, monet uti fratrem cœpti consortem adsciscat, nec alienæ manus opem exposcere erubescat cùm solitariam sui conatus experientiam sine effectu esse videat. Abnuenti parcendum negat, minasq; opere prosecutus, summis eum viribus tentat. A quo tam valido ferri ictu exceptus est, ut ipsum diffissa casside capiti illabi cogeretur. Quo vulnere irritatus, [nam multus è vertice cruor profundebatur,] Ketonem crebris ac vegetis ictibus petitum, genibus humum petere coëgit. Quod Wigo intueri non passus, propior privatæ charitati, quàm publicæ consvetudini, ruborem pietati cedere coëgit, invasoq; Atislo fraternæ imbecillitatis protector quàm spectator esse maluit. Quo facto plus opprobrii quàm laudis contraxit, quòd in juvando fratre statutas duelli leges solvisset, eidemq; utilius quàm honestius opem tulisse videretur. Siquidem ex altera lance dedecoris, ex altera pietatis partibus indulsit. Itaq; promptiùs quam speciosiùs Atisli cædes ab ipsis peracta noscebatur. Quæ ne vulgo clàm esset, corpus ejus, abscisso capite, equo impensum extra nemus ferentes, propinquioris pagi incolis tradunt, Frovvini filios paternæ necis ultionem ab Atislo Sveonum rege exegisse testantes. Talem præ se victoriam ferentes, primis à Wermundo honoribus excipiuntur, utilissimum ab eis opus editum judicante, sublatiq; æmuli gloriam quàm admissi opprobrii famam cupidiùs intuente, nec tyranni necem ullis ignominiæ partibus affinem censente. In proverbium apud exteros ductum, quòd priscum dimicandi jus regius labefactasset interitus.

Cumq; Wermundus ætatis vitio oculis orbaretur, Saxoniæ Rex Daniam duce vacam ratus, ei per legatos mandat, regnum quod præter ætatis debitum teneat, sibi procurandum committat, ne nimis longâ imperii aviditate patriam legibus, armisq; destituat. Qualiter enim regem censeri posse, cui senectus animum, cæcitas oculum pari caliginis horrore fuscaverit? Quod si abnuat, filiumq; habeat, qui cum suo ex provocatione confligere audeat, victorem regno potiri permittat. Si neutrum probet, armis secum non monitis agendum cognoscat, ut tandem invitus præbeat, quòd ultroneus exhibere contemnat. Ad hæc Wermundus altioribus suspiriis fractus, impudentiùs se ætatis exprobratione lacerari respondit, quem non ideo huc infelicitatis senectus provexerit, quod pugnæ parcus timidiùs juventam exegerit. Nec aptiùs sibi cæcitatis vitium objectari, quòd plerumque talem ætatis habitum talis jactura consequi soleat, potiùsq; condolendum calamitati quàm insultandum videatur. Justiùs autem Saxoniæ regi impatientiæ notam afferri posse, quem potiùs senis fatum opperiri, quàm imperium poscere decuisset, quod aliquanto præstet defuncto succedere, quàm vivum spoliare. Se tamen ne tanquam delirus priscæ libertatis titulos externo videatur mancipare dominio, propriâ manu provocationi pariturum. Ad hæc legati, scire se inquiunt, regem suum conferendæ cum cœco manus ludibrium perhorrere, quod tam ridiculum decernendi genus rubori quàm honestati propinquiùs habeatur. Aptiùs verò per utriusq; pignus & sanguinem amborum negotio consuli. Ad hæc obstupefactis animo Danis subitaq; responsi ignorantiâ perculsis, Uffo, qui fortè cum cæteris aderat, responsionis à patre licentiam flagitabat, subitoq; velut ex muto vocalis evasit. Cumq; Wermundus, quisnam talem à se loquendi copiam postularet, inquireret, ministriq; eum ab Uffone rogari dixissent, satis esse perhibuit, ut infelicitatis suæ vulneribus alienorum fastus illuderet, ne etiam â domesticis simili insultationis petulantiâ vexaretur. Sed satellitibus Uffonem hunc esse pertinaci affirmatione testantibus, liberum

WERMVNDVS.

ei sit, inquit, quisquis est cogitata profari. Tum Uffo, frustra ab eorum rege regnum appeti, inquit, quod tam proprii rectoris officio, quàm fortissimorum procerum armis, industriaq; niteretur. Præterea nec regi filium, nec regno successorem deesse, sciantq; se non solùm regis eorum filium, sed etiam quemcunque ex gentis suæ fortissimis secum adsciverit, simul pugnâ aggredi constituisse. Quo audito legati risére, vanam dicti animositatem existimantes. Nec mora, condicitur pugnæ locus, eidemque stata temporis meta præfigitur. Tantum autem stuporis Uffo loquendi ac provocandi novitate præsentibus injecit, ut utrum voci ejus an fiduciæ plus admirationis tributum sit, incertum extiterit.

Abeuntibus autem legatis, Wermundus responsionis auctore laudato, quod virtutis fiduciam non in unius, sed duorum provocatione statuerit, potiùs se ei, quicunque sit, quàm superbo hosti regno cessurum perhibuit. Universis autem filium ejus esse testantibus, qui legatorum fastum fiduciæ sublimitate contempserit, propiùs eum accedere jubet, quod oculis nequeat, manibus experturus. Corpore deinde ejus curiosiùs contrectato, cum ex artuum granditate lineamentisq; filium esse cognosset, fidem assertoribus habere cœpit, percontariq; eum, cur svavissimum vocis habitum summo dissimulationis studio tegendum curaverit, tantoq; ætatis spatio sine voce & cunctis loquendi commerciis degere sustinuerit, ut se linguæ prorsus officio defectum, nativæque taciturnitatis vitio obsitum credi permitteret? Qui respondit, se paternâ hactenus defensione contentum, non prius vocis officio opus habuisse, quàm domesticam prudentiam externâ loquacitate pressam animadverteret. Rogatus item ab eo, cur duos quàm unum provocare maluit? Hunc idcirco dimicationis modum à se exoptatum respongit, ut Atisli regis oppressio, quæ, quòd à duobus gesta fuerat, Danis opprobrio extabat, unius facincre pensaretur, novumq; virtutis specimen prisca ruboris monumenta convelleret. Ita antiquæ crimen infamiæ, recentis famæ liturâ respergendum dicebat. Quem Wermundus justam omnium æstimationem fecisse testatus, armorum usum, quòd eis parum assuevisset, prædiscere jubet. Quibus Uffo oblatis, magnitudine pectoris angustos loricarum nexus explicuit, nec erat ullam reperire quæ eum justo capacitatis spacio contineret. Majore siquidem corpore erat, quàm ut alienis armis uti posset. Ad ultimum cùm paternam quoq; loricam violentâ corporis astrictione dissolveret, Wermundus eam à lævo latere dissecari, fibulaq; sarciri præcepit, partem quæ clypei præsidio muniatur ferro patere parvi existimans. Sed & gladium, quo tutò uti possit, summa ab eo curâ consciscì jussit. Oblatis compluribus, Uffo manu capulum stringens, frustratim singulos agitando comminuit, nec erat quisquam ex eis tanti rigoris gladius, quem non ad primæ concussionis motum crebrâ partium fractione dissolveret. Erat autem regi inusitati acuminis gladius Skrep dictus, qui quodlibet obstaculi genus uno ferientis ictu medium penetrando diffinderet, nec adeo quicquam prædurum foret, ut adactam ejus aciem remorari potuisset. Quem ne posteris fruendum relinqueret, per summam alienæ commoditatis invidiam in profunda defoderat, utilitatem ferri, quòd filii incrementis diffideret, cæteris negaturus. Interrogatus autem an dignum Uffonis robore ferrum haberet, habere se dixit. Quod si pridem à se terræ traditum recognito locorum habitu reperire potuisset, aptum corporis ejus viribus exhiberet. In campum deinde perduci se jubens, cum interrogatis per omnia comitibus defossionis locum acceptis signorum indiciis comperisset, extractum cavo gladium filio porrigit. Quem Uffo nimia vetustate fragilem exesumque conspiciens, feriendi diffidentia percontatur, an hunc quoque priorum exemplo probare debeat, prius habitum ejus, quàm rem ferro geri oporteat explorandum testatus. Refert Wermundus, si præsens ferrum ab ipso ventilando collideretur, non

supe-

ſupereſſe quod virium ejus habitui reſponderet. Abſtinendum itaq; facto, cujus in dubio exitus maneat. WERMUNDUS.

Igitur ex pacto pugnæ locus expetitur. Hunc fluvius Eidorus ita aquarum ambitu vallat, ut earum interſtitio repugnante, navigii duntaxat aditus pateat. Quem Uffone ſine comite petente, Saxoniæ regis filium inſignis viribus athleta conſequitur, crebris utrinq; turbis alternos riparum anfractus ſpectandi aviditate complentibus. Cunctis igitur huic ſpectaculo oculos inſerentibus, Wermundus in extremâ pontis parte ſe collocat, ſi filium vinci contigiſſet, flumine periturus. Maluit enim ſanguinis ſui ruinam comitari, quàm patriæ interitum plenis doloris ſenſibus intueri. Verùm Uffo geminis juvenum congreſſibus laceſſitus, gladii diffidentiâ amborum ictus umbone vitabat, patientius experiri conſtituens, quem è duobus attentiùs cavere debuiſſet, ut hunc ſaltem uno ferri impulſu contingeret. Quem Wermundus imbecillitatis vitio tantam recipiendorum ictuum patientiam præſtare exiſtimans, paulatim in occiduam pontis oram mortis cupiditate ſe protrahit, ſi de filio actum foret, fatum præcipitio petiturus. Tanta ſanguinis charitate flagrantem ſenem fortuna protexit. Uffo ſiquidem filium regis ad ſecum avidius decernendum hortatus, claritatem generis ab ipſo conſpicuo fortitudinis opere æquari jubet, ne rege ortum plebejus comes virtute præſtare videatur. Athletam deinde, explorandæ ejus fortitudinis gratiâ, ne domini ſui terga timidius ſubſequeretur admonitum, fiduciam à regis filio in ſe repoſitam egregiis dimicationis operibus penſare præcepit, cujus delectu unicus pugnæ comes adſcitus fuerit. Obtemperantem illum, propiùſq; congredi rubore compulſum, primo ferri ictu medium diſſecat. Quo ſono recreatus Wermundus, filii ferrum audire ſe dixit, rogatq́; cui potiſſimum parti ictum inflixerit. Referentibus deinde miniſtris, eum non unam corporis partem, ſed totam hominis tranſegiſſe compagem: abſtractum præcipitio corpus ponti reſtituit, eodem ſtudio lucem expetens, quo fatum optaverat. Tum Uffo reliquum hoſtem prioris exemplo conſumere cupiens, regis filium ad ultionem interfecti pro ſe ſatellitis manibus parentationis loco erogandam impenſioribus verbis ſolicitat. Quem propiùs accedere ſuâ adhortatione coactum, infligendi ictus loco curioſius denotato, gladioq́; quòd tenuem ejus laminam ſuis imparem viribus formidaret, in aciem alteram verſo, penetrabili corporis ſectione transverberat. Quo audito Wermundus Skrep gladii ſonum ſecundò ſuis auribus inceſſiſſe perhibuit. Affirmantibus deinde arbitris utrumq; hoſtem ab ejus filio conſumptum, nimietate gaudii vultum fletu ſolvit. Ita genas, quas dolor madidare non poterat, lætitia rigavit. Saxonibus igitur pudore mœſtis, pugilumq́; funus ſummâ cum ruboris acerbitate ducentibus, Uffonem Dani jucundis excepére tripudiis. Quievit tum Atiſlanæ cædis infamia, Saxonumq́; opprobriis expiravit.

Ita Saxoniæ regnum ad Danos tranſlatum, poſt patrem Uffo regendum ſuſcepit, utriuſq; imperii procurator effectus, qui ne unum quidem rite moderaturus credebatur. Hic à compluribus Olavus eſt dictus, atq; ob animi moderationem Manſveti cognomine donatus. Cujus ſequentes actus vetuſtatis vitio ſolennem fefellére notitiam. Sed credi poteſt glorioſos eorum proceſſus extitiſſe, quorum tam plena laudis principia fuerint. Tam brevi factorum ejus proſecutione animadverto, quòd illuſtrium gentis noſtræ virorum ſplendorem ſcriptorum penuria laudi memoriæq́; ſubtraxerit. Quod ſi patriam hanc fortuna Latino quondam ſermone donâſſet, innumera Danicorum operum volumina tererentur. XVIII. VFFO, qui & OLAVUS.

Uffoni Dan filius ſuccedit. Qui cùm transfuſis in exteros præliis trophæorum frequentiâ rerum dominium propagâſſet, partum gloriæ fulgorem tetro ſuperbiæ ſqualore fuſcavit, ita à clariſſimi parentis honeſtate de- XIX. DAN. II.

DAN. II. generans, ut cùm ille cæteris moderatione præstiterit, hic cæteros fastuosâ tumidus elatione contempserit. Sed & paterna bona, vel quæ ipse exterarum gentium manubiis pepererat, flagitiis disjiciebat: opes quæ regio splendori servire debuerant, voracibus sumptuum impensis tribuens. Sic interdum à majoribus suis similia portentis pignora descifcunt.

XX. HVGLETHVS. POST hunc regnat Huglethus, qui Hømothum & Høgrinium Svetiæ tyrannos maritimo fertur oppressisse conflictu.

XXI. FROTHO. II. CUI Frotho succedit, cognomento Vegetus, qui ipsam cognominis speciem corporis animiq; firmitate testatus, denis Norvagiæ ducibus bello consumptis, insulam, quæ ex eo postmodùm nomen obtinuit, ipsum postremò Regem invasurus accessit. Frogerus hic erat, gemina admodum sorte conspicuus, quod non minus armis quàm opibus illustris regiam ditionem athletico decoraret officio, tantumq; gymnicis palmis, quantum dignitatis ornamentis polleret. Hic, ut quidam ferunt, Othino patre natus, à diis immortalibus beneficium præstare rogatis, muneris loco obtinuit, non ab alio vinci, quàm qui certaminis tempore subjectum pedibus ejus pulverem manu convellere potuisset. Quem Frotho tanta à superis firmitate donatum comperiens, duelli postulatione solicitat, deorum indulgentiam fallaciâ tentaturus. Primum igitur imperitiæ simulatione dimicationis ab ipso documentum efflagitat, cujus eum usu experientiâq; callere sciat. Ille hostem professioni suæ non solùm cedere, sed etiam supplicare gavisus, sapere eum asseruit, senili industriæ juvenilem animum subjiciendo, quòd ei facies cicatricibus vacua, fronsq; nullis armorum vestigiis exarata, tenuem hujus rei notitiam extare testetur. Ita è diverso bina quadratæ formæ spacia cubitalibus figurata lateribus humi denotat, à locorum usu documenti initium editurus. Quibus descriptis assignatam uterq; sibi partem complectitur. Tum Frogerum Frotho arma secum, ac locum permutare jubet. Nec difficilis admissio fuit. Frogerum siquidem hostilium nitor concitabat armorum, quòd Frotho præditum auro capulum loricamq; pari specie radiantem, sed & cassidem in eundem modum eximio comptam fulgore gestaret. Igitur Frotho loci, quo Frogerus excesserat, pulvere correpto, omen sibi victoriæ datum existimavit. Nec augurio elusus, continuò Frogerum occîdit, tam parvulo vaframento maximam fortitudinis gloriam assecutus. Quippe quod nullius antè viribus licuit, astutia præstitit.

XXII. DAN. III. POST hunc Dan regnum capessit. Qui cùm duodecimum ætatis annum ageret, legationum petulantiâ fatigatur, Saxonibus bellum aut tributum afferre jussus. Sed rubor pugnam pensioni anteposuit, potius ad strenuè moriendum, quàm timidè vivendum impellens. Itaq; prælatâ pugnandi sorte, Danorum juventus Albiam fluvium tanta navigiorum frequentia complevit, ut facilè ejus transitum perinde ac continuo ponte juncta puppium tabulata præstarent. Quo evenit, ut Saxoniæ Rex eidem, quàm à Danis exigebat, conditioni adigeretur.

XXIII. FRIDLEVVS. POST Dan Fridlevus cognomento Celer imperium sumit. Quo regnante Huyrvvillus Hallandiæ princeps, icto cum Danis fœdere, Norvagiam incessebat. Cujus operibus haud parva claritatis accessio fuit, quòd Rusilam virginem militari voto res bellicas æmulatam armis oppressit, virilemq; gloriam ex muliebri hoste corripuit. Sed & quinq; ejus complices, Broddonem, Bildum, Bugonem, Fanningum, & Gunholmum, quorum pater Fyn extitit, ob res ab ipsis præclarè editas in societatem adscivit. Quorum collegio fretus, fœdus quod cum Danis contraxerat, ferro disjicit. Cujus irruptio hoc nocivior quò fallacior fuit. Neq; enim Dani tam repentè eum ex amico hostem evasurum credebant. Adeò facilis quorundam ex gratiâ ad odium transitus existere consuevit. Crediderim nostri temporis mores hujus viri auspiciis inchoatos, qui mentiri ac fallere inter vitia sordesq; non ducimus. Quem Fridlevus Australes Sialandiæ partes adortum, in portu qui postmodum ejus est nomine vocitatus, prælio tentat. In quo ob gloriæ æmulationem tantâ militum fortitudi-

ne

FRIDLEVUS.

ne concursum est, ut perpaucis periculum fugâ vitantibus, ambæ penitùs acies consumerentur: nec in partem victoria concessit, ubi par utrosque vulnus implicuit. Adeò omnibus major gloriæ quàm vitæ cupiditas fuit. Igitur qui ex Huyrvvilli agmine superfuerant, servandæ societatis gratiâ, noctu classis suæ reliquias mutuis nexibus obligandas curabant. Eâdem nocte Bildus & Broddo rescissis quibus rates cohæsere funiculis, tacitè sua à cæterorum complexu navigia submovêre, fratrum desertione formidini consulentes, magisque timoris quàm consanguineæ pietatis ductibus obtemperantes. Luce redditâ Fridlevus Huyrvvillum, Gunholmum, Bugonem & Fanningum ex tanta sociorum clade relictos comperiens, unus cum omnibus decernere statuit, ne laceræ copiarum reliquiæ denuò discrimen subire cogerentur. Cui præter insitam animò fortitudinem, etiam contemptrix ferri tunica fiduciam ministrabat. Hac in publicis privatisque conflictibus tanquam servatore salutis cultu utebatur. Nec rem fortiùs quam prosperiùs executus, fœlicem pugnæ eventum habuit. Equidem Huyrvvillo, Bugone, & Fanningo oppressis, Gunholmum hostile ferrum carminibus obtundere solitum, crebro capuli ictu exanimavit. Dum autem mucroni manum cupidiùs inserit, elisa nervorum officia reductos in palmam digitos perpetuò curvitatis vinculo perstrinxerunt. Idem cum Duflynum Hyberniæ oppidum obsideret, murorumque firmitate expugnationis facultatem negari conspiceret, Hadingiani acuminis ingenium æmulatus, hirundinum alis inclusum fungis ignem affigi præcepit. Quibus propriâ nidificatione receptis, subitò flammis tecta luxerunt. Quas oppidanis restinguere concurrentibus, majoremque sopiendi ignis quàm cavendi hostis curam præstantibus, Duflyno potitur. Post hæc apud Britanniam amissis bello militibus, cùm difficilem ad littus reditum habiturus videretur, interfectorum cadaveribus erectis, & in acie collocatis, ita pristinum multitudinis habitum repræsentabat, ut nil ex ejus specie tanto vulnere detractum videretur. Quo facto hosti non solùm conferendæ manus fiduciam abstulit, sed etiam carpendæ fugæ cupidinem incussit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI QUARTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER QUINTUS.

XXIV. FROTHO. III.

DEFUNCTO Fridlevo, filius Frotho septem annos natus concordi Danorum arbitrio subrogatur. Iidem concione præhabitâ, infantiam regis à tutoribus excipiendam duxerunt, ne ob principis puerilitatem rerum exciderent summâ. Tantum siquidem ab universis Fridlevi memoriæ ac nomini tributum, ut tam tenero ejus sanguini regnum daretur. Habito ergo delectu, Westmarus & Colo fratres in educationis regiæ ministerium arcessuntur. Isulfo quoq; & Aggoni, octoq; aliis illustribus viris, non modò regis tutela credita, verumetiam gerendi sub ipso regni potestas indulta. Abundè eis vires animiq; suppetebant, crebrâ non corporis tantum, sed etiam ingenii dote pollentibus. Ita Danorum Rempublicam expectato regis robore vicaria tutabantur officia.

 Uxor

FROTHO. III.

Uxor Colonis erat Gotvvara,quæ eximiæ procacitatis facundiâ quantumlibet diſertos ac loquaces enervare ſolebat. Altercando quippe efficax erat, & in omni diſceptationum genere copioſa. Pugnabat ſiquidem verbis; non modò quæſtionibus freta, verumetiam pervicacibus armata reſponſis. Imbellem nemo fœminam debellare poterat, à linguâ ſpicula mutuantem. Quoſdam verboſitatis petulantiâ refellebat, alios veluti quibuſdam cavillationum nexibus implicatos fallaciarum laqueis ſtrangulabat. Adeò vegetum mulieri ingenium fuit. Cæterùm condere pacta, aut reſcindere præpotens erat, utriuſq; horum efficaciam oris aculeo geſtans. Quippe disjicere fœdera, ac ſociare callebat: Ità ad utrumlibet anceps linguæ commercium fuit.

Duodecim Weſtmaro filii erant; ex quorum numero tribus commune Grep nomen inceſſit. Hos ſimul conceptos idem partus abſolvit, ortus æqualitatem vocabuli ſocietate teſtantes. His ſumma cæſtibus aut ferro dimicandi peritia extitit. Oddoni quoq; Frotho maritimæ tyrannidis detulerat poteſtatem. Hic regem proximo neceſſitudinis ordine contingebat. Colo terna filiorum ſorte gaudebat. Eo tempore quidam Frothonis fratre genitus, pro tuenda patria gerebat rei nauticæ ſummam. Soror regis Gunvvara erat, cui ob eximiam formæ pulchritudinem Specioſæ cognomen extabat. Filii Weſtmari Colonisq; quum & ætate impuberes, & animis acres eſſent, fiduciâ in temeritatem verſa, ad obſcœnos ac degeneres ritus inquinatam flagitiis indolem contulerunt. Adeò enim inſolenter ſe indomiteq; geſſerunt, ut conſtupratis aliorum nuptis ac filiabus, proſcripſiſſe pudicitiam atq; in proſtibulum relegaſſe viderentur. Corruptis quoq; matronarum fulcris, ne toris quidem virginalibus abſtinebant. Suus nullum thalamus ſecuritate donabat, nec quiſquam ferè patriæ locus luxuriæ eorum veſtigiis vacuus erat. Mariti metu, conjuges corporum ſuorum ludibrio vexabantur. Injuriis obtemperatum eſt. Ceſſit copularum reſpectus, violensq; amplexuum uſus extabat. Publicata eſt Venus, conjugiorum reverentiâ pereunte. Raptim luxuria petebatur. In cauſa otium erat; quòd expertia agitationis corpora amicâ vitiis quiete diffluerent. Tandem Grep hoc nomine participantium maximus, ut diffuſum libidinis motum certa ſpecie ſiſteret, errabundæ Veneris portum in germanæ Regis amore petere auſus extitit. Nec aptè quidem. Nam ſicut vagabundam atq; erroneam voluptatem verecundiæ frenis coërceri oportuit, ita à populari prolem regiam concupiſci temerarium fuit. Illa proci petulantiam pertimeſcens, quo tutior ab injuria foret, ſeptum vallo conclave petivit. Adhibiti ſunt ei triginta vernaculi, qui jugem corporis ejus cuſtodiam excubando præſtarent.

Igitur contubernales Frothonis circa indumentorum uſum fœminea admodum ope defecti, quùm non haberent unde nova aſſuere, aut lacera reficere poſſent, regem celebrandi conjugii monitis adhortantur. Ille primum excuſationis verba ab ætatis teneritudine mutuatus, ad poſtremum perſeverantiori ſuorum rogatui ceſſit. Quo curioſiùs à monitoribus habilem connubio ſuo fœminam perquirente, præcipuè regis Hunnorum filia collaudatur. Ad hæc Frotho repugnandi ratione pertinacius quæſitâ, à patre didiciſſe ſe refert, non expedire regibus è longinquo copulam peti, nec Venerem niſi à finitimis poſci. Quod audiens Gotvvara, callidè regem amicis reluctari cognovit. Cujus ut vacillantem firmaret animum, fiduciamq; puſillæ mentis erigeret; Junioribus, inquit, nuptiæ competunt, ſenes ſepulcrum manet. Adoleſcentiæ greſſus votis fortunaq; proficiunt, inops ad buſtum ſenecta devergit. Spes juventam conſequitur, ſenium exſpes inclinat occaſus. Adoleſcit ſors puberum, nunquam infectum omiſſura quod cœpit. Ob cujus dicti venerationem poſtulationis officium ſuſcipere rogata, refragandi rationem ſenii prætentione componit, nec ſe tam ardui mandati gerulam ob infirmum ætatis habitum fore poſſe teſtatur. Rex pretio opus agnoſcens, aureo torquem prolato, legationis præmium pollicetur. Habebat namq; torques ne-

FROTHO. III.

xilia bullarum cælamina, intersitaq; Regum simulacra, quæ ad interioris fili ductum, nunc contrahi, nunc dirimi possent; ornamentum luxui potiùs quàm usui præparatum. Westmarum quoq; & Colonem cum eorum filiis, in idem legationis opus accersiri placuit; quòd eorum solertiam Frotho repulsæ rubore carituram putaret.

Ii simul cum Gotvvara profecti, prius triduano ab Hunnorum rege convivio excepti sunt, quàm legationis suæ consultum exprimerent. Is enim antiquitus recipiendorum hospitum usus extabat. Extracto in triduum epulo, virgo regia pleno comitatis alloquio legatis blanditura progreditur. Nec parum convivalibus hospitum gaudiis præsentiæ ejus jucunditas attulit. Cui Westmarus crebrescentibus poculis propositi seriem jocosâ admodum assertione detexit, puellæ mentem familiari collocutionis genere tentaturus. Itaq; quo minus sibi repulsam consciscceret, compositis in risum verbis legationis negotium præcurrebat, inter convivales plausus ludicrum ausus sociare sermonem. Illa se Frothonem tanquam famæ & claritudinis inopem fastidire dicebat. Nulli etenim quondam illustrium fœminarum connubiis idonei censebantur, nisi qui sibi ingens famæ pretium gestarum insigniter rerum fulgore struxissent. Summum in proco vitium desidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore quàm claritatis inopia damnabatur. Sola gloriæ ubertas cæterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellæ quoq; non tam procantium se formas, quam edita speciosè facinora mirabantur. Igitur legati voti desperatione torpentes, ulteriorem rei conatum Gotvvaræ prudentiæ tradunt. Illa non verbis modò, sed etiam succis in Venerem mixtis virginem enervare conata, asserere cœpit, Frothonem lævâ tanquam dextrâ utentem, nandi, dimicandiq; promptissimam habere peritiam. Oblatâ quoq; potione rigorem puellæ cupidine permutavit, Veneremq; & voluptatem abolitæ indignationis loco constituit. Deinde Westmarum, Colonemq; cum eorum liberis de industriâ adire regem, iterandæq; legationi insistere jubet. Postremò si difficilem accepissent, pugnæ provocatione prævenire repulsam.

Igitur Westmarus regiam cum armatis ingressus, jam aut precibus obsequi, inquit, aut pugnâ precantes aggredi necesse erit. Elegimus speciosè defungi, quam infectâ legatione reverti; ne repulsâ fœdi, propositoq; vacui, unde gloriam impetrare speravimus, ejus contrarium referamus. Si natam negas, admitte pugnam; alterum necesse est præstes. Mori aut exaudiri volumus. Apud te si non læta, saltem tristia percepturi sumus. Gratiùs nostram Frotho cladem, quàm repulsam accipiet. Nec plura elocutus, jugulum regis ferro se petiturum minatur. Contrà rex, non decere, ait, amplitudinem regiam quem honore præcelleret, æquare conflictu, nec oportere dignitate impares pugnæ paritate conferri. At Westmarus nihil de certaminis exhortatione remittens, ad ultimum ipsam virginis mentem explorare jubetur, quòd antiqui in matrimoniorum delectu liberâ nupturas optione donassent. Hærebat siquidem animo rex inter metum pugnæ pudoremq; trepidâ fluctuatione suspensus. Ita Westmarus ad præcordialem puellæ sententiam re-» legatus, sciens fœminam omnem ut volubilis animi, ita versilis esse propo-» siti, tanto rem fidentiùs exequi cœpit, quanto virginum votis plus varietatis» inesse compertum habuit. Auxit curæ ejus fiduciam, adjecitq; studio spem» simplicitas virginis proprio permissa consilio, libertasq; fœminæ politioribus blanditiarum delinimentis palpanda, non modò abduci facilis, verum etiam obsequi præceps. Pater verò, quo certius filiæ mentem inspiceret, legatos subsequi cœpit. Illa prius in amorem proci latenti potionis operatione perducta, plura se de Frothonis indole referebat spe præsumpsisse quàm famâ: quippe quum is ab illustri genus parente duxerit, naturaq; omnis suæ soleat origini respondere. Quamobrem juvenem sibi non tam præsentis, quàm futuri splendoris intuitu placuisse. Quibus auditis mirabundus pater, sed ne permissam quidem puellæ licentiam rescindere passus, Frothonis eam con-

jugio

jugio pollicetur. Quam poſtmodum, proviſis abundè commeatibus, tollens, magnifico rerum apparatu, conſequentibus ſe legatis, Daniam adire deproperat, ſciens neminem patre melius filiam nuptiis oblaturum. Frotho ſicut jucundiſſimè ſponſam excepit, ita futuri quoq; ſoceri majeſtatem ampliſſimis honoribus celebravit, quem peractis tædis, magnâ auri argentiq; ſumma donatum dimiſit.

Igitur Hanundam, (Hunnorum hæc regis filia erat) uſus florentiſſimâ triennii pace, duxit. Cujus contubernales ocio petulantiam nacti, partam quiete laſciviam improbiſſimis extulêre ſceleribus. Quoſdam enim reſtibus in ſublime pertractos, more agitabilis pilæ pendula corporum impulſione vexabant. Aliis hœdinum incedentibus corium ſubſternentes, lubrici tergoris offendiculo per occultum funis raptum incautos ſubegêre greſſus. Alios veſte nudatos variis verberum ſuppliciis lacerabant. Alios clavis affixos laquei more ſuſpenſionis mulctavêre ludibrio. Quorundam barbæ & verticis pilos faculis torruerunt. Aliis pubem atq; inguina ſubjecto torre cremabant. Virginibus nubere non licebat, niſi quarum caſtitas eis ante delibata fuiſſet. Advenas oſſibus converberabant. Alios ad intemperantiam compulſos immoderatâ potione rumpebant. Nemini filiam nuptum dare licebat, niſi gratiâ ipſorum, favoreq; mercato. Nulli matrimonium contrahendi fas erat, ſi eorum non pretio præmiſſet aſſenſum. Præterea non in virgines modò, verumetiam in matronarum turbam paſſim diſſolutiſſimæ libidinis ſuæ flagitia porrexerunt. Mixtam petulantiæ rabiem duplex furoris ſpecies agitabat: convenis hoſpitibusq; receptuum loco convicia præbebantur. Tot ludibriorum irritamenta à petulantibus & laſcivis reperta ſunt. Adeò ſub rege puero temeritas libertate nutrita eſt. Nihil enim tantum peccandi licentiam protrahit, quantum ultionis pœnæq; dilatio. Tàm effrenata militum procacitas, non exteris tantum, ſed etiam patriæ inviſum fecerat regem. Dolenter ſiquidem ferebant Dani ſuperbè ſibi ac crudeliter imperari. Grep verò haud humili contentus Venere, eò ſe temeritatis effudit, ut cum regina commercio libidinis habito, tam regi perfidus, quam cæteris violentus exiſteret. Adolevit deinde paulatim infamia, tacitoq; gradu criminis ſuſpicio ſerpſit, antè vulgo comperta quàm regi. Grep enim in omnes qui vel modicam hujus rei mentionem egiſſent, animadvertere ſolitus, accuſationem ſui formidabilem fecerat. Opinio tamen ſceleris primum ſuſurris alita eſt, dehinc excepta rumoribus. Difficilis ſiquidem apud conſcios alieni criminis occultatio eſt. Procus Gunvvaræ creber extabat. Igitur Grep repulſæ ultionem clandeſtinis artibus impetrare conatus, æſtimandi procos arbitrium flagitat, exquiſitiſſimis puellam nuptiis deberi teſtando. Obſcurabat autem iram, ne virginis odio quæſitum videretur officium. Oranti rex merita juvenum inſpectanda permittit. Primum itaq; cunctos Gunvvaræ petitores convivii ſimulatione contraxit, ac deinde conclave, cui puella aſſueverat, deſectis eorum capitibus cingens, crudele cæteris ſpectaculum præbuit. Nihil tamen ejus apud Frothonem gratiæ detractum eſt, quo minus conſveto familiaritatis officio fungeretur. Conveniendi ſiquidem regis copiam pretio peti debere conſtituit, neminem alloquio ejus uſurum pronuncians, ni munera detuliſſet. Neq; enim tanti ducis aditum trito conſvetudinis genere, ſed plenis ambitionis ſtudiis impetrandum edixit; regiæ charitatis ſimulatione crudelitatis infamiam levaturus. Taliter laceſſitum vulgus afflictationis ſuæ querelam tacitis gemitibus agitabat. Nulli miſeriæ tempora culpandi palàm animus erat. Nemini ingruentem calumniam apertis efferendi querimoniis auſus inceſſerat. Internus omnium præcordia dolor hoc acrius, quò occultius lacerabat.

Quo cognito, Gøtharus Norvagiæ Rex contractis concione militibus, refert, proprium Danos faſtidire Regem, exoptare alium, ſi copiam accepiſſent: ſeq; eò exercitum agere decreviſſe; facilè Daniam occupari poſſe, ſi armis

FROTHO. III.

mis adita foret. A Frothone enim tam avarè, quàm atrociter patriæ imperitatum esse. Tum exsurgens Ericus, contrariâ rem allegatione prohibuit: Sæpè, inquiens, alieni appetitores proprio privari solere meminimus. Sæpè amborum captator, utriusq; perditor fuit. Prævalidum enim oportet alitem esse, qui prædam alîus unguibus extrahere cupiat. Animat te frustrà internus regionis livor, quem plerumq; hostilis explodit adventus. Nam etsi nunc Dani dividuis esse sententiis videantur, unanimes tamen mox excipient hostem. Crebrò corrixantes porcos conciliavêre lupi. Patrium quisque ducem extero præfert. Provincia omnis regem domesticum, quàm advenam, impensiùs colit. Neq; enim te Frotho domi præstolabitur, sed foris excipiet adventantem. Extremis se aquilæ scalpunt. Anteriùs alites certant. Nosti ipse pœnitentiâ vacuum debere contuitum esse prudentis. Proceribus abunde stipâris. Tua tibi quies maneat, per alios gerendi sanè belli facultatem propemodum exploratam habere poteris. Liceat militi regiam prætentare fortunam. Salutem tuam pacificè moderare, alieno negotium periculo moliturus. Satiùs est servum perire, quàm herum. Quod fabro forceps, tuus tibi satelles agat. Ille ferramenti remedio manus cauterium cavet, atq; à digitorum sibi incendio temperat. Tu quoq; tibi tuorum operâ parcere & consulere disce. Hæc Ericus. Quem Gøtharus ut imprudentem hactenus habitum, responsionis suæ contextum exquisitâ sententiarum gravitate compsisse miratus, Diserti donat agnomine, excellentem ejus prudentiam appellationis honore judicans prosequendam. Frater siquidem ejus Rollerus opinionem juvenis eximio sui fulgore suppresserat. Ericus nominis beneficio rem adjici petit, vocabuli largitionem muneris additione commendandam testatus. Rex navigium donat; Scrøter remiges vocitabant. Erant autem Ericus & Rollerus Regneri pugilis filii, patre eodem sati, diversaq; editi matre. Matrem quippe Rolleri eandemq; Erici novercam Cracam vocabant.

Igitur Rafno cuidam, permittente Gøtharo, lacessendi per piraticam Danos negotium cessit Excipit illum Oddo, cui tunc temporis apud Danos maxima piraticæ deferebatur autoritas; vir magicæ doctus, ita ut absq; carina altum pererrans, hostilia sæpe navigia concitatis carmine procellis everteret. Itaq; ne cum piratis in maritimarum virium certamen descenderet, exasperatos maleficio fluctus, ad naufragia iisdem infligenda perducere solebat. Hic ut negociatoribus atrox, ita clemens agrestibus extitit; non eâdem merces, quâ stativam æstimatione commensus, rustici operis munditias sordidi quæstus laboribus anteponens. Idem inito cum Normannis conflictu, ita vi carminum hostilem hebetavit aspectum, ut districtos Danorum enses eminùs radios jacere, & tanquam flammabundos scintillare putarent. Cæterùm adeò retusis obtutibus erant, ut ne ferrum quidem vagina detractum visu excipere possent: victa quippe fulgore acies, præstigiosæ coruscationis impatiens erat. Cæso itaq; Rafno cum multa suorum parte, sex solæ naves Norvagiam relapsæ documento fuêre Regi, haud facile Danos obteri posse. Ab his etiam Frothonem solâ pugilum ope subnixum, invito regnare populo vulgatum est, dominio in tyrannidem verso.

Cujus famæ experiendæ gratiâ Rollerus, ut erat exterarum lustrator rerum, ignotaq; visendi avidus, Frothonis se vovit contubernio potiturum. Ericus illum, quanquam habitu corporis eximius esset, temerè votum nuncupasse firmabat. Ad ultimum pertinacissimam propositi ejus perseverantiam conspicatus, se quoq; simili voti nuncupatione constringit. Hisdem se Rex pollicitus est, quoscunq; delectu probassent comites, donaturum. Itaq; fratribus primo patrem adiri placuit, commeatusq; & necessaria tam longinqui itineris subsidia postulari. A quo paternè suscepti, die posterâ in nemus visendi pecoris gratiâ perducuntur. Senex quippe armentis opulens erat. Aperiebantur quoq; illis gazæ, quas diu clausæ telluris antra condiderant. E quibus si quæ placuissent, sublegi permissæ sunt. Nec cupidiùs oblatum benefici-

FROTHO. III.

ficium, quàm receptum. Itaq; egeſtis humo opibus, complacitas tollunt. Horum interea remiges, aut curam egêre corporis, aut jactis ſe molibus exercebant. Alii ſaltu, quidam curſu concitavêre corpus. Hi vires validâ ſaxorum jaculatione tentabant, illi ſagittæ uſum tenſo experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem vario agitationis genere proſequebantur. Fuêre & qui ſomnum quietemq; potione captarent. Mittitur deinde Rollerus à patre cognoſcendi causâ domi interim acta. Is ut maternum fumare tugurium vidit, foris accedens, parvulumq́; foramen furtivâ luminis applicatione trajiciens, introſpectâ æde, animadvertit matrem informi cacabo coctilia pulmenta verſantem. Suſpexit præterea tres colubras ſupernè tenui reſte depenſas, ex quarum ore proflua tabes guttatim humorem epulo miniſtrabat. Duæ quippe colore piceæ erant, tertia ſquamis albida videbatur, reliquis modico eminentiùs penſa. Hæc nexum in cauda geſtabat, quum cæteræ immiſſo ventri funiculo tenerentur. Ille rem maleficio conſentaneam ratus, ſilentio quod viderat preſſit, ne matrem veneficii ream aſtruere putaretur. Ignorabat enim innocuam anguium extitiſſe naturam, neſcius quantum illo vigoris epulo pararetur. Supervenientes deinde Regnerus & Ericus, ut fumidam aſpexêre caſam, ingreſſi diſcubitum petivere. Quibus ad menſam ſitis Craca privigno filioq́; unà cibum capturis catillum diſcoloris dapis admovit. Pars quippe picea, ſed croceis guttis interlita, pars albida videbatur: quippe pro variâ ſerpentum ſpecie, geminus pultem color infecerat. Cujus quum ſolam uterq; particulam delibaſſet, Ericus non ex colorum habitu, ſed interni vigoris effectu epulas æſtimans, nigrantem dapis partem, ſed ſucco potiore confectam, catino quàm celerrimè verſo ad ſe tranſtulit, albidamq́; ſibi admotam prius Rollero applicans, cœnam feliciùs geſſit. Et ne mutationis induſtria notaretur, taliter, inquit, æſtuante freto puppim in proram referri ſolitam. Nec tenue viri ingenium fuit, induſtrii operis diſſimulationem à navigii conſvetudine mutuantis.

Ericus itaq; fauſtâ jam dape refectus, internâ ipſius opera ad ſummum humanæ ſapientiæ pondus evaſit. Quippe epuli vigor ſupra quàm credi poterat, omnium illi ſcientiarum copiam ingeneravit, ita ut etiam ferinarum pecudaliumq́; vocum interpretatione calleret. Neq; enim ſolum humanarum rerum peritiſſimus erat, verùm etiam ſenſuales brutorum ſonos ad certarum affectionum intelligentiam referebat. Præterea tam comis atq; ornati eloquii erat, ut quicquid diſſerere cuperet, continuo proverbiorum lepóre poliret. At ubi ſuperveniens Craca concham tranſpoſitam, partemq́; pultis potiorem ab Erico comeſam cognovit, fortunam filio præparatam privigno ceſſiſſe condoluit. Cui mox gemebunda ſupplicare cœpit, ne unquam ſuâ fratrem ope deficeret, quem ipſius mater tot novæ felicitatis opibus cumulaſſet. Quippe ſapido unius epuli guſtu rationis atq; eloquentiæ ſummam, necnon gerendorum proſperè conflictuum gratiam aſſecutus videbatur. Adjecit quoq;, Rollerum propemodum conſilii capacem, futurumq; ut deſtinati ſibi obſonii prorſus expers non eſſet. Monuit quoq;, ſi ſuprema neceſſitatis violentia poſtularet, nominis ſui nuncupatione remedium celeriùs eſſe quærendum, affirmans ſe divinâ partim virtute ſubnixam, & quaſi conſortem cœlitum inſitam numinis geſtare potentiam. Ericus ſe ad aſtandum fratri naturâ pertrahi dixit, probroſum referens alitem, qui proprium polluat nidum. At Cracam magis propriâ moleſtabat incuria, quàm fortuna filii gravaret adverſa. Artificem enim ingenio ſuo deludi magnum olim ruboris incitamentum fuit.

Deinde hæc ipſa, comitante viro, fratres ad mare profecturos abducit. Qui uno egreſſi navigio, duo ſibi mox alia devinxerunt. Et jam Danicum

cum

cum attigêre littus, quum explorato loco haud longè septem subiisse navigia discunt. FROTHO III. Tum Ericus duos Danicæ facundos linguæ eò sine veste proficisci jubet, qui rem certiùs speculaturi nuditatis suæ tanquam per Ericum factæ Oddoni querimoniam afferentes, cautiùs explorata referrent. Illi apud Oddonem familiariùs habiti, omne ducis propositum versutis auribus venati sunt. Statuerat enim diluculo hostem improvidum aggredi, quò citiùs nocturnis implicatum tegminibus obtruncaret, affirmans eo locis tempore corporibus humanis plus stuporis atq; gravedinis inesse solere. Præcepit quoq; naves saxis ad jaciendum habilibus onerari, futuram exitii sui causam accelerans. Exploratores concubiâ nocte delapsi, nunciant Oddonem exquisitis ad jactum lapillis tota replêsse navigia, cæteraq;, quæ acceperant, intimantes. Ericus re admodum cognitâ, quum classis suæ paucitatem attenderet, aquas in hostium perniciem evocandas, earumq, sibi conciliandum putavit auxilium. Itaq; scaphâ exceptus, ac tacito remorum nisu propiùs hostium carinis advectus, vicinas aquæ tabulas sensim intorto terebro cavat, ac mox remigio vix auras pulsante, reditui consulit. Adeò autem circumspectè se gessit, ut excubitorum nemo aditum ejus abscessumve deprehenderet. Quo enavigante, paulatim Oddonis rates excepta rimatim unda depressit. Eædem aquâ latiùs introrsum stagnante recondi gurgite videbantur. Nec parum descensui addidit internum lapidum pondus. Et jam transtra fluctibus diluebantur, forosq; exæquabat mare, quum Oddo navigia propemodum undis æquata conspiciens, receptum immodicè fretum urceis egeri jubet. Itaq; nauticis occiduas navigii partes ab aquarum influxu defendere perseverantibus, comminus hostis apparuit. Igitur arma capessentibus acrior imminebat gurges. Parantibus prælium enandi opus incidit. Erico bellum undæ, non arma gessêre. Pugnabat pro eo mare, cui ipse nocendi vires aditumq; præbuerat. Itaque Ericus fluctu feliciùs quàm ferro usus, efficaci aquarum operâ pugnam absens gerere videbatur, à pelago præsidium mutuatus. Victoria arti contributa est. Neque enim offusum undis navigium pugnæ patiens esse poterat. Taliter Oddone cum sociis interempto, captisq; qui in statione erant, nen inem cladis nuncium evasisse compertum est.

Ericus peractâ jam strage, maturato recessu, Lessø insulam subit. Ubi non reperto, quo famem lenire posset, duobus prædam navigiis domum dirigit, commeatus in annum alterum relaturis. Ipse uno duntaxat adeundi Regis copiam petit. Accesâ itaq; Syelandia, discurrentes per littora nautici pecus sternere aggressi sunt. Aut enim levanda esuries, aut fame periclitandum erat. Armento cæso, nudata in navim cadavera detractis conjecére tergoribus. Quod quum possessores pecoris comperissent, classe prædones insequi properarunt. Cumque se Ericus ab armenti dominis impeti cognovisset, cæsarum boum corpora signatis funibus alligata fluctibus occultanda providit. Deinde si quid apud se quæsiti cadaveris esset, supervenientibus Syelandicis perlustrandi licentiam tribuit, affirmans occultandis rebus angustos navium angulos esse. Illi cadavere nusquam reperto, suspicione in alios relatâ, reos prædæ innocuos arbitrati sunt. Dum nulla rapinæ vestigia patuissent, alios sibi nocuisse putantes, sontibus ignoverunt. Quibus enavigantibus, Ericus elatum undis cadaver excepit.

Interea Frotho Oddonem cum suis occubuisse cognoscit. Quippe ignorato facinoris auctore famosus cladem rumor exceperat. Erant tamen qui se terna vela littoribus appellentia, eademque rursum in Boream abeuntia conspexisse narrarent. Tum Ericus portum, à quo Frotho non longè diversabatur, accessit, statimque ut è navi vestigium extulit, inopinato casu correptus, ruibundo terram corpore petivit. Ille sibi in lapsu faustum ominatus eventum, tenui princi-

FROTHO. III. pio meliores augurabatur exitus affuturos. Cujus quum Grep compertum habuiſſet adventum, feſtinus ad mare contendit, quem cæteris diſertiorem acceperat, exquiſitorum verborum acumine tentaturus. Quippe non tam præſtantis quàm procacis facundiæ pervicaci cunctos ſermone vincebat. Igitur à convitio litigium orſus, talibus Ericum dictis aggreditur:

Grep:

Stulte quis es? quid inane petis? dic unde iter, aut quò?
Quæ via? quod ſtudium? quis pater? unde genus?
Præcipuus vigor iis, regumq; domeſticus eſt lar,
Qui proprias nunquam deſeruère domos.
Acceptatur enim paucis, quod peſſimus edit,
Inviſi raro facta placere ſolent.

Ericus:

REGNO mihi pater eſt, habitus, facundia linguæ,
Cui ſolùm virtus ſemper amata fuit.
Optavi ſapere tantùm, diſcrimina morum
Luſtravi, varium per loca nactus iter.
In rebus mens ſtulta modum deprendere neſcit,
Turpis, & affectus immoderata ſui.
Remorum ductus velorum vincitur uſu,
Æquora ventus agit, triſtior aura ſolum.
Nam freta remigium penetrat, mendacia terras,
Iſtas ore premi conſtat, at illa manu.

Grep:

Ut gallus cœni, ſic litis plenus haberis,
Sorde gravis putes, nec niſi crimen oles.
Adverſum ſcurram cauſam producere non eſt,
Qui vacuâ vocis mobilitate viget.

Ericus:

Hercule, ni fallor, ad eum, qui protulit ipſum,
Editus ignavè ſermo redire ſolet.
Ad prolatorem, juſto conamine, divi
Fuſa parum doctè verba referre ſolent.
Quando lupi dubias primùm diſcernimus aures,
Ipſum in vicino credimus eſſe lupum.
Nulla fides fidei vacuo præſtanda putatur,
Quem rumor ſontem proditionis agit.

Grep:

Dictorum temerè pœnas, puer improbe, ſolves,
Bubo viæ vacuus, noctua luce carens.
Quæ nunc ructaris demens, emiſſa dolebis,
Interituq; tui dicta profana lues.
Exanimis corvos exangui corpore paſces,
Eſca feris, avidæ præda futurus avi.

Ericus:

Augurium timidi, pravique aſſueta voluntas,
Nunquam ſe digno continuère loco.
Qui dominum fallit, qui fœdas concipit artes,
Tam ſibi quàm ſociis inſidioſus erit.
Æde lupum quicunq; fovet, nutrire putatur
Prædonem proprio perniciemq; lari.

Grep:

Non ego Reginam, ſicut tu rêre, fefelli,
Sed teneræ tutor conditionis eram.

Hæc mihi res auxit, hujus mihi gratia primùm
Munera, robur, opes, consiliumq; tulit.

Ericus:

En te cura premit culpæ rea; tutior huic est
Libertas, cui mens intemerata manet.
Decipitur quisquis servum sibi poscit amicum;
Sæpe solet domino verna nocere suo.

Ad hæc Grep responsionis aptitudine destitutus, admissis equum calcaribus excipit. At ubi domum pervenit, tumultuoso clamoris impetu regiam complet, verbisq; se victum vociferans, omnem in arma militem concitabat, tanquam manu infaustum vocis certamen ulturus. Jurabat enim se advenam aciem aquilarum unguibus substraturum. Contrà Rex docet deliberationem furori dandam: improvida plerumq; nocere consilia: nihil cautè simul ac celeriter geri posse: plurimùm præcipites obesse nisus. Ad ultimum multitudine paucos incessere non decére. Cæterùm solertem esse, qui furenti animo frenos injiciat, sævientemq; ad tempus impetum interpellet. Taliter Rex præcipitem juvenis iram consilio cedere coëgit. Nec tamen concitati animi rabiem adeò penitùs ad modestiam evocavit, quin altercationum athleta parum prosperâ disceptatione confusus, negatâ armorum vindictâ, saltem ultionis loco veneficia sibi patére deposceret.

Quo impetrato, cùm exquisitâ magorum turbâ littus repetere parat. Primum itaq; immolati diis equi abscissum caput conto excipiens, subjectis stipitibus distentos faucium rictus aperuit, sperans se primos Erici conatus atrocis spectaculi formidine frustraturum. Arbitrabatur enim ineptas barbarorum mentes, oblatæ cervicis terriculamento cessuras. Et jam Ericus obvium illis iter agebat. Qui prospecto eminus capite obscœnitatis apparatum intelligens, silere socios, cautiusq; se gerere jubet, nec quemquam temerè præcipitare sermonem, ne incauto effamine ullum maleficiis instruerent locum: adjiciens si sermone opus incideret, verba se pro omnibus habiturum. Jamq; medius illos amnis secreverat, quum magi ut Ericum pontis aditu deturbarent, contum, quo equi caput refixerant, fluvio citimum locant. Ille nihilominus intrepidè pontem aggressus, in latorem, inquit, gestaminis sui fortuna recidat, nos melior consequatur eventus! Malè maleficis cedat, infaustæ molis gerulum onus obruat, nobis potiora tribuant omina sospitatem! Nec secus quàm optabatur evénit. Continuò namque excussâ cervice ruens ferentem stipes oppressit. Ita omnis ille maleficiorum paratus ad unius execrationis imperium spe sua vacuus expiravit.

Deinde procedentem paulisper Ericum subit, destinanda Regi esse ab advenis dona. Igitur repertum fortè glaciale frustum veste diligenter obvolvens, muneris loco Regi deferendum curavit. At ubi ad regiam perventum est, prior introitum petens, fratrem ponè consequi jubet. Et jam vernæ Regis, ut ludibrio venientem exciperent, lubricam limini substravére pellem. Quam ingrediente Erico celeri funis tractu corripientes lapsum insistenti fecissent, ni Rollerus ponè subiens pectore nutabundum exciperet fratrem. Ericus itaque semifusus, nudum habere tergum fraternitatis inopem referebat. Cumque Gunvara talia Regi permittenda negaret, ille stoliditatis legatum damnabat, apud quem insidiarum cautela non esset. Itaque ludibrii excusationem ludificati incuriam fecit.

Ardebat intra ædem ignis vultui temporis haud indebitus. Quippe jam medium hyemis fluxerat. Huic distinctis consessibus, hinc

Rex, inde pugiles assedére. Qui applicante se ipsis Erico, ululantium more horrisonas dedére voces. Rex strepitum inhibere cœpit, docens non debere pectoribus humanis ferinos inesse sonos. Subjunxit Ericus, canum hunc esse morem, ut uno inchoante, cæteri latratum edant, quòd propriam cuncti moribus originem prodant, ac suum quisq; genus fateatur. Interrogatus autem à Colone, qui delatorum Regi munerum custos erat, an ulla secum dona vexisset? glaciem, quam sinu occultaverat, promit. Quam cum illi trans foculum porrexisset, tanquam manu recipientis elapsam flammis de industria tradidit. Cunctis, qui aderant, conspicuum nitore frustum cernentibus, visum est igni liquidùm incidisse metallum. Quod cùm Ericus receptoris incuria excussum esse contenderet, quid supplicii muneris amissori debeatur, inquirit. Rex reginæ sententiam consulit. Quæ suadere cœpit, ne ipse legis à se latæ statutum solveret, quâ transmissorum sibi munerum perditores morte mulctandos cavisset. Cæteri quoq; decretam lege pœnam remittendam esse negabant. Itaq; Rex supplicii necessitatem admittere monitus, Colonem laqueo consumi permisit.

Deinde Frotho Ericum alloqui sic orsus est: Tu, qui verborum fastu ac phaleratæ vocis ostentatione lascivis, unde huc te, aut cur adventasse commemoras? Ad hæc Ericus: A Renneſø prodii, sedemque apud lapidem cepi. Contrà Frotho: Quò deinde concesseris, rogo. Cui Ericus: Diverti à lapide trabe vectus, identidemque apud lapidem locum cepi. Ad hæc Frotho: Quorsum inde cursum direxeris, aut ubi te vesper exceperit, quæso. Tum Ericus: Profectus à petra ad saxum perveni, itemque apud lapidem cubui. Cui Frotho: Creber illic cautium numerus erat? Ad hæc Ericus: Crebrior harena patenter conspicitur. Contrà Frotho: Quid tibi negocii fuerit, aut quorsum illinc declinaveris, refer. Tum Ericus: Profectus à petra delphinum cursitante navigio reperi. Cui Frotho: Jam nova prompsisti, quanquam utrumque horum in mari frequens sit, sed velim, quis te deinde trames abduxerit, nosse. Ad hæc Ericus: A delphino delphinum petivi. Contrà Frotho: Frequens illic delphinorum est agmen? Tum Ericus: Frequentiùs undis innatat. Cui Frotho: Libet scire, quò te à delphinis proficiscentem viæ captaverit labor. Ad hæc Ericus: Arboreum mox truncum offendi. Contrà Frotho: Quorsum post hæc iter emetiri cœpisti? Tum Ericus: A trunco ad stipitem concessi. Cui Frotho: Frequens illic arboribus locus existit, cum hospitum tuorum sedes tam crebro truncorum nomine complectaris. Ad hæc Ericus: Frequentior nemoribus inest. Contrà Frotho: Quò deinde vestigium pertuleris, ede. Tum Ericus: Identidem ad trunca sylvarum robora penetravi; me autem illic acquiescente, exatiati humanis cadaveribus lupi suprema telorum acumina collambebant. Ibi cuspis à robore Regis excussa est, Fridlevi nepos. Cui Frotho: Hæreo altercationis anceps, cum intellectum meum obscurâ admodum ambage fefelleris. Ad hæc Ericus: Præmium à te peracti certaminis merui, cui sub involucro quædam haud satis intellecta deprompsi. Cædem enim Oddonis meâ gestam manu superiori cuspidis appellatione signavi. Cui cum Regina quoq; eloquentiæ palmam ac victricis facundiæ præmium adiudicasset: continuò Rex armillam brachio suo detractam decretæ mercedis loco tradidit, atque subjunxit: velim ex temet habitam tibi cum Greppo disceptationem cognoscere, quâ illum palàm se victum protestari non puduit. Tunc Ericus: Robur illum exprobrati adulterii perculit, cui cum defensionem afferre non posset, cum tua se fassus est uxore mœchatum. Et Rex ad Hannundam conversus, quâ mente criminationem exciperet, percontatur. Quæ non solum voce crimen confessa, sed etiam vultu testem reatus ruborem exerens, evidens culpæ indicium præbuit. Rex non verba modò, verumetiam oris signa conspiciens, sed quâ lege in ream animadverteret hæsitans, debitam crimini pœnam reginæ contulit arbitrio decernendum. Quæ pecto-

cùm creditum ſibi judicium reatui ſuo affine cognoſceret, ideoq́; æſtimationem criminis aliquandiu ſententiæ dubia volutaret; diſſiliens Greppus, ut Ericum telo trajiceret, procurrit, criminantis cæde ſuam redimere cupiens. Quem Rollerus diſtricto enſe occupans, molitionis ſuæ prædamnavit exemplo. Aitq́; Ericus, optima eſt affinium opera opis indigo. Et Rollerus: Inter aſperos caſus officiosè adſciſcendi ſunt boni. Tum Frotho: Credo eventurum vobis, quod vulgò dici aſſolet, ferienti interdum breve percuſſionis gaudium fore, nec diu manum ictu exhilarari ſolere. Et Ericus: Non eſt arguendus, cujus operi excuſamentum juſtitia tribuit. Tantum enim inter meam atq; Greppi operam diſtat, quantum inter defendentis ſe, atq; alium impetentis intereſt actionem.

Deinde fratres Greppi fremebundi diſſilire cœperunt, jurantes ſe, aut in totam Erici claſſem ultores, aut pugnam ei, denisq́; cum ipſo pugilibus illaturos. Quibus Ericus: Ægris iter arte providendum eſt. Hebetem tenenti aciem, mollia ac tenera luſtrare convenit. Retuſum habenti cultrum, artuatim ſectionis perquirenda eſt via. Quoniam ergo laboranti optima eſt mali mora, nec quicquam in adverſis neceſſitatis dilatione feliciùs, triduum apparatui peto, dummodo aſſequi poſſim à Rege recens mactatæ pecudis tergus. Cui Frotho: Corium meretur, qui corio concidit; apertè ſuperiorem petitori exprobrans caſum. At ille exhibitâ pelle, crepidas creat, quas abietino gummi interfuſis mixtim harenis oblinens, quò firmius veſtigia poneret, ſuis ſuorumq́; pedibus adaptavit. Conſiderato tandem quem certamini locum legeret, terreſtris pugnæ, & totius militaris operæ rudem ſe referens, campum gelati maris expoſcit. In hunc utriſq; conſenſum eſt. Rex apparatibus inducias tribuens, Weſtmari filios ſecedere jubet, incongruum aſſerens, etiam malè meritum hoſpitio advenam pelli. Deinde ad inveſtigandum ſupplicii modum, cujus exigendi arbitrium reginæ mandaverat, redit. Quæ quum omiſſa cenſurâ veniam lapſui precaretur, adjecit Ericus: Muliebriter erratis ſæpiùs ignoſcendum eſſe, nec pœnam infligendum, niſi correctio culpam nequiviſſet avertere. Ignovitq́; Hannundæ Rex. Appetente crepuſculo, apud Gøtherum, inquit Ericus, epulaturi in convivio militis non ſolum cœnacula procurantur, ſed etiam per acriptos conſeſſus certi diſtinguuntur accubitus. Rex loca, quibus athletæ ſui inſederant, occupanda concedit. Deinde verna epulum affert. At Ericus comitatis regiæ non ignarus, quâ prandiorum uti reliquiis vetabatur, fruſtum cujus particulam delibaſſet, abjecit, integras eſcas, lacera ciborum fragmenta nominans. Ita rareſcentibus epulis, miniſtri alias inopiæ atq; verecundiæ ſuggerunt, parvulæ cœnæ impendentes, quod grandi convivio ſufficere potuiſſet. Ait ergo Rex: Aſſolét ne Gøtheri miles tactam ſemel dapem tanquam amolita ciborum cruſtra diſperdere? primaque fercula ultimorum ritu fragminum aſpernari? Ad hæc Ericus: Nihil ſibi de Gøtheri moribus incondita vendicavit affectio, nihil aſſuetudo incompoſita poſſidet. At Frotho: Ergo domini tui moribus diſcors, non omnem argueris prudentiam attendiſſe. Qui enim majorum exemplis obviat, transfugam ac defectorem ſe probat. Tum Ericus: Sapiens à ſapientiori erudiri debet. Diſcendo enim doctrina proficit, dogmate diſciplina provehitur. Contrà Frotho: Quid mihi exemplaris documenti hæc tuæ ſuperfluitatis imitatio dabit? Ad hæc Ericus: Tutiùs Regem fides parvula, quàm ingens vallat perfidia. Cui Frotho: Ergo tu nos accuratiore cæteris obſequio complecteris? Tum Ericus: Nemo non natum ſtabulo, aut ingenitum præſepio applicat. Necdum omnium experientiam accepiſti. Præterea apud Gøtherum potionis uſus epulo permixtus eſſe ſolet, liquor cibo conjunctim ſuperadditus comeſſabundos juvat. Contra Frotho: Impudentiorem potus aut epuli petitorem non reperi.

FROTHO. III. Ad hæc Ericus:Pauci tacentis egeſtatem æſtimant, aut ſilentis neceſſitudinem metiuntur. Tum ſoror Regis ingenti paterâ potionem proferre juſſa. Cujus Ericus dexteram cum oblato ſimul cratere corripiens, an hoc,inquit, Regum optime, munus tua mihi delegavit humanitas? Num mihi quod teneo irrevocabilis doni loco ceſſurum eſſe confirmas? Rex pateram tantum poſtulari ratus, pronunciat donum. At Ericus virginem ſibi veluti cum patera datam applicat. Quo viſo Rex, fatuum, inquit, opera prodit. Apud nos intacta virginum libertas haberi ſolet. Tunc Ericus puellæ manum perinde ac poculi nomine traditam, ferro deſecturum ſe ſimulans, & ſi,inquit, plura quàm dederis ceperim, aut ſi totum temerè teneo, ſaltem parte potiri liceat. Rex promiſſi errore recognito, puellam tradidit, nolens incuriæ vitium levitate reſcindere, quo gravior pollicentis videretur autoritas: quanquam inania pacta revocare, maturitati potiùs quàm inconſtantiæ deputetur.

Deinde illum ad naves accepta revertendi ſponſione dimittit, tempore quod pugnæ debebatur inſtante. Ericus cum ſuis cruſtatum glacie æquor aggreſſus, lubricum inſtabilemq; gradu hoſtem ſolearum nixus firmitate proſtravit. Statuerat enim Frotho, ne quis inclinatis, aut laborantibus auxilio foret. Deinde victor repetit Regem. Igitur Gøtvara conſumptæ infeliciter ſobolis exitio mœſta, ſimulq; eam ulciſci avida, pronunciat adverſus Ericum altercandi collibitum ſibi fore certamen, ita ut ipſa torquem magni ponderis, ille vitam in pignore poneret, aut aurum vincendo, aut lethum ſuccumbendo laturus. Comprobante certamen Erico, penes Gunvaram pignus deponitur. Igitur Gotvara prior ſic orſa:

Quando tuam limas admiſſâ cote bipennem,
Nonne terit tremulas mentula quaſſa nates?

Ericus ſic contrà.

Ut cuivis natura pilos in corpore ſevit,
Omnis nempe ſuo barba ferenda loco eſt.
Remigiis homines artus agitare neceſſe eſt,
Motus quippe ſuos nam labor omnis habet.
Cum natis excipitur nate, vel qvum ſubdita penem
Vulua capit, quid ad hæc addere majus erit?

Ad hæc illa tanquam elocutionis inops, cui necem deſtinaverat, aurum tradere coacta eſt, filiorum interfectori pœnæ loco eximium erogans munus. Cumulata ſiquidem infelicitas eſt, non vindicata malignitas. Primum enim orbitati adacta, ac deinde verborum violentiâ confutata, cum opibus ſimul eloquentiæ precium perdidit. Beavit liberorum ſublatorem, auctorem orbitatis ſuæ præmio munerata: nihil pro repenſanda filiorum clade, præter inſcitiæ probrum, ac rerum inopiam referens. Quo viſo, Weſtmarus verbis ſuperiorem, viribus inceſſere ſtatuit, vincentis præmium in victi nece conſtituens, ut utriuſq; ſalus in pignore poſita videretur. Nec Ericus conditione uti abnuit, ne linguâ quàm manu promptior exiſtimari poſſet. Erat autem tale certaminis genus: Circulus vimine vel fune contextus, magno pedum manuumq; conatu decertaturis raptim diſtrahendus exhiberi ſolebat, fortiori tribuens palmam: quem colluctantium ſi quis alteri detraxiſſet, victoriâ donabatur. In quem modum agonizans Ericus, correptam acriùs reſtem manibus concertantis excuſſit. Quod Frotho videns, arduum, inquit, reor contra fortem fune contendere. Et Ericus: Arduum utiq; cùm corpori ſtruma inſidet, aut tergum occupat gibbus. Statimq; propulſo pede ſenem colli ſenilis ac dorſi fractione contrivit. Ita Weſtmarus inefficax ultionis molitor, dum vindicem agere ſtuduit, in ulciſcendorum ſortem incidit, quorum ulciſci cupierat cædem imagine profligatus.

At Frothone Ericum jactu ſicæ trajicere meditante, conſcia fraternæ mentis Gunvara, ſponſum periculi præmonitura, neminem, inquit, ſapientem fore, qui ſui proviſor non ſit. Quo dicto Ericus propulſandæ fraudis admoni-

moni-

FROTHO III.

monitus, ſuggeſtam ſibi cautelam argutus excepit. Continuò namq; exſiliens, triumphalem, ait, fore gloriam ſapientis dolum ſuimet ultorem exiſtere, modeſto vocationis genere inſidiantis ingenium lacerans. Quem quum Rex repentino cultri jactu declinantem occupare non poſſet, adverſo parieti errabundum incidit ferrum. Tunc ſic Ericus: Porrigenda ſunt amicis munera, non jactanda: probabile feciſſes donum, ſi comitem ferro vaginam dediſſes. Quam rex continuò cingulo detractam petenti tradidit, moderatione hoſtis odium deponere coactus. Ita alienæ ſimulationis induſtria delinitus, emiſſum malignè telum benignè poſſidendum conceſſit. Sic Ericus exceptam diſſimulanter injuriam ad beneficium tranſtulit, deſtinatum cladi ſuæ ferrum eximii muneris loco complexus. Quod enim Frotho nocendi ſtudio geſſerat, hic liberalitatis nomine colorabat. Deinde corporum curæ indultum eſt. Noctu Gunvara tacitè excitato eo, fugâ opus eſſe proponit, perquam utile referens, rebus integris incolumi redire curru. Quâ comite littus ingreſſus, claſſem regiam illic fortè ſubductam, diffiſſa laterum parte, navigationi inhabilem reddidit, inſertisq; rurſum aſſerculis ſarſit, quo minus ab intuentibus læſio noſceretur. Deinde navigium, quo ſe, comitesq; receperat, haud procul littore depelli curat. Quem Rex laceratis inſequi navibus parans, mox fluctu foros æquante, quanquam armis admodum onuſtus exiſteret, enare inter alios cœpit, propriæ ſalutis ſervandæ, quàm alienæ laceſſendæ cupidior effectus. Præcipitatis in altum proris, ſedibus ſuis remiges ſtagnans introrſum æſtus excuſſit. Quo Rollerus Ericusq; conſpecto, cum contemptu periculi incunctanter ſe profundo dedêre, natabundiq; fluctuantem excepêre Regem. Jamq; eum ſuperfuſa ter unda ſubruerat, quum Ericus cæſarie comprehenſum pelago levat. Cætera naufragorum turba aut aquis obruta, aut ægrè littori reſtituta eſt. Rex humido nudatus cultu, ſiccâ circumactus veſte contegitur. Multus illi ab ore liquor crebrâ pectoris ructatione manabat. Vox quoq; eum continuis laſſata ſingultibus deficere videbatur. Tandem redditus calor frigore hebetatos artus ſpiritu vegetiore firmabat. Reſidere ſiquidem, nec aſſurgere poterat, haud juſtè virium compos. Paulatim priſtini roboris potentia ſubiit. Interrogatus tandem, an vitam, pacemq; depoſceret? admota oculis manu, dejectam luminum aciem attollere nitebatur.

At ubi ſenſim corpori virtus reddita eſt, & voci fiducia major inceſſit, per hanc, inquit, lucem, quam invitus excipio, per cœlum, quod parum libenter haurio ſuſpicioq;, obſecro vos obteſtorq; ne mihi ulteriorem ejus uſum præſtare animum inducatis. Fruſtra volentem perire ſervaſtis. Aquis mihi interire negatum eſt, ferri ſaltem officio moriar. A nemine victus, tuo primum, Erice, ingenio ceſſi: hoc infelicior, quòd qui illuſtribus viris invictus extiti, plebejo de me victoriam præbui. Ingens hoc regii pudoris irritamentum eſt. Sufficit hæc ſola duci ad moriendum cauſa, cui nihil gloriâ magis placere convenit: quâ ſi careat, cæterorum inopem putes. Nihil enim in Rege celebriùs famâ. Credita mihi erat rationis atq; eloquentiæ ſumma. Sed quorum utroq; pollere videbar, utroq; deſtitutus ſum, eò calamitoſior, quòd Regum victor, ab agreſti victus videor. Quid vitâ donas, quem gloriâ ſpoliaſti? Sororem, regnum, gazam, ſupellectilem, & quod iis majus eſt, claritudinem perdidi, tot infelix caſibus, quot tu fortunatus agnoſceris. Quid tanto ſuperſtes dedecori reſervabor? Quæ mihi libertas tam felix erit, ut captivitatis ignominiam demat? Quid mihi ſequentia conferent tempora, quæ nihil niſi præteritorum miſeriam redolentia, longam animo pœnitentiam generabunt? Quid vitæ productio proderit, ſolam triſtitiæ memoriam relatura? Nihil calamitoſis jucundius morte. Felix eſt obitus, qui ſuccedit optatus. Hic non temporum dulcedinem tollit, ſed rerum faſtidium conſumit. In proſperis ſalus, in adverſis melius fatum petitur. Nulla me meliorum ſpes ad vivendi cupiditatem adducit. Quis ad ſolidum laceratam fortunæ

tunæ meæ ſortem reſarciet caſus? Et jam horum niſi periclitantem excepiſſetis, immemor eſſem. Reddideris regnum, ſororem reduxeris, inſtauraveris gazam, claritatem reparare non poteris. Nihil quod reſartum eſt, integri ſplendorem habebit. Captivum fuiſſe Frothonem longæva recenſebit fama. Cæterùm ſi inflictas vobis ex me calumnias muneratis, veſtris occidere manibus merui. Si damna recolitis, beneficii pœnitebit. Pudebit ſubventum fuiſſe hoſti, ſi atrocitatis ejus in vos magnitudo taxetur. Quid reo parcitis? quid manum à perſecutoris veſtri jugulo cohibetis? Par eſt, ut in me ſors, quam vobis paraveram, recidat. Fateor ſi mihi in vos ea, quam in me geritis poteſtas incideret, nihil à me pietati deferendum eſſe. Quod ſi vobis facto innocens ſum, voluntate ſaltem reus teneor. Redundet in me, quæſo, nocens animi culpa, qui interdum operis loco cenſeri ſolet. Si fato ferrum negatis, propria mihi manu cladem conſciſcendam curabo.

Contrà ſic Ericus: Dii à te quæſo avertant ſtolidam mentem, avertant inquam, ne clariſſimæ vitæ finem flagitio quæras. Sanè quidem ab ipſis prohibitum eſt, benignum in alios in ſe parricidam fore. Tentatus es à fortuna, quo mentis habitu adverſa exciperes, explorante. Probamentum tibi dedére fata, non caſum. Nihil tibi mœroris inflictum eſt, quod ſors melior abolere non poſſit. Cautela etenim præbita eſt, non mutata felicitas. Nemo modeſtè ſe in proſperis agit, qui adverſa tolerare non didicit. Præterea omnis bonorum uſus poſt agnita gratiùs mala percipitur. Jocundior eſt voluptas, quæ rerum amaritudini ſuccedit. Salutem tuam averſaberis, ſi ſuperfuſo ſemel æquore maduiſti? Quod ſi aquis frangeris, quando ferrum æquanimiter tolerabis? Enaſſe armatum quis non gloriæ magis tribuat quam rubori? Quot ſe felices reputarent, ſi tua ſorte infelices eſſent? Summa te rerum manet, floret animus, pubeſcit ætas, plura ſpe complecti poteris, quàm geſſeris rebus. Nunquam hoc tibi levitatis ineſſe vellem, ut non modò fugere aſpera, ſed etiam ob eorum impatientiam vitam abjicere cupias. Quovis effœminatior eſt, qui adverſorum metu vivendi fiduciam perdit. Nemo ſapientum morte res adverſas redimere ſolet. Stulta eſt in alium indignatio, temeraria in ſe. Ignavus eſt furor qui ſuum condemnat autorem. Quod ſi ultrò ob injuriam, aut levem animi commotionem fatum appetis, quem tui vindicem derelinquis? Quis tam amens, ut dubium fortunæ habitum proprio ulciſci interitu velit? Quis adeò felix vixit, quin triſtior illum quandoq; fortuna pulſaret? Inconcuſſa duxiſti tempora, continua felicitate uſus, & nunc ad modicam triſtitiæ ſalebram, ut dolori parcas, vitam deferere paras? Quomodo leviorum impatiens, graviora deinde ſupercilia ferre poteris? Inſipidus eſt, qui nunquam mœroris poculum deguſtavit. Nemo dura non paſſus, temperanter facilibus utitur. Qui fortitudinis columen eſſe debueras, enervis animi ſpecimen exhibebis? Fortiſſimo parente editus, ultimæ imbecillitatis ſpectaculum dabis? Sic à majoribus diſcrepabis, ut fœminis mollior fias? Nec dum adoleſcere cœpiſti, & jam te vitæ ſatietas cepit? Quis hanc prior imaginem præbuit? Clariſſimi avi nepos invicto patre editus, levem contrariorum auram perpeti non valebit? Indoles tua avitæ virtutis habitum repræſentat. A nemine victus es; tua tibi ſolum incuria nocuit. Periculo per nos erutus es, non ſubactus. Amicitiam injuriæ deputabis, odium pro gratiâ relaturus? Obſequio placari debueras, non moveri. Nunquam te dii eò furoris excedere velint, ut ſervatorem inſidiatoris loco notare ſuſtineas. An eo tibi rei erimus, quo benefici ſumus, indignationem officiis contracturi? Reputabis hoſtem, cui ſalutis tuæ præmium debes? Neq; enim te liberum captivavimus, ſed ope prævenimus laborantem. Et ecce gazam, opes, ſupellectilem reddo. Soror tua ſi mihi temerè deſpon-

desponsata creditur, cui decreveris nubat; enimverò intacta illi pudicitia manet. Cæterum militare tibi, si acceptaveris, volo. Cave ne abs re irâ animum obstines. Nulla te rerum jactura concussit. Nihil libertati tuæ detractum est. Obsequentem me tibi, non imperantem agnosces. Qualemcunq; de capite meo sententiam decreveris, comprobo. Idem te hic, quod in Regia posse confide. Eandem hic, quam in aula, imperitandi potentiam tenes. Hoc de nobis in loco, quicquid apud regiam placuisset, institue. Proni ad parendum sumus. Hactenus Ericus. FROTHO. III.

At Regem hæc tam in se, quam in hostem mansvefecit oratio. Deinde compositis pacatisq; omnibus, reditur in littus. Rex Ericum ac nauticos vehiculis excipi jubet. At ubi in regiam est ventum, concionem advocari facit, in quam accersito Erico sub sponsalium fide sororem & centurionatum dedit. Adjecit deinde fastidio sibi fore reginam, filiam placuisse Gøtheri. Ideoq; novum illi legationis opus deberi; optimè ab ipso negotium expleri posse, cujus nihil arduum conatui videretur fore. Præterea se Gøtvaram celati criminis consciam silicibus obruturum. Hanundam verò redditurum patri, ne in Dania conversantem capitis sui insidiatricem haberet. Ericus consilium probat, suam imperatis operam pollicens, excepto quod reginam repudio actam, Rollero meliùs maritandam astrueret, à quo nullâ majestati suspicio foret. Quam sententiam Frotho perinde ac divinitus datum documentum venerabundus excepit. Regina quoq; ne violentiâ astringi videretur, muliebriter obtemperavit, affirmans à natura dolendi necessitatem non esse, omnemq; animi ægritudinem ab opinione proficisci solere. Cæterùm plangendam non esse pœnam, quæ meritis accidisset. Ita ergo fratres conjunctas egêre nuptias, altero sororem Regis, altero repudiatam Reginam ducente.

Deinde sumptis secum conjugibus, navigationem in Norvagiam referunt. Neq; enim illas à virorum latere, aut viæ longinquitas, aut futuri periculi metus divellere poterat, affirmantes ut plumam hirto, sic se maritis cohæsuras fore. Et jam Cracam, demortuo Regnero, Brac cuidam nupsisse comperiunt. Deinde paternæ gazæ memores, egestam humo pecuniam tollunt. At Gøtherus omnem Erici fortunam, famâ virum præeunte, didicerat. Ut autem ipsum advenisse cognovit, veritus ultima quæq; in Norvagienses eximia sui fiduciâ moliturum, uxore privare, suamq; illi filiam ademptæ conjugis loco copulare studebat. Reginâ namq; nuper demortuâ, nullas magis quam germanæ Frothonis nuptias affectabat. Cujus Ericus intentione compertâ, convocatis sociis refert suam necdum cautibus abstitisse fortunam. Cæterùm sperare se fascem labilem esse, qui vinculo non firmetur: perindeq; omne pœnæ pondus repente decidere, quod culpæ catena non fixerit. Id eos apud Frothonem nuper expertos esse cernentes, innocentiam suam inter ægerrimos casus diis opitulantibus fuisse defensam, eademq; ulterius conservata, consimilem in adversis opem sperare debere. Deinde fugam eos paulisper fingere oportere, si primum à Gøthero lacessiti forent, justiorem belli titulum habituros. Manum siquidem capitis periculo objici, omni jure permissum esse. Raro autem quenquam commissam cum innoxiis pugnam feliciter exequi posse. Prius ergo hostem adversum se provocandum esse, quo justior eundem impetendi causa succederet. Nec plura elocutus, domum Bracum invisere pergit. Deinde ad Gunvaram conversus, experiendæ ejus fidei gratiâ percontatur, an Gøtherum cordi haberet, indignum docens regiæ stirpis puellam toro popularis astringi. Quem illa per deorum numina impensius obtestari aggressa, fictimne, an veraciter excogitata haberet? Eo per serium se locutum dicente, ergo, inquit, extremum mihi ruborem injicere paras, quam virginem adamasti, viduam relicturus. Sæpe rebus contrarium fama prædicat popularis: me de te fefellit opinio. Constanti nupsisse putabam, & nunc ventis leviorem experior, quem indubitatæ fidei fuisse

fuisse sperabam. Hæc fata, abundè lachrymas dedit. Grata Erico uxoris indignatio fuit, cui mox amplexum injiciens, scire, ait, volebam, quantum tibi in me fidei esset, mors sola diremptionis nostræ jus possidet. Te tamen Gøtherus raptui destinat, amorem latrocinio quæsiturus: quem quum peregerit, tuâ gestum simula voluntate, nihilominus nuptias dilatura, quousq; filiam mihi tui loco tradiderit. Quâ impetratâ, uno ego ac Gøtherus die nuptias acturi sumus. Itaq; disparata nobis ad convivandum triclinia, sed medium parietem communicantia præbere curato, ne me fortè coram oculis habito, languidiore Regem contemplatione perstringas. Hoc enim ad eludendum raptoris studium perquam efficax commentum erit. Deinde Bracum cum delecta promptissimorum manu haud procul regia delitere præcipit sibi, quum res posceret auxilio futurum.

Post hæc adscito Rollero, provocandi Regis gratiâ, cum nupta ac supellectile, simulato metu, fugam navigio petivit. Igitur Gøtheri sibi classem instare conspiciens, En, ait, arcus doli insidiarum spiculum jacit; statimq́; concitatis clamore nautis, clavo puppim convertit. Quem Gøtherus propemodum advectus, quis rector esset navigii, percontatur: Ericum esse cognoscit. Item exclamans, an ipse sit qui mirifico verborum habitu cæterorum facundiam frustraretur, inquirit. Quibus auditis, Ericus olim ab ipso se Diserti cognomine donatum esse, nec frustra appellationis augurium excepisse subjunxit. Dehinc ab utrisq; proximum in littus concessum est, ubi Gøtherus Erici legatione cognitâ, Frothonis se refert sororem cupere, legato verò filiam exhibere malle, quò minus eum alii suam cessisse conjugem pœniteret. Itaq; non incongruum fore, si legationis fructus in suum recidisset latorem. Ericum igitur sibi generum complacere, dummodò per Gunvaram Frothonis affinitatem impetrare potuisset. Ericus Regis benevolentiam exosculatus, sententiam probat, ultrò sibi offerri asserens, quo majus à diis immortalibus exoptare non posset. Ab ipso tamen Gunvaræ mentem arbitriumq́; prænosci debere. Illa adulantem se Regem simulato favore excepit, petentiq́; promptum deferre videbatur assensum, obsecrans, ut Erici nuptiis suas præcurri pateretur: quibus primum admissis, aptior regalibus suppeteret locus, ob hoc quidem maximè, ne denuò nuptura novum connubii pactum reducta veteris memoria fastidiret. Præterea non expedire firmabat, binos paratus una celebratione confundi. Rex responsis evictus, affatim postulata collaudat. Qui quum ex crebris Erici colloquiis clarissima sententiarum schemata, quibus animo delectari ac refici possit, hausisset, non contentus ei filiam in matrimonium dedisse, Litharfulki quoq; provinciam tradit, beneficium affinitati impartiendum existimans. Craca verò, quæ Erico ob incantationum solertiam itineris comes adscita fuerat, adversam oculorum valetudinem simulans, ita faciem peplo obstrinxerat, ut ne sola quidem cognoscendi capitis particula promineret. Rogata quænam esset, Gunvaræ se sororem perhibuit, eâdem matre, diverso vero patre progenitam.

At ubi in Gøtheri penates perventum, tædarum Alvildæ (id filiæ ejus nomen erat) convivium exhibetur. Diversis Ericus ac Rex ædibus accumbebant, quarum tecta paries communis exceperat. Eædem deintus pensilibus per totum obductæ aulæis erant. Assedit Gøthero Gunvara, sed Ericum altrinsecus Craca cum Alvilda stipabat. Qui inter jocandum subducto sensim è pariete assere, quantum loci humanum corpus transmittere posset, aperuit, ignarisq́; convivis spacium meatui pervium fecit. Deinde sponsam, an Frothoni, quam sibi nubere mallet, curiosiùs percontari inter epulas cœpit: maximè cum observato copularum respectu, regia proles consentaneæ nobilitatis amplexui debeatur, ne unius conjugum dignitas, alterius indignitate depereat. Quâ se inconcessis à patre nuptiis usuram negante,

gante,

FROTHO. III.

gante, reginam eam fore, cæterasq; opibus excessuram promittens, ex repugnante obsequentem effecit, non minus opum spe quam gloriâ captam. Cracam quoq; traditum est, exhibitæ potionis temperamento, Frothonis amori virgineam adegisse cupidinem.

At Gøtherus Erici post epulas convivium petit, nuptialis joci licentiam adaucturus. Quo exeunte Gunvara, sicut ante jussa fuerat, subducti asseris loco pervium transgressa parietem, proximum Erico discubitum occupat. Cui Gøtherus eam consessu junctam miratus, qualiter & quare eò venerit percontari impensiùs cœpit. Illa sororem se Gunvaræ, regemq; formarum falli similitudine memorabat. Cujus cum Rex cognoscendi causâ, subitò Regiam repetivisset, Gunvara postico se quò venerat referens, pristino in loco cunctis spectanda consedit. Quâ visa Gøtherus parum luminibus credulus, maxima cum agnitionis diffidentia ad Ericum iter remensus, relatam suo more Gunvaram præ oculis habuit. Ita quoties aularum aditus permutavit, toties utrobiq; quam quærebat offendit. Et jam non consimilis, sed eadem hinc inde facies ingenti regem admiratione torquebat. Impossibile enim ad omnem videbatur modum, absq; notabili discrimine, eundem diversis habitum inesse formarum. Soluto tandem convivio, filiam & Ericum nuptiali in cubiculum usq; comitate prosequitur. Ipse aliàs cubitum redit.

At Ericus Alvildam Frothoni destinatam, seorsum cubare permittit, Gunvaram, ut antè, deluso Rege, complexus. Itaq; Gøtherus insomnem agens noctem, stupido errantiq; animo ludificationis suæ speciem agitabat. Neq; enim paritas specierum, sed identitas videbatur. Unde incerta adeò atq; anceps illum æstimatio subiit, ut errori tribueret, quòd revera deprehensum habebat. Tandem pariete fraudem instrui potuisse, animo obversatum est. Quem cùm diligentius inspici lustrariq; jussisset, nulla fractionis vestigia deprehendit. Inconcussa siquidem totius ædis integritas apparebat. Quippe Ericus nocte concubiâ, quò minus dolus conspicuus foret, soluti parietis sarserat læsionem. Deinde duos cognoscendæ rei causâ tacitè Erici cubiculo intromissos, ac post aulæam consistere jussos, cuncta curiosiùs attendere jubet. Iidem Ericum cùm Gunvara repertum, occidendiq; præceptum acceperant. Qui initâ latenter æde, velatis cortinâ angulis præsentiam occultantes, Ericum ac Gunvaram nexis invicem brachiis, communi toro fruentes conspiciunt. Quos semisopitos rati, profundiorem quietis copiam expectabant, operiri volentes, donec exequendi sceleris occasionem gravior porrigeret somnus. Qui cum stertente sonoriùs Erico, concepti liberiùs somni speciem agnovissent, continuò trucidandi ejus gratiâ, destrictis prodière mucronibus. Quorum Ericus insidioso expergefactus accursu, cum imminentes capiti gladios suspexisset, dicto novercæ nomine, quod olim inter pericula nuncupare jussus fuerat, promptum necessitatis remedium expertus est. Clypeus enim ejus, qui sublimiùs à trabe pendebat, ilico in eum collapsus, inerme corpus quasi de industriâ, ne à latronibus confoderetur, obtexit. At ille fortunâ haud frustra usus, proximi latronis utrumq; pedem rapto desecuit ferro. Alterum Gunvara non impetu minori hastâ transfodit, muliebri corpore virilem animum æquans.

Taliter Ericus insidiis liberatus, repetito mari nocturnæ navigationi se præparat. At Rollerus iis qui comminus excubare jussi fuerant, signum irrumpendæ regiæ lituo dedit. Quo Rex audito, hostium adventum indicari ratus, præceps fugam navigio tenuit. Interea Bracus, & qui cum eo irruerant, convulsam Regis supellectilem, Erici navibus imponendam curabant. Medium fermè noctis agendis impensum est prædis. Quorum manè Rex cognitâ fugâ insecutionem molitus, per amicorum quendam, ne quid subitò pararet, aut cum impetu exequeretur, admonitus est. Persuadebatur quippe majore instrumento opus esse, nec expedire, cum paucis in Daniam consequi fugientes. Sed ne sic quidem impatiens animus damni impetum pressit.

Nihil

FROTHO III.

Nihil enim magis moverat Regem, quàm quod alienæ cladis paratus recidisset in suos. Enavigans autem Rex, pervenit in portum, qui nunc ab Omi vocabulum tenet. Ubi adversâ tempestate obortâ, alimentis defectus, satiùs arbitratus est moriendi necessitatem ferro subire, quàm fame. Itaq; nautici manu in seipsos versa, alternis vulneribus acceleravêre fatum. Rex cum paucis montium prærupta secutus elabitur. Indicium cladis, colles editi præbent. Interea Erico prosperè navigationem emenso, Frothoni cum Alvilda nuptiæ actæ sunt.

Post hæc Sclavorum mandatur irruptio. Ad quam coërcendam Ericus cùm octo navigiis destinatur: quippe Frotho rudis adhuc rei bellicæ videbatur. Ericus igitur ne virilem unquam operam detrectaret, susceptum gratulanter officium, fortiter exequendum curavit. Qui cùm piratas septenis navibus esse cognosceret, unâ tantum è suis advectus, reliquas ligneis propugnaculis cingi, consisq; arborum ramalibus obduci jubet. Deinde cùm hosticæ classis numerum pleniùs speculaturus procederet, insequentibus se Sclavis, ocyus ad suos refugere cœpit. At hostes ut insidiarum ignari, ita fugientem comprehendere avidi, crebro incunctantiq; fluctus remigio concussêre. Naves enim Erici liquidò cognosci non poterant, frondentis sylvæ speciem præferentes. Qui cum angustioris se maris flexui tradidissent, subitò Erici classe conclusos vident. Sed primum inusitata facie stupidi, navigio nemus agi putabant; deinde fraudem foliis subesse cognoscunt. Seram ergo incuriæ pœnitentiam agentes, habitam incautiùs navigationem remetiri tentabant. Sed dum puppes obvertere parant, ab hoste eas insiliri conspiciunt. Ericus verò subducto in littus navigio, fundâ procul in hostes saxa torquebat. Igitur Sclavorum cæsi pleriq; quadraginta capti fuêre, qui postea vinculis ac fame coërciti, inter varias cruciatus angustias spiritum deposuerunt.

Interea Frotho trajiciendæ in Sclaviam expeditionis gratiâ, tam è Danis, quàm ex finitimis ingentem adsciverat classem. Hujus minima ratis extabat, quæ bissenos veheret nauticos, totidemq; remigiis agi posset. Post hæc Ericus sociis patientiùs præstolari jussis, actæ jam cladis famam Frothoni perlaturus occurrit. Cumq; navigando puppim fortè piraticam vadosis ac minus altis gurgitibus inflictam hærere conspiceret, quod res fortuitas dictorum gravitate prosequi solitus erat, obscura est, inquit, ignobilium sors, fortunaq; vilium sordida. Deinde nave propiùs applicata, piratas proprium communis navigium expedire connisos, ac circa ejus servationem impensiùs occupatos oppressit. Quo peracto cùm ad Regiam classem redisset, Frothonem nuncii victoriæ salutatione reficere cupiens, salvum fore florentissimæ pacis auctorem jubet. Rex verum ejus dictum fieri precatus, augurem esse sapientis animum affirmabat. Ericus vera à se dici, parvulaq; victoria majoris omen afferri respondit, exiguis sæpe rebus magnarum præsagia captari testatus. Regem deinde manum spargere hortatus, Jutiæ equitatum terreno proficisci itinere jubet, reliqua exercitus parte marinum ineunte compendium. Tanta autem navigiorum frequentia mare compleverat, ut nec receptui portus, nec castris littora, aut commeatibus impensæ suppeterent. Terrestris autem acies tanta fuisse fertur, ut compendii gratiâ complanâsse montes, meabiles effecisse paludes, lacunas aggeribus exæquâsse, vastissimasq; voragines injectis molibus explêsse dicatur.

Intereà Strunico Sclavorum Rege belli inducias per legatos petente, Frotho tempus apparatui negat, affirmans hostem induciis instrui non oportere. Præterea hactenus se bellicorum operum expertem vixisse, nec debere eorum initia ancipiti rerum expectatione suspendere: quòd quisquis primam feliciter militiam gesserit, consimilem de cætero fortunam sperare possit. Tale enim quemq; omen habiturum pugnæ, quale congressionum principia dederint: cum initiales bellorum successus, sequentibus augurio fore

FROTHO III.

fore ſoleant. Ericus reſponſi prudentiam laudat, affirmans ita ludum foris agi oportére, prout domi fuerit inchoatus: Danos à Sclavis provocatos eſſe ſignificans. Quod dictum acerrimo prælio proſecutus, Strunico cum gentis ſuæ fortiſſimis interfecto, reſiduos in fidem accepit. Tum Frotho convocatis Sclavis per præconem edixit, ut ſi qui inter eos rapinæ aut furto aſſueviſſent, ocyus exhiberentur, promittens ſe talium mores primis honoribus donaturum. Juſſit etiam ut quicunq; malarum artium ſtudiis calluiſſent, præmia recepturi prodirent. Grata Sclavis promiſſio fuit. Cujus ſpem quidam cupidiùs quam conſideratiùs ſecuti, prius prodidére ſeipſos, quàm alieno poſſent indicio declarari. Quos tanta lucri cupiditas fefellit, ut ruborem quæſtui poſtponentes, crimen pro gloria ducerent. Quibus ſponte exhibitis, hac, inquit, Sclavi, voſipſos patriam peſte vacuefacere convenit. Continuóq; eos à lictoribus abripi juſſos, in altiſſimas cruces civium manu ſubfigendos curavit. Plures à paucioribus punitos crederes. Ita callidi ingenii Rex dum veniam, quam victis hoſtibus tribuit, crimen confeſſis negavit, totam penè Sclavicæ gentis ſtirpem conſumpſit. Sic indebiti præmii cupiditatem debita conſecuta eſt pœna, juſtoq; ſupplicio indignæ mercedis aviditas adacta eſt. Crediderim jure exitio traditos, qui cùm taciturnitatis munimento ſalutem ſervare potuiſſent, voce periculum adſciverunt.

Rex recentis victoriæ titulis evectus, ne juſtitiâ quàm armis defectior videretur, novis exercitum legibus formare conſtituit; quarum præſens quaſdam ritus uſurpat, quaſdam arbitraria juris novitas abolevit. Edixit enim ut primipilus quiſq; prædæ partitione factâ, majorem cætero milite portionem acciperet: ducibus verò, quibus in acie ſigna anteferri ſolerent, dignitatis causâ captivum conceſſit aurum. Gregarium verò militem argento voluit eſſe contentum. Arma ad pugiles redundare, captiva navigia popularibus cedere juſſit, utpote eis debita quibus condendi rates inſtruendiq; jus eſſet. Præterea ſanxit, ne quis rem familiarem ſeris mandare præſumeret, duplum ex fiſco Regis amiſſorum pretium recepturus. Quam ſi quis arcarum clauſtris obſervandam duxiſſet, aureæ libræ Regi debitor fieret. Statuit etiam, ut in eum, qui furi ignoſceret, furti pœna recideret. Præterea ſi quis in acie primus fugam capeſſeret, à communi jure alienus exiſteret. At ubi in Daniam rediit, ut quicquid Grep ſiniſtrâ morum uſurpatione curruperat, bonis artibns expiaret, arbitrariam fœminis nubendi poteſtatem indulſit, ne qua tori coactio fieret. Itaq; lege cavit, ut eis in matrimonium cederent, quibus inconſulto patre nupſiſſent. At ſi libera conſenſiſſet in ſervum, ejus conditionem æquaret, libertatiſque beneficio ſpoliata, ſervilis fortunæ ſtatum indueret. Maribus quoq; quamcunq; primitus cognoviſſent, ducendi legem inflixit. Adulteros à veris conjugibus corporum parte ſpoliandos conſtituit, quò minùs continentia flagitiis elideretur. Edixit quoq; ut ſi Danus Dano rapinam infligeret, duplum rependeret, ac violatæ pacis crimine cenſeretur. At ſi quis rem furto quæſitam ad alienam domum perferret, hoſpeſq; poſt illum ædis ſuæ fores obcluderet, bonorum omnium pœnam incurreret, atq; in concione coram omnibus vapularet, quod ſe eidem delicto obnoxium feciſſe videretur. Præterea quiſquis exulum patriæ ſuæ hoſtis evaderet, aut inimicum civibus ſcutum afferret, rerum ac vitæ periculo pœnas lueret. Si quis autem ad exequendum Regis imperium ob animi contumaciam piger exiſteret, exilio mulctaretur. Solebat namq; ſagitta lignea ferreæ ſpeciem habens, nuncii loco viritim per omnes mitti, quoties repentina belli neceſſitas incidiſſet. Qui verò ex popularibus primipilum in acie anteiret, ex ſervo liber, ex agreſti illuſtris evaderet. At ſi ingenuus foret, ſatrapa crearetur. Tanta olim audaces ſtipendia merebantur. Adeò veteres nobili-

FROTHO. III.

tatem fortitudini tribuendam putabant. Siquidem non fortunæ virtutem, sed virtuti fortunam deferri oportere, existimatum est. Præcepit quoq; ne lis ulla jurisjurandi fide aut pignorum positione contraheretur. Qui verò alium pignus secum ponere jussisset, eidem aureæ libræ dimidium solveret, alioqui gravem corporis mulctam subiret. Providerat enim Rex ex pignorum positione maximas litium causas incidere posse. De qualibet verò controversia ferro decerni sanxit, speciosiùs viribus quàm verbis confligendum existimans. Quod si alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde ac victus causæ detrimentum reciperet. Sin autem quavis de re pugilem popularis impeteret, ipsum armatus exciperet, cubitali duntaxat stipite pugnaturum. Quinetiam cladem Dani ab alienigena oppressi duorum extraneorum cæde sarciendam instituit.

Interea Gøtherus sumendi de Erico supplicii gratiâ, pugnæ exercitum comparat. Econtrario Frotho cum magno classis apparatu Norvagiam petit. Cum ad insulam Rensø pariter appulissent, Gøtherus Frothoniani nominis magnitudine territus, pacem per legatos efflagitat. Ad quos Ericus, inverecundus, ait, est latro, qui prior concordiam quærit, aut bonis communicare præsumit. Qui enim obtinere gestit, obniti debet: ictus ictui opponendus est, livorq; livore pellendus. Cumq; hoc dictum Gøtherus attentis eminus auribus excepisset, quàm poterat clarâ voce ita inquit: Quisque virtuti militat, prout beneficii meminit. Cui Ericus: Beneficentiam tuam reddito tibi consilio repensavi. Quo sermone egregios monitus omni donorum genere præstantiores indicabat. Et ut Gøtherum accepti consilii ingratum ostenderet, quando conjugem mihi, inquit, cum vita adimere cupiebas, melioris exempli speciem lacerasti. Solum inter nos ferrum decernendi jus obtinet. Post hæc Gøtherus parum prosperâ congressione Danorum classem adortus occiditur. Cujus regnum Rollerus beneficii nomine postmodum à Frothone suscepit, quod septeno provinciarum numero tendebatur. Eundem quoq; Ericus collatâ sibi quondam à Gøthero provincia muneratus est. His gestis, Frotho per summam ac securam pacem triennium gessit.

Inter hæc Rex Hunorum audito gnatæ repudio, adjuncto sibi Rege Orientalium Olimaro, adversum Danos biennio belli apparatum contraxit. Igitur Frotho non solùm indigenas, sed etiam Norvagienses, ac Sclavos in copias vocat. A quo Ericus hostiles speculatum acies missus, Olimarum qui classis magistratum acceperat, Hunorum Rege terrestres ductante copias, haud procul Russia reperit, quem taliter affari cœpit:

Quid sibi vult, quæso, belli gravis iste paratus?
Aut quò classe potens, Rex Olimare, ruis?

At Olimarus:

Fridlevi natum nobis incessere cordi est;
Et quis es audaci talia voce rogans?

Ad quem Ericus:

Vincendi invictum subiit spes irrita mentem,
Frothonem nullus exuperare potest.

Contrà Olimarus:

Quicquid contingit primò, semel accidit, & res
Non sperata satis sæpè subire solet.

Quâ sententia, à nemine nimium fidei in fortuna reponendum esse perdocuit. Deinde Ericus Hunorum agmen exploraturus obequitat. Quod Ericum præteriens, invicemq; ab ipso præteritum, primam ortivo sole aciem, postremam occiduo conspiciendam præbuit. Itaq; penes quem tot millium regimen foret, ab obviis sciscitatus est. Quem Hun fortè conspiciens, [Rex hic Hunorum erat] speculandi ministerium accepisse cognovit, perquiritq; quod percontatori vocabulum foret. Ericus se ubique adventantem, nec usquam compertum

pertum

FROTHO III.

pertum vocitari perhibuit. Rex item admoto interprete, quid Frotho operis exerceret interrogat. Cui Ericus: Nunquam Frotho domi inimicum præstolatur exercitum, nec hostem in ædibus operitur. Pernox enim & pervigil esse debet alienum appetens culmen. Nemo stertendo victoriam cepit, nec luporum quisquam cubando cadaver invenit. Quem Rex exquisitis dictorum sententiis calere cognoscens: hic, ait, fortasse Ericus est, à quo filiam meam falsi criminis insimulatam accepi. Qui continuò prendi jussus, non decere, inquit, unum à pluribus abripi. Quo dicto non modò Regis animum complacavit, sed etiam ad ignoscendi sibi voluntatem perduxit. Cujus impunitatis causam potiùs à calliditate quàm benevolentia profectam constabat, cùm ob hoc maximè dimitteretur, ut Frothonem nunciatæ multitudinis rumore terreret. A quo cum reversus explorata referre juberetur, sex classium senos Reges, earumq; quamlibet quina navium millia complectentem vidisse se retulit, quarum unamquamq; trecentorum remigum capacem esse constaret. Quemlibet verò totius summæ millenarium quaternis alis contineri dicebat. Volebat autem millenarium mille ac ducentorum capacem intelligi, cùm ala omnis trecentorum numero compleatur. Cunctante vero Frothone, quid contra tot acturus esset, attentiusq; subsidia circumspiciente: probum, inquit Ericus, audacia juvat: acri cane occupandus est ursus: molossis quippe, non imbellibus aviculis opus est. Quo dicto Frothoni contrahendæ classis consilium præbuit. Quâ instructa adversum hostem navigatio tenditur. Igitur insulas quæ Daniam Orientemq; interiacent, præliis subigunt. Unde procedentes naves aliquot Ruthenæ classis, offendunt. Quarum cùm Frotho paucitatem incessere deforme duxisset, à macro, inquit Ericus, & tenui petendus est cibus. Raro pinguescet, qui cadit. Neq; enim mordendi potens est, quem vastus occupaverit follis. Quo documento Regi irruptionis edendæ ruborem excussit, eumq; mox ad paucitatem multitudine lacessendam perduxit, utilitatem pudori præferendam significans.

Post hæc ad Olimarum processum est, qui multitudinis segnitie excipere hostem, quàm aggredi præoptabat: quippe Ruthenorum navigia incomposita, minusque ob granditatem ad remigium habilia videbantur. Sed ne ei quidem numerositatis potentia profuit. Inusitata namq; Ruthenorum multitudo copiis quàm virtute præstantior, robustæ Danorum paucitati victoriam tradidit. Frotho cùm patriam repetere vellet, inauditum navigationis impedimentum expertus est. Quippe crebra interfectorum corpora, nec minus scutorum, hastarumque fragmenta jactante æstu universum maris constraverant sinum. Itaque portus non angusti minùs, quàm olidi erant. Igitur mediis obstrictæ cadaveribus hæsere puppes. Nec putria quidem ac circumflua corpora remis abigere, aut contis propellere poterant, quo minùs uno sublato, mox aliud advolutum impelleret classem: bellum cum mortuis obortum crederes. Novum contra exanimes discrimen extabat.

Igitur Frotho convocatis quas vicerat gentibus, lege cavit, ut quisquis paterfamilias eo conciderat bello, cum equo omnibusque armaturæ suæ insignibus tumulo mandaretur. Quem si quis vespillonum scelesta cupiditate tentasset, pœnas non solùm sanguine, sed etiam inhumato cadavere daret, busto atque inferiis cariturus. Siquidem par esse credebat, ut alieni corruptor cineris, nullo funeris obsequio donaretur, sortemque proprio referret corpore, quam in alieno perpetrasset. Centurionis verò, vel Satrapæ corpus rogo propriâ nave constructo, funerandum constituit. Dena autem gubernatorum corpora unius puppis igne consumi præcepit. Ducem quempiam aut Regem interfectum proprio injectum navigio concremari. Tam scrupulo-

FROTHO. III.

ſam ducendis interfectorum funeribus obſervationem præſtari voluit, ne promiſcuos exequiarum ritus exiſtere pateretur. Iamq; cuncti Ruthenorum Reges, Olimaro Dagoq; exceptis, Marte conciderant. Bella quoq; Ruthenos ex Danorum imitatione celebrare præcepit, ac ne quis uxorem niſi emptitiam duceret. Venalia ſiquidem connubia plus ſtabilitatis habitura cenſebat; tutiorem matrimonii fidem exiſtimans, quòd pretio firmaretur. Præterea ſi quis virginis ſtuprum vi petere auſus eſſet, ſupplicia abſciſſis corporis partibus lueret, alioqui mille talentis concubitus injuriam penſaturus. Decrevit etiam ut quiſquis militiæ deditus, ſpectatæ virtutis titulum affectaret, impeteret unum, exciperet duos, tres modicâ pedis retractione vitaret, quatuor fugere non erubeſceret. Aliam quoq; ſuper militum ſtipendiis conſvetudinem à ſubactis ſibi Regibus obſervandam edixit. Patrium domeſticumq; militem hyberno tempore ternis argenti talentis donari juſſit, gregarium aut conductitium binis, privatum ac militiæ laboribus defunctum duntaxat uno. Quâ lege virtuti injuriam afferebat, conditiones militum non animos æſtimans. In quo quidem erroris argui poterat, cum familiaritates meritis anteferret. Poſt hæc interrogatus à Rege Ericus, an Olimari copias Hunorum æquaret exercitus, carmine ſic eloqui orſus eſt:

Hercule deprendi nulli numerabile vulgus,
Vulgus cujus erat terra nec unda capax.
Colluxere ignes crebri, ſylva omnis obarſit,
Index innumeræ flamma cohortis erat.
Calcibus obtrita tellus ſubſedit equinis,
Edebant rapidos ſtridula plauſtra ſonos.
Ingemuêre rotæ, ventos auriga premebat,
Ut tonitrum currus aſſimilâſſe putes.
Vix armatorum cœtus ſine lege ruentes,
Ponderis impatiens preſſa ferebat humus.
Obmugire aër viſus mihi, terra moveri,
Tantus in externo milite motus erat.
Nam quindena ſimul vexilla micantia vidi,
Quodq; ex iis centum ſigna minora tenet.
Poſt quorum quodvis poterant bis dena videri
Signorum numero: par erat ordo ducum.

Igitur Frothone, quid contra tot opponeret, perquirente, redeundum docet, patiendumq; hoſtes propriâ primum immanitate conſumi. Obeditum monitui eſt. Neque enim minore ſtudio probatum conſilium, quàm editum fuit. At Huni per avia ſolitudineſq; progreſſi, nuſquam repertis commeatibus, paſſim inediâ periclitari cœperunt. Quippe regio vaſta ac paluſtris extabat, nec erat ullum egeſtatis ſubſidium reperire. Tandem fuſis comeſiſq; jumentis, tam vehiculorum quàm victus inopes ſpargebantur. Cæterum error par fami periculum erat. Non equis, non aſinis parcitur, non fœdis aut putribus abſtinetur. Poſtremo ne canibus quidem temperatum eſt, nefas omne morientibus licitum fuit. Nihil enim tam difficile, quod neceſſitas ſuprema non imperet. Ad ultimum fame exhauſtis publica clades inceſſit. Efferebantur abſque ceſſatione corpora, cunctiſq; exitium formidantibus, nulli miſeratio pereuntium fuit: humanitatem quippe metus excluſerat. Primùm itaq; Regem paulatim defecêre cohortes; deinde centuriatim defluxit agmen. Deſeruit eum quoq; Uggerus vates, vir ætatis incognitæ, & ſupra humanum terminum prolixæ; qui Frothonem transfugæ titulo petens, quicquid ab Hunis parabatur, edocuit.

Inter hæc Hithinus Rex aliquantæ Norvagienſium gentis, Frothonis claſſem centum quinquaginta navigiis accedebat. E quibus duodecim lectis, propiùs navigationem cœpit habere, erecto in malum ſcuto ſocios adventare ſignifi-

ſignificans. Qui Regi in proximum amicitiæ gradum receptus, magnum copiis ejus attulit ſupplementum. Eidem poſtmodum cum Hilda Høgini Jutorum reguli filiâ, ſpectatæ admodùm opinionis virgine, mutuus amor inceſſit. Quippe nondum invicem conſpectos, alterna incenderat fama. At ubi mutuæ conſpectionis copia incidit, neuter obtutum ab altero remittere poterat, adeò pertinax amor oculos morabatur.

Interea Frotho diſtributo per municipia milite, diligentiùs impenſas hybernis commeatibus neceſſarias convectabat. Sed ne ſic quidem onerosum impenſis exercitum ſuſtentare ſuffecit. Par propemodum Hunorum cladi pernicies incidit. Igitur ad inhibendum advenarum confluxum, claſſe in Albiam miſsâ, ne quid trajiceretur, curæ habuit. Cujus duces Revillus & Mevillus fuére. Solutâ hyeme Hithino Høginoq; ſocialem exequi piraticam placuit. Ignorabat enim Høginus ſuam à ſodali filiam adamari. Erat autem is corporis habitu præſtans, ingenio pervicax; Hithinus verò corpore perquàm decoro, ſed brevi extitit. Cæterum cum Frotho ſuſtentandi exercitus ſumptum in dies difficiliorem adverteret, Rollerum in Norvagiam, Olimarum in S etiam, Snevum Regem, & Glomerum piratarum præcipuum ad Orcades petendorum commeatuum gratiâ dirigit, proprias cuiq; copias tribuens. Triginta Reges ſequebantur Frothonem, qui ipſum amicitiâ vel obſequio colerent. Audiens autem Hun, dimiſſas à Frothone copias, novum recentemq; militem contrahit. At Høginus filiam ſuam Hithino deſpondit, conjurato invicem uter ferro periſſet, alterum alterius ultorem fore.

Autumno petitores commeatuum redeunt, trophæis quàm alimentis locupletiores. Rollerus enim provincias Sunmoriam & Normoriam, occiſo earum Rege Arthorio, vectigales effecerat. At Olimarus Thorum Longum, Jamtorum atq; Helſingorum Regem, duoſq; alios haud inferioris potentiæ duces: Heſtiam quoq; & cum Slandia Curetiam, ſed & inſulas Svetiæ prætentas, celeberrimus Barbariæ domitor triumphavit. Itaq; ſeptingenta reducebat navigia, duplicato eductorum antea numero. Snevo verò & Glomero, Hithino quoq; & Høgino Orcadum trophæa ceſſére. Hiſdem cum nongentis navibus reditum eſt. Et jam quæſiti latè ſumptus, convectæque raptu impenſæ alendis abundè copiis ſuppetebant. Cæterum viginti regna imperio Frothonis adjecerant, quorum Reges triginta prædictis adjuncti, Danorum partibus militabant. Hac virium fiduciâ cum Hunis pugna conſeritur. Cujus prima dies tantâ interfectorum ſtrage recruduit, ut præcipui tres Ruſciæ fluvii cadaveribus velut ponte conſtrati, pervii ac meabiles fierent. Præterea quantum quis itineris per triduum equo conficere poſſet, tantum locorum humanis cadaveribus completum videres. Adeò ſpatioſa cædis veſtigia erant. Itaq; prælio ſeptem dies extracto, occidit Rex Hun. Cujus frater eodem nomine inclinatam Hunorum aciem conſpicatus, cum ſua ſe cohorte dedere cunctatus non eſt. Eo Bello ſeptuaginta ac centum Reges, qui aut ex Hunis erant, aut inter Hunos militaverant, ſubmiſére ſe Regi. Quem numerum Ericus ſuperiori ſignorum expreſſione complexus fuerat, cum Hunorum multitudinem Frothone percontante diſtingueret. Igitur Frotho vocatis in concionem Regibus, ſub uno eodemq; jure degendi normam imponit. Præfecit autem Olimarum Holingardiæ, Snevum Conogardiæ, Hun verò captivo Saxoniam tribuens, Revillum Orcadibus donat. Provincias Helſingorum, Jarnberorum, & Jamtorum, cum utrâq; Lappia, Dimaro cuidam procurandas attribuit; Dago Heſtiæ regimen erogavit. Quorum unumquemq; certis tributi legibus oneravit, obſequium beneficio applicans. Itaq; Frothonis regnum Ruſciam ab ortu complectens, ad occaſum Rheno flumine limitatum erat.

Interea Hithinus apud Høginum quorundam obtrectatione inſimulatus eſt, quaſi filiam ejus ante ſponſalium ſacra ſtupri illecebris temeràſſet: quod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur. Igitur Høginus credu-

FROTHO. III.

credulis auribus rem falsò nunciatam excipiens, Hithinum Regia apud Sclavos ſtipendia colligentem claſſe laceſſit, conſertaq́; manu victus Jutiam petivit. Itaq; ſtatam à Frothone pacem internum labefactaverat bellum, primiq́; indigetes regiam detrectavère legem. Quamobrem Frotho miſſis qui ſimul eos accerſerent, ſcrupuloſiùs cauſam ſimultatis inquirit. Quâ cognita, juxta legis à ſe latæ formulam pronunciavit. Videns autem ne ſic quidem eos in gratiam reduci poſſe, patre filiam pertinaciùs repoſcente, litem ferro decidendam edixit. Id quippe ſolum dirimendæ controverſiæ remedium videbatur. Inita pugnâ Hithinus acerrimâ perſtrictus plagâ, cum ſanguine & viribus corporis deficeret, inſperatam hoſtis clementiam expertus eſt. Høginus ſiquidem promptiſſimam occidendi ipſius facultatem adeptus, formæ tamen ejus, & juventæ miſeratione ſævitiam manſvetudini cedere coëgit. Itaq; ne ephebum inter extremi ſpiritus momenta palpitantem extingueret, abſtinuit ferro. Olim namq; impuberem aut invalidum vitâ ſpoliare rubori deputabatur. Adeo cuncta verecundiæ momenta priſca pugilum fortitudo ſervabat. Ita Hithinus ſociorum operâ ad naves relatus, hoſtis beneficio ſervatus eſt. Iidem ſeptimo abinde anno apud inſulam Hithinſø pugnam exorſi, mutuis vulneribus conſumpti ſunt. Felix Høginus foret, ſi circa devictum ſemel Hithinum ſeveritate potiùs quàm clementiâ uſus fuiſſet. Ferunt Hildam tantâ mariti cupiditate flagrâſſe, ut noctu interfectorum manes redintegrandi belli gratiâ carminibus excitâſſe credatur.

Eodem tempore Alrico Sveonum Regi adverſum Geſtiblindum Gothorum Regem atrox incidit bellum. At Geſtiblindus viribus minor, Frothonem ſupplex acceſſit, ſe ac regnum percipiendæ opis gratiâ dediturus. Qui mox Skalc Scanico, atq; Erico in ſubſidium receptis, cum ſupplementis militum redit. Cumq́; militiæ procurſum in Alricum effundere ſtatuiſſet, Ericus prius filium ejus Gunthjonum, Wermis ac Solongis prælatum, cenſuit impetendum, oportére aſſerens feſſum tempeſtate nautam proximum captare littus. Præterea radicum inopem raro virere truncum. Igitur irruptione factâ perit Gunthjonus, nomenq; ejus tumulus refert. Audiens Alricus interemptionem filii, ultum ire deproperat. Conſpicatus hoſtes, Ericum clandeſtino accerſitum colloquio, recenſitis patrum ſuorum fœderibus, ut Geſtiblindi militiam detrectaret, orabat. Quod Erico pertinaciùs abnuente, cum Geſtiblindo dimicandi licentiam flagitat, privatam pugnam publicæ præferendam exiſtimans. Quem Ericus ſenectute armis inhabilem referens, triſtemq́; ejus valetudinem maximâ cum ætatis excuſatione prætendens, ſe ejus loco obtulit pugnaturum, probroſum docens, ſi duellum præſtare refugeret, pro quo bellum commiſſurus veniſſet. Hinc abſq; cunctatione dimicatum eſt. Occiſo Alrico Ericus quàm graviſſimè affectus, ægrè compertis remediis, ſerum incolumitatis regreſſum habuit. At Frothoni ipſum occubuiſſe falsò fama vulgaverat, mentemque Regis magno ob id mœrore torquebat. Quam triſtitiam Ericus reditus ſui beneficio diſpulit. Quippe Svetiam, Wermiam, Helſingiam, atq; inſulas Solis, operâ ſua Frothonis adjectas imperio nunciabat. Quem mox Frotho devictarum ab eo gentium Regem conſtituit, ac præterea Helſingiam ei cum utraq; Lappia, Finniam quoq; & Eſtiam annuo ſtipendiorum jure contribuit. Nemo ante ipſum Sveticorum Regum Erici nomine cenſebatur; ab ipſo autem in cœteros vocabulum fluxit.

Eodem tempore regnabat Alf in Hetmarchia, filium habens Aſmundum. Biorno verò in Wik provincia, cui Aſuitus filius erat. Accidit autem Aſmundum parùm proſperè venationi intentum, dum feras aut canibus occupare, aut caſſibus excipere pergeret, irruente fortè caligine longiùs à retiariis avio fuiſſe calle divulſum, vaſtaq; pererrantem juga tandem

equo

equo & vestibus destitutum, fungos & tubera peredisse; ad ultimum in Biornonis Regis penetralia fortuito devenisse progressu. Præterea ipse filiusq; Regis convictu paulisper habito, ad confirmandum inter se amicitiæ cultum omnibus conjuravére votis, quemcunq; eorum vita prolixior excepisset, mortuo contumulandum fore. Tantus enim societatis eorum atq; amicitiæ vigor extabat, ut neuter altero fatis absumpto, lucem prorogare statueret. FROTHO. III.

Post hæc Frotho omnium subjectarum sibi gentium manu contractâ, classe Norvagiam petit, Erico terrenum agmen ductare jusso. Humanæ siquidem cupiditatis more, quo plura possederat, plus affectans, etiam vastissimam atq; horridissimam orbis terrarum partem ab hoc injuriæ genere intentatam existere passus non est. Adeo opum accessio aviditati incrementum afferre consvevit. Igitur Norvagienses abjectâ defensionis spe, rebellandi fiduciâ defecti, in Halogiæ fines majore ex parte profugere cœperunt. Stikla quoq; virgo servandæ castitatis causâ patriæ se subduxit, bellis quàm nuptiis exerceri præoptans.

Inter hæc Asuitus morbo consumptus, cum cane ac equo terreno mandatur antro. Cum quo Asmundus ob amicitiæ jusjurandum vivus contumulari sustinuit, cibo, quo vesceretur illato. Jamq; Ericus cum exercitu superiora permensus, Asuiti fortè tumulum appetebat: cui Sveones thesauros inesse rati, ligonibus perfregére collem. Itaq; majoris quàm credebatur altitudinis specum aperiri conspiciunt. Ad quem perlustrandum opus erat eo, qui se in illum pendulo circumligatum fune demitteret. Delectus est fortè ex promptissimis juvenibus unus, quem quum Asmundus sportâ restim sequente intromissum aspiceret, protinus ejecto eo, corbem conscendit. Deinde supernè astantibus, ac moderantibus funem, abstrahendi signum porrexit. Qui ingentis pecuniæ spe reducto corbe quum ignotam extracti speciem animadverterent, inusitatâ facie territi, defunctumq; redîsse rati, projectâ reste in diversa fugére. Quippe Asmundus tetro oris habitu, ac veluti funebri quodam tabo obsitus videbatur. Qui fugientes revocare conatus, vociferari cœpit, falsò eos formidare vivum. Quem videns Ericus, præcipuè cruentati oris ejus imaginem mirabatur. In vultu siquidem profluus emicabat sanguis. Quippe Asuitus noctibus redivivus crebra colluctatione lævam illi aurem abruperat, fœdumque indigestæ ac crudæ cicatricis spectaculum apparebat. Igitur à circumstantibus accepti vulneris causam referre jussus, sic orsus est fari:

Quid stupetis qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe vivus omnis inter mortuos.
Mala soli gravis uni manet omnis domus orbis.
Miseri quos hominum subsidiis destituit fors.
Mihi specus & iners nox, tenebræq; & vetus antrum
Oculis delicias eripuerunt, animoq;.
Humus horrens, tumulus putris, & immunditiarum
Gravis æstus minuerunt juvenilis decus oris,
Habitumq; & validi roboris usum vitiarunt,
Super hæc omnia contra exanimem conservi vim,
Grave luctæ subiens pondus & immane periclum,
Laceris unguibus in me redivivus ruit Asuit,
Stygia vi reparans post cineres horrida bella.
Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe vivus omnis inter mortuos.
Nescio quo stygii numinis ausu
Missus ab inferis spiritus Asuit,
Sævis alipedem dentibus edit,

FROTHO. III.

Infandoq; canem præbuit ori.
Nec contentus equi vel canis esu,
Mox in me rapidos transtulit ungues,
Discissaq; gena sustulit aurem,
Hinc laceri vultus horret imago,
Emicat inq; fero vulnere sanguis.
Haud impune tamen monstrifer egit,
Nam ferro secui mox caput ejus,
Perfodiq; nocens stipite corpus.
Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis;
Obsolescit nempe vivus omnis inter mortuos.

Jamq; Frotho in Halogiæ fines emoverat classem, ubi ad cognoscendam multitudinis suæ speciem, quæ numeri mensuram, capacitatemque transcendere videbatur, collem à militibus congeri jubet, viritim lapide in acervum misso. Eundem quoq; hostis numerandi agminis modum secutus est. Conspicui adhuc colles fidem visentibus præbent. Hic Frotho conserta cum Norvagiensibus pugnâ, gravem cædibus diem egit. Noctu utrinq; receptui consultum est. Appetente diluculo terrestria permensus supervenit Ericus. Hic Regi certamen suggerit iterandum. Quo bello tanta de Danis strages accepta est, ut è ternis navium millibus solæ centumseptuaginta superstites fuisse credantur. Normanni verò tam vastâ clade deleti sunt, ut fama sit, ne quintæ quidem vicorum parti remansisse cultorem.

Victor Frotho pacem per omnes gentes reficere cupiens, ut uniuscujusq; rem familiarem à furum incursu tutam præstaret, otiumq; regnis post arma assereret: armillam unam in rupe, quàm Frothonis petram nominant, alteram apud Wig provinciam, habitâ cum Norvagiensibus concione, defixit, edictæ à se innocentiæ experimentum daturas, subductis iisdem, in omnes regionis præsides animadvertendum minatus. Itaque summo cum præfectorum periculo aurum absq; custodia, mediis affixum triviis, magnum avaritiæ irritamentum extabat; opportuna rapinæ prædâ plena cupiditatis ingenia provocante. Statuit idem, ut navigantes repertis ubicunq; remis licitè fruerentur. Amnem verò transituris usum equi, quem vado proximum reperissent, liberum esse concessit. Eodem descendendum fore constituit, quum priores ejus pedes solum attingerent, postremos adhuc unda subflueret. Talium siquidem commodorum beneficia potiùs humanitatis, quàm injuriæ nomine censenda credebat. Cæterum reum capitis fieri, qui superato amne equi usum longiùs expetere præsumpsisset, instituit. Jussit etiam, ne quis ædem vel arcam seris obfirmatam haberet, aut rem ullam claustrorum custodiâ contineret, triplicem amissorum restitutionem promittens. Præterea tantum alieni cibi in commeatus assumi fas esse, quantum uni cœnæ sufficeret, promulgabat. Quam si quis in capiendo mensuram excederet, furto obnoxius haberetur. Furi verò trajectis ferro nervis in suspendium acto, lupum collateralem affigi præcepit, ut malitiam hominis acerbitati belluæ similitudo exæquaret pœnæ. Eandem quoq; in furtorum conscios mulctam extendi curavit. Ibidem septennio jucundissimum otii tempus emensus, filium Alvonem, filiamq; Osuram nomine procreavit.

Iisdem fortè diebus Arngrimus pugil Sveticus Frothonem accesserat, qui Scalk Scanicum, quòd ab eo olim navigio spoliatus fuerat, ex provocatione lacessitum occîdit. Quo facinore supra modum elatus, aggressus est Frothonis filiam postulare. Obseratas Regis aures expertus, Erici Svetiam regentis subsidium flagitat. Quem Ericus hortari cœpit, ut aliquo præclari operis merito Frothonis sibi favorem asciсceret, pugnaretq; ad-

versum

verſum Egtherum Regem Biarmiæ, & Thengillum Regem Finnimarchiæ, quòd ii ſoli, cæteris obſequentibus, Danicum detrectare viderentur imperium. Nec mora, eò exercitum egit. Sunt autem Finni ultimi Septentrionis populi, vix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac manſione complexi. Acer iiſdem telorum eſt uſus. Non alia gens promptiore jaculandi peritiâ fruitur. Grandibus & latis ſagittis dimicant, incantationum ſtudiis incumbunt, venationibus callent. Incerta illis habitatio eſt, vagaq; domus, ubicunq; feram occupaverint locantibus ſedes. Pandis trabibus vecti, conferta nivibus juga percurrunt. Hos Arngrimus conciliandæ ſibi claritatis cauſâ adortus, obtrivit. Qui quum infeliciter dimicando fugâ dilaberentur, tribus lapillis poſt tergum conjectis, totidem montium inſtar hoſtibus apparere fecerunt. Igitur Arngrimus ludificati viſus errore perſtrictus, ab inſectando hoſte exercitum revocavit, magnarum ſe rupium interjectu coërcitum putans. Iidem poſterâ die congreſſi, victiq; conjectæ in terram nivi ingentis fluvii ſpeciem indiderunt. Itaq; Svetis per ſummum viſus errorem falſa rerum opinione deluſis, inuſitata aquarum moles obſtrepere videbatur. Ita victore vanam aquarum imaginem formidante, fugam impetravére Finni. Tertio identidem die reparavére bellum; nec jam amplius ullum fugæ efficax remedium fuit. Videntes enim ſuas inclinari acies, poteſtati ſe permiſére victoris. Quibus Arngrimus hanc tributi legem inſtituit, ut recenſito Finnorum numero, rheda ferinis pellibus conferta, ab unaquaq; decade loco cenſus, exacto triennio, penderetur. Deinde Egtherum Biarmiæ ducem duello provocatum devicit, indiditq; conditionem Biarmis viritim pellem pro capite perſolvendi. Poſt hæc ſpoliis trophæisq; auctus, ad Ericum revertitur. Quem Ericus in Daniam conſecutus, multam juvenis laudem Frothonis auribus inſtillabat, dignum regis filiâ affirmans, qui imperio ipſius ultimos humanarum rerum terminos adjeciſſet. Cujus egregia Frotho merita contemplatus, haud incongruum duxit, ejus ſe ſocerum exhibére, qui ſibi tantis operum titulis patentem latè claritatem ſtruxiſſet. FROTHO. III.

Suſtulit autem Arngrimus duodecim ex Ofura filios, quorum hæc nomina ſubnotavi: Brander, Biarbi, Brodder, Hiarrandi, Tander, Tirvingar, duo Haddingi, Hiorthuar, Giarthuvar, Rani, Angantir. Hi ab adoleſcentia piratico muneri incumbentes, uno omnes fortè navigio Sampſø inſulam advecti, duas in maritimis naves Hialmeri atq; Arvaroddi piratarum reperiunt: quas pugnâ adorti remigibus vacuefecére, atq; an gubernatores oppreſſiſſent incerti, interfectorum corpora ſuis quæq; tranſtris aptantes, quæſitos abeſſe cognoſcunt. Quâ de re mœſti, partam floccipendere victoriam, ſcientes ſibi conſequentis pugnæ diſcrimen majore ſalutis impendio ſubeundum. Quippe Hialmerus atq; Arvaroddus, quorum jampridem abrupto gubernaculo tempeſtas navigia laceraverat, alterius excidendi gratiâ nemus ingreſſi, ligni rudem extenuavére materiam, eoſq; truncum dolabris ambientes, donec navalis inſtrumenti formam vaſtum robur indueret. Quod quum humeris impoſitum ſociæ cladis ignari deferrent, ab Oſuræ filiis recenti oppreſſorum cruore madentibus laceſſiti, duo cum pluribus ferro decernere coacti ſunt. Nec par quidem congreſſus extabat, cum geminam biſſena manus exciperet. Cæterum victoria numero non reſpondit. Interfectis enim omnibus Oſuræ filiis, oppreſſoq; ab hiſdem Hialmero, victoriæ Arvaroddum titulus non fefellit, quem ſolum ex tanto ſociorum agmine fortuna reſiduum fecit. Qui informem adhuc gubernaculi truncum incredibili libratum niſu tantâ vi hoſtium adegit corporibus, ut duodecim unico ejus impulſu contuſos elideret. Ita cuncta admodum bellicarum rerum tempeſtate depulſa Oceanum manus adhuc piratica non reliquit.

Quæ res maximè Frothonem ad Occidentem armis inceſſendum adduxit, cujus unicum in propaganda pace ſtudium verſabatur. Accerſito ergo Erico, cunctâq; famulantium ſibi regnorum claſſe concitâ, Britanniam innu-

FROTHO. III.

innumerâ advehitur puppi. Cujus insulæ Rex manu se imparem noscens (quippe fretum navigiis videbatur occludi) Frothone per deditionis simulationem petito, non solùm magnitudinem ejus adulationis officio prosequi cœpit, sed etiam domitoribus gentium Danis suam, patriæq; subjectionem promittit, pensiones, censum, vectigalia, sive quicquid expeterent, offerebat. Ad ultimum hospitaliter invitandos curat. Grata Frothoni Britanni humanitas fuit: quanquàm doli suspicionem aleret tàm facilis omnium absq; coactione promissio, tàm prompta hostium ante bella deditio, quæ raró syncera fide administrari solet. Lacessebat quoq; convivii metus, veritos ne clandestinis insidiis appeteretur subeuntis crapulæ laqueis implicata sobrietas. Cæterum rarior invitatorum numerus videbatur, quàm ut tutò invitanti parére possent. Ineptum quoq; existimatum inexpertæ hostium fidei credere salutem suam. Quâ Rex mentium fluctuatione compertâ, denuò Frothonem accedit, cum duobus millibus ac quadringentis viris epulaturum accersens, quem antè cum mille ducentis proceribus convivium inire poposcerat. Frotho nondum suspicione depositâ, quanquam adaucto invitatorum numero fretus, petendi convivii fiduciam mente præsumere posset; subornat qui regionis abdita percurrentes, si quid insidiarum speculando deprehenderent, ocyus intimandum curarent. Cujus rei causâ nemus ingressi, reperta castrorum acie, quæ Britannorum copias attinebat, dubium pressére gressum. At ubi res liquidiùs agnita est, pedem referre deproperant. Furva siquidem tentoria fuére, & quasi piceis quibusdam obscurata tegminibus, quò minus obtutum propinquantis offenderent. Quo cognito, Frotho validiore procerum manu mutuas dispensat insidias, ne convivio incautiùs adito, opportunis fraudaretur auxiliis. Quibus latebram nactis, ferendæ opis signum ad litui sonitum prænotavit. Deinde cum statuta manu levi armorum genere cultâ convivium petit. Aula erat cultu magnificentiæ regalis instructa, aulæis ostro tinctis undiq; secus obducta, in quibus mirifici luxus operam annotares. Cortina murice picta compactos ligno parietes adornabat. Constrata pallis nitidioribus pavimenta, quas pede premere perhorreres. Supernè cerneres crebras micare lucernas, adultas oleo lampades coruscare. Ex acerris quoq; fragrantia fundebatur, quam svavissimus vapor exquisitis cumulabat odoribus. Ambitum omnem frequentibus epulis mensæ consepserant. Intextis auro pulvinaribus ornabantur accubitus. Cervicalibus sedilia replebantur. Reverendam aulæ faciem visentibus arridére putares, nec quicquam in tanto paratu, aut visu inconcinnum, aut olfactu triste deprendi poterat. Media dolium æde perstabat explendis aptum poculis, & liquoris immodici capax, unde haurire esset, quod ingentis ora convivii satiaret. Ministri purpurâ culti aureos gestantes cyathos, propinandiq́; munus comiter exequentes, compositis gradiebantur ordinibus. Nec bubalinorum cornuum, quibus potio promeretur, usus aberat. Aureis cœna pateris refulgebat, nitidioribus onusta poculis, quæ plerumq; fulgentes interstinxerant gemmæ. Ingens omnia luxus repleverat. Mensæ dapibus luxuriabant, crateris vario potionis genere redundantibus. Nec meri simplex usus extabat, quum petiti latè succi vario nectar sapore conficerent. Sapidioribus lances epulis renidebant, quos maximè venatica refersérat præda. Sed ne domesticæ quidem carnis obsonia deerant. Parciùs domesticis, quàm convenis bibendi studium erat. Hos enim securitas incitabat ad crapulam, illis insidiarum commentum ebrietatis illecebram dempserat. Dani igitur (ut patriæ pace loquar) siccandis certatim calicibus assueti, ingenti se oneravére vino. Quos Britanni potos admodum conspicati, convivio furtim elabi cœperunt, relictisq́; intra aulam convivis, summis connisi viribus valvas Regiæ admotis obi-

cibus

FROTHO. III.

cibus, variisq; impedimentorum generibus obſerare, deinde tectis ignem inferre orſi. At Dani qui intra ædem clauſi continebantur incendio pullulante pulſatis nequicquam foribus ab egreſſu prohibiti, ipſum mox adorti parietem, eruptionis facultatem petebant. Quem Angli validiore Danorum impulſu labefactari cernentes, mutuis obniti viribus, molibusq; extrinſecus applicatis, nutabundam fulcire congeriem inſtiterunt, quo minus convulſus paries clauſis exitum aperiret. Qui tandem robuſtiori Danorum manui cedens, quorum quo periculum majus, hoc validior conatus extabat, facilem preſſis eruptionem contribuit. Tum Frotho claſſicum ſuccinere jubet, quo manum in inſidiis conſtitutam accerſiret. Quæ litui ſono clangentis excita, dolum in auctores retorſit, Britannorum Rege extremæ cladi cum innumeris ſuorum copiis tradito. Quo facto geminum Frothoni beneficium præbuit, quum & ſaluti ſociis, & hoſtibus exitio fuerit.

Interea Hyberni, crebreſcente Danicæ fortitudinis famâ perculſi, quo difficiliorem partium ſuarum irruptionem præſtarent, ferreos terræ murices inſtraverunt, quibus littorum vetaretur acceſſus. Utitur autem Hybernorum gens levi & parabili armaturâ. Novaculis comam extenuat, totum occipitii crinem abradit, ne fugiens capillitio teneatur. Cæterum telorum cuſpides obvertit inſtantibus, mucronumq; acumina inſequentibus de induſtria opponere aſſolet, ac plerumq; poſt tergum lanceas jaculari, doctior fugâ ſuperare, quàm bello. Quo fit ut cum victoriam tibi ceſſiſſe putes, diſcrimen immineat. Tam inſidioſam hoſtium fugam Frotho conſideratiùs quàm cupidiùs inſectatus, ducem gentis Kerviilum acie fudit. Cujus ſuperſtes frater, depoſitâ rebellandi fiduciâ, patriam dedidit Regi. Captivam Rex prædam militi diſpartivit, uti ſe totius avaritiæ expertem, & à nimia rerum cupiditate averſum, ſolius gloriæ lucrum appetere teſtaretur.

Itaq; poſt Britannicos triumphos, Hybernâſq; manubias in Daniam reditum eſt, anniſque tricenis ab omni bellorum negotio temperatum eſt. Quo tempore cunctis penè terris eximiâ fortitudinis laude Danicum nomen inclaruit. Volens itaq; Frotho fulgorem imperii ſui perpetuo firmitatis habitu prorogare, primum adverſum furta ac latrocinia tanquam familiaria mala ac domeſticas peſtes ſeveritatem ſuam diſtringere curæ habuit: quibus vacuefactæ gentes tranquilliorem vitæ uſum apprehenderent, ne propagatæ pacis inceſſus ullo malignitatis obſtaculo læderetur. Providit quoq; ne ceſſante hoſte, civilis patriam lues exederet, aut poſt exteram pacem domeſtica graſſaretur improbitas. Deniq; in Jutia, tanquam in capite Regni ſui, magni ponderis auream armillam triviis affigi curavit, edictæ à ſe innocentiæ experimentum tam inſignis prædæ documento daturus. Cujus irritamentum quanquam improbas laceſſeret mentes, ac ſiniſtra ſolicitaret ingenia, ſuperabat tamen indubitatus periculi metus. Tanta ſiquidem Frothonianæ majeſtatis auctoritas erat, ut etiam aurum rapinæ expoſitum perinde ac firmioribus clauſtris obſitum tueretur. Cujus rei novitas, ingentem autori claritatem conſcivit. Qui quum patratis latè cædibus inſignes ubiq; victorias edidiſſet, otium omnibus erogare conſtituit, ut pacis jucunditas bellorum atrocitati ſuccederet, & cladis finis ſalutis initium foret. Sed & omnium opes ob hoc maximè edicti munimento vallandas curavit, ne domi raptorem invenirent, quæ foris hoſtibus caruiſſent.

Per idem tempus publicæ ſalutis auctor mundum petendo ſervandorum mortalium gratiâ mortalitatis habitum amplecti ſuſtinuit, cum jam terræ ſopitis bellorum incendiis, ſereniſſimo tranquillitatis otio fruerentur. Creditum eſt tam profuſæ pacis amplitudinem ubiq; æqualem, nec ullis orbis partibus interruptam, non adeò terreno principatui, quàm divino ortui famulatam fuiſſe, cœlituſq; geſtum, ut inuſitatum temporis beneficium, præſentem temporum teſtaretur autorem.

Inter hæc matrona quædam magicæ rei perita, plus ſpei in arte ſua, quàm

FROTHO. III.

quàm metus in Regis sævitiâ reponens, filium petendæ furtim prædæ cupiditate solicitat, impunitatem promittens, quòd Frotho fato propemodum confinis extaret, occiduo corpore ægras senilis animæ reliquias trahens. Quo materno hortatui periculi magnitudinem opponente, meliùs eum sperare jubet, aut maritimam bovem fœtum edituram, aut alium quempiam casum ultioni repugnaturum affirmans. Quâ voce solutum metu filium, hortamento obsequi coëgit. Quo facto Frotho perinde ac contumeliâ lacessitus, ad diripiendos matronæ penates, maximo impetu, studioq; contendit, præmissis qui eam cum liberis comprehensam adducerent. Quod præsciens fœmina, ludificatis præstigio hostibus, fœmineam speciem equinâ permutandam curavit. Accedente verò Frothone maritimæ bovis figuram complexa, pastum in littore vagabunda petere videbatur: filios quoq; tanquam minores corpore vitulos adumbrabat. Cujus monstri Rex admiratione captus, circuiri ipsos, reditumq; eis ad undas negari jubet. Deniq; vehiculo, quo ob annosi corporis invaletudinem utebatur, excedens, humi mirabundus consedit. At mater, quæ majoris belluæ speciem sumpserat, prætento cornu Regem adorta, alterum ejus latus confodit. Quo vulnere exanimatus, indebitum tantæ majestati exitum habuit. Cujus mortem milites ultione prosequi gestientes, petita jaculis portenta configunt. Quibus interemptis, animadvertunt humana cadavera ferinis capitibus prædita. Ea res maximè præstigium detexit. Hic Frothonis toto orbe clarissimi Regis excessus fuit. Hujus egestis visceribus, salitum corpus triennio proceres asservandum curabant, provinciarum defectionem vulgato Regis exitu formidantes, mortemq; eius ob hoc maximè clam exteris esse cupientes, ut vitæ simulatione propagati jampridem imperii terminos tuerentur, pristináq; ducis autoritate subnixi, consvetam à subjectis pensionem elicerent. Deportabatur itaq; ab eis exanimum corpus, ut jam non funebri lecto, sed regali vehiculo gestari videretur, tanquam invalido seni, nec satis virium compoti id muneris à milite deberetur. Tantum magnificentiæ etiam extincto ab amicis tributum est. At ubi putidos artus extrema corripuit sanies, nec tabes reprimi poterat, secus Weram, Sialandiæ pontem, regio funere tumulavére corpus, affirmantes, Frothonem eo loci mortis ac busti copiam exoptasse, ubi regni ejus præstantissima haberetur provincia.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI QUINTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER SEXTUS.



EFUNCTO Frothone, Dani Fridlevum, qui apud Russiam educabatur, falsò extinctum rati, quum jam Regnum hæredis inopiâ claudicare, nec in Regiâ gente continuari posse videretur; hunc sceptro dignissimum arbitrati sunt, qui illustrandi Frothonis gratiâ, recenti ejus tumulo plenum laudis carmen affigeret, famamq; extincti Regis specioso posteris titulo commendaret.

XXV. HIARNUS.

Tunc quidam Hiarnus Danicæ admodum Poësis peritus, ut claritatem viri insigni dictorum monumento prosequeretur, præmii magnitudine concitatus, more suo barbarum condidit metrum. Cujus intellectum quatuor versiculis editum in hæc verba transcripsit:

Frotho.

Frothonem Dani, quem longùm vivere vellent, HIARNVS.
Per sua defunctum rura tulêre diu.
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus,
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Quo carmine edito, auctorem Dani diademate munerati sunt. Ita ab eis Epitaphium regno repensum, imperiiq; pondus paucarum literarum contextui donatum est. Adeò exili impendio ingens præmium stetit. Eximium exigui poëmatis pretium famam quoq; Cæsarianæ retributionis excessit. Divus siquidem Julius victoriarum suarum toto orbe editarum scriptorem illustratoremq; municipio donare contentus extitit. Nunc verò rusticano Regnum prodiga plebis humanitas erogavit. Sed ne Africanus quidem in rependendis operum suorum monumentis munificentiâ Danos æquavit. Illic enim elucubrati voluminis merces auro simplici stetit, hîc agresti sceptrum incondita versuum paucitas ministravit.

Eodem tempore Ericus, qui Svetiæ præfecturam gerebat, morbo exanimatus est. Cujus filius Haldanus paternâ procuratione functus, quum duodecim fratrum Norvagiæ oriundorum crebris congressibus terreretur, nec oppressioni vindicta suppeteret, spe capessendæ opis, Fridlevi, tunc Russiæ consistentis, copiam profugio petivit. Quem supplici vultu aggressus, seq; ab externo hoste confractum ac contusum deplorans, tristem injuriarum querimoniam afferebat. Per quem Fridlevus accepto paternæ mortis nuncio, supplicem auxiliis prosecutus, Norvagiam armis instructus accedit. Quo tempore prædicti fratres, deficientibus à se sociis, intra insulam rapidissimo ambitam fluvio præaltum moliti vallum, terrestrem in plano munitionem extenderant: cujus receptaculo freti, crebrâ vicinos irruptione lacesserant. Excedentes enim insulâ, continentem extructo ponte petere consveverant. Quem portæ munitionis annexum ita quodam funiculorum regimine moderari solebant, ut quasi volubili aliquo cardine circumvectus, modò trans flumen iter sterneret, modò occulto restium ductu supernè retractus januæ deserviret. Fuêre autem juvenes hi acres animis, robusti juventâ, præstabiles habitu corporis, gigantæis clari triumphis, trophæis gentium celebres, spoliis locupletes. Quorundam verè ex ipsis nomina, (nam cætera vetustas abstulit,) subnotavi: Gerbiørn, Gunbiørn, Armbiørn, Stenbiørn, Esbiørn, Thorbiørn, & Biørn. Hic equum habuisse traditur præstantem corpore, præpetem velocitate, adeò, ut cæteris amnem trajicere nequeuntibus, hic solus obstrepentem indefessus vorticem superaret. Cujus aquæ lapsus tàm in cito ac præcipiti volumine defertur, ut animalia nandi vigore defecta plerumq; pessundare soleat. Ex summis enim montium cacuminibus manans, dum per clivorum prærupta saxis exceptus eliditur, in profunda vallium multiplicato aquarum strepitu cadit: verùm continuo saxorum obstaculo repercussus, celeritatem impetus eâdem semper æquabilitate conservat. Itaq; toto alvei tractu, undis uniformiter turbidadis, spumeus ubiq; candor exuberat. At ubi scopulorum angustiis evolutus laxius stagnando diffunditur, ex objecta rupe insulam fingit. Præruptum hinc inde jugum eminet variis arborum generibus frequens, quarum objectus amnem eminus pervideri non sinat. Præterea Biørnoni inusitatæ ferocitatis canis extabat, horrendæ quidem acerbitatis bellua, atque humano convictui formidolosa, quæ sæpiùs bissenos sola viros oppresserit. Sed quoniam tradita magis quam cognita referuntur, fidem arbiter penset. Hæc siquidem, ut accepi, deliciarum quondam loco habita, Offoti gigantis inter pascua tuebatur armentum.

At juvenes latrocinio viciniam incessere soliti, magnas sæpè strages edebant. Populari penates, armenta sternere, diripere omnia, ingentem agere prædam, spoliatas rebus ædes exurere, mares passim cum fœminis obtruncare, probitatis loco curatum est. Quorum improvidam Fridlevus

HIARNVS. irruptionem excipiens, omnes ad munimentum refugos egit, occupato eximiarum virium equo, quem præceps metu ſeſſor, maturandæ fugæ gratiâ, citra amnem relictum, pontem ſecum trajicere non audebat. Deinde ſi quis fratrum illorum quempiam interemiſſet, interfecti corpus auro ſe repenſurum edixit. Quâ ſpe quidam Regiorum pugilum incitati, nec tam avaritiæ, quam virtutis ardore correpti, convento tacitè Fridlevo operam ſe facinori daturos promittunt; ſalutem admodum devoventes, ni trunca prædonum capita retuliſſent. Quorum Fridlevus virtute & promiſſione laudatâ, arbitris expectare juſſis, ſolo contentus comite, noctu fluvium petit. Ne enim alienis, quàm propriis viribus inſtructior videretur, auxilium virtute præcurrere ſtatuit. Poſt hæc comitem crebrò contuſum ſilice exanimavit, injecitq́; exangue undis corpus: cui etiam detractum ſibi cultum applicuit, ejuſdem exuvias mutuatus, ut intuitu cadavere, periclitationis Regiæ ſpecies daretur. Jumentum quoq; quod eum vexerat, elicito de induſtria cruore conſperſit, eodem caſtra repetente, necis ſuæ fidem facturus. Deinde calcaribus ſubditis, mediis equum vorticibus adegit, eoq́;, ſuperato amne, delapſus, prætentum munimento vallum per ſubjectas aggeri ſcalas tranſcendere conabatur. At ubi ſupernè evectus propugnacula manu complecti poterat, illato tacitè pede, ædem, quam, comeſſabundi prædones inſederant, ignaris vigilibus, levi ſuſpenſoq́; veſtigio petit. Cujus conclave nactus ſub imminente foribus teſtudine conſiſtebat. Juvenes ſiquidem à munimenti firmitate profecta ſecuritas ad crapulam provocabat, arbitrantes incitatiſſimi lapſus fluvium inacceſſum feciſſe præſidium, qui nec nando trajici, nec ratibus ſuperari poſſe videretur. Neq; enim ulla amnis pars perviam vadi copiam dabat. Tum Biørno convivali hilaritate ſuffuſus, egreſſam undis belluam per quietem ſibi conſpectam affirmat, quæ triſtes ore flammas egerens, continenti cuncta incendio daret. Quamobrem indagandam inſulæ latebram eſſe, nec adeò locorum habitui confidendum, ut nimiâ ſecuritatis præſumptione extrema incautis pernicies afferatur. Nihil enim ita ſitu munitum eſſe, cui ſi humana deſit opera, ſimplex naturæ tutela ſufficiat. Præterea ſummopere cavendum, nè ſomnii ſui denunciationem triſtior cladis eventus excipiat. Igitur omnes munimentis egreſſi, totiusq́; inſulæ ambitum curioſiùs ſpeculati, reperto caballo, Fridlevum fluvialibus aquis obrutum conjectabant. Equum verò præcipitato ſeſſore tranaſſe rati, perinde ac Regiæ mortis nuncium portis gratulanter excipiunt. At Biørno nocturnarum adhuc imaginum memoriâ territus, excubiis utendum hortatur, quod periculi ſuſpicionem nondum tutò depoſituri viderentur. Ipſe deinde capiendæ quietis gratiâ cubiculum petit, viſionem mente altius repoſitam habens. Inter hæc equus, quem Fridlevus ob vulgandam interitus ſui fidem intercutis tantum cruoris effuſione reſperſerat, militum ejus caſtra maculoſus irrupit. Qui illicò amnem petentes, repertum ſervi cadaver, Regium exſtimavêre corpus, quod nitida veſte cultum ſtridulus ripæ vortex adegerat. Quorum maximè errorem converberati corporis turgor adjuvit, cum lacerata contuſaq́; ſilicibus cutis informes oris notas exangui pallore confunderet. Hujus rei indignatione permoti pugiles, qui Fridlevo nuper delendorum prædonum curam ſpoponderant, præruptum aquæ periculum accedebant, ne promiſſionis gloriam timidiore voti negligentia reſpergere viderentur. Quorum cæteri fiduciam imitati, pari cupidine fluvium petunt, ni Regem ulciſcerentur extrema paſſuri. Quibus viſis Fridlevus pontem continenti committere properavit, receptisq́; pugilibus, prima vigiles irruptione proſternit. Reſiduos quoq; conſequenter adortus, Biørnone excepto, ferro conſumpſit. Quem impenſiori curationi è vulneribus recreatum, ſub ſacræ obteſtationis pignore, collegam adſcivit,

operaq;

operâq; ejus uti, quàm exitio gloriari ſatiùs duxit. Indignum quoq; aſſerebat, tantæ fortitudinis florem primâ pubertate decerptum intempeſtivâ nimis clade conſumi.

XXI. FRIDLEVUS.

Dani verò Fridlevum adventantem experti, cujus jampridem obitum falſo didicerant nuncio, miſſis qui eum arcerſerent, Hiarnonem Regno cedere jubent, quod ipſum precariò ac perfunctoriè gerere videretur. Qui tanto honore defungi non paſſus, ſpiritum pro gloria erogare, quàm in obſcuram vulgi ſortem concedere præoptavit. Quamobrem ne Regiis honoribus exutus priſtinum fortunæ habitum recipere cogeretur, præſentem armis tueri conſtituit. Itaq; dividua regio præruptis conſternationis motibus agebatur. Alii ſiquidem ab Hiarnonis partibus ſtabant, alii Fridlevi titulis ob egregia Frothonis merita adſtipulati ſunt: hærebatq; vulgi diſcors ſuffragium, his præſentium habitum, illis præteritorum memoriam venerantibus. Præponderavit tamen Frothonianæ recordationis intuitus, ejusque ſuavitas majorem Fridlevo favoris partem conciliavit. Plerique enim quibus altior ſenſus extabat, ruſticæ conditionis hominem, quanquàm ad inſperatum rerum culmen præter generis jus ſolo fortunæ beneficio perveniſſet, regno ſubmovendum cenſebant, ne verum honoris hæredem adulterinus poſſeſſor elideret. Fridlevus verò Danorum legatos redire jubet, Hiarnonem aut Regnum deponere, aut acie ſecum confligere rogaturos. At Hiarno lucis aviditatem honori anteferre, ſalutemq; gloriæ diſpendio quærere morte triſtiùs ratus, dum bello Fridlevum excipit, in Jutiam obtritus aufugit: victoremq; denuò reparatâ manu aggreſſus, hauſtis ferro ſociis, fugam abſque comite habuit; quam inſula, vocabulum ex ejus nuncupatione ſortita, teſtatur. Igitur humiliorem animo fortunam expertus, cum ſe geminâ ſtrage omnibus propemodum copiis exutum videret, trajecto in dolum ſtudio, obſcurato oris habitu Fridlevum accedit, ipſum quæſitis per familiaritatem inſidiis necaturus. A quo ſuſceptus, aliquandiu ſervitii ſimulatione propoſitum occultabat. Siquidem decoquendi ſalis opificem profeſſus, inter ſordidioris miniſterii famulos ignobilia exequebatur officia. Cibi quoq; capiendi tempore diſcubitu ultimus exiſtere ſolebat. Præterea balneis abſtinebat, ne nudato corpore crebris vulnerum veſtigiis proderetur. Quo Rex abſolvendæ ſuſpicionis gratiâ lavari compulſo, ut hoſtem ex cicatricibus cognovit, age, inquit, improbiſſime latro, qualiter in me conſulturus fores, ſi interficiendi tui cupidum liquidò comperiſſes? Ad hæc ſtupefactus Hiarno, ex provocatione te, ait, deprehenſum aggrederer, quò majore demendæ criminationis copiâ potirêris. Quem mox Fridlevus ſententiæ ſuæ exemplo provocatum oppreſſit, tumulo cadaver obruens interfecti vocabulum referente.

Qui poſtmodum à ſuis, propagandæ ſobolis gratiâ, conjugio ſibi conſulere monitus, cœlibem præſtare vitam paterno contendebat exemplo; quòd Frothoni conjugis petulantia grave probrum affixerit. Ad ultimum perſeverantiſſimis omnium precibus victus, per legatos aggreſſus eſt Norvagiæ Regis Amundi filiam poſtulare. Quorum unus Frøco nomine fluctibus inter navigandum abſumptus, inuſitatum moriens prodigium dedit. Quippe ubi illum confluus undarum æſtus implicuit, ſanguis medio enatus gurgite itâ totam ponti faciem peregrino quodam rubore perfudit, ut ſpumeum paulò ante pelagus procellisq; albidum, mox puniceis fluctibus intumeſcens, alienum à natura ſua colorem induere videretur. Amundus verò Regiæ petitionis inexorabiliter vota fruſtratus, legatis indecentiùs habitis, tyrannidem Frothonis olìm Norvagiæ graviùs imminentem, cauſam ſpernendæ legationis aſſeruit. Frogertha verò (filia hæc Amundi erat) non modò Fridlevi genus intuita, ſed etiam factorum claritudinem venerata, convitio patrem inſequi cœpit, quòd generum habere ſpreviſſet, cujus conſummata nobilitas nec virtute deficeret, nec ſanguine claudicaret.

FRIDLEVUS.

Adjecit quoq; prodigialem illam maris faciem, undis repentè in sanguinem versis, quid aliud quàm Norvagicæ cladis interpretem, Danicæ verò victoriæ liquidum extitisse portentum? Quam cùm Fridlevus iteratæ legationis officio postularet, Perseverantiâ repulsam vincere cupiens, indignatus Amundus rem à se semel negatam pertinaciùs flagitari, raptis ad necem legatis improbi petitoris studio crudeliùs obviandum curavit. Cujus injuriæ Fridlevus famam expertus, Haldano ac Biørnone adscitis, Norvagiam navigatione complectitur. Contrà Amundus patrio instructus præsidio, obviam exerit classem. Frøcasund appellant sinum, in quem classis utraq; cojerat. Ubi Fridlevus noctu speculandi gratiâ castris egressus, cùm inusitatum quendam icti aeris sonum comminus percepisset, fixo gradu suspiciens, trium olorum supernè clangentium hoc aure carmen excepit:

Dùm mare verrit Hythin, rabidosq; intersecat æstus,
Auro verna bibit, & lactea pocla ligurit.
Optima conditio servi, cui rege creatus
Obsequitur, temerè mutatis sortibus, hæres.

Deniq; post ipsas alitum voces lapsum ab alto cingulum literas carminis interpretes præferebat. Regis quippe Thialamarchiæ filium, pueriliter obludentem, Gigas Hythin nomine, usitatum mortalium habitum mutuatus, abduxerat, eoq; usus remige, cymbâ in proximum littus trajectâ, Fridlevum tunc fortè speculationis officio fungentem, navigio prætéribat. Quem Rex captivi adolescentis operâ uti non passus, prædâ raptorem exuere gestiebat. Adversùm quem adolescens primum acriori invectionis genere utendum esse præmonuit, faciliùs oppugnandum promittens, dum antè cygnico fuisset carmine lacessitus. Tum Fridlevus sic orsus:

Cum sis gigas tricorpor invictissimus,
Tuoq; cœlum penè adæques vertice,
Cur fœmen hoc ridendus ensis obligat?
Latusq; grande curta cingit framea?
Quid fortè pectus ense munis debili,
Habitusq; corporalis instar negligis,
Sicæ brevis parvo fretus gestamine?
Jam jam tuum frustrabor audax impetum
Ferro retuso molientem prælia;
Meticulosa cùm sis ipse bellua,
Molesq; digno destituta robore;
Umbræ fugacis more præceps tolleris,
Spectabili claroq; nactus corpore
Imbelle pectus & pavore lubricum,
Membrisq; summè dissidentem spiritum!
Ex hoc tua compago nutat fabricæ,
Cùm forma felix strage mentis claudicet;
Suisq; sit natura discors partibus.
Te laudis ex hoc munus omne deseret,
Nec fortium clarus loco censeberis,
Obscura computandus inter agmina.

Quo dicto gigantem pede manuq; curtatum, liberato captivo, coëgit in fugam. Cujus consequenter promontorium petens, egestam antro pecuniam asportavit. Quibus spoliis ovans, ereptiq; adolescentis in trajiciendo mari navigatione usus, hoc alacri carmen voce subtexuit:

Sanguine suffusos enses, ferrumq; cruore
Puniceum rapidi versavimus in nece monstri,
Dum te, Norvagicæ cladis moderator Amunde,

Exci-

Excipit alta quies: quem cum sine lumine mentis
Nox ignara premat, virtus dilapsa fefellit.
At nos defunctum membris opibusq; gigantem
Contudimus, vastiq; chaos penetravimus antri.
Illic congestum raptu, violavimus aurum.
Et jam fluctivagum tonsis everrimus æquor,
Confertamq; ratem spoliis ad littus ovantes
Remigio reduces agimus, percurrimus undas
Permensore maris carabo: sulcemus alacres
Hoc pelagus, ne nos hosti lux obvia prodat.
Ergo leves, totoq; manus conamine nisi
Rimemur mare, castra prius, classemq; petentes
Quàm roseum liquidis Titan caput exerat undis:
Ut cum rem rumor vulgaverit, atq; Frøgertha
Noverit egregio partam conamine prædam,
Blandior in nostrum moveat præcordia votum.

Die posterâ Fridlevo adversus Amundum, magno copiarum concursu, cruentum incidit bellum; quod partim terrestri, partim maritimo certamine gerebatur. Nam & in campis acies explicabantur, & classi nihilominus bellator incesserat. Cumq; res plurimo sanguinis impendio gereretur, Biørno demum inclinatâ suorum acie solutum nexibus molossum concitavit in hostem, quam ferro obtinére non poterat, canino morsu victoriam adepturus. Quæ res adversariis probrosam peperit stragem, cùm fortium phalanx mordicùs lacessita profugeret. Quorum fuga tristior an turpior fuerit, nescias. Erubescendus siquidem Normannorum exercitus erat, quem hostis opem à bellua mutuatus obtrivit. Nec fraudi Fridlevo fuit labentem militum virtutem canino reparare præsidio. Occidit hoc bello Amundus. Cujus assecla Avo cognomento sagittarius, Fridlevum ad secum dimicandum hortatus, à Biørnone sequioris ordinis viro, Regem cum plebejo congredi prohibente, lacessitur. Cumq; Biørno, sinuato arcu, nervo sagittam aptaret, subitò emissum ab Avone spiculum chordæ summa transfixit. Cujus altera mox sagitta comes mediis digitorum condylis impacta successit. His tertia superveniens, in applicatam nervo sagittam incidit. Avo quippe promptissimâ sagittandi operâ eminus utens, deindustria gestamen tantum hostis offenderat, ut idem in ipsum sibi licére demonstrans, pugilem à proposito revocaret. Biørno verò nihil ob hoc animi minuens, spreto corporis periculo, constanti mente & vultu discrimen iniit, ita ut nec Avonis quicquam ingenio deferre, neque ex consvetâ aliquid fortitudine deponere videretur. Itaque nulla ex parte proposito deturbatus, intrepidus duello se credidit. Quo cum uterque saucius excessisset, aliud item apud Abdarnes mutuâ laudis æmulatione gesserunt.

Interfecto Amundo, Fridlevus acerrimo hoste liberatus, summumq; & securum otium nactus, ferocissimum ingenium suum voluptati cedere coëgit, trajectoq; in Venerem studio, classem instaurat, negatas olim nuptias petiturus. Deniq; navigationem ingressus, quum defectâ ventis classe, vicos alimenta petiturus irrumperet, à Grubbo quodam hospitaliter habitus, tandemque filiæ ejus connubio potitus, Olavum vocabulo filium procreavit. Interjecto quoq; tempore Frøgertham adeptus, dum patriam parum prosperâ navigatione repeteret, ignotæ insulæ littoribus appulsus, thesaurum humi conclusum effodere, custodemq; ejus draconem, vitandi veneni gratiâ, bovino tergore tectus appetere cujusdam, per quietem conspecti, monitu perdocetur, intentumq; scuto corium venenatis dentium morsibus objectare præcipitur. Igitur experiendæ visionis causâ anguem undis emergentem adortus, diu in squameum latus irrita tela conjecit: quippe spicu-

FRIDLEVUS. ſpiculorum impulſum cruſtata corporis durities fruſtrabatur. Ipſe verò coluber crebras admodum ſpiras agitans, orbiculato caudæ flexu tactas obiter arbores ſtirpitùs evertebat. Cæterùm crebro corporis tractu cavata ad ſolidum humo præruptum hinc inde latus effecerat; ut quibuſdam in locis adverſos colles media valle ſequeſtrari conſpicimus. Igitur Fridlevus invicta belluæ ſuprema conſiderans, ima gladio tentat, perfoſsâq; inguinis parte ſaniem palpitantis elicuit. Quâ extinctâ, pecuniam hypogæo erutam navigiis deportandam curavit.

Evoluto anno, Biørnonem atq; Avonem ſæpiùs ex provocatione congreſſos, maximâ cura in gratiam reduxit, amicitiisq; odia mutare compulit: quibus etiam filium Olavum, tres annos natum, nutricandum conceſſit. Pellicem verò juritham, eandemq; Olavi matrem, recepto in commilitium Avoni matrimonio copulavit, æquiori animo repudium laturam exiſtimans, ſi tanto pugile maritata, pro regio ſtrenuum ſortiretur amplexum.

Mos erat antiquis ſuper futuris liberorum eventibus Parcarum oracula conſultare. Quo ritu Fridlevus Olavi filii fortunam exploraturus, nuncupatis ſolenniter votis, deorum ædes precabundus accedit, ubi introſpecto ſacello ternas ſedes totidem nymphis occupari cognoſcit. Quarum prima indulgentioris animi, liberalem puero formam, uberemq; humani favoris copiam erogabat. Eidem ſecunda, beneficii loco, liberalitatis excellentiam condonavit. Tertia verò protervioris ingenii invidentiorisq; ſtudii fœmina, ſororum indulgentiorem aſpernata conſenſum, ideoq; earum donis officere cupiens, futuris pueri moribus parſimoniæ crimen affixit. Ita aliarum beneficiis triſtioris fortunæ veneno corruptis, accidit, ut Olavo pro geminâ munerum ratione permixta liberalitati parcitas tribueret cognomentum. Quo evenit, ut prioris indulgentiæ ſvavitatem inſerta beneficio nota confunderet.

Cumq; regreſſus Norvagiâ Fridlevus iter per Svetiam haberet, ultrò legati partibus aſſumptis, cœlibi adhuc Haldano Hythini filiam, quam monſtro quondàm exemerat, impetravit. Intereà conjunx ejus Frogertha Frothonem enixa eſt, ab eximiâ mutuantem largitate cognomen. Itaq; Frotho ob avitæ fælicitatis memoriam, quam ſuo nomine referebat, ab incunabulis, XXVII. FROTHO. IV. primisq; infantiæ rudimentis adeò cunctis charus evaſit, ut ne humi quidem incedere aut conſiſtere toleratus, ſinu jugiter atq; oſculis foveretur. Ita non uni modò pædagogo addictus, ſed quaſi communis omnium alumnus extabat. Defuncto verò patre, cùm duodecimum ætatis annum ageret, Saxoniæ regulos Svertingum, & Hanevum imperium detrectantes, ac palàm rebellare conniſos, acie ſuperavit, devictisq; gentibus ſervitutis nomine pendendi pro capite nummi mulctam inflixit. Adeò namq; liberalis extitit, ut recenti lar„gitatis conſvetudine priſca militiæ ſtipendia duplicaret. Neque enim ſe ty„rannorum more communibus vitiorum illecebris objiciebat, ſed quicquid „honeſtati proximum pervidebat, ardenter appetere, opes in propatulo ha„bere, cæteros largiendo præcurrere, omnes humanitatis officiis antevenire, „& quod difficillimum eſt, virtute invidiam vincere contendebat. Cujus rei gratiâ, brevi tantam apud omnes claritatem contraxit, ut adoleſcentulus non modò famâ majorum titulos exæquaret, ſed etiam vetuſtiſſima Regum monimenta tranſcenderet.

Iiſdem temporibus Starcatherus quidam Storverki filius, periclitatis naufragio ſociis, ſolus vi aut fortunâ delapſus, ob incredibilem corporis animiq; præſtantiam hoſpes à Frothone colligitur. Cujus cùm aliquandiu contubernalem egiſſet, indies cultiùs ac decentiùs habitus, tandem ſpecioſo donatus navigio, maritimas excubias procurando piraticum munus agitare præcipitur. Siquidem excellentiùs humano habitu corpus à natura ſortitus, ita id animi magnitudine æquabat, ut nulli mortalium virtute cedere putaretur. Cujus tàm latè patens claritas fuit, ut adhuc quoq; celeberrima factorum ejus

ejus ac nominis opinio perſevéret. Neq; enim ſolùm apud noſtros egregiis operum titulis coruſcabat, verumetiam apud omnes SveonumSaxonumq; provincias ſpecioſiſſima ſibi monumenta pepererat. Hunc in eâ regione, quæ Svetiam ab Oriente complectitur, quamq; nuncEſtonum aliarumq; gentium numeroſa barbaries latis ſedibus tenet, originem duxiſſe, memoriæ proditum conſtat. Fabuloſa autem & vulgaris opinio quædam ſuper ipſius ortu rationi inconſentanea, atq; à veri fide penitùs aliena confinxit. Tradunt enim quidam, quod à gigantibus editus, monſtruoſi generis habitum inuſitatâ manuum numeroſitate prodiderit: aſſeruntq; Thor deum quatuor ex his affluentis naturæ vitio procreatas, eliſis nervorum compagibus avulſiſſe, atq; ab integritate corporis prodigiales digitorum eruiſſe complexus, ita ut duabus tantum relictis, corpus quòd antè in giganteæ granditatis ſtatum effluxerat, ejusq; formam informi membrorum multitudine repræſentabat, poſtmodùm meliore caſtigatum ſimulacro brevitatis humanæ modulo caperetur.

Olim enim quidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet & Othinus, aliiq; complures mirandâ præſtigiorum machinatione callentes, obtentis ſimplicium animis, divinitatis ſibi faſtigium arrogare cœperunt. Quippè Norvagiam, Svetiam, ac Daniam vaniſſimæ credulitatis laqueis circumventas, ad cultus ſibi pendendi ſtudium concitantes, præcipuo ludificationis ſuæ contagio reſperſérunt. Adeò namq; fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipſis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eosque deos, vel deorum complices, autumantes, veneficiorum auctoribus ſolennia vota dependerent, & errori ſacrilego reſpectum ſacris debitum exhiberent. Quo evénit ut legitima feriarum ſeries apud nos eorundem nominibus cenſeatur; cum ipſis Latinorum veteres, ſive à deorum ſuorum vocabulis, ſive à ſepteno planetarum numero nuncupationem ſingulatim adaptaſſe noſcantur. Eos tamen, qui à noſtris colebantur, non eſſe, quos Romanorum vetuſtiſſimi Jovem Mercuriumq; dixére, vel quibus Græcia Latiumq; plenum ſuperſtitionis obſequium exſolverunt, ex ipſa liquidò feriarum appellatione colligitur. Ea enim quæ apud noſtros Thor, vel Othini dies dicitur, apud illos Jovis, vel Mercurii feria nuncupatur. Si ergò Thor Jovem, Othinum Mercurium, juxta deſignatæ interpretationis diſtinctionem accipimus; manente noſtrorum aſſertione, Jovem Mercurii filium extitiſſe convincitur, apud quos Thor Othino genitus, vulgari ſententiâ perhibetur. Cùm ergo Latini contrario opinionis tenore Mercurium Jove editum aſſevêrent, reſtat ut conſtante eorum affirmatione, Thor alium quàm Jovem, Othinum quoq; Mercurio ſentiamus extitiſſe diverſum. Sunt qui dicant deos quos noſtri coluère, cum iis quos Græcia vel Latium celebrabat, ſolum participaſſe vocabulum, ſed iſtos tanquàm majeſtate ſuppares ab illis cultum cum nomine mutuatos fuiſſe. Et hæc ſuper Danicæ vetuſtatis numinibus diſſeruiſſe ſufficiat. Quæ ideò paulìſper à me in commune deducta ſunt, ut legentibus liquidum fiat, quibus patria noſtra ritibus paganâ ſuperſtitione paruerit. Nunc propoſiti diverticulum repetam.

Tradunt veteres Starcatherum, cujus ſupra memini, in Wicari Norvagienſium Regis jugulo, deorum favori facinorum ſuorum principia dedicaſſe: cujus rei tenor tali quorundam aſſertione contexitur. Volens quondam Othinus Wicarum funeſto interire ſupplicio, cùm id apertè exequi nollet, Starcatherum inuſitatâ priùs granditate conſpicuum, non ſolùm animi fortitudine, ſed etiam condendorum carminum peritiâ illuſtravit, quo promptiore ejus operâ ad peragendum Regis exitium uteretur. Hanc quippe eum dignationi ſuæ gratiam relaturum ſperabat. Quem etiam ob hoc ternis ætatis humanæ curriculis donavit, ut in his totidem execrabilium operum auctor evaderet. Adeò illi conſequenti flagitio vitæ tem-

tempora proroganda constituit. Qui mox Wicarum adiens, inq; ejus aliquandiu contubernio diversatus, insidias obsequio texit. Tandem piraticum cum eo opus ingreditur. Cumq; quodam in loco diutinâ tempestatum sævitiâ vexarentur, itâ ventis navigationem frustrantibus, ut majorem anni partem quieti tribuerent, deos humano sanguine propitiandos duxerunt. Itaq; conjectis in urnam sortibus, Regiæ necis victimam deposci contigit. Tunc Starcatherus facto ex viminibus laqueo Regem implicuit, pœnæ speciem duntaxat exiguo temporis momento daturum. Sed nodi rigor suum jus exequens, supremum pendentis halitum rapuit. Cui Starcatherus adhuc palpitanti ferro spiritus reliquias evulsit, cumq; remedium afferre deberet, perfidiam detexit. Neq; enim illa mihi recensenda videtur opinio, quæ viminum mollitiem, subitis solidatam complexibus, ferrei morem laquei peregisse commemorat. Deinde capto Wicari navigio, Bemonum quendam cunctis Daniæ piratis virtute præstantem, maritimum prædonem gesturus accedit. Bemoni namq; collega Fraccus nomine, piratici laboris tædio nuper se ejus societati, interpositâ pecuniæ pactione, subduxerat. Tantam autem Starcatherus ac Bemonus servandæ sobrietatis curam habebant, ut nunquam ebriosâ sibi potione indulsisse dicantur, ne præcipuum fortitudinis vinculum continentia, luxuriæ viribus elideretur. Cum ergo profligatis latè provinciis, ardore quoq; tyrannico Russiam invasissent, incolæ parum mœnibus armisue confisi, prohibendis hostium incessibus inusitati acuminis clavos objicere cœperunt, ut quorum reprimere nequirent impetum, morarentur excursum, taciteq; plantas humus elideret, quibus palàm acies resistere trepidasset. Sed ne id quidem impedimenti genus arcendis hostibus efficax fuit. Neq; enim Danis ad eludendam Ruthenorum operam calliditas defuit. Continuò namq; lignea pedibus tegmina submittentes, subjectos plantis aculeos innocuis pressêre vestigiis. Est autem ferrum hoc quatuor dispertitum stilis, iisdemq; taliter constitutis, ut in quamcunq; illud partem casu se ejiciat, trium incunctanter pedum æqualitate subsistat. Tum saltus invios ac nemorum densissima quæq; penetrantes, Ruthenorum principem Floccum montanis, quibus irrepserat, latebris ejecêre. Quo in loco tanto prædæ potiti sunt, ut ne unus quidem extaret, qui non auro argentoq; onustus classem repeteret.

Mortuò autem Bemonò Starcatherus àb athletis Biarmensibus ob virtutem adscitus, cum plurima apud eos memoratu digna edidisset facinora, Sveonum fines ingreditur: Ubi cum filiis Frø septennio feriatus, ab his tandem ad Haconem Daniæ tyrannum se contulit: quòd apud Upsalam sacrificiorum tempore constitutus, effœminatos corporum motus, scenicosq; mimorum plausus, ac mollia nolarum crepitacula fastidiret. Unde patet quàm remotum à lascivia animum habuerit, qui ne ejus quidem spectator esse sustinuit. Adeò virtus luxui resistit. Itaq; cum Hacone classem in Hyberniam extulit, ne vel ultima rerum humanarum imperia Danicis armis intacta consisterent. Ea tempestate Rex insulæ Hugletus extabat. Qui cùm frequens opibus ærarium haberet, adeò tamen avaritiæ obnoxius extitit, ut datis aliquando calceis, quos studiosi manus commendasset opificis, ligamenta detraheret, submotisq; loco suo corrigiis, donum ad injuriam transferret. Cujus rei deformitate tantum muneri criminis afferebat, ut odium pro gratiâ percipere videretur. Itaq; neminem ex honestis liberalitate prosequi solitus, circa mimos ac joculatores munificentiæ studiis uti consvevit. Oportebat namq; ut turpis turpibus commercia familiaritatis impenderet, & vitiorum tabo obsitus, culpæ socios blandimentorum lenocinio demulcêret. Fuére tamen ei spectatæ virtutis proceres, Gegathus & Suibdavus; qui inter effœminatorum consortia, veluti gemmæ stercoribus insitæ, conspicuo militarium operum fulgore pollebant. Itaq; soli regiarum opum defensores extabant. Igitur prælio iter Hugletum & Haconem cœpto, mimorum gre-

ges,

FROTHO. IV.

gres, quibus inſtabilitatem corporum levitas peperit animorum, trepidis aciem ſolvére decurſibus, tantaq́; regis beneficia ſolâ fugæ deformitate penſârunt. Tunc Gegathus & Suibdavus ſoli tot hoſtium millibus objecti, incredibili bellum virtute geſſerunt, ut non duorum modò militum, ſed univerſi agminis partes agere viderentur. Sed & Gegathus Haconem ſibi pertinacius imminentem tanto pectoris vulnere affecit, ut jocinoris ſuprema detergeret. Illic Starcatherus, dum ferro Gegathum petit, acerbiſſimum capite vulnus excepit: undè poſtmodum in quodam carmine, non aliàs triſtiorem ſibi plagam incidiſſe perhibuit, quòd licet diſciſſi capitis partes exteriore pellis ambitu necterentur, latens tamen in vulnere livor, clauſum putredinis contagium occultabat. Victo occiſoq́; Hugleto, ſed & Hybernienſibus in fugam actis, Starcatherus, quoſcunq; ex hiſtrionibus captioni caſus obtulit, cædendos virgis curavit; ſatius ratus in ſcurrarum agmen, cuticulæ damno, ridiculum dictare ſupplicium, quàm pœna capitis funeſtum imperare diſcrimen. Ita jocularis miniſterii, ſordidæq́; conditionis catervam probroſo animadverſionis genere inſecutus, obſcœno verberum ludibrio mulctare contentus extitit. Tum Dani apud urbem Dufflinam regias opes ærario egeſtas publico raptu convelli juſſerunt. Tantæ ſiquidem magnitudinis pecunia reperta fuerat, ut minor partitionis cura cunctis exiſteret.

Poſt hæc Starcatherus ad inhibendam Orientalium defectionem unà cùm Wino Sclavorum principe delegatur. Qui ſimul adverſum Curetum, Semborum, Sangalorum, omniumq́; poſtremò Orientalium exercitus, præliati, claris latè victorias edidére. Eximiæ opinionis gladiator nomine Wiſinnus, apud Ruſſiam, rupem, quæ Anafial dicitur, ſede & manſione complexus, vicinas longinquasq́; provincias omni injuriæ genere vexavit. Hic omnem telorum aciem ad hebetudinis habitum ſolo conſpectu redigere ſolebat. Quamobrem tantam viribus ejus audaciam peperit excluſus vulnerum metus, ut etiam illuſtrium virorum conjuges maritis ſpectantibus raptas, ad ſtuprum pertraheret. Cujus ſceleris Starcatherus rumore excitus, tollendi auctoris gratiâ Ruſſiam petit. Qui quoniam nihil expugnatu difficile habuit, petitum ex provocatione Wiſinnum etiam artis ſuæ beneficio ſpoliatum oppreſſit. Ferrum quippe ne præſtigiatori conſpicuum foret, tenui admodum pelle contexit: neq; Wiſinno aut præſtigii virtus, aut virium magnitudo, quo minus Starcathero cederet, auxilio fuit. Deinde apud Byzantium invictæ opinionis gigantem, Tannam nomine, corporis viribus fretus colluctando devicit, ignotasq́; terrarum partes proſcripti titulo petere coëgit. Igitur cùm nulla fortunæ ſævitia vires ejus victoriâ fraudare potuiſſet, Poloniæ partes aggreſſus athletam quem noſtri Waſce, Teutones verò diverſo literarum ſchemate Wilze nominant, duelli certamine ſuperavit.

Intereà Saxones defectionem moliri, idq́; maximè in animo habere cœperunt, qualiter invictum bello Frothonem præter publici conflictus morem opprimerent. Quod optimè duello gerendum rati, mittunt qui Regem ex provocatione laceſſerent, ſcientes eum diſcrimen omne promptâ ſemper mente complecti, animiq́; ejus magnitudinem nulli prorſus exhortationi ceſſuram. Quem tunc temporis maximè adoriendum putabant, cùm Starcatherum, cujus pleriſq́; formidoloſa virtus extabat, negotioſum abeſſe cognoſcerent. Cunctante verò Frothone, ſeq́; cum amicis ſuper dando reſponſo collocuturum dicente, ſupervenit Starcatherus piraticâ jam regreſſus: qui ex hoc maximè provocationis habitum reprehendit, quòd diceret Regibus non niſi in compares arma congruere, eademq́; adverſum populares capienda non eſſe; per ſe verò tanquam obſcuriore loco natum, pugnam rectiùs adminiſtrandam exiſtere. Igitur Saxones

FROTHO. IV.

xones Hamam, qui apud eos gymnicis palmis clarissimus habebatur, multis aggressi pollicitationibus, si duello operam commodaret, molem corporis ejus auro se repensuros esse promittunt, illectumq; pecuniâ pugilem ad campum conflictui deputatum militaris pompæ tripudio prosequuntur. Hinc Dani Starcatherum Regis sui partes exequuturum ad certaminis locum militiæ insignibus ornati perducunt. Quem Hama ætate marcidum juventæ fiduciâ despicatus, defunctum viribus senem luctâ quàm armis excipere præoptavit. Eundem adortus terræ nutabundum adegerat; ni fortuna, quæ vinci vetulum non sinebat, injuriæ restitisset. Ita enim impellentis Hamæ pugno obrutus memoratur, ut genibus nixus humum mento contingeret. Quam corporis nutationem egregiâ ultione pensavit. Nam ubi resuscitato poplite manum expedire, ferrumq; distringere licuit, medium Hamæ corpus dissecuit. Complures agri sexagenaq; mancipia victoriæ præmium extitêre. In Saxones verò post Hamæ cædem adeò Danorum insolevit imperium, ut pro cubitalium membrorum quolibet indicem servitutis stipem quotannis pendere cogerentur. Quod ægrè ferens Hanef, bellum demendæ pensionis cupidine cum animo volutabat. Cumq; pertinax amor patriæ mentem in dies oppressorum miseratione perfunderet, spiritum pro libertate civium erogare cupiens, rebellionis studium patefecit. Quem Frotho trajectis per Albiam copiis, apud vicum Hanøfra, taliter ab eo nuncupatum, occîdit. Svertingus verò, quanquam non minus civium afflictatione moveretur, dissimulato patriæ malo, pervicaciori quàm Hanef ingenio libertatis propositum agitabat. Quod quidem studium dubitari solet virtuti an vitio propiùs fuerit. Ego verò planè id sceleris arguo, quod insidiosa defectionis cupiditas edidit. Nam etsi patriæ libertatem quærere perutilè videbatur, ad hanc tamen dolo ac proditione contendere non licebat. Cùm ergò Svertingi facinus planè ab honesto desciverit, ne utile id quidem extitisse constabit. Nam speciosiùs est apertè quem velis incessere, odiumq; in propatulo exercêre, quàm adulterinâ familiaritate veram nocendi cupidinem obscurare. Sed quicquid scelere paritur, gloriâ vacuum est, brevesq; & occiduos fructus habet. Nam sicut lubricus animus est, qui fallendi supercilium clandestinis artibus tegit: ita quicquid dolo affine est, fluxum ac fragile esse convenit. Plerumq; enim crimen in auctorem recidere cognitum est: quod & Svertingo evenisse, famâ compertum habetur. Qui cùm convivii simulatione exceptum Regem incendio consumere statuisset, ab eodem occupatus, tametsi ipsum mutuò peremisset, occiditur. Quo evenit, ut alterius scelus amborum interitus foret. Itaq; etsi dolus in hostem efficax fuerit, auctorem tamen, impunitatis præsidio non donavit.

XXVIII. INGELLVS

Frothoni filius Ingellus succedit. Cujus transversus ab honesto animus, relictis majorum exemplis, totum se petulantissimi luxus illecebris mancipavit. Igitur à bono rectoq; discolor, vitiaq; pro virtute complexus, discissis continentiæ nervis, intermissisq; Regiæ majestatis officiis, sordidum luxuriæ mancipium evasit. Sanè quicquid compositis moribus obvium, aut inconcinnum erat, excoluit. Paterna avitaq; decora fœdissimarum libidinum assuetudine polluebat, clarissimos majorum titulos improbissimis obscurabat operibus. Adeò namq; libidini ventris obnoxius erat, ut nec patris ultorem agere, nec hostium injurias propulsare gestiret, nihilq; dum gulæ pareret, modestè ac continenter habendum putaret. Egregium stemma otio inertiâq; corrupit, fluxamq; ac voluptariam vitam degens, degenerem spiritum, atq; à parentum vestigiis obliquo longè calle distortum, in obscœnissimas fœditatum voragines præcipitare gaudebat. Fartores, lixas, frixoria, gulæ multiplices officinas, variosq; torrendæ aut condiendæ dapis artifices legere, claritatis loco ducebat. Arma verò, militiam, bella, nec ipse quidem usu discere, nec alios exercitio celebrare sustinuit. Ita abjecto virili studio, fœmineum æmulatus est, quem in omnem culinæ nidorem irrestrictus palati

INGELLVS

lati pruritus accenderat. Semper crapulam proflans, cunctisq; ſobrietatis partibus exutus, indigeſtam ventris ſaniem fœtido oris anhelitu ructabatur. Nec minus luxuria fœdus quàm Frotho militiâ clarus extabat. Adeò deliciis animum intempeſtiva gulæ corruptela molliverat. Cujus intemperantiæ faſtidio Starcatherus ad deſerendam Ingelli familiaritatem adductus, petito Sveonum Regis Haldani contubernio, otio negotium prætulit. Adeò ne nimiæ quidem luxuriæ aſſenſor eſſe ſuſtinuit. Filii verò Svertingii veriti, ne Ingello pœnas paterni facinoris darent, ſororem ei in matrimonium contulerunt, ultionem beneficio præcurſuri. Ex quâ filios ſuſceptos Frothonem, Fridlevum, Ingellum, atq; Olavum, quem quidem ipſius ſorore editum aſſeveranter antiquitas perhibet.

Cujus ſororem Helgam, quidam auri opifex obſcuræ ſtirpis, blanditiis compoſitus ac variis inſtructus munuſculis, quibus muliebris maximè cupiditas capitur, in mutuas faces amatoriâ comitate pertraxerat. Quippe poſt obitum Regis, non exiſtentibus qui paterna in prole merita colerent, cuſtodiæ inops, tutoribusq; defecta fuerat. Quod cum Starcatherus ex aſſidua viatorum relatione coguoſceret, impunitum fabri luxum præterire non ſuſtinens; [quippe ut memorem beneficiorum cultorem, ita promptum inſolentiæ vindicem agere conſveverat,] tàm inuſitatæ præſumptionis audaciam ultum ire deproperat, orphanæ alumnæ vetuſta Frothonis merita repenſurus. Deniq; peragrata Svetia, fabri penates ingreſſus, vicinum limini locum occupat, pileolo vultum, ne proderetur, obſcurante. Quem faber, non ſatis doctus vili interdum amiculo validas ſubeſſe manus, objurgatum æde ocyus excedere jubet, inter egentium gregem ultimis eſcarum reliquiis potiturum. At ſenex ab inolita ſibi moderatione patientiam mutuatus, nihilominus ibidem acquieſcere, paulatimq; petulantiam hoſpitis experiri ſtudebat. Procurſum namq; furoris ſuperior impetu ratio refrenabat. Tum faber apertâ puellam procacitate aggreſſus, in ejus fortè ſinum jactaverat corpus, capitis comam virgineis manibus offerens depectendam. Exerto quoq; lumbari, operam ejus demendis pulicibus expetebat, extorſitq; ut ſplendidiſſimæ familiæ fœmina, pollentes amœnitate digitos ſordidiſſimis femoralibus inſerere non erubeſceret. Deinde credita voluptatis licentia interiori ipſius togæ prurientes inferre palmas, inſtabilesq; manus pectori propiùs admovère ſuſtinuit. At illa noti quondam ſenis intuitu curioſiore præſentiam capiens, concepto pudore, libidinoſæ contrectationis petulantiam ſprevit, manusq; repulit impudicas; quinetiam armis opus habendum edocens, laſciviori luſu deſiſtendum hortatur. Quo viſo Starcatherus, qui propter fores pileo caput obſcurante conſederat, jam tantum hauſerat iræ, ut ulterius cohibendæ manus impatiens, depoſito velamine dextram diſtringendo injiceret ferro. Tum faber, qui nil niſi laſcivum noverat, improviſo fluctuans metu, ubi rem ad manus perveniſſe cognovit, abjecta defenſionis ſpe, in fuga unicum neceſſitatis præſidium circumſpexit. Itaq; tam foribus, quarum hoſtis aditum tuebatur, erumpere arduum erat, quàm intra penates percuſſorem operiri grave. Tandem obſtrictus neceſſitate animus finem cunctationi poſuit, cenſuitq; certo atq; evidenti periculo appetibilius eſſe diſcrimen, cui vel modica ſalutis ſpes ſubeſſe poterat. Fugam quoq; quanquam periculi affinitate præarduam, tamen quia miniſtra opis ſalutiq; propior videbatur, appetiit, moram, quæ tanquam expers ſubſidii malum, inevitabilisq; jacturæ capax videbatur, abjiciens. Sed dum limen occupat, à præſidente foribus ſene medias cæſus nates, lapſo ſeminecis veſtigio concidit. Quippe percuſſor magnopere cavendum duxerat, ne clariſſimas manus turpiſſimi ciniflonis exitio commodaret, improbi amoris faces gravius ignominiâ quàm morte mulctatas exiſtimans. Ita à quibuſdam calamitoſus extincto punitior exiſtimatur. Quo effectum eſt, ut puella parentum officiis defecta, eruditiſſimam moribns fœminam ageret, inq; ſemetipſam quaſi ſeduli tutoris officium exer-

ceret.

INGELLVS ceret. Cumq; Starcatherus circumspectam undiq; familiam recenti hospitis jacturâ indoluisse cognosceret, ignominiam saucii invectius exaggerandam curavit, insultandoq; sic cœpit:

Unde stupet taciturna domus? quæ causa dolorem
Integrat, aut ubi nunc uxorius ille quiescit,
Nuper ob indignum ferro mulctatus amorem?
Numquid adhuc fastum, luxumq́; reservat inertem?
Aut tenet inceptum, primâq́; libidine fervet?
Extrahat alternis mecum sermonibus horam,
Hesternumq́; odium verbis componat amicis.
Lætior emergat facies, nec plangor in æde
Personet, aut mœstos sinat obtorpescere vultus.
Scire volens, quis virgineo flagraret amore,
Dilectæq́; mihi facibus premeretur alumnæ,
Pileolum sumpsi, ne toto proderer ore.
Cum faber ille procax lascivis gressibus intrat,
Hâc illacq́; agitans instructo fœmina gestu,
Nec minus ad varios intendens lumina nutus.
Castoreo cui tegmen erat chlamys obsita limbo,
Instratæ gemmis crepidæ, toga cultior auro.
Splendida nexuerant tortum redimicula crinem,
Et varicata vagum stringebat vitta capillum.
Hinc adolevit iners animi tumor, ingeniumq́;,
Divitias genus esse putans, aut æra parentes,
Fortunamq́; magis opibus quam sanguine pensans.
Hinc subiit fastus, habitumq́; superbia traxit.
Nam miser ob cultum magni se credere cœpit
Ingenuisq́; parem cinifto: qui pellibus auras
Venatur, crebroq́; ciet spiramina tractu;
Qui digitis cineres verrit, qui sæpe reductis
Aëra folliculis captat, tenuiq́; flabello
Spiramenta creat, torpentesq́; excitat ignes.
Inde puellare gremium petit, appositusq́;,
Virgo, inquit, mihi pecte comam, tactuq́; salaces
Comprensa pulices, & quo cutis uritur, aufer.
Hinc residens, auro sudantia brachia pandit
Pulvino annixus tereti, cubitoq́; reclinis
Ornatum jactare volens, ceu bellua latrans
Explicat obtortæ contracta volumina caudæ.
Illa mei noscens compescere cœpit amantem,
Lascivasq́; fugare manus, meq́; esse professa,
Parce precor digitis, inquit, stimulumq́; coërcens
Contiguum valvis vetulum placare memento.
In luctum recidet lusus. Starcherus adesse
Creditur, & lento, quid agas, disquirit ocello.
Cui faber, imbellem noli pallescere corvum,
Pannossumq́; senem: nunquàm validissimus ille,
Quem metuis, tàm vulgato vilescere cultu
Sustinuit. Gaudet nitido vir fortis amictu,
Et vestem pro mente petit. tunc tegmine dempto
Eripui ferrum, fabriq́; pudenda fugacis
Persecui: patuere nates & ab osse resectæ
Viscera nudabant: surgo mox, atq́; puellæ
Ora premens pugno, contusâ nare cruorem

Elicio;

INGELLUS

Elicio; tunc labra malis assueta cachinnis
Sanguine permixto lachrymis maduêre, luitq;
Stultus amor, quicquid blandis commisit ocellis.
Luserit infelix, quæ cæca libidine fertur
More furentis equæ, sepelitq; cupidine formam.
Gentibus externis prætio vænire mereris,
Digna molâ, nî te falsò probet insimulatam
Elicitus mammis cruor, expurgetq; reatum
Uber inops lactis: at ego te criminis hujus
Arbitror immunem, sed noli suspicionis
Ferre notas, aut te falsis permittere linguis,
Et malè carpendam populo præstare loquaci.
Rumor obest multis, nocuitq; infamia mendax.
Fallitur exiguo vulgaris opinio dicto.
Defer avis, venerare patres, memor esto parentum,
Et proavos metire tuos, stet gloria carni.
Quis furor incessit? quod te, faber improbe, fatum
Impulet ingenuam tentare cupidine stirpem?
Aut quis te, virgo, claris dignissima fulcris,
Egit in obscuram Venerem? dic quo potes ausu
Os cinerem redolens roseis gustare labellis,
Vel fœdas carbone manus in pectore ferre?
Ac lateri sociare tuo versantia prunas
Brachia, & assidua duratas forcipe palmas
Synceris adhibere genis, sparsumq; favilla
Complecti caput, & nitidis mandare lacertis?
Quanta sit in cunctis, memini, distantia fabris,
Ictus ab his quondam: nomen quippe omnibus unum
Officij commune manet, sed pectora subsunt
Ingeniis discreta suis; me judice præstant,
Qui gladios & tela viris ad prælia cudunt,
Ingenioq; animos produnt, & corda rigore
Officij signant, ausumq; labore fatentur.
Sunt & nonnulli quibus æs cava testula promit
Diversas fuso species imitantibus auro;
Qui torrent venas, recoquntq; metalla: sed ipsis
Mollius ingenium finxit natura, manusq;
Eximia quas arte dedit, formidine pressit.
Tales sæpe dolo, dùm flatilis eliquat ardor
Æs testæ immissum, subducunt aurea massis
Crustula, furtivum conchâ sitiente metallum.

His dictis Starcatherus non minorem ex voce, quàm opere voluptatem sortitus, Haldanum repetit, ejusq militiam proximâ familiaritate complexus, nunquam bellorum exercitio abstitit, ita ut abstractum deliciis animum continuâ armorum intentione torqueret.

Fuêre autem Ingello sorores Helga & Asa: ex quibus Helga toris admodum matura, Asa verò annis minor connubioq; inhabilis erat. Tunc Helgo Norvagiensis postulandæ Helgæ cupidine concitatus, navem conscendit. Cæterùm navigationem tanto instruxerat luxu, ut excultorum auro velorum apparatu uteretur, quæ etiam inauratis malis subnixa, purpureis restibus tenebantur. Venienti Ingellus votum impetrandum promittit, si modo oblatos pugiles, ad testandam opinionis suæ experientiam, pugnâ sustinere præsumeret. Nec conditione permotus Helgo, quàm libentissime se pacto operam daturum respondit. Itaque solenni sponsalium titulo futuræ

INGELLVS

copulæ pactio conſecratur. Per idem tempus apud inſulam Sialandiam novem ducis cujuſdam filios inoleviſſe memoriæ proditum eſt, apprimè viribus & audaciâ præditos, quorum maximus Angaterus extabat. Qui cum ejuſdem puellæ competitorem ageret, negatasq́; ſibi nuptias Helgoni promiſſas videret, palæſtricâ illum provocatione ſolicitat, ferro moleſtiam propulſurus. Approbat Helgo propoſitas pugnæ partes, & nuptiarum die dimicandi tempus amborum votis condicitur. Confundebatur enim apud omnes, quiſquis certamen ad dimicandum provocatus abnueret. Quamobrem Helgonem hinc detrectandæ pugnæ rubor, inde gerendæ metus angebat. Siquidem præter commune provocationis jus impari manu ſe laceſſitum credebat, quod ſolus adverſum novem pugnam ſpopondiſſe videretur. Hæc volventem, ſponſa auxilio opus habiturum docet, hortaturq́; pugnâ abſtineat, quâ nihil præter mortem aut ignominiam petiturus videatur, præſertim cum eorum, adverſum quos dimicaturus eſſet, numerum, nulla deffinitionis certitudine clauſiſſet: quamobrem periculo parcat, Starcatherumq́; apud Sveones agentem ſaluti conſulturus expoſcat, qui indigentibus adeſſe, & triſtes plerumq́; caſus felici interventu redimere ſoleat. Gratum Helgoni conſilium fuit. Qui quum, parvulo comitatu ſumpto, Svetiam ingreſſus, ad nobiliſſimam ejus urbem Upſalam perveniſſet, ingreſſu abſtinens præmittit, qui Starcatherum ſalutationis officio prætentatum ad Frothonis filiæ nuptias invitaret. Quâ comitate Starcatherus perinde ac injuriâ laceſſitus, acrius inſpectum juvenem tam ineptæ legationis pœnas daturum reſpondit, niſi chariſſimi ſui Frothonis mentionem mandatis inſertam haberet, quod ſe ſcurræ vel paraſiti more, lautioris alimoniæ gratiâ, ad alienæ culinæ nidorem decurrere ſolitum exiſtimaverit. Quod poſtquam Helgo ex ſatellite cognovit, regiam ingreſſus, Frothonis filiæ titulo conſalutatum ſenem condictæ ex provocatione pugnæ ſocium depoſcit, cui ob hoc ſe minus ſufficere dixit, quod conflicturæ ſecum partis numerum condictionis modus incertum reliquerit. Quem Starcatherus loco certaminis, ac tempore cognito, non ſolum ſupplicem recepit, verùm etiam auxilii promiſſione firmatum Daniam cum comitibus repetere juſſit, affirmans ſe ejus aditum occulto callis compendio quæſiturum. Quo diſcedente, interjectis diebus profectionem orſus, ſi famæ credi fas eſt, velocitate greſſus tantum locorum diali itinere emenſus proditur, quantum præcedentes diebus duodecim peragraſſe dicuntur: ita ut utrique fortuito veſtigiorum concurſu, uno eodemq́; tempore, deſtinatos Ingelli penates attingerent. Ubi cum Starcatherus miniſtrorum more, menſas convivis obſitas præteriret, præmemorati novem plenis deformitatis geſtibus torvos ore fremitus dantes, ac more ſcenico decurſantes, in pugnam ſe mutua adhortatione firmabant. Sunt qui eos venienti athletæ ſævientium canum exemplo oblatraſſe perhibeant. Quibus Starcatherus increpatis, quòd adulterino oris habitu ridiculam ſibi formam conſciſcerent, patulisq́; buccarum rictibus laſcivirent, taliter effœminatorum diſſolutam mollitiem intemperantiæ ſuæ luxum deducere prædicabat. Interrogatus igitur, an ei dimicandi virtus ſuppeteret? non unum tantum, verum quotlibet admiſſos excipiendi certiſſimas ſibi vires extare reſpondit. Quod audientes novem, animadvertunt hunc eſſe, quem in ſubſidium Helgonis è longinquo venturum acceperant. Idem ut ſponſæ thalamum attentioribus vallaret excubiis, voluntariam vigiliarum curam amplexus, reductas cubiculi fores obicis loco gladio obſerat, ſtationis ſuæ beneficio ſecuram nuptiis quietem daturus. Experrectus Helgo, cum ſomni ſtupore diſcuſſo, promiſſum memoriæ ſubjeciſſet, armis corpus induendum curavit. Animadvertens autem parvulam noctis adhuc ſupereſſe caliginem, cum præſtolari vellet diluculi tempus, dùm animo propin-

propinqui diſcriminis negotium volutaret, obrepentis furtim ſomni ſuavitate præventus, gravatum ſtupore corpus lecto reſtituit. Quem ut Starcatherus primâ luce ſuperveniens dormientem uxoris amplexibus inhærere cognovit, importunæ concuſſionis moleſtia à quietis otio revocari paſſus non eſt, ne per ignaviam excitandi officium præſumere, & tam recentis copulæ dulcedinem interpellare videretur. Solus itaque periculum petere, quam alienæ voluptatis offenſione comitem quærere ſpecioſius duxit. Tacitus igitur veſtigium retulit, campumq;, qui lingua noſtrâ Roliung dicitur, cum contemptu adverſariorum ingreſſus, ſub montis cujuſdam clivo ſeſſione quæſitâ, adverſum ventis ac nivibus corpus præbuit. Tunc ac ſi verna cœli temperies aſpiraret, depoſitâ veſte, demendis operam pulicibus dabat. Purpureum quoq;, quo nuper ab Helga donatus fuerat, ſentibus amiculum injecit, ne contra ſævientia grandinis tela indumentorum umbracula mutuatus videretur. Tunc venientes athletæ, montem ex oppoſito ſubeunt, averſumq; ventis ſedendi locum petentes, accenſo frigus igne depellunt. Deniq; non viſo Starcathero, quendam montis faſtigio immittunt, qui tanquam è ſpecula liquidius ejus contemplaretur adventum. Is poſtquam montanæ celſitudinis verticem conſcendit, in devexa ejus parte ſenem proſpicit, ſcapulis tenus nivali deſuper reſperſione contectum. Percontatur itaq; an is ſit, qui promiſſas pugnæ partes agere debeat. Cumq; ſe hunc eſſe Starcatherus aſtrueret, ſupervenientes cæteri, pariterne omnes an ſingillatim excipere ſtatuiſſet, interrogant. At ille, quoties mihi, inquit, triſte canum agmen oblatrat, ſimul non viciſſim eos abigere ſoleo? ita ſe cum univerſis, quàm ſingulis, confligere malle ſignificans, adverſarios prius dictis quàm armis contemnendos putabat. Inito conflictu, ſex eorum abſq; mutuo vulnerum receptu proſtravit: tres vero reſiduos, quanquam decem ac ſeptem vulneribus ita ab eis affectus eſſet, ut major viſcerum pars ventre elaberetur, nihilominus fratrum exemplo conſumpſit. Cumq; extis vacuus, labefactis viribus gravi ſitis anguſtiâ premeretur, petendæ potionis cupiditate pergenuans, labentis comminus rivi lympham expoſcit. Quem ut cruore tabidum animadvertit, à polluto ejus hauſtu, faſtiditâ aquæ ſpecie, temperavit. Angaterus ſiquidem inter amnis fluenta proſtratus, ita alveum ejus ſanguinis ſui rubore conſperſerat, ut jam non aquis, ſed roſeo quodam liquore manare videretur. Ita Starcatherus corporis viribus defici, quàm eas à tam fœda potione mutuari ſpecioſius duxit. Igitur conſumpto penè robore, ſaxo, quod in vicino fortè ſitum erat, genibus advolutus, pauliſper eidem acclinis incubuit: cujus cava adhuc ſuperficies cernitur, ac ſi illam decubantis moles conſpicuâ corporis impreſſione ſignaſſet. Ego autem hanc imaginem humanâ arte elaboratam reor, cum veri fidem excedere videatur, inſecabilem petræ duritiam ita ceræ mollitiem imitari potuiſſe, ut ſolo innitentis contactu humanæ ſeſſionis ſpeciem repræſentaret, habitumq; perpetuæ concavitatis indueret.

Cumq; Starcatherum quidam fortè curru præteriens, toto penè corpore ſauciatum vidiſſet, horrore rei pariter atq; admiratione permotus, propius lora deflectit, quærens quid ſibi præmii foret, ſi plagas ejus medendi officio proſequeretur. Sed Starcatherus vulnerum acerbitate cruciari, quàm ſordidæ conditionis hominum miniſterio uti præoptans, officium ejus ac genus cognoſcere inſtitit. Quem cum præconis partibus fungi didiciſſet, ſpernere non contentus, etiam convicio proculcavit, quod cunctis honeſtatis partibus neglectis, ſcurrilitatis officia ſectaretur, omnemque vitæ curſum nefanda ſemper opinione reſperſerit, & quæſtus loco pauperum duxerit detrimenta, nemini innocentiam tribuere, cunctis accuſationis injuriam irrogare paratus, tunc præcipue lætus, cum quid alienis luctuoſum rebus incideret, dum in hoc maximè ſuâ deſudet intentione, ut omnium actus inſidioſæ explorationis arte cognoſcat, & innocuos

INGELLVS

INGELLVS mores quæſitæ fraudis occaſione perſtringat. Abeunte eo, ſupervenit alius opis medelæq; promiſſor, qui prioris exemplo conditionem fateri juſſus, ancillam ſe cujuſdam in matrimonio habere, ejuſq; domino emancipandæ conjugis gratiâ ruſticum opus dependere teſtabatur. Cujus operâ Starcatherus idcirco ſe uti nolle perhibuit, quòd erubeſcendo connubii genere ſerviles ſibi conſciviſſet amplexus. Cui ſi quid virtutis ſuppeteret, faſtiditâ alieni ſaltem familiaritate mancipii, liberâ thori participe frueretur. Quantam porrò hujus viri magnitudinem exiſtimemus, qui ſummis vitæ periculis implicatus, tantum ſe in repellendis auxiliis geſſit, quantum in excipiendis vulneribus geſſerat. Itaq; diſcedente eo ſubiens fœmina fortuito ſenem præteribat inceſſu. Quæ cum petergendorum ejus vulnerum gratiâ propius acceſſiſſet, in primis quo genere aut officio eſſet exponere juſſa, ancillam ſe molendi officio aſſuetam perhibuit. Quam rurſum Starcatherus, an prolem haberet, percontatus, poſtquam fœmineam ei ſobolem eſſe cognovit, domum abire, & vagienti filiæ mammas præbere juſſit, perquam deforme exiſtimans, ab extremæ ſortis muliercula ſubſidium mutuari. Quinetiam melius eam proprium ſanguinem lactis nutrimentis, quàm aliena vulnera remediis proſecuturam ſciebat. Hanc quoq; diſcedentem juvenis curru delatus inſequitur. Qui cum conſpecti ſenis vulneribus opem laturus accederet, quiſnam eſſet rogatus, agricolâ ſe patre natum, ruſticiq; laboris operibus aſſuefactum ſubjunxit. Cujus Starcatherus natalibus collaudatis, officium quoq; veneratione digniſſimum judicavit, quòd talibus vitæ ſubſidia juſto laboris commercio peterentur, qui nimirum quæſtum non noſſent, niſi quem fuſi ſudoris impendio peperiſſent. Nec immeritò ruralis vitæ habitum etiam excellentiſſimis opibus præferendum putavit, cujus integerrimi fructus inter ſplendidam abjectamq; fortunam mediocritatis gremio orti educatiq; viderentur. Ne autem indonatam juvenis humanitatem relinqueret, chlamydem à ſe vepribus interjectam oblatæ dignationis præmium effecit. Accedens itaq; ruricolæ filius, evulſas ſtomachi partes priſtino loco reſtituit, elapſamq; extorum congeriem nexili viminum complexione perſtrinxit. Deinde exceptum vehiculo ſenem, ad regios uſq; penates pleno venerationis ſtudio deportandum curavit.

Interea Helga verbis magnam præ ſe cautelam ferentibus, virum inſtruere aggreſſa, ſcire ſe, inquit, Starcatherum, mox ut victis pugilibus remearet, abſentiæ pœnas ab eo ſumpturum, à quo plus ignaviæ & libidini quam condicti certaminis fidei indultum exiſtimet. Cui ideò acrius reſiſtendum fore, quòd fortibus parcere, ignavos odiſſe ſoleat. Cujus prædictionem Helgo æque ac conſilium veneratus, corpus animumq; capeſſendæ virtutis ardore firmavit. Cumq; Starcatherus ad regias eſſet ædes delatus, vulnerum dolore neglecto, ocyus curru deſiliit, ac veluti toto integer corpore nuptialem irrumpens thalamum, pugno valvas perfregit. Tunc lecto exiliens Helgo, ut conjugis erat conſilio doctus, adverſæ ejus fronti ferrum immerſit. Cumque ſecundi vulneris meditatione denuò ferrum adacturus videretur, Helga thoro ocyſſimè evolans, ſenem ab imminenti exitio, correpti ſcuti interjectu, defendit: quod tamen ab Helgone validiore ferri impulſu medio tenus umbone diſſectum eſt. Ita laudabilis fœmina ingenii amicum auxilio proſecuta, quem conſilio læſerat, manu ſervavit, utq; monitis maritum, ita factis ſenem protexit. Quæ res Starcatherum ad incolumitatem Helgoni tribuendam adduxit; præfatum, parci oportere, cui certum virtutis indicium præſens fortitudinis fides exhibeat. Morte ſiquidem indigniſſimum prædicabat, quem tantâ reſiſtendi fiduciâ plenum probitatis ingenium exornaſſet.

Idem, plagis nondum medicamine procuratis, nec ullâ adhuc cicatrice reſperſis, occiſo ab æmulis Haldano, Svetiam repetens, filium ejus Syvardum, devictâ quorundam rebellione, paternæ dominationis hæredem conſtituit.

ftituit. Aqud quem diutulè converfatus, cum Frothonis fraudulenter oppreffi filium Ingellum, transverfo animo actum, patris interfectoribus animadverfionis humanitatem atq; amicitiam erogaffe, famâ rei crebrefcente, cognoffet; ob tàm horridum facinus indignationis aculeis laceffitus, dolenterq; ferens tantæ indolis juvenem tam inclyti patris filium exuiffe, eximium carbonum fafcem tanquam opimam farcinam humeris fuis Daniam petiturus impendit. Rogatus ab obviis, quid tam infolitum onus deferret, Ingelli Regis hebetudinem ad acuminis habitum carbonibus fe perducturum aftruxit. Itaq; expedita & compendiaria femita velut uno fpiritu rapidum ac præceps iter explicuit, tandemq; Ingelli hofpitio ufus, fedem majoribus deftinatam fuo more confcendit. Quippe apud prioris feculi reges ampliffimum dignitatis gradum obtinere confveverat. Quem cum regina fqualore obfitum fordidisq; & agreftibus pannis utentem ingreffa confpiceret, ob deformitatem cultus parum curiofa hofpitis æftimatrix effecta, fimulq; virum ex vefte metiens, ftoliditatis increpitum, quod majores difcubitu præcurriffet, ac fedem ruftico cultu indignam occupaffet, loco excedere juffit, ne pulvinaria tetriore, quàm par effet, habitu contrectaret. Quod enim ille ex fiducia agebat, ftoliditati atq; impudentiæ deputabat, ignara aliquanto fplendidius mentem quam veftem in fublimi lucere confeffu. Paruit animofus fenex, tametfi repulsâ æger, indebitamq; fortitudini fuæ contumeliam egregio animi temperamento fuppreffit, acceptum ruborem nec voce nec gemitu profecutus. Nec tamen tacitam doloris acerbitatem prorfus occultare fuftinuit. Exfurgens enim atq; in ultimam ædis partem fecedens, adeò ipfa parietum robora demiffi corporis impulfu contudit: ut tectum ruina penè eximiâ tignorum trepidatione fubmitteret. Quo evenit ut non folum repulsâ, fed etiam exprobratæ fibi paupertatis ignominiâ laceffitus, iram fuam adverfum contumeliofam reginæ vocem irrevocabili feveritate diftringeret. *INGELLVS*

Quem cum Ingellus à venatione regreffus curiofioribus oculis collustratum, nec os ufquam hilariter circunferentem, nec fe affurgendi officio venerantem animadverteret, Starcatherum effe parum blandæ frontis annotatione cognovit. Nam cum manus ejus bellico opere duratas, cicatrices adverfo corpore exceptas, acerrimumq; oculorum vigorem attenderet, animadvertit nequaquam enervi animo effe, cujus corpus tanta vulnerum veftigia confodiffent. Objurgatam igitur uxorem impenfiùs monuit, ut abjecto irarum fupercilio, quem convitio infecuta fuerat, blandimentis permulfum liberalitatis officiis deliniret, ciboq; & potione firmatum benigno recrearet alloquio, præfatus hunc fibi olim à patre tutorem datum, infantiæ fuæ indulgentiffimum extitiffe cuftodem. Tum fera fenilis animi cognitrix rigore in manfvetudinem verfo, quem repulsâ affecerat, convicii amaritudine laceraverat, miniftrandi ftudio venerata eft, atq; ex hofpita indignante, obfequentiffimam adulatricem agere cœpit, curiofitatem fuam iræ ejus opponere cupiens, eò quidem minus errore culpabilis, quò illum celerius objurgata deferuit. Nec tamen leves ejus pœnas pependit, cum loca in quibus fortiffimum fenem difcubitus repulsâ fugillaverat, poftmodum fratrum fuorum cladibus cruentata confpiceret.

Nocte verò, Ingello cibum cum Svertingi filiis capiente, apparatiffimis dapibus infiftens luxuriofo menfas epulo cumulavit, fenemq; ne maturius fe convivio fubtraheret, familiari invitatione retinuit, tanquam operofioris efcæ oblectamenta folidum virtutis rigorem excavare potuiffent. Quibus cum Starcatherus oculos inferuiffet, eorum ufu lafciviore contempto, ne quid externo ritui indulgeret, temperantiâ, quâ plurimum pollebat, appetitum fuum adverfus deliciarum irritamenta firmavit, ne bellicam claritatem convivalibus illecebris abfumendam permitteret. Erat enim fortitudo ejus frugalitatis amatrix, aliena nimiæ ciborum abundantiæ, & ab immoderato

INGELLUS dapum usu aversa, utpote quæ aliquo in momento ponendi luxuriam nunquam vacavit, semperq; voluptate omissâ, virtutis respectum egit. Cum ergò vetustos continentiæ mores, omnemq; pristinæ consuetudinis habitum novo luxu ac lautitia corrumpi animadverteret, rusticioris escæ paratum appetens, cœnæ sumptuosioris impendium fastidivit. Igitur profusam dapum indulgentiam aspernatus, fumidoq; ac rancidulo cibo usus, famem eò sapidius quò simplicius pepulit; nè veræ virtutis nervos externarum deliciarum contagione, tanquam adulterino quodam dulcore remitteret, aut priscæ frugalitatis normam inusitatis gulæ superstitionibus abrogaret. Cæterùm indignanter ferebat assam dapem, eandemq; elixam, unius cœnæ sumptibus erogari, edulium pro monstro accipiens, quod culinæ nidoribus delibutum, fartoris industria multiplicis temperamenti varietate perfricuit. E contrario Ingellus, projectis majorum exemplis, innovando mensarum ritu, licentius sibi, quàm mos patrius permittebat, indulsit. Postquam se enim Teutoniæ moribus permisit, effœminatæ ejus lasciviæ succumbere non erubuit. Ex cujus sentina in patriæ nostræ fauces haud parva luxuriæ nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mensæ, lautiores culinæ, sordida coquorum ministeria, variæq; farciminum sordes manavêre. Inde licentioris cultus usurpatio à ritu patrio peregrinata est. Itaq; regio nostra quæ continentiam in se tanquam naturalem aluit, luxum à finitimis depoposcit. Cujus Ingellus ille crebrâ captus, injurias beneficiis rependere erubescendum non duxit. Neq; illi misera parentis clades cum aliquo amaritudinis suspirio obversata est.

At regina, nè propositi irrita abiret, iram senis donis optimè propulsandam existimans, mirifici operis vittam proprio capiti detractam gremio cœnitantis apposuit, benevolentiam ejus, quia virtutem hebetare nequiverat, mercari cupiens. Quam Starcatherus necdum offensæ acerbitate depositâ, in os ferentis rejiciens, plus contemptus quàm venerationis in eo munere repositum arbitrabatur: prudentiq; animo egit, ne cicatricibus consito, galeisq; assueto capite, insolitum effœminati cultus ornamentum exciperet; sciens virilibus comis muliebre redimiculum injici non oportere. Itaq; repulsam repulsâ ultus, contemptum suum mutuâ aspernatione pensavit, tantum se penè in vindicando rubore gerens, quantum gesserat in sustinendo. Veterani namq; bellatoris animus Frothonis cultum inextricabilibus amicitiæ hamis complexus, totq; ac tantis munificentiæ ejus meritis invitatus, ad abjiciendum ultionis propositum nullo indulgentiæ blandimento seduci poterat, quò minus debitam beneficiis ejus gratiam etiam post fata referre satageret, extinctoq; vicissitudinem humanitatis rependere curaret, cujus adhuc extantis amantissimum animum, liberalissimamq; amicitiam expertus fuerat. Adeò quippe miserrimam Frothonianæ cladis imaginem altè pectori insertam gerebat, ut ab intimo præcordiorum ejus secessu, clarissimi ducis respectus convelli nequiret, atq; ob hoc præsenti beneficio pristinæ familiaritatis titulum anteponere non dubitaret. Cæterùm superioris contumeliæ memoriâ nihil gratiæ sequenti obsequio reddidit, lacessiti pudoris ignominiam deponere nequiens. (Tenacius enim injuriarum vel beneficiorum imagines fortium quàm mollium animis inhærêre consveverunt.) Neq; enim illorum insuevit moribus, qui amicorum prosperum vitæ cursum comitantur, adversum deserunt, quiq; fortunæ magis quàm charitati cultum tribuunt, propriis commodis quàm alienæ benevolentiæ propiores. Animadvertens autem pertinax propositi fœmina, ne sic quidem convivalem à sene hilaritatem elici posse, ut blanditiarum cœptum liberaliori comitate prosequeretur, cumulatioremq; hospiti honorem redderet, tibicine de industria modulari jusso, Musam, quâ indignationis ejus perseverantia flecteretur, instituit, artificialis soni ministerio naturales inclementiæ nervos elidere cupiens. Sed fistulæ aut chordarum lenocinium in hebetanda viri pertinacia parùm efficax mansit. Auditor enim exhibitum sibi cultum, figmentum magis

gis

INGELLUS

gis quàm charitatem redolere cognovit. Quo evenit, ut eluſus opinione ſuâ mimus, ſtatuæ magis quàm homini canere putaretur, diſceretq; ponderoſiſſimæ ſeveritatis ſtatum fruſtra ſcurrarum luſibus attentari, inaniq; oris ſpiraculo maximæ rei molem labefactari non poſſe. Adeò enim Starcatherus oris habitum indignationis pertinaciâ firmaverat, ut nulla ex parte conſveto infractior videretur. Quippe debitus votis rigor nec tibiæ cantu, nec gulæ lenimento permulſus, plus ſtrenuo viriliq; propoſito, quàm aurium aut epuli blandimentis tribuendum putavit. Oſſe itaq;, quod veſcendo carne ſpoliaverat, in vultum geſticulantis projecto, plenas aurarum buccas violentâ flatus excuſſione laxavit. Quo facto, quantum ſeveritas ſcenicos plauſus faſtideret, edocuit. Irâ ſiquidem obſeratæ aures nulli voluptatis effectui patuerunt. Dignum hiſtrione munus turpi præmio deforme mulctavit obſequium. Siquidem optimus meritorum æſtimator, muneris loco tibicini tibiam erogavit, ac durum mercedis genus molli officio retulit. Itaq; mimus neſcias ſonoriùs cecinerit an fleverit, quàm parum in luxurioſis pectoribus fortitudo poſſideat, effuſa lacrymarum acerbitate teſtatus. Neq; enim qui totum ſe voluptati ſubſtraverat, quandoq; calamitatis incurſum tolerare didicerat. Cujus læſio futuras cœnæ clades ominata eſt. Et benè quidem cultor ſeveritatis animus vindictæ conſtantiam pertinaci gravitate complexus, (qui quantum alii ſvavitatis, tantum ex fidibus faſtidii traxit,) probroſo oſſis jactu ingratum penſavit officium, plus ſe valentis amici ſpecioſis cineribus, quàm improbis turpiſſimi alumni moribus debuiſſe confeſſus. Deinde in ampliorem hiſtrionis ſuggillationem, mox citandum carmen ſubtexuit. Regina verò virtutem, quam debilitare nequiverat, ſtupens, ejus quem fruſtra beneficiis coluit, admiratrix evaſit.

Videns autem Starcatherus, eos, qui Frothonem oppreſſerant, in ſummâ Regis dignatione verſari, concepti furoris magnitudinem acerrimo oculorum habitu prodidit, internosq; motus externo oris indicio patefecit, occultam animi procellam apertâ luminum ſævitiâ teſtatus. Deniq; Ingello ſe Regiis dapibus delenire cupiente, edulium repulit, quod vulgaris cibi vilitate contentus peregrina admodum obſonia faſtidiret, communibusq; epulis aſſuetus, nullius gulam ſaporis oblectatione palparet. Interrogatus, cur fronte tàm nubilâ regiæ liberalitatis obſequio uti noluiſſet? reperiendi Frothonis filii gratiâ, Daniam ſibi petitam aſſeruit, nec ejus, qui petulantis ſtomachi ingluviem operoſâ dapum ubertate farciret. Hoc enim familiaris regi Teutonum luxus egerat, ut excoctas aquis epulas, delicioſæ ſatietatis ſtudio, rurſum igni torrendas præberet. Poſt hæc Ingelli mores intactos præterire non paſſus, in ejus caput omnem reprehenſionis amaritudinem tranſtulit, impietatis damnatum, quòd nimiæ ſaturitatis uſu oſcitans, partam edendo crapulam fœdâ ructatione exhalaret, Saxonicamq; imitatus illecebram ampliſſimis à ſobrietate exceſſibus aberraſſet, adeò virtute vacuus, ut ne minimam quidem ejus umbram conſectaretur. Maximè autem illi ad turpitudinis cumulum accedere memorabat, quòd in ipſo militiæ tyrocinio ulciſcendi parentis immemor, neglectâ naturæ lege, paterni ſanguinis carnifices benevolentiâ atq; officio amplecteretur; iniquiſſimè meritos amantiſſimâ charitate complexus, eosq; in quos quàm acerrime animadvertere debuerat, non modò impunitate donaſſet, verumetiam convictu ac menſæ honore dignos judicaſſet, à quibus potius capitale ſupplicium ſumendum fuiſſet. Præterea hic hoc carmine uſus aſſeritur:

Cedat imbellis vetulo juventus,
Et ſenis crebros veneretur annos;
In viro forti numeroſa nemo
Tempora culpet.

INGELLVS

Albicet quanquam senio capillus,
Permanet virtus eadem vetustis;
Nec fluens ætas poterit virile
Carpere pectus.
Me gravis sessor cubito repellit,
Qui boni formam vitio prophanat;
Dum gulæ parens nihilum diurnis
Prærogat escis.
Quando Frothonis comes annotabar,
Militum semper medius resedi
Aede sublimis, procerumq; primus
Prandia duxi.
Sorte nunc versâ melioris ævi,
Angulo claudor, simuloq; piscem,
Qui vago captat latebram recursu
Abditus undis.
Seculo certè solitus priore
Cultius strato recubare fulcro,
Inter extremos premor, & refertâ
Pellor ab aulâ.
Pellerer forsan foribus supinus,
Ni latus pulsum paries referret,
Et fugam truso facilem negaret
Obvius asser.
Aulici risu populi lacessor,
Advena digno vacuus receptu;
Aspero carpor sale, dùm loquaci
Mordeor ausu.
Quid novi rumor celeber volutat,
Quis tenor rerum, patriæ quis ordo
Gliscerem vestræ regionis actus
Advena nosse.
Ut quid, Ingelle, vitio sepultus
Vindicem patris remoraris ausum,
Num pii cladem genitoris æquo
Pectore duces?
Quid dapem deses colis? otioq;
Mollior scortis, stomachum reclinas?
An tibi parvo patris interempti
Ultio constat?

Proximè quando, Frotho, te reliqui,
Mente præsagâ didici, quòd armis
Hostium certè periturus esses,
Maxime regum.
Cumq; rus longum tererem viator,
Præscius mentem gemitus subibat,
Qui, quòd hinc esses mihi non videndus,
Omine finxit.
Proh dolor! quòd tunc aberam remotus
Extimos orbis populos lacessens,
Cum dolo Regis jugulum petebat
Perfidus hospes.
Aut enim vindex domini probarer,
Aut comes pœnæ, sociusq; fati,
Et pari gaudens sequerer beatum
Funere regem.
Non gulam veni dapibus beare,
Cujus enitar vitium ferire;
Nec cutis curam sequar, aut obesi
Gaudia ventris.
Nemo, me, regum prius inclytorum,
Exteros juxtà, medium locavit,
Cui frui primis licuit cathedris
Inter amicos.
Svetiâ veni, spatiosa mensus
Rura, mercedem ratus affuturam,
Si modò cari fruerer repertâ
Prole Frothonis.
Sed probum quærens, adii gulosum,
Deditum ventri vitioq; regem,
Cujus, in luxum, studium refudit
Fœda voluptas.
Claret Haldani ratus esse sermo,
Qui brevi nobis cecinit futurum,
Quòd patri gnaro generandus esset
Filius excors.
Degener quanquam reputetur hæres,
Non opes magni patiar Frothonis
Advenis lucro fore, vel rapinæ
More patêre.

Ad hanc vocem tremefactâ reginâ, detractum capiti suo redimiculum, quo fortè capillitium muliebriter adornabat, efferato seni, tanquam beneficio bilem aversura, porrexit. Quo Starcatherus quàm turpissimè in os offerentis cum indignatione rejecto, clara rursum voce recinuit:

Amove, quæso, muliebre donum,
Et tuo mitram capiti repone,
Infulas nemo Venerem decentes
Fortis adoptat.
Absonum namq; est, ut in arma promptis
Nexili crinis religetur auro;
Mollibus cultus tenerisq; turbis
Competit iste.

At tuo munus refer hoc marito,
Cui placet luxus, digitusq; prurit,
Dùm nates versans volucris rubellæ
Viscera tractat.
Uxor Ingelli levis ac petulca
Teutonum ritus celebrare gestit,
Instruit luxus, & adulterinas
Præparat escas.

Nam

INGELLVS

Nam novis palpat dapibus palatum,
Captat ignoti libitum saporis,
Æstuans ferclis onerare mensas
Lautiùs omnes.
Hæc viro vinum pateris propinat,
Cuncta propenso meditans paratu,
Cocta torreri jubet, & secundo
Destinat igni.
Pascit, ut porcum, petulans maritum,
Impudens scortum, natibusq; fidens
Gratis admissum tolerare penem
Crimine stupri.
Assat elixum, recoquitq; tosta,
Prodigo cœnam meditata luxu,
Negligens morum, vitiiq; cultrix
Fœmina turpis.
Hæc procax fastu, Venerisq; miles,
Appetens escæ, benè temperatos
Abdicat ritus, simul & gulosas
Instruit artes.
Rapulum lævi patinâ liquatum,
Præditas succo tenui placentas
Pruriens alvo petit, ordinesq;
Conchyliorum.
Non ego magnum memini Frothonem
Dexteram fibris volucrum dedisse,
Podicem cocti lacerasse galli
Pollice curto.
Quis prior Regum potuit gulosus
Viscerum putres agitare sordes?
Aut manu carptim fodicare fœdam
Alitis anum?
Fortium crudus cibus est virorum,
Nec reor lautis opus esse mensis,
Mens quibus belli meditatur usum
Pectore forti.
Aptius barbam poteras rigentem
Mordicus presso lacerare dente,
Quàm vorax lactis vacuare sinum
Ore capaci.
Fugimus lautæ vitium popinæ,
Rancidis ventrem dapibus foventes:
Coctiles paucis placuère succi
Tempore prisco.
Discus herbosi vacuus saporis,
Arietum carnes dabat & suillas,
Temperans usus nihil immodesto
Polluit ausu.
Lacteum qui nunc adipem liguris,
Induas mentem petimus virilem;
Esto Frothonis memor & paterni
Funeris ultor.
Occidet nequam pavidumq; pectus,
Nec fugax fati stimulum refellet,
Valle condatur licet, aut opacis
Incubet antris.
Undecim quondam proceres eramus
Regis Haconis studium secuti;
Hic prior Helgo Gegathus resedit
Ordine cœnæ.
Hic famis primæ stimulum licebat
Aridis pernæ natibus levare;
Ventris ardorem rigidi domabat
Copia crusti.
Offulam nemo vapidam petebat;
Quisq; communes celebrabat escas:
Simplici tantum stetit apparatu
Cœna potentum.
Vulgus externum fugiebat esum,
Nec fuit summis epuli libido;
Ipse Rex parvo meminit modestam
Ducere vitam.
Mellei temnens speciem saporis,
Combibit tostum Cereris liquorem:
Nec parum coctis dubitabat uti
Assa perosus.
Mensa perstabat modico paratu,
Exhibens sumptum tenui salino,
Ne quid externo variaret usu
Docta vetustas.
Amphoras nemo paterasue quondam
Intulit mensis, dolio profudit
Poculum promus, nec erat catillis
Copia pictis.
Nemo transacti venerator ævi
Cantharis junxit teretes diotas:
Nec cibis lancem cumulavit olim
Comptus agaso.
Non brevi conchâ, cyathove lævi,
Prandium vanus decorabat hospes;
Nunc recens morum facies pudenter
Omnia pressit.
Ære quis sumpto toleraret unquam
Funus amissi redimi parentis,
Aut loco patris peteret necati
Munus ab hoste?
Quis valens hæres, sobolesq; faustæ
Talibus junctum latus applicaret,
Ut viri nervos vacuaret omnes
Pactio turpis?
Unde cùm Regum tituli canuntur,
Et ducum vates memorant triumphos,
Pallio vultum pudibundus abdo
Pectore tristi:
Cum tuis nil eniteat trophæis,
Quod stylo digne queat annotari;
Nemo Frothonis recitatur hæres
Inter honestos.

Impro-

INGELLUS

Improbis quid me laceras ocellis,
Qui reum patris veneratus hostem
Panibus tantum tepidoq; juri
Crederis ultor?

Vindices quando scelerum probantur,
Quò minus mentē pudeat prophanam,
Aurium prompto vacuatus usu
Esse peropta.

Sæpe nam virtus aliena suevit
Conscium culpæ lacerare pectus;
Et boni famâ premitur malignus
Pectore sensus.

Appetas Ortum licet, aut remotus
Occidentali regione degas,
Seu situm mundi medium sequaris
Concitus istinc:

Seu plagam cœli gelidam revisas,
Quà poli vertex patet, impetuq;
Versili sphæram rapit, & propinquam
Despicit Ursam:

Te pudor latè comes insequetur,
Et gravi vultum feriet rubore:
Quando magnorum sociata ludit
Concio regum.

Dedecus qvum te maneat perenne,
Inter illustres medius venire
Non potes turmas, reprobusq; in omni
Climate deges.

Fata Frothoni sobolem dedêre
Editam mundo superis sinistris,
Cujus affectum scelus & libido
Sordida cepit.

Sicut in navi fit, ut obsoletum
Fœda sentinæ gremium requirant;
Sic in Ingellum vitiosa rerum
Copia fluxit.

Ergo vulgatum veritus ruborem
Angulis pressus patriæ jacebis,
Torpidus fœdo lare, nec videndus
Agmine claro.

Sorte tum barbam quaties sinistrâ,
Concubinarum stimulis repressus;
Cùm tibi pellex querulis perurat
Vocibus aurem.

Cum pavor mentem gelidus repigret,
Et patris vindex fieri timescas,
Degener planè, parilisq; scorti
Ritibus extas.

Obrui parvo poteras paratu,
Ut quis arreptum jugularet hœdum,
Aut ovem cultro teneram trucidet
Gutture secto.

Ecce Svertingo genitus tyranno
Daniâ post te potietur hæres,
Cujus ignavam retines sororem
Fœdere turpi.

Dum gravem gemmis, nitidamq; cultu
Aureo, gaudes celebrare nuptam;
Nos dolor probro sociatus urit
Turpia questos.

Quando te præceps agitat voluptas,
Anxius nobis animus prioris
Temporis formam revocat, monetq;
Multa dolere.

Nam secus quàm tu scelus æstimamus
Hostium, quos nunc veneraris: undè
Prisca noscenti facies molesta est
Temporis hujus.

Re magis nulla cuperem beari,
Si tui, Frotho, juguli nocentes
Debitas tanti sceleris viderem
Pendere pœnas.

Tantum autem monitus sui incitamento profecit, ut ab enervi & frigescenti animo veluti quadam reprehensionis silice flagrantissimum fortitudinis ignem excunderet. Primum enim rex vacuas carmini aures præbuit, deinde impensiori educatoris sui hortamine concitatus, ferum ultionis calorem animo traxit, oblitusq; convivæ, hostem induit. Ad ultimum discubitu evolans, omnem iræ suæ procursum in confessores effudit, ita ut ferrum adversus Svertingi filios cruenta severitate nudaret, & quorum gulam mensæ deliciis foverat, districto mucrone jugulum peteret. His namq; continuò trucidatis, sacra mensæ sanguine involvit, infirmum societatis vinculum diremit, erubescendumq; convivium egregiâ crudelitate mutavit, atq; ex hospite hostis, ex abjectissimo luxuriæ mancipio truculentissimus ultionis minister evasit. Siquidem industria hortatoris oratio molli ac teneræ juventæ animositatis spiritum ingeneravit, latebrisq; suis extractam recreavit audaciam, excuditq; ut gravissimæ cladis autoribus pœna factis debita rependeretur. Exulaverat siquidem probitas juvenis, non exspiraverat, quæ in lucem senili suffragatione producta, opus eò majus, quò tardius edidit, aliquanto speciosiùs cruore quàm

mero calices imbuens. Quàm porrò induſtrium exiſtimemus ſenem, qui diſertiſſima admonitione immenſum regalis animi vitium expugnavit, ejusq; loco, perruptis nequitiæ clauſtris, efficaciſſimam virtutis ſementem inſeruit? Ipſe quoq; manum Regis pari facinore proſecutus, fortitudinem non ſolum in ſe pleniſſimam exhibuit, ſed etiam ex alieno pectore erutam revocavit. Quo peracto ſic cœpit: INGELLVS

Rex Ingelle vale, cujus jam prodidit auſum
Plenum animi pectus; tibi mens in corpore regnat
Auſpicio patefacta ſuo, nec defuit altum
Pectore conſilium, quanquam taciturnus ad horam
Extiteris, nam damna moræ probitate rependis,
Torporemq; animi redimis virtute potenti.
Fac age fundamus reliquos, nullusq; periclum
Effugiat, quod quisq; pari ratione meretur:
Cedat in autorem facinus, premat artificemq;
Culpa relata ſuum: cæſorum corpora curru
Excipiant famuli, promptusq; cadavera lictor
Efferat, officiis meritò caritura ſupremis,
Et buſtis indigna tegi, non funeris illis
Pompa rogusve pium tumuli componet honorem:
Putida ſpargantur campis, aviumq; terenda
Morſibus, infeſto maculent rus undiq; tabo.
Tu quoq; rex ſævam, ſi quid ſapis, effuge nuptam,
Ne lupa conſimilem ſibi fœtum gignat, & ex te
Bellua conſurgat proprio nocitura parenti.
Dic Rotho perpetue timidorum irriſor, an ultos
Frothonem ſatis eſſe putas, qui funera ſeptem
Vindictæ unius impendimus? ecce feruntur
Exanimes, qui non rebus, ſed imagine tantum
Imperium coluére tuum, fraudemq; parabant
Obſequio. ſed me ſemper ſpes illa ſubibat,
Quòd ſolet ingenuis ſua reſpondere propago,
More ſecutura ſortem, quam ſanguine traxit.
Nunc ergò, Ingelle, melius quàm tempore lapſo
Lethrarum dici dominus Daniæq; mereris.
Imberbis quando dictum auſpiciumq; ſequebar
Militiæ, Rex Hako, tuæ, laſciva peroſus.
Ingenia & luxum, nil præter bella colebam,
Exercens animum cum corpore, mente prophanum
Omne relegavi, ſtomachoq; placentia fugi,
Fortia complexus animo; namq; arma profeſſo
Aſpera veſtis erat, cultusq; parabilis olim;
Rara quies, ſomniq; breves, labor otia longè
Propulit, & parco fluxerunt tempora ſumptu.
Non ut nunc quidam, quibus inſatiata cupido
Ingluvie cæcâ viſum rationis inumbrat.
Horum aliquis veſtis operoſæ tegmine cultus
Molliter alipedem flectit, ſparſamq; renodat
Cæſariem, & laxos patitur fluitare capillos.
Dicere ſæpe foro, turpiq; inhiare lucello
Gaudet, & hoc ſtudio vitam ſolatur inertem,
Venali celebrans commiſſa negotia linguâ.
Vi violat leges, & ferro jura laceſſit,
Obterit innocuos, alieno paſcitur ære,

Stupra

INGELLUS

Stupra gulamq; colit, risu convivia mordax
Insequi tur, sic scorta petens, ut sarculus herbam.
Occidit ignavus, dum prælia pace quiescunt.
In media si valle cubet, testudine nullâ
Tutus erit, qui fata timet: sors ultima vivum
Quemq; rapit: latebra lethum depellere non est.
Ast ego, qui totum concussi cladibus orbem,
Leni morte fruar? placidoq; sub astra levandus
Funere, vi morbi defungar vulneris expers?

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SEXTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER SEPTIMUS.

XXIX. OLAVUS.

NGELLO quatuor filios fuisse, ex iisdemq; tribus bello consumptis, Olavum solum post patrem regnasse, perita rerum prodit antiquitas: quem quidam Ingelli sorore editum, incerto opinionis arbitrio perhibent. Hujus actus vetustatis squalore conspersos parum justâ notitiâ posteritas apprehendit; extremum duntaxat prudentiæ ejus monitum memoria vendicavit. Quippe cum supremis fati viribus arctaretur, Frothoni & Haraldo filiis consulturus, alterum terris, alterum aquis regiâ ditione præesse, eamq; potestatis differentiam non diutinâ usurpatione, sed annua vicissitudine sortiri jubet. Ita regnandi inter eos conditione æquatâ, prior Frotho maritimarum rerum regimine potitus, crebris piraticæ damnis deformis evasit. Infortunii causa recentia natutarum conjugia fuere, domesticas tori voluptates externis militiæ laboribus præferentium. Interjecto tempore natu minor Haraldus maris dominationem sortitus, vacuum conjugio militem legit, fraternæ frustrationis eventum metuens. Fortuna delectui respondit. Quippe tam gloriosum piratam egit, quàm frater inglorium gesserat. Quæ res fraternam ei invidiam peperit. Quinetiam eorum conjuges Sygne & Ulvilda, quarum altera Svetiæ rege Syvardo, altera Carolo Gothiæ præfecto orta fuerat, crebrâ nobilitatis contentione rixantes, alternos maritorum solvêre convictus. Quo evenit, ut Haraldus & Frotho rei familiaris societate convulsa, communem partientes supellectilem, plus muliebris rixæ jurgiis, quàm fraternæ charitatis officiis indulgerent.

XXX. FROTHO, V.

Sed & Frotho fratris claritate deformem se fieri, contemptumq; sibi strui judicans, à quodam familiarium occultè eum interfici jubet, quòd quem ætate vinceret, ab eo se virtute superari videret. Quo peracto, ne scelus à conscio proderetur, insidiarum ministrum tacitè trucidandum curat. Post hæc ut innocentiæ sibi fidem pareret, notamq; sceleris evitaret, quisnam rerum casus inopinâ germanum clade sustulerit, latius investigari præcepit. Sed neq; tot artibus perficere potuit, quò minus eum tacita vulgi notaret opinio. A quo Carolus postmodùm, quis Haraldum occidisset, rogatus, dissimulanter ab eo notæ rei quæstionem agi respondit. Quo dicto mortis causam adscivit, Frothone exprobratum sibi latenter parricidium judicante.

Post hæc Haraldus & Haldanus filii ex Sygne Caroli filia suscepti, cum ad necem à patruo quærerentur, ab eorum tutoribus callidior servandorum pupil-

pupillorum ratio excogitata eſt. Nam truncos luporum ungues ſubtellibus annectentes, contiguum penatibus ſuis lutum, obfuſamq; nivibus humum crebris decurſibus exarare cœperunt, ferini inceſſus ſpeciem præbituri. Poſt hæc trucidatis ancillarum liberis, eorumq; corporibus fruſtatim diſcerptis, lacera paſſim membra disjiciunt. Itaq; requiſitis adoleſcentibus, nec inventis, fuſi reperiuntur artus, ferarum veſtigia demonſtrantur, tellus cruore delibuta conſpicitur. Creditum eſt pueros lupinâ ingluvie conſumptos, nec cuiquam ferè de tam manifeſto lacerationis argumento dubitare conceſſum. Cujus ſpectaculi fides pupillis præſidio fuit. Qui mox à tutoribus cavâ concluſi ilice, ne ullum vitæ eorum indicium ederetur, diu ſub canum ſpecie nutriebantur: latrantum quoq; eis vocabula indita, quò minus latentium opinio vulgaretur. Solus Frotho mortis eorum fide repudiata, latebræ locum ex perita augurii fœmina cognoſcere inſtitit. Cujus carminum tanta vis erat, ut rem quantâlibet nodorum conſertione perplexam, è longinquo ſoli ſibi conſpicuam ad contactum evocare poſſe videretur. Hæc Regnonem quendam occultè circa illos educationis officium peregiſſe, eosq; tegendæ rei gratiâ, caninis cenſuiſſe nominibus, aſtruebat. Qui cum ſe inuſitatâ carminum violentiâ latibulis egeſtos incantantis obtutibus admoveri conſpicerent, ne tam horrendæ coactionis imperio proderentur, gremium ejus accepti à tutoribus auri incuſſione perfundunt. Quæ recepto munere, repentina morbi ſimulatione par exanimi concidit. Perquirentibus miniſtris cauſam tam ſubiti lapſus, inſcrutabilem filiorum Haraldi fugam exiſtere memorabat, quorum eximia vis etiam atrociſſimos carminum temperaret effectus. Ita parvulo contenta beneficio, majus à rege præmium præſtolari paſſa non eſt. Poſt hæc Regno ſuam ac pupillorum opinionem populari ſermone crebreſcere expertus, in Feoniam utroſq; devexit. Ubi à Frothone captus, adoleſcentes ſe cuſtodiâ proſecutum fatetur, precaturq; regem, pupillis, quos patre privaverit, parcat, nec ſe duplici parricidio objectare felicitatis loco ducat. Quo dicto ſævitiam ejus in ruborem convertit, pollicitusq; eſt, ſi quid ab eis in patria novaretur, ſe regi indicio delaturum. Ita pupillis incolumitate partâ, metu liber, multos annos confecit. FROTHO V.

Qui cum adulti Sialandiam petiviſſent, ultionem patris ab amicis exequi juſſi, non ſe ac patruum annuâ luce potituros voverunt. Quo comperto Regno pacti memoriâ concitatus, noctu regiam petit, ſeq; promiſſæ rei indicem venire tacitè aſſerit. Dormientem tamen ad vigilias evocare paſſus non eſt, eo quòd Frotho excitationis ſuæ pœnas ferro exigere ſolitus fuerat. Tanti quondam regium ſomnum importunâ fruſtratione perrumpere exiſtimatum eſt. Id Frotho mane ex vigilibus expertus, ut animadvertit Regnonem inſidiarum nuncium attuliſſe, contracto milite ſævitiâ fraudem præcurrere ſtatuit. Nec aliud Haraldi filiis auxilio, quàm furoris ſimulatio fuit. Nam cum ſe ex improviſo occupari conſpicerent, perinde ac furiis acti lymphantium more ſe gerere cœperunt. Quos cum Frotho mente captos putaret, propoſitum remiſit, deforme exiſtimans ferro petere, qui ferrum in ſe convertere viderentur. A quibus proximâ nocte incendio conſumptus, dignas parricidii pœnas pependit. Quippe regiam adorti, Reginam in primis lapideo obruêre congeſtu: igne deinde penatibus applicato, Frothonem in exciſi dudùm ſpecus anguſtias & opacos cuniculorum receſſus obrepere coëgerunt. Ubi dum clauſus deliteſcit, vapore & fumo ſtrangulatus interiit.

Perempto Frothone cum Haldanus ternos circiter annos patriæ præfuiſſet, Haraldo fratri regnandi jure perfunctoriè tradito, Ølandiam, eiq; finitimas inſulas, quas à Svetiæ complexu ſinuoſus aquarum divellit anfractus, piraticis populatur injuriis. Ibidem ſubductis hyeme navigiis ac vallo cinctis, expeditioni triennium dedit. Poſt hæc Svetiæ manus injecit, ejuſq; regem bello conſumpſit. Cujus nepotem Ericum, patrui vero ſui Frothonis filium pu- XXXI. HALDANUS.

HALDANVS.

gnâ poſtmodum excepturus, poſtquam pugilem ejus Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum didicit, eximiæ magnitudinis clavam ferreis conſertam nodis, tunſionis uſibus adaptavit, perinde ac præſtigii vires ligneo robore debellaturus. Deinde cum cæteris conſpicuo virtutis habitu præmineret, inter acerrimos hoſtium procurſus, obnupto galeâ capite, ſcuti inops, libratum clavæ robur in objecta clypeorum munimina geminæ manus ope torquebat. Nec erat ullum tantæ ſoliditatis obſtaculum, quod non fruſtatim adactæ molis impulſus obtereret. Quo evenit, ut occurſantem ſibi in acie pugilem acriori geſtaminis impactione ſubrueret. Victus tamen & in Helſingiam fuga delapſus, Vitolfum quendam, olim Haraldo militantem, ſaucii corporis curam petiturus acceſſit. Hic in caſtris majore ætatis parte conſumptâ, tandem in hujus provinciæ ſolitudinem poſt triſtia ducis fata conceſſerat, ibiq; ruſticæ vitæ cultu conſueta militiæ ſtudia relaxabat. Qui quod hoſtilibus ſæpe telis petitus fuerat, non infimam medendi peritiam aſſiduâ vulnerum ſuorum curatione contraxerat. Si quis verò operam ejus blandimentis expoſceret, hunc medelæ loco occultæ læſionis noxâ afficere ſolitus erat; aliquantò ſpecioſius beneficia minis, quàm adulatione expoſci judicans. Idem Erici milites, penatibus ſuis, occupandi Haldani cupidine, imminentes ità videndi officio ſpoliavit, ut propinquas ædes nec proſpectu capere, nec certis poſſent veſtigiis indagare. Adeò luminum uſum nubilus quidam error obtuderat.

Cujus operâ Haldanus virium integritatem adeptus, accito Thorone conſpectioris ingenii pugile, Erico bellum denunciat. Quem cum productis è diverſo copiis militum numero præſtare conſpiceret, occultatam agminis partem inter propinquos viæ frutices delitere præcepit, hoſtem per anguſtiora ſemitæ compendia gradientem inſidiis conſumpturus. Quod prævidens Ericus, explorata progrediendi facultate, ſeceſſu utendum putavit, ne propoſito incedens tramite, hoſtium dolis inter præruptos montium urgeretur anfractus. Igitur apud convallem arduis montium jugis utrinq; conſeptam mutuis viribus pugna conſeritur. In qua Haldanus inclinatam ſuorum aciem conſpicatus, frequentem ſaxis rupem cum Thorone conſcendit, indeq; erutas moles in ſubjectum hoſtem devoluit, quarum pondere & ruina aciem in occiduo conſtitutam oppreſſit. Quo evenit, ut victoriam quam armis amiſerat, cautibus recuperaret. Ob cujus facti virtutem Bierggrammi cognomen accepit: quod vocabulum ex montium & feritatis nuncupatione compactum videtur. Igitur apud Sveones tantus haberi cœpit, ut magni Thor filius exiſtimatus, divinis à populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine cenſeretur.

Sed quoniam ægrè devictorum ingenia quieſcere ſolitum eſt, & in vetitum ſemper ſubactorum obluctatur improbitas, accidit, ut Ericus, dùm fugæ damnis conſulere ſtudet, ſubjectas Haldano provincias attentaret. Sed ne Daniam quidem ab hoc ſævitiæ genere immunem reliquit, perquam dignum exiſtimans ejus laceſſere patriam, per quem ſuâ abactus fuerat. Ita dum injuriam inferre quàm repellere maluit, Sveciam armis hoſtilibus liberavit. Quippe cum Haldanus Haraldum fratrem ab eo tribus devictum præliis, quarto occiſum cognoſſet, amittendi imperii metu, relictis Sveonum agris, patriam repetere coactus eſt. Ita Ericus, quò facilius Svetiæ regnum deſeruit, hoc celerius recepit. Quem ſi fortuna æque in retinendo regno, ac recuperando inſtruere voluiſſet, nequaquam Haldano prendendum ſe dediſſet. Cujus captionis modus hic erat. Reverſus in Svetiam Haldanus, occultatâ per inſidias claſſe, binis obviam Erico navigiis proficiſcitur. A quo denis petitus, variis navigationis flexibus ad occultum ſuorum agmen relabitur. Quem longius inſequente Erico, Danica ponto claſſis emergit. Circumventus itaque Ericus oblatum ſibi

ſibi ſub ſerviendi conditione ſpiritum repudiavit, lucemq; libertati præferre non paſſus, mori quàm obſequi præoptavit, ne vitæ cupiditate ex libero ſervus evadere videretur, aut quem nuper fortunâ æquaſſet, novo famulatus officio coleret. Adeò ſalutem dedecore mercari virtus ignorat. Compeditus » igitur & ad loca feris pervia relegatus, indignum tanta animi majeſtate exitum habuit. HALDANVS.

Haldanus gemini regni imperio potitus, opinionis ſuæ titulum tribus honeſtatis gradibus decorabat. Erat enim condendorum patrio more poëmatum peritiâ diſertus, nec athleticâ minùs virtute, quàm regiâ poteſtate conſpicuus. Audiens autem vegetioris ingenii piratas Tokonem & Anundum circumpoſitis imminere provinciis, maritima pugna tentatos oppreſſit. Nihil enim veteres claritate magis expetendum ducebant, quam non opum fulgor, ſed armorum induſtria peperiſſet. Itaq; ſeditiones amplecti, inſtaurare lites, otia faſtidire, paci militiam anteferre, virtutum non rerum æſtimatione cenſeri, plurimum voluptatis in præliis, minimum in conviviis reponere, clariſſimis quondam viris curæ extitit.

Sed neq; diu Haldano æmulus defuit. Nam Syvaldus quidam claro admodum loco natus, apud Sveonum concionem Frothonis ac conjugis ejus exitio flebiliter memorato, tantum Haldani odium penè omnibus ingeneravit, ut plurimorum ſuffragiis novarum rerum licentiam aſſequeretur. Nec ſolo vocum favore contentus, adeò plebis animum ambitionis artibus occupavit, ut omnium ferè manus ad regium inſigne capiti ſuo imprimendum adduceret. Hic ſeptem filios habebat tanto veneficiorum uſu callentes, ut ſæpe ſubitis furoris viribus inſtincti ſolerent ore torvùm infremere, ſcuta morſibus attrectare, torridas fauce prunas abſumere, extructa quævis incendia penetrare; nec poſſet conceptus dementiæ motus alio remedii genere quàm aut vinculorum injuriis, aut cædis humanæ piaculo temperari. Tantam illis rabiem ſive ſævitia ingenii, ſive furiarum ferocitas inſpirabat. Quibus auditis Haldanus, ut erat circa piraticam occupatus, expedire militibus dixit, ut qui in exteros hactenus deſævierint, nunc civium viſceribus ferrum adigant, ereptiq; regni injuriam propulſent, qui dilatandi curam gerere conſueverunt. Quo imminente Syvaldus miſſis ad eum legatis jubet, ſi famam factis æquaret, & tantus re eſſet, quantus opinione cenſeretur, ſe ſuamq; ſobolem pugnâ ſolus excipiat, privatoq; periculo publicum redimat. Eo deinde reſpondente, legitimæ dimicationis formam duorum numerum excedere non debere: nil mirandum, inquit Syvaldus, hominem cœlibem proleq; vacuum oblatos detrectare congreſſus, cui inops caloris natura deforme corporis animiq; frigus incuſſerit. Nec liberos ab eo diverſos exiſtere, quem ſuæ generationis auctorem habuerint, quod ab ipſo commune naſcendi principium traxerint. Ita ſe ac filios unius hominis loco cenſendos eſſe, quibus veluti unum corpus à natura tributum videatur. Cujus convicii rubore permotus Haldanus, provocationi parére cœpit, tam contumelioſam cœlibatus exprobrationem egregiis virtutis operibus penſaturus. Cumque per opacam fortè nemoris indaginem graderetur, hærentem obiter quercum humo radicitus eruit, ſolisque ſpoliatam ramis in ſolidam clavæ ſpeciem transformavit. Quo geſtamine fretus, tali carmen brevitate compegit:

En rude quod gerimus obnixo vertice pondus,
Vulnera verticibus exitiumq; feret.
Sed neq; frondoſi geſtamen roboris ullum
Omine Gøtenſes horridiore premet.
Ardua comminuet nodoſi robora colli,
Et cava ſylveſtri tempora mole teret.
Clava quidem ſævum patriæ domitura furorem,
Nulla magis Svetis exitialis erit;

Oſſa domans, laceroſq́; virûm libranda per artus
Impia prærupto ſtipite terga premet;
Cognatos preſſura lares, fuſura cruorem
Civis, & in patriam pernicioſa lues.

His dictis Syvaldum cum ſeptem filiis attentatum acerrimas eorum vires eximiâ clavæ mole fruſtratus, exitio tradidit.

Eâ tempeſtate Harthbenus quidam ab Helſingia veniens, raptas Regum filias ſtupro fœdare gloriæ loco ducebat; illum perimere ſolitus, à quo peragendæ Veneris uſu prohiberetur, illuſtres nuptias humilibus præferens, tantoq; ſe clariorem exiſtimans, quantò ſplendidiores concubitus per vim aſſequi potuiſſet. Nec ultionem effugit, qui ſe ei comparatione virtutis æquare præſumeret. Tantâ verò corporis magnitudine erat, ut novem cubitis proceritatis ejus dimenſio tenderetur. Huic duodecim athletæ contubernales fuêre, quibꝰ officio erat, quoties illi præſaga pugnæ rabies inceſſiſſet, vinculorum remedio oborti furoris impetum propulſare. Ab his Haldanus Harthbenum, ejusq; pugiles viritim impetere juſſus, non ſolum certamen ſpopondit, ſed etiam victoriam ſibi ingenti verborum fiducia promiſit. Quo audito Harthbenus repentino furiarum afflatu correptus, ſummas clypei partes morſus acerbitate conſumpſit, igneos ventri carbones mandare non deſtitit, raptas ore prunas in viſcerum ima transfudit, crepitantia flammarum pericula percurrit, ad poſtremum omni ſævitiæ genere debacchatus, in ſex athletarum ſuorum præcordia furente manu ferrum convertit. Quam inſaniam illi pugnandi aviditas, an naturæ ferocitas attulit, incertum eſt. Haldanum deinde reſiduâ pugilum manu petivit. A quo miræ granditatis malleo contuſus, vitâ ac victoriâ caruit, deditq; pœnas & Haldano, quem provocaverat, & Regibus, quorum ſanguine per vim potitus fuerat.

At quoniam Haldano fors inopinas pugnæ cauſas porrigere conſvevit, quaſi nunquam virium ejus experimentis contenta, accidit ut Egtherus Finnenſis piratico Sveones moleſtaret incurſu. Quem Haldanus ternis adortus navigiis, (nam & ei totidem eſſe compererat) cum nocte prælium finiente debellare non poſſet, poſterâ die ex provocatione ſecum decernentem oppreſſit. Deinde cum Hatheri Reguli filiam Thorildam à Grimmone, eximiarum virium athletâ, ſub duelli comminatione expeti comperiſſet, edictumq; à patre eſſet, potiturum eâ, qui pugilem amoviſſet, quanquam ad ſenectutem cœlebs pervenerat, non minus Reguli promiſſione quàm athletæ petulantia concitatus Norvagiam petit. Quâ initâ cunctas agnitionis ſuæ notas adulterinâ oris illuvie reſpergens, ut pugnæ locum acceſſit, prior enſem diſtringit. Quem ad hoſtilem ſciens obriguiſſe conſpectum, humi dejecit, alioq; vagina ſubmoto Grimmonem appetens, extremos loricæ nexus cum occidua clypei parte perſecuit. Quod factum Grimmo admiratione perſecutus; vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini: ſtatimq; ferrum exerens objectam gladio parmam penetrabili ſectione convulſit. Cujus immorantem ictui dextram Haldanus nihil hæſitans obvia ferri celeritate corripuit. Ille nihilominus lævâ gladium ſtringens, ferientis femur tranſegit, mutilati corporis ultionem exiguo vulnere proſecutus. Victor Haldanus victo reſiduum vitæ pecuniâ redimendi poteſtatem fecit, ne imbelli & manco miſeras animæ reliquias deformiter adimere videretur. Quo facto tantum ſe penè in ſervando hoſte egit, quantum geſſerat in vincendo. Cujus victoriæ præmium Thorildæ nuptiis aſſecutus, filium ex ea Aſmundum ſuſtulit, à quo ſe Norvagiæ Reges originem duxiſſe magni æſtimant, ab Haldano ſolennem generationis ſuæ ſeriem retexentes.

Poſt hæc cum Ebbo pirata, plebeii generis, ad ſplendida conjugia capeſſenda virtutis fiduciâ concitatus, Sygrutham Gothenſiũ Regis Unguini filiam poſtularet, ac præterea Gothici regni dimidium in dotem expeteret, ſuper matrimonii admiſſione conſultus, conſenſum falsò ſpondendum monuit, ſeq;

seq; nuptias frustraturum promisit. Quinetiam sedendi locum sibi inter convivarum discubitus assignari præcepit. Probante consilium Unguino, *HALDANVS.* omnem regiæ dignitatis speciem peregrina corporis deformitate corrumpens, noctuq; nuptiis superveniens, occurrentibus formidini fuit, majorem humano habitu virum advenisse mirantibus. Qui mox ut regiam intravit, circumspectis omnibus, quærit, quis proximum Regi discubitum occupaverit? Ebbone deinde futurum Unguini generum ejus lateri conjunctum dicente, per summam verborum iracundiam percontatur, quâ vesaniâ quibúsue furiis eò petulantiæ adductus sit, ut despicabiles generis sui sordes eximiæ nobilitatis splendori miscere præsumat, rusticasq; manus regiæ genti inserere audeat: nec id quidem expetere contentus, etiam alieni regni consortium captare videatur. Deinde eum ferro secum decernere jubet, non priùs voto quàm victoriâ potiturum. Quo nocturnum monstris certamen, diurnum hominibus congruere respondente, ne temporis excusatione pugna abnui posset, lunæ splendore diem æquari perhibuit. Taliter adactum pugnæ Ebbonem, convivio in spectaculum verso, prostravit, nuptiasq; exequiis mutavit. Qui interjectis annis in patriâ decedens, cum sine liberis esset, regias opes Unguino testamento legavit, eumq; Regem constituit. Hic postmodum ab æmulo, cui Regnaldo nomen erat, bello oppressus, filium Syvaldum reliquit.

Hujus filia Syritha adeò spectatæ pudicitiæ erat, ut cum ob formæ pulchritudinem ingenti procorum frequentiâ peteretur, ad neminem ex *XXXII. VNGVINVS* eis inspectandum adduci posse videretur. Cujus continentiæ fiduciâ à patre *XXXIII. SYVALDVS* conjugem depoposcit, qui delenimentorũ dulcedine mutuum ejus conspectum impetrare quivisset. Olim siquidem apud nos puellarum continentia magnopere visus petulantiam edomare solebat, ne mentis integritas oculorum libertate corrumperetur, affectabaturq;, ut cordis castimoniam oris modestia fateretur. Tunc Otharus quidam Ebbonis filius, sive gestarum rerum magnitudine, sive comitatis & facundiæ fiducia accensus, pertinacibus postulandæ virginis ignibus æstuabat. Cujus obtutum omnibus ingenii nervis emollire connisus, cum demissum oculorum ejus habitum nulla penitus arte flexisset, invictæ severitatis perseverantiam miratus abscedit. Ejusdem rei cupidus gigas cùm æque se effectu vacuum animadverteret, fœminam subornat, quæ cum obtentâ virginis familiaritate ejus aliquandiu pedissequam egisset, hanc tandem à paternis procul penatibus, quæsitâ callidius digressione, seduxit, quam ipse mox irruens in arctiora montanæ crepidinis septa devexit. Opinantur alii, quòd fœmineam mentitus effigiem, cùm insidiosâ artis protractione domesticis puellam ædibus abduxisset, partes demum raptoris impleverit. Quod ut comperit Otharus, indagandæ virginis gratia montis penita perscrutatus, inventam oppresso gigante secum abduxit. Adeò autem gigantea sedulitas puellæ cæsariem nexili comarum astrictione revinxerat, ut pilorum perplexa congeries crispatâ quadam cohærentiâ teneretur, nec facile præter ferrum quis posset consertos crinium extricare complexus. Denuò igitur variis rerum irritamentis aggressus puellarem in se provocare conspectum, cum diu torpentes nequicquam oculos attentasset, proposito parum ex sententia cedente, cœptum reliquit. Sed neq; puellam stupro violare sustinuit, ne splendido loco natum obscuro concubitus genere macularet. Quæ cum varios solitudinum anfractus diutius errabunda percurreret, contigit ut ad sylvestris cujusdam immanisq; fœminæ tugurium perveniret. A qua pascendi caprarum gregis officio deputata, cum denuò per Otharum libertatis auxilium impetrasset, talibus ejus tentatur alloquiis:

Num meis mavis monitis adesse,
Et pares votis sociare nexus,
Quàm gregi præsens, olidisq; curam
Ferre capellis?

SYVALDVS

Impiæ dextram dominæ refelle,
Et trucem præceps fugito magiſtram;
Ut rates mecum ſocias reviſens
Libera degas.
Linque commiſſæ ſtudium bidentis,
Sperne caprinos agitare greſſus,
Et tori conſors refer apta noſtris
Præmia votis.
O mihi tantis ſtudiis petita
Torpidos ſurſum radios reflecte,
Paululum motu facilè pudicos
Erige vultus.
Ad lares hinc te ſtatuam paternos,
Et piæ lætam ſociabo matri;
Si ſemel blandis agitata votis
Lumina pandas.
Quam tuli clauſtris toties gigantum,
Confer antiquo meritum labori,
Et graves rerum miſerata niſus
Parce rigori.

Quare etenim cerebroſa adeò dementire cœpiſti, ut alienum ductare pecus, & in monſtrorum famulitio numerari præoptes, quàm pari conſenſus aptitudine mutuum tori promovere contractum? Illa nihilominus, ne pudicæ mentis conſtantia ad externos titubaret aſpectus, luminum habitum immoto palpebrarum rigore continuit. Quantæ porrò pudicitiæ ſeculi illius fœminas extitiſſe putemus, quæ nè ad levem quidem oculorum motum maximis amatorum irritamentis adduci potuerunt? Cum ergo Otharus nè gemini quidem beneficii meritis virgineum in ſe viſum concitare quiviſſet, pudore & ægritudine fatigatus claſſem repetiit. Cumq; Syritha more priſtino decurſis latè ſcopulis, in Ebbonis fortè ſedes erronea perveniſſet, nuditatis & inopiæ rubore egentium ſe filiam aſtruebat. Animadvertens autem hanc Othari mater, quamvis marcore illitam, inopiq; contectam amiculo, à generoſis pullulaſſe ramalibus, honorato ſedendi loco ſuſceptam, reverendâ ſecum comitate detinuit. Nobilitatem quippe virginis index forma prodebat, & vultu genus interprete reſultabat. Quam videns Otharus, cur vultum peplo obſcuraret? inquirit. Cujus animum certius experturus, nupturam ſibi fœminam fingit, ejusq; torum conſcendens, lucernam Syrithæ geſtandam committit. Quæ cum abſumptis penè lychnis admoto propiùs igne premeretur, tantum patientiæ ſpecimen præbuit, ut manum abſq; motu continere viſa, nullam ardoris moleſtiam ſentire crederetur. Externum quippe æſtum cohibebat interior, & pruritantis animi fervor aduſtæ cutis incendium temperabat. Quæ demum ab Otharo manui conſulere juſſa, placidos in eum obtutus verecundâ luminum erectione convertit, ſtatimq; ſemoto nuptiarum figmento, genialem torum nuptura conſcendit. Cumq; poſtmodum Syvaldus comprehenſum Otharum, ob illatum filiæ ſtuprum, ſuſpendio conſumendum duxiſſet, continuò Syritha raptus ſui caſibus explicatis, non ſolum eum in Regis gratiam reduxit, ſed etiam patrem ad ejus ſororem matrimonio ſibi copulandam adduxit.

Poſt hæc inter Syvaldum Regnaldumq; exquiſitæ probitatis militibus utrobiq; delectis, apud Sialandiam prælium agitur: In quo, cum triduo mutuis cædibus exacto, ob ſummam utriuſq; partis virtutem incerti victoriæ procurſus exiſterent, Otharus ſive diutinæ pugnæ tædio, ſive gloriæ æmulatione correptus, cum mortis contemptu confertiſſimos hoſtes irrumpit, Regnaldoq; inter fortiſſimas militum acies obtruncato, ſubitam Danis victoriam peperit. Inſigne hoc prælium maximorum procerum ignaviâ fuit. Adeò ſiquidem rei ſumma perhorruit, ut fortiſſimi Sveonum quadraginta terga fugæ dediſſe dicantur. Quorum præcipuus Starcatherus nullâ ſævitiâ rerum aut periculorum magnitudine quati ſolitus, neſcio quâ nunc obrepente formidine ſociorum fugam ſequi, quàm ſpernere præoptavit. Crediderim hunc metum ei divinis viribus injectum, ne ſupra humanam fortitudinem virtute ſibi præditus videretur. Adeò nihil perfecti mortalium felicitas habere conſuevit. Tunc hi omnes, maximi piratarum Haconis, quaſi quædam belli reliquiæ ad eum delapſæ, commilitium amplectuntur.

XXXIV. SIGARVS.

Poſt hæc Syvaldo filius Sigarus ſuccedit; cui filii Syvaldus, Alf, & Algerus fuere, filiaq; Sygne. E quibus Alf cæteris animo formâq; præſtantior, pirati-

piraticis incumbebat officiis. Cujus etiam inſignem candore cæſariem tantus comæ decor aſperſerat, ut argenteo crine nitêre putaretur. Eodem tempore Gothorum Rex Syvardus filios habuiſſe fertur Wemundum & Oſtenum, filiamq; Alvildam, quæ tantam verecundiæ fidem ab ipſis propemodum incunabulis præferebat, ut os peplo jugiter obnuptum haberet, quò minus formam ſuam alienæ libidinis irritamentum efficeret. Huic pater in arctam admodum cuſtodiam relegatæ viperam angvemq; educandos commiſit, pudicitiam ejus adultorum tandem reptilium cuſtodiâ vallaturus. Neq; enim facile thalamus inveſtigari poterat, quem tanti diſcriminis peſſulus obſerabat. Statuit etiam, ut ſi quis ejus aditum fruſtrà tentaſſet, protinus amputandum caput, paloq; refigendum præberet. Ita annexus petulantiæ metus concitata juvenum ingenia caſtigabat. Tunc Alf Sigari filius, rem hòc illuſtrius quò periculoſius tentandam exiſtimans, proci titulum profeſſus, animalia propter virginis conclave excubantia debellare jubetur, quòd edicti ratione eorum victori virgineus deberetur amplexus. Quorum ut acrius adverſum ſe rabiem excitaret, cruenta corpus pelle contexit. Quâ ſuccinctus, mox ut ſepti valvas ſubiit, torridum chalybem forcipe comprehenſum hiantis viperæ faucibus immerſit, eamq; exanimem proſtravit. Anguem deinde ſinuoſâ volubilitate prolapſum, inter medios rictus telum jaculatus, abſumpſit. Cumq; pacti conditione connexum victoriæ pignus expeteret, refert Syvardus hunc ſibi generum acceptari, in quem filia ſolidum optionis arbitrium contuliſſet. Cumque ſola puellæ mater proci votum difficulter exciperet, mentem filiæ ſecreto perluſtrat alloquio. Qua procum impenſius ob virtutem laudante, conviciis eam acrius lacerat, quod eliſis pudicitiæ nervis ſpecierum illecebrâ caperetur, omiſſaq; virtutis cenſura adulantibus formæ blanditiis laſcivæ mentis intuitum exhiberet. Ita Alvilda ad Danici juvenis contemptum adducta, virili veſte fœmineam permutavit, atq; ex pudica admodum puella ferocem piratam agere cœpit. Compluribus quoq; ejuſdem voti puellis in commilitium adſcitis, eo fortè loci pervenit, ubi piratarum agmen amiſſi bello ducis interitum deplorabat. A quibus ob formæ pulchritudinem piraticæ princeps creata, majoris muliebri virtute res edidit. Quam Alf crebris navigationis laboribus inſectari conatus, in Blacmannorum fortè claſſem hyeme incidit. Quo tempore denſatis aquarum coactibus tanta glaciei moles naves corripuit, ut eis nulla remigandi vis proceſſum ſtruere potuiſſet. Cumq; frigoris diuturnitas tutiorem concluſis ſponderet inceſſum, jubet Alf ſuos concretum pelagi ſinum caligatis tentare veſtigiis, calceorum lubricitate depoſita, glaciale planum firmius percurſuros. Quos Blacmanni ſuccinctâ pedum agilitate fugæ conſulere rati, initâ cum eis pugnâ, vacillantibus nimium ceſsêre veſtigiis, utpote quorum ancipites gradus ſubjectum plantis lubricum impellebat. Dani vero cruſtatum algore pelagus paſſu tutiore permenſi, infirmos hoſtium elisêre progreſſus. Quibus devictis, navigationem in Finniam vertunt. Ubi contractiorem fortè ſinum ingreſſi, miſſis qui rerum habitum explorarent, paucis navibus portum occupari cognoſcunt. Alvilda quippe eaſdem faucium anguſtias prior claſſe petiverat. Quæ cum ignotas eminus puppes adeſſe conſpiceret, præpeti remigio velox in eorum defertur occurſum, irrumpere hoſtem quàm opperiri ſatius judicans. Tunc Alf, prohibentibus ſociis, plures naves paucioribus attentari, indignum reſpondit, ut Alvildæ quis perferat paucarum puppium objectu procurſus ſui ſtudia deturbari, præfatus parvæ rei momento magnorum operum titulos reſpergendos non eſſe. Nec parva Danis admiratio fuit, undè hoſtium corporibus talis formæ decor, tantaq; membrorum aptitudo ſuppeteret. Ut ergo navalem committere pugnam cœperunt, Alf juvenis Alvildæ proram inſiliens in puppim uſq; facta reſiſtentium ſtrage progreditur. Cujus comes Borcarus decuſsâ Alvildæ galeâ, mentiq; ejus lævitate conſpectâ, animadvertit oſculis non armis agendum eſſe, telorumq; rigore depoſito, blandioribus

SIGARVS.

SIGARVS. hoſtem officiis attrectandam. Igitur Alf, quam terrâ mariq; tot obſtantibus periculis, indefeſſo labore quæſierat, ſupra ſpem offerri gaviſus, cupidiùs apprehenſam, virilem cultum in muliebrem convertere coëgit: ex quâ poſtmodùm filiam Guritham procreavit. Sed & Borcarus Alvildæ comitem, Gro nomine, matrimonio complexus, filium ex ea Haraldum ſuſcepit, quem ſequens ætas Hyldetand cognominavit.

Et ne quis hunc bellis ſexum inſudaſſe miretur, quædam de talium fœminarum conditione & moribus compendio modicæ digreſſionis expediam. Fuere quondam apud Danos fœminæ, quæ formam ſuam in virilem habitum convertentes, omnia penè temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis nervos luxuriæ contagione hebetari paterentur. Siquidem delicatum vivendi genus peroſæ, corpus animumq; patientia ac labore durare ſolebant, totamq; fœmineæ levitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili uti ſævitia cogebant. Sed & tanta cura rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuiſſe quivis putaret, præcipue vero quibus aut ingenii vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitæ genus incedere conſueverant. Hæ ergo perindè ac nativæ conditionis immemores, rigoremq; blanditiis anteferentes, bella pro baſiis intentabant, ſanguinemq; non oſcula delibantes, armorum potius quam amorum officia frequentabant, manusq; quas in telas aptare debuerant, telorum obſequiis exhibebant, ut jam non lecto, ſed letho ſtudentes ſpiculis appeterent, quos mulcere ſpecie potuiſſent. Nunc à diverticulo propoſitum repetam.

Veris initio, cum Alf & Algerus, repetitis piraticæ operibus, variâ pelagus navigatione tentarent, in Hamundi Reguli filios Helvvin, Hagbarthum & Hamundum centenis incidére navigiis. Quibus illato prælio, cum feſſas cæde dextras ſola crepuſculi caligo dirimeret, noctu militi fœdus imponitur. Quod poſtero die perpeti invicem jure firmatum eſt; tanto vulnere heſternâ pugnâ utrobiq; ſuſcepto, ut nulla renovandi certaminis facultas exiſteret. Ita quos par virtus exhauſit, neceſſitas in pacem coëgit. Per idem tempus Hildigeſleus claro Teutonum loco ortus, formæ & nobilitatis fiduciâ Sygnem Sigari filiam poſtulabat. Apud quam maximum ei contemptum obſcuritas peperit, quòd fortitudine vacuus, aliena probitate fortunam inſtruere videretur. Præcipue eandem in amorem Haconis magnalium ejus ſpectata deflexit opinio. Quippe majorem fortium, quàm mollium reſpectum agebat; nec formæ, ſed operum inſignia mirabatur; ſciens omne decoris blandimentum ſola virtutis æſtimatione ſordeſcere, nec æqua illi lance conferri. Sunt enim puellæ, quæ potius amatorum claritate quàm ſpecie capiuntur, quasq; non oris, ſed mentis habitum æſtimantes, in alternum copulæ votum ſolus animi reſpectus accendit. Hagbarthus verò cum Sigari filiis Daniam petens, iiſdemq; ignaris, ſororis eorum alloquio potitus, tandem eam ad clandeſtini concubitus promiſſionem fide ſibi obligandam adduxit. Quæ poſtmodum, fortè pediſſequis inſignes procerum titulos conferentibus, Hildigiſleo Haconem prætulit, in illo nihil præter ſpeciem laudabile reperiri, in iſto oris lituram animi flore penſari teſtata. Nec eum ſimplici laudationis genere extuliſſe contenta, tali concentu uſa perhibetur:

Hic candoris inops primâ probitate relucet,
Vultum vigore metiens.
Nam damnum rigidæ redimit mens ardua formæ,
Mendamq; vincit corporis.
Corde micat ſpecies, facies feritate juvatur,
Ipſo rigore præcluis.
Hæc candore beat mentum, ſed mente colorem
Morum ſeverus arbiter.

Huic

SIGARVS.

Huic precium non forma facit, sed fortior ausus,
Armisq; parta claritas.
Ast illum capitis decor approbat, & nitor oris,
Vertexq; crine fulgidus.
Sordet inane decus formæ, confunditur in se
Fallax decoris dignitas.
Disparibus studiis, species virtusq; reguntur,
Hæc perstat, illa deperit.
Importat vitium vacuus color, hunc levis anni
Fluxus gradatim dissipat.
Ast probitas meliore loco sua pectora firmat,
Nec lapsa prorsus excidit.
Exteriore bono vulgaris fallitur aura,
Rectiq; normam negligit.
At mihi censurâ virtus potiore probatur,
Spretâ decoris gratiâ.

Quæ vox ita ad astantium aures delapsa, ut Hagbarthus Haconis laudari vocabulo putaretur. A qua cum Hildigisleus Hagbarthum sibi prælatum dolenter tulisset, Bolvvisum quendam luminibus captum muneribus illicit, qui Sigari & Hamundi filios ad amicitias odio permutandas adduceret. Rex quippe Sigarus senum duorum, quorum alter Bolvvisus erat, consilio cuncta ferè gerere consueverat. Horum tam discors ingenium fuit, ut alter inimicitiis dissidentes in gratiam reducere solitus esset: alteri curæ foret amicitiâ junctos odio sequestrare, & simultatum pestes alternis ventilare dissidiis. Primum itaq; Bolvvisus apud Sigari filios Hamundi sobolem pleno obtrectationis mendacio lacerabat, affirmans eam nunquam fida pace societatis jura servare solitam, bello potius quàm fœdere continendam. Itaq; juvenum pactione perruptâ, Helvvin & Hamundus, Hagbartho procul agente, à Sigari filiis Alf & Algero prælium inferentibus, apud portum, qui Sinus Hamundi dicitur, opprimuntur. Quos Hagbarthus postmodum integris viribus superveniens in ultionem fratrum bello consumpsit. Hildigisleus ambas nates telo trajectus elabitur. Quæ res insectandorum risu Teutonum occasio extitit, quòd opprobrii notâ plagæ deformitas non careret.

Post hæc Hagbarthus muliebri corpus cultu instruens, tanquam Sigari filiam fraterna clade non læserit, solitarius eam acceptæ promissionis fiduciâ repetit, plus securitatis ex ipsius fide, quàm suo facinore formidinis contrahens. Adeò libido periculum contemnit. Et ne profectioni causa deesse videretur, pugnacem Haconis famulam profitendo, legationem ejus ad Sigarum perferre se dixit. Cumq; noctu inter pedissequas cubitum reciperetur, pedesq; ei ab ancillulis lavandi officio pertergerentur, interrogatus, quid hispidis adeò cruribus esset, manusque parum blandi contactus haberet, hoc modo respondit:

Quid miri tenerum nobis durescere subtel,
Et longos hirto crure manere pilos?
Cui plantas toties subjecta relisit harena,
Et vepres medium corripuere gradum?
Nunc saltu nemus experior, nunc æquora cursu,
Nunc mare, nunc tellus, nunc iter unda mihi.
Sed neq; ferratis conclusum nexibus uber,
Aut jaculis solitum, missilibusq; premi,
Ad tactum vestro potuit mollescere ritu,
Quas chlamydis tegmen, aut toga lævis habet.
Nec colus aut calathi, sed cæde madentia tela
Officium nostræ composuêre manus.

SIGARVS. Cujus affirmationem Sygne conſentaneo diſſimulationis genere proſequi non morata, par eſſe refert manus vulnera ſæpius quàm vellera, pugnam quàm penſa tractantes, conſentaneam officio præferre duritiem, nec tractabili fœminarum mollitudine enervem levitatis ſpeciem alienis contactibus exhibere. Quippe eas partim bellico labore, partim navigandi conſvetudine duratas eſſe. Neq; enim bellatricem Haconis vernulam muliebribus inſervire negotiis, ſed jaculandis haſtis, torquendisq; miſſilibus oblitam cruore dexteram afferre conſueviſſe. Quamobrem mirandum non eſſe plantas ingenti itinerum emenſione duratas, quasq; decurſa toties littora ſcabris lapidum fragmentis obtriverint, calloſo rigore lenteſcere, nec parem earum teneritudini contactum præ ſe ferre, quarum veſtigia digreſſus expertia aulicis jugiter liminibus includantur. Quam quum Hagbarthus, perinde ac honoratiorem cubandi locum habiturus, tori ſociam recepiſſet, inter mutuæ voluptatis colloquia talibus ſenſim orſis compellat:

Si captum genitor tuus
Me triſti dederit neci,
Numquid conjugij fidem,
Tanti fœderis immemor,
Poſt fatum repetes meum?
Nam ſi ſors ea ceſſerit;
Haud ſpero veniæ locum:
Nec parcens miſerebitur
Ulturus ſobolem parens.
Nam fratres necui tuos
Privatos ope nauticâ:
Et nunc te, patre neſcio,
Ac ſi nil prius egerim,
Votis illius obviàm,
Communi teneo toro.
Dic ergò, Venus unica,
Quam voti ſpeciem feres
Complexu ſolito carens?

Ad hæc Sygne:

Me crede tecum, chare, velle commori,
Si ſors exitij prætulerit vicem;
Nec ulla vitæ prorogare tempora,
Quum te mors tumulo triſtis adegerit.
Nam ſi ſupremam fortè lucem clauſeris,
Lictorum rabido ſubditus auſui;
Quocunq; letho præfocetur halitus,
Morbo, ſeu gladio; gurgite, vel ſolo;
Omnis petulcæ labis ignes abdico,
Et me conſimili devoveo neci:
Ut quos idem fœdus tori revinxerat,
Idem ſupplicij contineat modus.
Nec hunc, necis ſenſura pœnas, deſeram,
Quem dignum Venere conſtitui meâ:
Qui prima noſtri carpſit oris oſcula,
Et floris teneri primitias tulit.
Nullum puto votum futurum certius,
Si quid fœminea vox fidei gerit.

Quæ vox ita Hagbarthi animum vegetavit, ut plus voluptatis in ejus promiſſo, quàm periculi in ſua digreſſione reponeret. Qui quum ab ancillulis proditus à Sigari lictoribus oppugnaretur, diu ſe ſtrenuâ pugnâ defendit, compluresq; ex eis in aditu trucidavit. Comprehenſus tandem, & ad concionem perductus, diverſa plebis ſuffragia expertus eſt. Siquidem complures ſupplicium ab eo tam gravis injuriæ exigendum dicebant. Sed Bilvviſus Bolvviſi frater, aliiq; ſententiæ potioris auctores, potius ſtrenuâ ejus opera utendum, quàm crudelius in eum conſulendum monebant. Tunc ſubiens Bolvviſus, iniqua affirmabat conſilia, quæ Regem quum ultione uti debeat, ignoſcere jubeant, & juſtum iracundiæ motum indigna miſeratione deleniant. Quo enim pacto Sigarum circa hunc parcendi miſerendive ſtudio moveri poſſe, à quo non ſolum gemino filiorum ſolatio ſpoliatus, ſed

etiam

SIGARVS.

etiam corruptæ filiæ contumeliâ reſperſus videatur? Quam ſententiam majore concionis parte ſuffragiis proſequente, damnatur Hagbarthus, ſtipesq́; eum excepturus erigitur. Quo evenit, ut qui prius nullum penè triſte ſuffragium habuerat, omnium ſævitia mulctaretur. Quem Regina mox porrecto poculo ſitim lenire juſſum, tali minarum inflictione ſoliciat:

Nunc inſolens Habarthe,
Quem morte dignum concio
Adjudicavit omnis,
Sitis fugandæ gratiâ
Ori dabis bibendum
Scypho liquorem corneo.
Ob hoc metum refutans,
Vitæ ſupremo tempore,
Audacibus labellis
Lethale liba poculum;
Quo potus inferorum
Mox applicère ſedibus,
Iturus in recluſam
Ditis ſeveri regiam;
Patibuloq́; corpus
Orco daturus ſpiritum.

Tunc juvenis oblatum apprehendens poculum, tale fertur intuliſſe reſponſum:

Hac guſtum capiam manu ſupremum,
Extremæ quoq́; potionis hauſtum,
Quâ natos tibi ſuſtuli gemellos.
Jam non Elyſios inultus axes,
Non impunè truces adibo manes.
Nam noſtro prius hos peracta niſu
Clades tartareis recluſit antris.
Hæc veſtro maduit cruore dextra,
Hæc proli teneros ademit annos,
Quam luci tua procreavit alvus,
Cui nec funereus pepercit enſis.
Infamis mulier, furensq́; mente,
Infelix genitrix & orba natis,
Sublatum tibi nulla reddet ætas,
Nec tempus redimet, dieſve quævis
Demptum lethifero rigore pignus.

Ita mortis comminationem interfectorum à ſe juvenum exprobratione ultus, rejecto in Reginam poculo os ejus ſparſo meri liquore ſuffudit.

Interea Sygne deflentes famulas, an ſibi cœptorum ſociæ fieri paterentur, interrogat. Illæ, quicquid dominæ voti incederet, ſuis ſpondent effectibus exequendum. Promiſſioni fides adjecta eſt. Deinde lacrymis ſuffuſa, quem unicè tori conſortem habuerit, fato inſequi velle ſe dicit, jubetq́; mox ut ſignum è ſpecula datum eſſet, faces thalamo ſubdi, deinde laqueos ex peplis fieri, hiſdemq́; fauces, pulſo pedum fulcimine, ſtrangulandas præberi. Aſſentientibus, quò minorem mortis metum haberent, merum propinat. Poſt hæc Hagbarthus ad montem, qui poſtmodum ab ipſo vocabulum traxit, ſuſpendio conſumendus adducitur. Tunc experturus amaſiæ fidem, amiculum ſuum à lictoribus ſuſpendi præcepit, voluptati ſibi eſſe præfatus, ſi propinquæ mortis inſtar alicujus ſpectaculi imagine pervidiſſet. Quo impetrato, ſpeculæ cuſtos id circa Hagbarthum peragi ratus, concluſis intra aulam puellis conſpecta denunciat. Quæ mox datis incen-

SIGARVS.

incendio tectis, subjecta pedibus robora depellentes, gulas laqueis obtorquendas dederunt. Igitur Hagbarthus regiam igni implicatam conspiciens, ac notum conflagrare cubiculum, plus lætitiæ se ex amicæ fide, quàm mœroris ex propinqua morte sentire perhibuit. Quinetiam astantes ad necem sibi inferendam hortatus, in quam parvo momento fatum poneret, hujusmodi carmine protestatur:

Ocyus ô juvenes correptus in aëra tollar,
Dulce mihi, nupta, est post tua fata mori.
Aspicio crepitus & tecta rubentia flammis,
Pollicitusq; diu pacta revelat amor.
En tua non dubiis completur pactio votis,
Quum vita mihi sis, interitusq; comes.
Unus erit finis, unus post fœdera nexus;
Nec passim poterit prima perire Venus.
Felix qui tanto merui consorte juvari,
Nec male tartareos solus adire deos.
Ergo premant medias subjecta tenacula fauces,
Nil nisi quod libeat, pœna suprema feret;
Quum restaurandæ Veneris spes certa supersit,
Et mors delicias mox habitura suas,
Axis uterq; juvat, gemino celebrabitur orbe,
Una animi requies, par in amore fides.

Ecce enim oblatum libens discrimen accipio, quum ne apud manes quidem amor ipse participis sui complexum deperire patiatur. Et cum dicto lictorum operâ laqueo profligatur. Et ne cuiquam antiquitatis vestigia prorsus exolevisse credantur, prædictæ rei fides præsentibus locorum indiciis exhibetur, quum & Hagbarthus pago vocabulum extinctus intulerit, nec longè â Sigari oppido locus pateat, ubi plano paululùm agger elatior veteris fundi instar protuberantis humi specie demonstrat. Sed & quidam Absaloni trabem se eo loci repertam vidisse narravit, quam agrestis vomere glebam rimatus offendit.

His auditis Hako Hamundi filius, qvum in ultionem fratrum arma ab Hyberniensibus in Danos translaturus videretur, ab Hakone Sialandico Wigeri filio, Starcatheroq; deseritur, quorum post Regnaldi necem ad usque tempus auxiliis utebatur. Alter siquidem familiaritatis, alter originis intuitu movebatur, diversaq; ratio par ambobus studium peperit. Hakonem namq; ab inuasione patriæ pietas deturbavit, quòd cæteris adversum exteros bellum gerentibus, ipse cum civibus præliaturus videretur. Starcatherus verò quòd Sigari senilis hospitio usus fuerat, hostem agere supersedebat, ne benè meritum injuriâ afficere putaretur. Tantum enim quidam hospitalitatis gratiæ deferunt, ut ad molestiam eis inferendam adduci non possint, quorum se quandoq; humanitatis officia expertos meminerint. Sed & Hako plus damni in fratrum nece, quàm pugilum defectione reponens, in portum, qui Danicè Hærvvig, Latinè Exercituum sinus dicitur, classe collatâ, militem exponit, pedestremq; aciem instruit, quo loci nunc oppidum ab Hesberno constructum, munimine suo præsidium accolis facit, aditumq; barbaræ feritatis eliminat. Deinde sparsis trifariam copiis, geminam navium partem, paucis remigio destinatis, ad Susam amnem præmittit, quæ per obliquos alvei flexus ancipiti navigatione progrediens, peditibus, si res posceret, subsidium ministraret. Ipse cum residuis pedestri itinere facto, sylvestribus maximè locis, ne cerneretur, incessit. Quæ via crebris quondam occlusa nemoribus, nunc partim aratris apta, tenui fruticum raritate prætexitur. Et ne progressis in planum, arboreum deesset umbraculum, ramalia ab eis incîdi gestariq; præcepit. Præterea ne quid properantibus oneri foret, vestium partem ac vaginas abjici, nudosq; gladios deferri jussit. Ob cujus facti memoriam,

moriam, æternum monti, vadoq; cognomen reliquit. Ita binas vigilum ſtationes nocturna progreſſione fruſtratus, qvum in tertiam incidiſſet, mox ſpeculator inſolitum facti contemplatus eventum, acceſſo Sigari cubiculo ſtupendæ rei nuncium afferre ſe dixit, quod frondes ac frutices humano more gradientes aſpiceret. Tunc percontatus Rex, quantum nemoris diſtaret adventus, ut propinqvum eſſe cognovit, hoc monſtro fatum ſibi portendi ſubjunxit. Quo evenit ut ſucciſorum fruticum palus, Lethalis publico nuncuparetur eloquio. Igitur locorum anguſtias veritus, relicto oppido, conſpectiorem ſoli planitiem prælio hoſtes excepturus petivit. Idem apud locum, qui vulgò Walbrynda, Latinè cadaverum vel ſtragis puteus appellatur, geſtâ infeliciter pugnâ, protritus extinguitur. Tunc Haco victoriâ in crudelitatem versâ tanto facinore fortunam proſequi cœpit, ut promiſcuæ cædis avidus, nihil conditioni aut ſexui deferendum putaret. Sed neq; miſerationis aut verecundiæ reſpectui indulſit, quo minùs fœmineo ferrum cruore reſpergeret, matresq; cum liberis communi ſtragis ſævitia violaret. SIGARVS.

XXXV. SYVALDVS

His auditis Syvaldus Sigari filius, qvum paternis hactenus penatibus inhæſiſſet, ultoris partes executurus exercitum contrahit. Igitur Haco multitudinis concurſu conterritus, cum tertia agminis parte in Hærvvig claſſem repetens, maritimo ſibi diſceſſu conſuluit. Cujus collega Haco cognomine Faſtuoſus, plus fiduciæ in recenti victoria, quàm metus in Haconis abſentia reponendum exiſtimans, mortemq; fugæ præferens, reſiduum tutabatur exercitum. Itaq; reductis pauliſper caſtris, apud villam Axelſtadam, navalem diutulè præſtolatus occurſum, venientium tardiùs ſociorum ſegnitiem cauſabatur. Nondum enim ad deſtinatum portum immiſſa amni claſſis appulerat. Adeò autem Sigari clades, Syvaldiq; charitas promiſcuos plebis animos incitabant, ut uterq; ſe bello ſexus impenderet, nec certamen crederes fœmineis caruiſſe præſidiis. Poſtera luce Haco, Syvaldusq; congreſſi, biduum extraxere pugnâ. In qua rebus atrociſſimè decertatis, utroq; duce proſtrato, Danorum reliquias victoria decoravit. Nocte vero prælium inſecuta ad conſtituti portus receptaculum, claſſis Suſam rimata pervenit. Cujus alveum quondam remigiis pervium, nunc ſolidioribus elementis concretum anguſtiæ limitant, ut vetante conſtrictionis inertiâ rarus puppium admittatur ingreſſus. Diluculo nautæ ſociorum cadavera conſpicati, funerandi ducis gratia, collem ſpectatæ magnitudinis extruunt, quem uſq; nunc opinione celebrem Haconis buſtum fama cognominat. Quorum multitudinem Borcarus cum Scanico repente equitatu adveniens, neci implicuit. Conſumpto hoſte vacuas remigio rates inſtruens, Hamundi filium anhela præceps celeritate perſequitur. Cujus congreſſu habito, contigit Haconem rebus infeliciter geſtis metu præcipitem in Scothorum patriam ternis evolare navigiis. Ubi decurſo biennio defungitur.

QVINQVE DANICÆ GVBERNATORES

Talia rerum bellorumq; diſcrimina adeò regiam apud Danos gentem exhauſerant, ut hanc ad ſolam Guritham Alfi filiam, Sigari vero neptem, redactam eſſe conſtaret. Qui qvum ſe conſvetæ nobilitatis regimine defectos viderent, regnum popularibus tradunt, creatiſq; ex plebe principibus, Oſtmaro Scaniæ, Hundingo Sialandiæ procurationem attribuunt. In Hanonem Fionæ dominium conferunt. Penes Røricum atq; Haterum Jutiæ ſummam diſcreta poteſtate conſtituunt. Et ne lateat, quo Regum poſteritas ſatore ſuccreverit, occurrunt quædam neceſſario pauliſper perſtringenda digreſſu. Ferunt fortiſſimum Svecorum Gunnarum olim ob graviſſimas cauſas Norvagiæ infenſum, laceſſendæ ejus licentiam precibus impetratam maximis exaſperaſſe periculis, ac primum in Jather Provinciam propoſitos effudiſſe decurſus: quam partim flammis, partim cædibus implicans, omiſſis rapinis, tantùm obſitos cadaveribus calles ac fuſas cruore ſemitas permeare gaudebat. Nam qvum cæteri jugulis abſtinere, prædamque magis quàm cædem affectare ſolerent, hic ſpoliis ſævitiam anteponens, funeſtum animi libitum humanis

QVINQVE GVBERNATORES

potiſſimum cladibus exercebat. Cujus atrocitate permoti incolæ, propinquum periculum publica deditione præveniunt. Sed & Rex Normanorum Regnaldus ultimæ ſenectutis,audito tyranni ſtudio,filiam Drottam facto ſpecu claudendamcuravit, aptumq; ei proviſis in longum ſumptibus famulitium tribuit. Sed & gladios exquiſita fabrorum operâ decuſſatos, cum regia ſupellectile pariter antro mandavit,ne ferri uſum,quem ſibi inhabilem videret,hoſti capiendum relinqueret. Et ne conſpicua caveæ pateret elatio, ſolidiori terræ tumorem æquabat. Ad bellum deindè profectus,qvum ſenilibus membris in aciem deſcendere non poſſet, comitum innixus humeris,alienis fulta gradibus veſtigia proferebat. Igitur prælio cupidius quàm felicius geſto conſumptus,gravem ruboris cauſam patriæ reliquit.

Ut enim Gunnarus devictæ gentis ignaviam inuſitatâ conditionis deformitate mulctaret, rectoris loco canem eis præponi curavit. Quo facto quid aliud eum aſſequi voluiſſe putemus, quàm ut plenus ſuperbiæ populus inſolentiam ſuam manifeſtius puniri cognoſceret, dum obnixos latranti vertices inclinaret. Et ne quid contumeliæ deeſſet,ſatrapas procuravit, qui ſub ejus titulo privata ac publica negotia tuerentur. Cujus etiam jugi conſtantiq; cuſtodiæ diſtinctos procerum ordines applicabat. Statuit inſuper, ut ſi quis aulicorum ducis ſui deſpicabile duxiſſet obſequium, varioſq; diſcurrentis inceſſus plenis venerationis obſequiis inſequi ſuperſediſſet, membrorum clade ſupplicia lueret. Sed & geminum genti victigal impoſuit, unum autumnalibus copiis,alterum vernali tempore perſolvendum. Ita Norvagienſium tumore exploſo obtentum eſt,ut liquidius faſtus ſui detrimenta cognoſcerent,quem caninis adactum obſequiis viderent.

Audiens autem Regis filiam longinquis occluſam latibulis,omnibus ingenii nervis ad eam inveſtigandam contendit. Quo evenit,ut dum ipſe quoq; luſtrandi inter alios officio fungeretur, ſubterranei murmuris ſonum dubiâ procul aure colligeret. Tunc ſenſim progreſſus certiorem humanæ vocis habitum deprehendit. Cumq; ſubjectam pedibus humum ad ſolidum fodi juſſiſſet,ſubitò patente caveâ cuniculatos animadvertit anfractus. Trucidatis itaq; famulis,dum detectos antri aditus tueri cupiunt,puella cum repoſitis inibi ſpoliis cavo extrahitur. Quæ rerum admodùm provida patrios duntaxat enſes ſecretioris cuſtodiæ tutamento tradiderat. Hæc à Gunnaro ſtuprum pati coacta,filium procreat Hildigerum. Cui tanta paternæ crudelitatis æmulatio fuit, ut cædium ſemper appetens, & humanis ſolum intentus excidiis, immensâ fundendi cruoris cupidine ſuſpiraret. Igitur ob intolerabiles ſævitiæ mores à patre proſcriptus, moxq; ab Alvero tyrannide donatus, finitimos bellis ac cædibus implicando omne ætatis tempus armis exegit,nihilq; exilii conditione ex conſveto crudelitatis habitu remittens, animum cum loco mutari paſſus non eſt.

Intereà Borcarus Regnaldi filiæ Drottæ matrimonium per vim à Gunnaro occupatum expertus,conjuge eum, vitâq; privat,ac ſibi Drottam connubio ſociat. Quæ etiam ægrè nuptiis aſſenſa non eſt, quòd parentis ultorem jure complexura videretur. Neq; enim lugentis patrem filiæ ejus interfectori voluptuoſus poterat obtemperare conſenſus. Hujus Borcariq; filius Haldanus fuit : cujus juventæ initia ſtoliditatis opinione referta fuère, ſequens verò ætas fulgentiſſimis operum inſignibus illuſtris evaſit, maximiſq; vitæ ornamentis inclaruit. Adoleſcens pugilem ingenuæ famæ, quòd ab eo pueriliter obludens colapho percuſſus eſſet, geſtamine, quod in manu habebat, petitum oppreſſit. Quo facto futuros operum titulos auſpicatus præteritæ vitæ contemptum in ampliſſimum ſequentis fulgorem convertit. Ea quippe res bellicorum ejus inſignium magnitudinem augurata eſt.

Ea tempeſtate Røtho,Ruthenorum pirata,patriam noſtram rapinæ & crudelitatis injuriis profligabat. Cujus tam inſignis atrocitas erat, ut cæteris extremæ captorum nuditati parcentibus, hic etiam ſecretiores corporum partes tegminibus ſpoliare deforme non duceret. Unde graves adhuc, immaneſq;

rapinæ

QVINQVE GVBERNATORES

rapinas Røtheran cognominare solemus. Sed & torquendis interdum hunc supplicii modum adhibere solebat, ut dextris eorum pedibus terræ tenacius affixis, lævos curvatis de industria ramis annecteret; quorum salacitas medii corporis distractione recurreret. Quem Fioniæ rex Hano dum speciosos sibi titulos consciscere cupit, maritimis viribus oppugnare conatus, fugam uno comitatus ingreditur. In cujus exprobrationem proverbium manavit: In proprio plus lare Hanonem valere. Tunc Borcarus ulteriorem civium jacturam inspectare non passus, Røthoni se objicit: quorum ut mutuum bellum, ita etiam exitium fuit. Eâdem pugnâ Haldanum graviter affectum fama est aliquamdiu susceptis oblanguisse vulneribus: è quibus unum evidentius ori inflictum habebat. Quod adeò cicatrice conspicuum erat, ut cæteris medela recreatis, patentiori quâdam lentigine teneretur. Oblisam quippe labelli partem ita verrucæ vitium ulcerabat, ut ejus rimosa tabes carnis excremento sarciri nequiret. Quæ res ei plenum contumeliæ cognomen impressit, qvum potius vulnera adverso corpore excepta laudem quàm dedecus afferre soleant. Adeò maligna virtutum interpres vulgaris interdum existit opinio.

Interea Alfi filia Guritha, qvum regiam stirpem ad se solam redactam animadverteret, neminemq́;, cui nuberet, nobilitate parem haberet, nuncupatis votis voluntariam sibi castimoniam indixit, concubituq́; carere, quàm ex plebe maritum adsciscere satius duxit. Quinetiam cavendæ injuriæ gratia conclave suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam quum Haldanus semel fortè venisset, abessentq́; pugiles, quorum ipse fratrem impubis extinxerat, oportere eam, inquit, soluto virginitatis cingulo, castimoniæ rigorem rebus permutare Venereis: ne ita pudicitiæ votis indulgeat, ut lapsa regni gubernacula copulæ suæ beneficio reparare contemnat. Se ergo nobilitatis splendore conspicuum nuptialibus ab ea votis respici jubet: quòd ob dictam causam voluptati aditum datura videatur. Ad hæc Guritha adduci se non posse retulit, ut regiæ nobilitatis reliquias inferioris ordinis viro copulare sustineat. Nec generis obscuritatem exprobrasse contenta, etiam oris deformitatem improperat. Haldanus geminum ab ea sibi vitium objectari subjunxit: unum, quòd sanguine parùm niteret; alterum, quòd rimosi oris jacturam inexpletâ cicatrice præferret: Ideoq́; non prius se postulandæ ejus gratia rediturum, quàm utramq; notam partâ armis claritate tersisset. Obsecrat quoq;, ne cui tori conniventiam præberet, antequam reditus, interitúsue sui certitudinem nuncio cognovisset. Quem athletæ, fratre jampridem ab eo spoliati, Gurithæ locutum indignè ferentes, discedentem equis insectari conantur. Quo viso, comitibus latebram petere jussis, se solum pugiles excepturum dicebat. Morantes asseclas imperioq́; obsequi deforme ducentes minis abigit, præfatus non comperturam Guritham pugnam à se formidine detrectari. Mox quercu succisâ, atq; in clavæ habitum redactâ, solus cum duodecim manum conseruit, eosq́; spiritu spoliavit. Quibus peremptis tam præclari operis titulis non contentus, majoris edendi gratia avitos à matre gladios recepit, quorum alter Liusingi, alter Hvvitingi, ob collimati acuminis nitorem, vocabulum habuit. At ubi inter Alverum Svetiæ regem Ruthenosq́; bellum flagrare cognovit, è vestigio Russiam petit, oblatoq́; incolis auxilio, summâ cum omnium dignatione suscipitur. Sed nec procul Alverus agebat, brevi locorum trajectu parvulam internectente distantiam. Cujus miles Hildigerus Gunnari filius, Ruthenorum pugilibus ad secum dimicandum provocatis, cum Haldanum offerri animadverteret, ejusq́; se fratrem esse non ignoraret, pietatem fortitudini prætulit, seq́; septuaginta pugilum oppressione conspicuum, cum homine parùm spectato manum conserturum negavit. Jubet itaq; eum minorem se rerum experimentis metiri, ac deinde æqua viribus studia consectari. Hæc autem

QVINQVE GVBERNATORES

non virtutis diffidentiâ, ſed integritatis ſervandæ gratia aſtruebat, qvum non ſolum acerrimus, verum etiam hebetandi carminibus ferri peritus exiſteret. Quippe qvum ab ejus patre ſuum oppreſſum meminiſſet, affectusq; geminos, unum paternæ ultionis, alterum fraternæ charitatis haberet, provocationi cedere, quàm maximo implicari ſcelere ſatius duxit. Cujus loco alium Haldanus athletam depoſcens, exhibitum jugulat: moxq; ei etiam hoſtium ſuffragio virtutis palma decernitur, omniumq; fortiſſimus publicâ proclamatione cenſetur. Poſterâ die duobus in pugnam petitis, ambos obtruncat. Tertiâ luce ternos expugnat. Quartâ, quatuor ſecum congreſſos exuperat. Quintâ verò quinos expoſtulat. Quibus oppreſſis, qvum ad octavam ſimilibus pugnæ & victoriæ incrementis perventum eſſet, undecim ſimul admiſſos proſternit. Cui Hildigerus, quòd operum ſuorum titulos virtutum ejus magnitudine æquatos videret, congreſſum ulterius negare non paſſus, qvum ab eo, obducto panniculis ferro, mortificum ſibi vulnus inflictum animadverteret, abjectis armis humi decumbens, tali fratrem voce compellat:

Collibet alternis devolvi fatibus horam,
Et ferro pauſante, ſolo ſubſidere paulùm,
Alternare moram dictis animosq; fovere.
Reſtat propoſito tempus; nam fata duorum
Fors diverſa tenet; alium diſcrimine certo
Sors feralis agit, alium potioribus annis
Pompa decusq; manent, & agendi temporis uſus.
Sic ſibi dividuum partes diſcriminat omen.
Danica te tellus, me Sveticus edidit orbis.
Drot tibi maternum quondam diſtenderat uber,
Hac genitrice tibi pariter collacteus exto.
En pia progenies trucibus concurrere telis
Auſa perit, claro prognati ſanguine fratres
Illata ſibi Cæde ruunt, dum culmen aventes
Tempore deficiunt, ſceptriq; cupidine nacti
Exitiale malum ſocio Styga funere viſent.
Ad caput affixus clypeus mihi Sveticus aſtat,
Quem ſpecular vernans varij cælaminis ornat,
Et miris laqueata modis tabulata coronant.
Illic confectos proceres, pugilesq; ſubactos,
Bella quoq; & noſtræ facinus ſpectabile dextræ
Multicolor pictura notat: medioxima nati
Illita conſpicuo ſpecies cælamine conſtat,
Cui manus hæc curſum metæ vitalis ademit.
Unicus hic nobis hæres erat, una paterni
Cura animi, ſuperoq; datus ſolamine matri.
Sors mala, quæ lætis infauſtos aggerit annos,
Et riſum mœrore premit, ſortemq; moleſtat.
Lugubre ac miſerum eſt dejectam ducere vitam,
Et triſtes ſpirare dies, omenq; dolere.
Sed quæcunq; ligat Parcarum præſcius ordo,
Quæcunq; arcanum ſuperæ rationis adumbrat,
Seu quæ fatorum ſerie præviſâ tenentur,
Nulla caducarum rerum converſio tollet.

His dictis, qvum ab Haldano ob tam ſeram fraterni vinculi confeſſionem inertiæ damnaretur, idcircò ſe ſilentio uſum eſſe dicebat, ne aut pugnam detrectando ignavus, aut committendo ſceleſtus exiſtimari poſſet. Talibus excuſationis verbis intentus extinguitur. Sed apud Danos Haldanum ab Hildigero proſtratum rumor ediderat. Poſt hæc Guritha, quæ regii ſanguinis ſola apud

HARALDVS HYLDETAND

apud Danos supererat, qvum à Sivaro Saxonicæ gentis nobilissimo postulari cœpisset, latenterq; ei Haldanum præferret, conditionem proco intulit, ne suum prius connubium peteret, quàm Danorum regnum membratim divisum in unum corpus redigeret, idq; sibi per injuriam ereptum armis restituisset. Quod frustra tentante Sivaro, omnibus arbitris pecuniâ ab ipso corruptis, tandem ei despondenda conceditur. Quod Haldanus apud Russiam per negotiatores expertus, tanto studio navigationi incubuit, ut nuptiarum tempus adventu præcurreret. Quarum prima die regiam petiturus præcepit, ne comites prius à constitutis sibi moverentur excubiis, quàm ferri stridorem eminus aure perciperent. Cumq; convivis parum cognitus coram virgine constitisset, ne vulgaris eloquii nuditate pluribus intellecta depromeret, in hunc modum abstrusâ carmen ambage compegit:

Patris sceptra relinquens:
Nil figmenta verebar
Commenti muliebris,
Astus fœmineive:
Unum quando duosq;
Tres ac quatuor, & mox
Quinos, indeq; senos,
Post septem, simul octo,
Undenos quoq; solus
Victor Marte subegi.
Sed ne tunc fore rebar
Probri labe notandus,
Promissi levitate,
Pactis illicibusq;

Ad hæc Guritha,

Fragili moderamine rerum
Animus mihi pendulus hæsit
Trepida levitate pererrans:
Tua fama volatilis, anceps,
Variisq; relatibus acta,
Dubium mihi pectus inussit.
Teneri tibi temporis annos
Gladio periisse verebar.
Poteramne resistere sola
Senioribus atq; magistris
Prohibentibus ista negari,
Thalamoq; monentibus uti?
Manet & Venus, & calor idem
Socius tibi, parq; futurus:
Nec ab ordine sponsio cessit
Aditus habitura fideles.

Neq; enim ulla adhuc te fefellit promissio, quanquam sola multiplicis suadelæ consilia detrectare non possem, & in jugalis copulæ receptione monitis obviare censoriis: Nec dum responsum virgo complebat, & jam sponsum Haldanus ferro transverberat. Nec unum oppressisse contentus, maximam convivarum partem obtruncat. In quem qvùm Saxones cessim ebrietate labantes irruerent, à supervenientibus ejus vernaculis trucidantur. His gestis Gurithâ potitur. Quam qvum sterilitatis vitio obnoxiam animadverteret, maximamq; prolis creandæ cupidinem haberet, conciliandæ ei fœcunditatis gratiâ Upsalam petit; responsoq; monitus, suscitandæ sobolis causâ, fraternis primum manibus parentare, postquam oraculo paruit, optatæ rei solatium impetravit. Siquidem filium ex Guritha suscepit, cui Haraldo vocabulum aptavit. Cujus titulo Danorum regnum principum injuriis laceratum ad pristinum dominationis habitum revocare conatus, dum bello apud Sialandiam gesto, Wesetum præcipuæ opinionis athletam in acie oppugnat, occiditur. Quo viso Guritha, qvum prælio ob filii charitatem sub viri habitu interesset, eundem fugientibus sociis cupidius dimicantem ad propinqvum nemus humeris deportandum curavit. A cujus insectatu plurimum hostes lassitudo prohibuit: quorum aliquis dependentis pygam sagittâ confixit. Igitur Haraldus plus ruboris sibi, quàm opis maternâ curâ allatum existimavit.

HARALDVS HYLDETAND

Qui quum eximiæ formæ, præcipuæq; magnitudinis eſſet, coævisq; robore & ſtaturâ præſtaret, tantam Othini, cujus oraculo editus videbatur, indulgentiam expertus fuerat, ut integritatis ejus habitus ferro quaſſari non poſſet. Quo evenit ut vulnifica aliis tela ad læſionem ei infligendam inhabilia redderentur. Nec præmii inops beneficium fuit. Animas quippe ei, quas ferro corporibus ejeciſſet, pollicitus proditur. Idem in monimentum patris, ejus res geſtas apud Blekingiam rupi, cujus memini, per artifices mandare curæ habuit. Poſt hæc quum Weſetum apud Scaniam nuptias acturum audiret, easq; ſub egentis ſpecie petiviſſet, finito noctium convivio, omnibusq; mero ac ſomno ſopitis, nuptialem thalamum trabe pertudit. Cujus buccam Weſetus ita abſq; vulneris inflictione fuſte quaſſavit, ut binis eam dentibus vacuefaceret. Quorum jacturam poſtmodum inſperata molarium eruptio ſarciebat. Hic eventus Hyldetand ei cognomen impoſuit: quod eum quidam ob eminentem dentium ordinem aſſecutum affirmant. Illic occiſo Weſeto Scaniæ dominium adipiſcitur. Inde Hatherum apud Jutiam oppugnatum extinxit. Cujus occaſum perpes oppidi vocabulum indicat. Poſt hæc Hundingo Røricoq; proſtratis, Lethram occupat, diſtractumq; Daniæ regnum in priſtinum corpus reformat. Deinde Wicarorum regem Aſmundum, à ſorore natu majore, regno ſpoliatum comperiens, pendente bello, tanta fœminæ petulantiâ concitatus, ſolâ nave Norvagiam Aſmundo opem laturus accedit. Commiſſo prælio purpureâ amictus lacernâ, mitrâq; auro variatâ capillitium redimitus, in hoſtem progreditur: ita armorum loco tacitâ fortunæ conſcientiâ fretus, ut convivali potiùs, quàm bellico cultu inſtructus videretur. Sed nec apparatui ingenium reſpondit. Inermis ſiquidem ac regiis duntaxat inſignibus ornatus, cœtus anteibat armigeros, expeditámq; pugnandi copiam ferventioribus belli periculis objectabat. Directa namq; in eum ſpicula, ac ſi retuſi acuminis eſſent, nocuo caſſabantur effectu. Cúmq; cæteri præliantis inermitatem adverterent, impreſſione factâ, ad eum acrius impetendum pudore coguntur. Quos Haraldus corpore integer, aut ferro conſumpſit, aut fugam arripere coëgit: ſicq; regnum Aſmundo, proſtratâ ejus ſorore, reſtituit. A quo oblatis ſibi victoriæ præmiis, ſolam gloriæ mercedem ſufficere dixit, tantumq; ſe in repudiandis muneribus geſſit, quantum egerat in promerendis. Quo facto non minorem omnibus continentiæ ſuæ, quàm fortitudinis admirationem incuſſit, claritatem ſe, non pecuniam ex victoria percepturum teſtatus.

Interea Rex Sveonum Alverus decedit, Olavo, Ingone, & Ingeldo filiis relictis: quorum Ingo paternæ hæreditatis titulis non contentus, proferendi imperii gratia Danis bellum denunciat. Cujus eventum Haraldo oraculis explorare cupienti, ſenex præcipuæ magnitudinis, ſed orbus oculo obvius extitit, qui hiſpido etiam amiculo circumactus Othinum ſe dici, bellorúmq; uſu callere teſtatus, utiliſſimum ei centuriandi in acie exercitus documentum porrexit. Juſſit igitur ut terreſtribus bellum copiis editurus, univerſam aciem in tres turmas divideret, quarum unamquamque vicenarii ratione denſaret, mediam verò viginti virorum numero reliquis porrectiorem extenderet; quam etiam in coni ſive pyramidis acumen digerens, alarum receſſus utrinq; ſecus diſcretis ambagibus obliquaret. Cujuslibet verò turmæ ſeriem hac ratione contexeret, ut à duobus frons inchoans, conſequentibus locis unitatis duntaxat incrementa reciperet: & quidem in ſecundâ lineâ tres, in tertia quatuor, eodémq; modo poſterius ordinandos, habita congreſſione ſtatueret: ſicq; conſequentes gradus idem proportionis tenor inſtrueret, donec conjunctionis extremitas alas æquaret: cornu verò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Poſt has item turmas inſtructam jaculis juventutem admittat; à cujus tergo

grandæ

HARALDUS HYLDETAND

grandævorum cohortem adhibeat, quæ labantes sociorum vires veteranâ quadam virtute firmaret. Deinde funditorum alas gnarus locorum supputator annecteret, qui post sodalium agmina consistentes, eminus hostem tormentis incesserent. Post quos cujuslibet ætatis aut ordinis homines absque conditionis æstimatione passim adscisceret. Cæterum postremam aciem ternis, ad instar primæ, cornibus interstinctam, similiq; graduum proportione digestam explicaret. Cujus tergum superiori conjunctum agmini, ipsum aversæ frontis obstaculo tueretur. At si navale fortè prælium incidisset, partem classis secerneret, quæ eo propositos inchoante conflictus, multivolâ rates hosticas reflexione circumdaret. His disciplinæ militaris rationibus instructus, Ingonem, Olavumq; bellum parantes, anticipatis apud Svetiam rebus, oppressit. Quorum fratri Ingeldo sub adversæ valetudinis simulatione belli inducias per legatos poscenti postulata concessit, ne virtus, quæ mœstis rebus parcere didicisset, humilis ac jacentis fortunæ temporibus insultaret. A quo postmodum raptæ sororis injuriâ lacessitus, quùm diu bellis eum, ancipiti victoriâ, fatigasset, in amicitiam adscivit, sociumq; quàm hostem habere satius duxit.

Post hæc qvum inter Olavum Throndorum regem, virginesq; Sticlam & Rusilam, ob regnum bello decertandum audiret, fœmineâ admodum præsumptione permotus, clam arbitris eum accessit, cultuq;, quo dentium prolixitatem obnuberet, sumpto, pugnam virginibus intulit. Quarum utraq; prostratâ binis portubus affine earum vocabulis nomen reliquit. Tum verò conspectissimum virtutis argumentum exhibuit. Quippe sub armali tantum subuculâ fretus, inermem telis thoracem opposuit. Igitur Olavo victoriæ sibi præmium offerente, beneficium repudiavit, sicq; fortitudinis an continentiæ majus specimen dederit, incertum reliquit. Deinde Fresicæ gentis athletam Ubbonem nomine, Jutiæ fines crebrâ popularium strage vastantem adortus, qvum armis subdere non posset, milites ad eum manibus capiendum hortatus, humi prostravit, victumq; compedibus tradidit. Ita quem paulò ante gravissimam sibi cladem allaturum putavit, deformi expugnationis genere superatum obtinuit. Quem, sorore ei in matrimonium datâ, militem nactus, finitimos Rheno populos tributo submisit, militemq; ex ejus gentis fortissimis legit. Quo fretus, bello Sclaviam pressit, ejusq; duces Duc & Dal ob virtutem capi potius quàm occîdi curavit. Quibus in commilitium receptis, Aquitaniam armis perdomuit, moxq; Britanniam petens, Humbrorum rege prostrato, promptissimos quosq; devictæ juventutis adscivit. Quorum præcipuus Orm cognomento Britannicus habebatur. Hac rerum famâ athletas è variis orbis partibus accersitos in mercenariam manum redegit. Quorum frequentiâ auctus, adeò regnorum omnium motus nominis sui terrore cohibuit, ut eorum rectoribus mutuum conferendæ manus ausum excuteret. Sed nec quisquam maris dominationem absque ejus nutu usurpare præsumpsit. Quippe quondam in Danorum Republica dividuum terræ & pelagi imperium fuit.

Interea apud Svetiam moritur Ingeldus, Ringone, quem ex Haraldi sorore sustulerat, parvulo admodum filio relicto: quem Haraldus paterno regno, datis ei tutoribus, præfecit. Ita provinciis principibúsq; perdomitis, quinquaginta annos in otio habuit. Quorum quiete ne militum animos in desidiam resolvi pateretur, assiduè eis cavendi inferendiq; ictus rationem à gladiatoribus perdiscendam constituit. Quorum quidam insigni dimicationis arte callentes, adversæ frontis supercilium infallibili ictu ferire solebant. Quo si quis recepto, versilitate palpebræ timidius conniveret, mox aulâ ejectus stipendiis defungebatur.

Hisdem temporibus Olonem, Sivardi filium, Haraldi sorore editum,

HARALDUS HYLDETAND

in Daniam è Norvagiæ finibus conſpiciendi avunculi cupido perduxit. Quem quia primum in Haraldi clientela habitum, poſt bellum verò Sveticum Danicarum rerum imperio potitum conſtat, propoſito paulisper attinet, quæ de ejus operibus memoriæ ſunt prodita, recenſere. Igitur Olo tertium ætatis luſtrum apud patrem emenſus, quantum animi corporisq; dotibus inclaruerit, incredibile reddidit. Præterea adeò viſu efferus erat, ut quod alii armis, ipſe oculis in hoſtem ageret, ac fortiſſimum quemq; vibrante luminum acritate terreret. Cui qvum nuncio delatum eſſet Gunnonem Thelemarchiæ ducem, cum filio Grimone, nemus Ethaſcoug, quod & fruticibus prædenſum, & vallibus quàm maximè opacum erat, per latrocinium obſidere, facinoris indignatione commotus, cum cane & equo parabilem à patre armaturam depoſcit, juventam damnans, quæ debitum virtuti tempus inertiâ dilabi pateretur. Quibus impetratis, prædictam ſylvam arctiſſimè ſpeculatus, hominis veſtigia nivi altius impreſſa cognoſcit. Quippe latronis inceſſum pruina greſſu violata prodiderat. Qua duce uſus, ſuperato montis clivo, præcipuæ granditatis amnem offendit. Quo priſtinam humani veſtigii ſpeciem auferente, trajectu utendum conſtituit. Verum ipſa aquæ moles rapidiore lapſu præcipites agens undas, difficultate tranſitum negare videbatur. Siquidem occultis cautibus frequens omnem alvei tractum ſpumeo quodam volumine turbidabat. Sed ex animo Olonis periculi metum feſtinationis cupido detraxerat. Igitur ubi domitus virtute timor, contemtumq; temeritate periculum, nihil quod animo libitum foret, actu difficile ratus, ſtridulos equo vortices ſuperavit. Quos emenſus in anguſtias paludibus undiq; ſecus ambitas incidit. Quarum interna facilè peti præjecti aggeris obſtaculum non ſinebat. Trans quem levato equo, frequens ſtabulis repagulum animadvertit. Unde egeſto equorum grege, ſuum inducere cupiens, à Tokone quodam, (ſervus hic Gunnonis erat) adeò advenam inſoleviſſe dolente, acrius impetitus, oppugnantem ſolo clypei fruſtrabatur objectu. Quem ferro opprimere deforme exiſtimans, apprehenſum, artuatimq; confractum, tecto, quo præceps exceſſerat, tranſuerſum injecit. Qua ignomina Gunno ac Grimo ocyus incitati, diverſis elapſi poſticis pariter in Olonem cum contemptu ætatis ejus ac virium ruunt. A quo lethaliter vulnerati, quum corporis admodum viribus deficerentur, Grimo ſupremi vix ſpiritus potens, ac toto penè vigore defunctus, carmen hoc, extremo vocis ſingultu, contexuit:

Simus nempe licet corpore debiles,
Elapſusq; cruor robur obhauſerit;
Qvum nunc elicitus vulnere ſpiritus
Vix ſenſim lacero pectore palpitet;
Diſcrimen, moneo, temporis ultimi,
Per nos intrepidis clareat auſibus;
Ne conflictum aliquis fortiùs editum,
Pugnatúmve magis dixerit uſpiam.
Et certamen atrox arma gerentibus
Qvum per buſta caro feſſa quieverit,
Famæ conciliet præmia perpetis.
Prima hoſtis ſcapulas ſectio comprimat,
Et ferrum geminas abripiat manus,
Ut qvum nos Stygius Pluto receperit,
Olonem quoq; par exitus occupet,
Et commune tribus funus inhorreat,
Una trium cineres urnaq; contegat.

Hactenus Grimo. Cujus invictum pater ſpiritum æmulatus, ut fortiſſimam filii vocem mutuâ adhortatione proſequeretur, ſic cœpit:

Qvanquam defectis ad ſummum ſanguine venis,
Extet in occiduo corpore vita brevis;

Taliter extremæ vigeat contentio pugnæ,
Ut laudem nostri non sinat esse brevem.
Ergo humeros hostis & brachia framea primum
Impetat, ut manuum debilitetur opus.
Sic commune tribus dabitur post fata sepulcrum,
Et socios cineres par tribus urna teget.

HARALDVS HYLDETAND

His dictis ambo genibus nixi, (nam fati propinquitas vires hauserat,) comminùs cum Olone confligere summoperè niti, ut perituri morte hostem æquare possent, floccipendere fatum, dummodo eum à quo occidebantur, socio amplecterentur occasu. E quibus Olo, alterum ferro, alterum cane consumpsit. Sed ne ipse quidem incruentam gessit victoriam, qvum hactenus integer, tum demum adverso vulnus corpore suscepisset. Qui sedulo cane perlinctus, recuperatâ corporis firmitate, mox ad vulgandam victoriæ suæ fidem, ipsa latronum cadavera patibulis ingesta latius inspectanda constituit. Cæterùm castro potitus quicquid inibi prædæ reperit, clandestinæ custodiæ traditum futuris usibus asservavit.

Ea tempestate Scati & Hiali fratrum insolens luxus eò petulantiæ prorepsit, ut excellentis formæ virgines parentibus ereptas concubitu violarent. Quo evenit, ut Esam quoq; Olavi Wermorum reguli filiam raptui destinantes patri mandarent, si illam externæ libidini famulari nollet, per se, aliúmve quempiam pro tuenda prole decerneret. Quod qvum Olo nuncio comperisset, oblata pugnæ facultate gavisus, Olavi penates agrestium cultum mutuatus accedit. Ubi qvum inter extremos discubitu frueretur, mœrentem regis familiam conspicatus, ejus filio de industria propius accersito, quid ita cæteri luctuosa facie essent, inquirit. Quo sororis suæ pudicitiam, nî cujuspiam defensio ocyùs intercederet, proximè per acerrimos pugiles profanandam dicente, percontatur rursum, quid præmii recepturus foret, qui salutem suam pro virgine devoveret. Super quo Olavus per filium interrogatus, filiam propugnatori cessuram respondit. Quæ vox præcipuam Oloni subeundi discriminis cupidinem attulit. Consveverat autem virgo hospitum vultus propius accedendo quàm curiosissimè prælato lumine contemplari, quo certius susceptorum mores cultumq; perspiceret. Eandem quoq; creditum ex notis atq; lineamentis oris conspectorum perpendisse prosapiam, solâq; visus sagacitate cujuslibet sanguinis habitum discrevisse. Quæ qvum Olonem scrutabundis aggressa luminibus constitisset, inusitato oculorum ejus horrore perstricta, penè exanimis concidit. At ubi sensim redditus vigor, spiritusq; liberius meare cœperat, rursùm juvenem conspicari conata, lapso repente corpore, ceu mente capta, procubuit. Tertio quoq; dum clausam dejectamq; aciem attollere nititur, non modò oculorum motu, certè etiam pedum regimine defecta, subito lapsu decidit. Adeo vigorem stupor hebetat. Quo viso Olavus, cur toties casum corpore præbuisset, interrogat. Quâ se truculento hospitis visu perculsam testante, eundemq; & regibus ortum, & si raptorum vota refelleret, suis perquàm dignum amplexibus asserente, rogatur à cunctis Olo, (nam os pileo obnuptum habebat,) discusso velamine cognoscendi capitis notas præbere. Tum ille cunctis mœrorem deponere, animumq; procul à dolore habere jussis, detecta fronte, avidius omnium in se oculos eximiæ pulchritudinis admiratione deflexit. Flava quippe cæsarie, nitentiq; capillitio erat. Cæterùm pupillas, ne visentibus formidini forent, palpebris arctius obstringendas curabat. Crederes repentè animis spe meliorum erectis tripudiare convivas, dissultare aulicos, summamq; ægritudinem effusâ mentem hilaritate convelli. Igitur spe metum levante altera convivii facies, nec unquam initio par aut persimile fuit. Ita benignum unius hospitis promissum, communem omnium formidinem propulsabat. Inter hæc Hiallus & Scatus cum decem vernaculis supervenientes, tanquam puellam ilico sublaturi, tumultuoso cuncta clamore miscebant, Regem, nî filiam in expedito sisteret, evocantes in pugnam. Quorum

HARALDUS HYLDETAND

rum debacchationem protinus Olo ſponſione certaminis excipit, conditione adjectâ, ne quis furtim tergum dimicantis inceſſeret, ſed adverſis tantum pugna congreſſibus ſtaret. Deinde gladio, Løgthi dicto, ſolus, duodecim proſtratis, majus adoleſcente opus edidit. Cæterum pugnæ locum inſula dabat ſtagni medium tenens, unde non longè vicus abeſt, qui cladis hujuſcemodi monimentum Hialli & Scati fratrum vocabula conjunctim referens, præbet.

Igitur puellâ ſibi in præmium victoriæ datâ, qvum filium ex ea ſuſtuliſſet Omundum, repetendi patris licentiam à ſocero nactus, poſtquam patriam à Thorone regulo per Toſtonem Victimarium, & Leotarum Monſter cognomine præditum, oppugnari cognovit, ad conſerendam cum eis manum ſolo ſatellite muliebriter culto contentus, perrexit. Cumq́; non longe Thoronis ædibus abeſſet, ſuum comitisq́; ferrum cavatis baculis condendum curavit. At ubi regiam ſubiit, verum oris habitum adulterinâ ſpecie ſupprimens, obtritum annis hominem ſimulabat. Apud Syvardum verò ſe Egentium Regem fuiſſe, filiiq́; ejus Olonis odio pertinacius actum exulare dicebat. Quem mox aulicorum pleriq; Regis nomine conſalutantes, genibus nixi manus ei per ludibrium offerre cœperunt. Quibus ille, quod joco geſſerant, ratum habere juſſis, ferro, quod baculis incluſum geſtabant, erepto, Regem invadit. Itaq; pars Olonem juvare, jocum pro ſerio ducere, nec fidem per ludibrium præſtitam violare: complures voti vanitate reſciſsâ, à Thoronis partibus ſtare. Igitur anceps, inteſtinumq́; prælium oritur. Deniq; Thorone non minus ſuorum quàm hoſpitis armis oppreſſo, Leotarus lethaliter ſaucius victorem Olonem tam ingenio vividum, quàm acrem operibus judicans, Vegeti cognomento donavit: eundem fraudis exemplo, quâ circa Thoronem uſus fuerat, periturum vaticinans: indubitanter quippe domeſticis occaſurum inſidiis. Et cum dicto repente exanimatus eſt. Itaq; ſuprema morientis vox futurum victoris exitum augurii ſagacitate complexa dignoſcitur. His geſtis Olo non prius ſe patri reſtituit, quàm pacem ejus penatibus reportavit. A quo receptâ pelagi dominatione, ſeptuaginta maritimos reges nauticarum virium certamine conſumpſit: Inter quos Birvillus & Huiruillus, Thorvillus quoq;, Nef & Onef, Reduarthus, Randus atq; Erandus præcipui noſcebantur. Cujus rei fama ac titulo pugiles, quorum omne fortitudine ſtudium inhiabat, accenſos, ad firmandam ſecum ſocietatem frequentes adduxit. Quinetiam effrenati ingenii juvenes claritatis cupidine concitatos ſtipatores adſcivit. Inter quos Starcatherum ſummâ dignatione ſuſceptum familiarius, quàm utilius colebat. His viribus inſtructus ita finitimorum Regum petulantiam opinionis ſuæ magnitudine caſtigavit, ut iiſdem gerendorum invicem bellorum curam audaciamq́; detraheret.

Poſt hæc ad Haraldum profectus, ab ipſoq́; maritimâ prælatione donatus, tandem Ringoni in commilitium delegatur. Eodem tempore Bruno quidam omnium Haraldi conſiliorum unicè particeps ac conſcius habebatur. Huic ipſe & Ringo, quoties ſecretiore nuncio opus habebant, mandata credere conſveverant. Quem familiaritatis gradum educationis & crepundiorum conſortione adeptus fuerat. Quo fluminis cujuſdam aquis inter aſſiduos profectionum labores abſumpto, Othinus ejus nomine & habitu ſubornatus, inſidioſæ legationis curâ arctiſſimam regum concordiam labefactavit, tantaq́; inimicitias ſerentis fallacia fuit, ut amicitiâ ac neceſſitudine vinctis mutuum odii rigorem ingeneraret, quod abſq; bello ſatiari non poſſe videretur. Primum apud eos tacita adolevére diſſidia, donec vulgatis utrinq; ſtudiis arcanus in publicum livor erumperet. Denunciatis itaq; inimicitiis, colligendis belli inſtrumentis ſeptem anni ceſsêre. Sunt qui Haraldum non livoris impulſu, aut regni æmulatione, ſed induſtrio

quodam ſpontaneoq; conatu clandeſtinas exitii cauſas quæſiviſſe teſtantur. Qvum enim ob ſenectam ſeveritatemq́; civibus etiam onuſtus exiſteret, ferrum morbi cruciatibus anteponens, ſpiritum in acie quàm lectulo deponere præoptavit, conſentaneum præteritæ vitæ operibus exitum habiturus. Itaq; quò mortem ſuam clariorem efficeret, inferosq́; comitatior peteret, complures fati conſortes adſciſcere geſtiebat, futuræ cladis materiam ultroneâ belli inſtructione molitus. His ergo de cauſis tam propriæ, quàm alienæ necis aviditate correptus, ut par utrobiq; ſtrages incideret, pares utrinq; copias inſtauravit, aliquanto fortius Ringoni robur applicans, quem victorem ſupereſſe maluerat. *HARALDVS HYLDETAND*

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SEPTIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER OCTAVUS.



ISTORIAM belli Svetici Starcatherus, qui & ejuſdem prælii præcipuum columen erat, primus Danico digeſſit eloquio, memoriæ magis quàm literis traditam. Cujus ſeriem ab ipſo pro more patrio vulgariter editam digeſtamq;, Latialiter complecti ſtatuens, inprimis præſtantiſſimos utriuſq; partis proceres recenſebo. Neq; enim mihi multitudinem complectendi cupido inceſſit, quam ne præcisè quidem numerus capit. Et priùs eos, qui ab Haraldi partibus ſteterant, mox qui ſub Ringonis ſtipendiis egerant, ſtilo retexam.

Igitur ex ducibus, qui ad Haraldum coierant, clariſſimi noſcitantur Sven, ac Sambar, Ambar, & Elli, Rati Fionicus, Salgarthus, & Roë, quem barbæ prolixitas cognomento inſignem effecit. His accedunt Scalk Scanicus, & Alf Aggi filius. Quibus junguntur Olvir latus, & Gnepia vetulus. His annumeratur Gardhſtang oppidi cultor. Cui adjiciuntur neceſſarii Haraldi, Blend ultimæ Thyles incola, ac Brand, Micæ cognomen habens. Hiſdem ſociantur Thorny cum Thorvingo, Tatar atq; Hialto. Qui quidem navigio Lethram advecti inſtructis ad bella corporibus, ingenii quoq; virtute pollebant, proceritatis habitum animorum exercitiis æmulantes. Quippe ſpicula arcuum baliſtarumq́; tormentis excutere, ac plerumq; viritim cum hoſte decernere, Poëſes quoq; patrio ſermone contexere promptiſſimè calluerunt. Adeò animum cum corpore impensâ exercitatione coluerant. E Lethris autem prodiére Hortar, Borrhyq;: præthereà Belgi cum Begatho. Quibus adjecti ſunt Bari ac Toli. At Sle oppido, cum Hacone genam ſciſſo, ſub Hetha Wiſnaq; ducibus, Tummi velificator exceſſerat. Quarum muliebri corpori natura virilem animum erogavit. Webiorgam quoq; eodem ſpiritu præditam, Bo Brami filius, & Brat Jutus, belligerandi cupidine proſeqvuntur. His agglomerantur Orm Anglicus, Ubbo Freſicus, Ary altero caſſus lumine, Alf & Goter. Poſt quos Dal corpulentus, & Duc Sclavicus recenſentur. Wiſnam verò imbutam rigore fœminam, reiq; militaris apprimè peritam Sclava ſtipaverat manus. Cujus præcipui Barri ac Gnizli ſatellites agnoſcuntur. Cæteri verò ex eâdem cohorte corpus clypeolis tecti, prælongis enſibus, aëriiq; coloris parmulis utebantur. Quas belli tempore aut in tergum repellentes, aut impedimentorum gerulis dantes, abjectis pectorum munimentis, expoſitisque ad diſcrimen omne corporibus, diſtrictis Martem mucronibus intenderunt. E quibus Tolcar atq; Ymi

HARALDVS HYLDETAND

Ymi præcipui clauére. Post quos Toki Jumensi provincia ortus cum Otrito, cui agnomen Juvenis erat, illustris agnoscitur. At Hetha promptissimis stipata comitibus, armatam bello centuriam afferebat. Cujus primi fuére Grimar ac Grenzli: post hos Ger, Livicus, Hama quoq; & Hunger, Humbli, Biariq;, Regum fortissimi, memorantur. Hi persepè duellis feliciter gestis insignes latè victorias edidêre. Itaq; memoratæ virgines non modò comiter, sed etiam pugnaciter cultæ, terrestres in aciem copias ductavére. Igitur centuriatim Danicus confluxit exercitus. Septem Reges pari ingenio, sed dispari voto, alii Haraldo, pars Ringoni præsidio fuerunt. Præterea in partem Haraldi concesserant, Hømi & Høsa, Thulhim, Hastinusq; & Hythin gracilis, Dahar quoq; cognomento Grenski. Sed & Haraldus Olavo genitus patre. Ex Hatica verò provincia Har atq; Herlevuar cum Hothbroddo, cui Effreni cognomen erat, Danicis militavére castris. At ex Imica regione Humnehy, & Haraldus adveniunt. Quibus applicantur à septentrione profecti Haki, Bemonisq; filii Sygmundus & Serker. Horum omnium clientelam Rex liberali familiaritate coluerat. Nam primis apud ipsum honoribus habiti, cultos auro gladios, opimaq; bellorum præmia perceperunt. Advenerant & editi Gandal sene, quos Haraldi familiares clientela vetus effecerat. Igitur frequens Danica classe pelagus Sialandiam Scaniæ veluti intersito ponte committere videbatur. Quas quidem provincias intermeare cupientibus confertissimo navium globo pedestre compendium exhibebat Sed ne improvidis bellum Sveonibus pararetur, mittuntur ab Haraldo, qui Ringoni palàm inimicitiarum mandata perferrent, ipsamq; sequestræ pacis diruptionem vulgarent. Hisdem pugnæ locum præstituere jussum. Igitur qui Haraldo militaverant, hi fuére, quos edidi.

At ex parte Ringonis computantur Ulf, Abgi, Windas, Eyl luscus, Gotar, Hildi, Guti Alf patre genitus, Stur robustus, Sten, Wienicæ paludis accola. Applicantur hisdem Gerth alacer, Gromer Wermicus. Post quos septentrionalis Albiæ finitimi supputantur: Saxo, Fletir, & Saligothus, Thord nutabundus. Throndar nasutus, Grundi, Othi, Grinder, Tovi, Coll, Brachi, Hogni ingeniosus, Rokar fuscus. Hi siquidem multitudinis collegium aspernati, in unam se aciem à cætera cohorte secreverant. Præter hos Rani, cui Hyld pater erat, & Lyuthguthi, Sveno quoq; supernè tonsus, Rethyr accipiter, & Rolf uxorius numerantur. Quibus conglobantur Ring Athylæ filius, Haraldusq; Thothni editus vico. His annectuntur Walsten Wicensis, Thorulf spissus, Thengil procerus, Hunsolvve, Birvvil pallidus, Burgar, & Scumbar. At è Thelemarchia fortissimi venerant, quibus animi plurimum, fastus minimum erat; Thorlevar pertinax, Torkill Guticus, Gretir iniquus irruptionumq; avidus. His succedunt Haddir durus, & Roldar articulus. E Norvagia verò memorantur Thronder, Thrønski, Thoki Moricus, Rafn, candidus, Hasvvar, Biarni, Blihar cognomento Simus, Biorn è vico Soghni, Findar maritimo genitus sinu, Bersi quoq; apud Falu oppidum creatus, Syvardus veris caput, Ericus fibulator, Alsten, Harki, Ruthar, Ravui, Erlingar, cui Colubra cognomentum erat. At è Yathrica provincia prodiére Od Anglus, Alf multivagus, Enar protuberans, Yvvarusq; cognominatus Thruvvar. A Thyle autem venére Mar Ruffus, eo videlicet pago, qui Mithfrithi dicitur, ortus educatusq;, Grombar annosus, Gram Brundelucus, Grim ex oppido Skierum, apud Scaha Fyrchi quidem provinciam satus. Deinde Berhgar vates advertitur, cui Brahi, & Rankil comites adhibentur. At Sveonum fortissimi hi fuere: Ar, Backi, Keclu, Karll, Croc agrestis, Guthfast, Gummi è Gyslamarchia. Qui quidem Frø dei necessarii erant, & fidissimi numinum arbitri. Ingi quoq; & Oly, Alvver, Folki patre Elrico nati, Ringonis militiam amplectuntur, viri quidem manu prompti, consilio vegeti, proximâq; Ringonem familiaritate complexi. Iidem quoq; ad Frø deum generis sui principium

HARALDUS HYLDETAND

cipium referebant. Inter quos & Simundus aderat ex Sigtün oppido, forenſis quidem athletha, emptionumque ac venditionum contractibus aſſuetus. Huic additur Frosty cognomento Crucibulum. Cui ſociatur Alf elatus, è vico Upſala. Idem & jaculari promptus & in acie præire ſolitus erat. At Olonem ſeptem Reges manu conſilioque promptiſſimi ſtipavêre; Holty videlicet & Hendill, Hoimar, Levy, & Hama. Quibus Regnaldus Ruthenus, Rathbarthi nepos aſcribitur. Præterea Syvaldus, undecim ſalum paronibus ſulcat. Lefy Pannoniorum victor bracteatam auro Liburnam linteo excipit. Thririkar verò inſtar draconis tortuoſas habente proras navigio vehebatur. Thrygir quoq; & Torvvil diviſim navigantes duodenas ductavêre puppes. Cæterùm in tota Ringonis claſſe navium duo millia quingentæ repertæ ſunt. Guttonica verò claſſis in portú, cui Garnum nomen, Sveticam opperiebatur. Itaque Ringo terrenum ductabat agmen. At Oloni navalibus præeſſe copiis imperatum. Igitur Gothis obviam Svecis veniendi inter Wic & Werendiam locus cum tempore denunciatur. Cernere tum erat latè proris exaratum mare, proſpectumque pelagi explicata malis carbaſa præſtruebant. Et jam claſſis Svetica proſperâ navigatione uſa, Danis adhuc adverſo laborantibus cœlo, maturius belli locum petiverat. Ubi Ringo expoſitas claſſe copias, ſimulque quas ipſe terreno ductarat itinere, gregatim in aciem dirigere parat. Quæ ubi campis laxius explicari cœperant, cornu alterum in Werendiam extrahi compertum eſt. Quam multitudinem Rex locis ordinibusque confuſam equo circuiens, in fronte promptiſſimos quoſque & præſtantiori armatura cultos ſub Olone, Regnaldo, Wivilloque ducibus collocat. Deinde veluti flexu quodam in duo cornua reliquam aciem cogit. E quibus dextrum Ungonem cum Elrici filiis, Trigonemq; tueri jubet. At lævum Læſoni parêre juſſum. Cæterum alas globosq; maxime Curetum Eſtonumq; conſertior turma texuerat. Ultima funditorum acies ſtabat.

Interea claſſis Danica ventorum indulgentiâ aſpirante, ſeptem dierum continuam navigationem emenſa, Calmarnam oppidum ſubiit. Mirarêris latè ventis velificatum mare, cœlumq; ex oculis intenta antennis lintea eripiebant. Nam Sclavi ac Livi, Saxonumq; ſeptem millia claſſem auxerant. At per ſolidum proficiſcentibus Scanienſes, quòd locorum periti eſſent, duces ac prævii deſtinantur. Igitur ubi præſtolantibus Svecis, Danicus ſupervenit exercitus, Ringo ſuis, quo adusq; Haraldus aciem centuriaſſet, patienter conſidere juſſis, non antè ſigna canere præcepit, quàm Regem propter aquilas curru compoſitum aſpexiſſent, præfatus ſperare ſe facile collabi aciem poſſe, quæ cæci ductamine niteretur. Præterea Haraldum ſupremo ætatis tempore alieni imperii cupiditate correptum, non minus mente captum, quàm luminibus fore: nec opibus exſatiari poſſe, qui ſi annos reſpiciat, tumulo penè contentus eſſe debeat. Svecis itaq; pro libertate, pro patria ac liberis dimicandi neceſſitatem incumbere: hoſtem temeritate atq; inſolentiâ ſuſcepiſſe bellum. Præterea ex parte adverſa perpaucos Danos eſſe, Saxones complures, aliasq; effœminatas gentes in acie ſtare. Ob quod cogitare debere Sveones Noricosq;, quantum Germanos ac Sclavos Septentrionalis ſemper turba præſtiterit. Spernendam ergo aciem fore, quæ potius lubricâ hominum colluvione, quàm ſolido militum robore contexta videatur. Nec parum eâ oratione militum animos accendebat. At Bruno Haraldi loco aciem ſtatuere juſſus, cuneo frontem molitur, Hetham verò in dextero latere locat, Haconem lævo præficit, Wiſnam aquiliferam facit. Igitur Haraldus curru eminens quàm potuit celſâ voce beneficia ſua injuriis à Ringone rependi queritur. Ab illo ſibi bellum inferri, qui regnum ſuo munere adeptus fuerit. Ita Ringonem nec ſenis miſereri, nec avunculo parcere, proprioſq; motus cunctæ neceſſitudinis aut beneficentiæ reſpectui præferre. Jubet itaq; meminiſſe Danos, ut exteris ſemper victoriis inclaruerint, ut finitimis imperare potius quàm obſequi conſueverint;

HARALDUS HYLDETAND

hortaturq;, ne tantæ gloriæ decus devictæ gentis insolentiâ labefactari sustineant, nec imperium, quod sibi juventâ florenti pepererant, senectute confecto demi permittant.

Deinde canentibus lituis summâ utrinque vi conseritur bellum. Crederes repentè terris ingruere cœlum, sylvas camposque subsidere, misceri omnia, antiquum rediisse chaos, divina pariter & humana tumultuosâ tempestate confundi, cunctaque simul in perniciem trahi. Nam ubi ad teli jactum perventum, intolerabilis armorum stridor incredibili cuncta fragore complevit. Vapor vulnerum repentinam cœlo nebulam intendebat, dies effusâ telorum grandine tegebatur. Nec parum in acie funditorum opera valuit. At ubi pila manu aut tormentis excussa, comminus gladiis ferratisq; clavis decernitur. Tum verò plurimum sanguinis periclitatum est. Igitur fessis manare sudor corporibus cœpit, mucronumq; crepitacula eminus exaudiebantur. Illic Starcatherus, qui belli hujus seriem sermone patrio primus edidit, prior in acie dimicans, Haraldi proceres Hun & Elli, Hort, ac Burgha à se prostratos, abscissamque Wisnæ dexteram commemorat. Cæterùm Roâ quendam cum duobus aliis Gnepia & Garthar à se in acie vulneratos occubuisse declarat. Hisdem Scalki patrem tacito nomine applicat. Idem fortissimum Danorum Haconem à se in terram prorutum, seque ab eo ita mutuò vulneratum testatur, ut exertum thorace pulmonem, cervicemque mediotenus scissam, manum quoque uno truncam digito gerens excederet bello, diuque hiscens plaga nec cicatricis capax, nec medelæ habilis videretur. Eodem teste puella Wegthbiorg in hostem dimicans Soth pugilem acie stravit. Eandem athletarum cædibus imminentem Thorkillus Thelemarchiæ ortus, emisso per chordam spiculo trajicit. Tanta enim vi periti arcuum Guttones nervos intenderant, ut clypeos quoq; jaculis transverberarent. Nec alia efficacior cædis extitit causa. Loricas, galeasque, perindè ac inermia corpora, sagittarum acumina penetrabant. Interea Ubbo Fresicus, promptissimus Haraldi miles, ac præ aliis habitu corporis insignis, præter undecim, quos in acie vulneraverat, vigintiquinq; delectorum pugilum interfecit. Ii omnes Sveti sanguine fuere, vel Gothi. Deinde primam aggressus aciem confertissimos hostes insilit, palantesq; metu Sveones hac illac hasta gladioque dispellit. Et jam penè res in fugam cesserat, cum Hagder, Rolder, & Gretir æmulatione virtutis athletam adorti, publicam perniciem privato redimere periculo statuerunt. Verum comminus instare veriti, spiculis procul agendum curabant. Sicq; crebrescentibus jaculis eminus Ubbo confoditur, nemine propius cum ipso manum conserere præsumente. Centum quadraginta quatuor sagittæ prius pectus præliantis obsederant, quàm lapsis corporis viribus solo poplitem daret. Tum demum per Throndos, eosq; qui Dala provinciam colunt, ingens de Danis clades accepta est. Nam summa sagittariorum vi recruduit bellum, nec alia res nostris perniciosior fuit.

At Haraldus cum defectam lumine senectam ageret, triste suorum murmur exaudiens, intellexit superiorem hostibus arrisisse fortunam. Igitur ut erat falcato curru vectus, Brunonem aurigæ per insidias officio fungentem, qualem Ringo in centurianda acie tenorem habuerit, cognoscere jubet. Qui paulum soluto in risum vultu, corniculatâ illum acie præliatum respondit. Quo audito Rex trepidare animo cœpit, ac per summam admirationem percontari, quo Ringo talem ordinandi agminis doctrinam auctore contraxerit, maximè cum Othinus disciplinæ hujus traditor ac repertor extiterit, nec ab ipso quispiam præter se novum hoc rei bellicæ documentum perceperit. Ad quod silente Brunone, subiit Regem Othinum hunc esse, olimq; familiare sibi numen inpræsentiarum dandæ vel subtrahendæ opis gratia versiformi corporis habitu tegi. Cui mox supplicare obnixius cœpit, uti Danis, quibus antè clementer affuerit, supremam quoque victoriam tribuat, complementumque beneficii origini exæquaret: eidem se prostratorum manes muneris loco dedica-

dedicaturum pollicitus. At Bruno nihil obsecrantis precibus motus, repente excussum curru Regem arietavit in terram, ereptamq; cadenti clavam in ipsius caput detorsit, proprioq; eum gestamine interfecit. Jacebant circa currum Regis innumera extinctorum corpora, rotarumq; fastigium congeries funesta vincebat. Temonem quoq; cadaverum cumulus exæquaverat. Nam in acie Ringonis ad duodecim millia proceres exanimati sunt. At ex parte Haraldi, præter popularium stragem, ad triginta millia proceres corruerunt.

HARALDUS HYLDETAND

Cujus Ringo nece cognitâ, dato signo laxare aciem suos, bellumq; remittere jubet. Deinde sequestrâ pace fœdus cum hostibus ferit, frustrâ pugnam absq; duce protrahi monitis. Post hæc Sveonibus passim inter promiscuas cadaverum strues Haraldi corpus exquiri præcepit, nè regium funus debitis fraudaretur inferiis. Igitur revolvendis interfectorum corporibus avida plebs injicere operam cœpit. In hanc curam dimidium diei extractum est. Tandem cum corpore repertâ clavâ, Haraldi manibus parentandum ratus, equum, quem insidebat, regio, applicatum currui, aureisq; subselliis decenter instratum, ejus titulis dedicavit. Inde vota nuncupat, adjicitq; precem, uti Haraldus eo vectore usus, fati consortes ad tartara antecederet, atq; apud præstitem Orci Plutonem sociis hostibusq; placidas expeteret sedes. Deinde rogum extruit, Danis inauratam regis sui puppim in flammæ fomentum conjicere jussis. Cumq; superjectum ignis cadaver absumeret, mœrentes circuire proceres, impensiusq; cunctos hortari cœpit, uti arma, aurum, & quodcunq; opimum esset, liberaliter in nutrimentum rogi, sub tanti taliterq; apud omnes meriti regis veneratione transmitterent. Cineres quoq; perusti corporis urnæ contraditos Lethram perferri, ibiq; cum equo & armis, regio more, funerari præcepit. Tali parentationis curâ justis avunculo persolutis, Danorum sibi favorem conciliavit, odiumq; hostium ad gratiam deflexit. Post hæc à Danis, uti Hetham regni reliquiis præficeret, exoratus, ne repentè recidivæ hostium vires coalescerent, Scaniam à Danicæ corpore abruptam in Olonis præfecturam secrevit, Sialandiam verò, reliquosq; regni fines, Hethæ duntaxat parére jussit. Ita in potestatem Sveticam fortunæ varietas Danicum redegit imperium. Et hic quidem belli Bravici finis.

XXXVII. OLO Vegetus.

At Sialandenses, qui Haraldo duce usi fuerant, cum adhuc prioris fortunæ species animis oberraret, fœmineis parére legibus probrosum rati, Olonem accedunt, postulantes, ne clarissimi Regis militiæ assuetos, muliebri jugo obnoxios haberi pateretur. Prætera ad ipsum se defecturos, si pro conditionis eorum deformitate tollenda arma susciperet, pollicentur. Nec segniter Olo supplicantibus affuit, tàm avitæ majestatis memoriâ, quàm militum invitatus obsequio. Igitur Hetham ad se venire jussam, cunctis, præter Jutiam, dominationis suæ partibus cedere, ante minis quam armis coëgit, ipsamq; Jutiam, ne fœminæ liberum regni usum tribueret, vectigalem effecit: filium quoq; procreavit, cui Omundo vocabulum posuit. Cæterum crudelitati intentus tàm impiũ Regem agebat, ut superior Reginæ contemptus cunctis pœnitentiam pareret, quibus regnum ejus rubori fuisset. Duodecim duces, sive patriæ calamitatibus moti, sive Oloni ob aliam olim causam infesti, insidias capiti ejus præparare cœperunt. Ex his fuere Lenno, Atylo, Thottus, & Vithnus; qui quanquam apud Sclavos præfecturam gerebat, Danos tamen origine contingebat. Cæterùm ad peragendum facinus parum viribus atq; ingenio freti, pecuniâ Starcatherum adsciscunt. Ille ut rem ferro exequeretur adductus, utentem balneis Regem, susceptis cruenti ministerii partibus, attentare constituit. Quo lavante ingressus, mox acri ipsius visu, luminumque continuâ mobilitate vibrantium fulgore perstrictus, occulto metu hebetatis artubus vestigium pressit, relatoque pede manum

propo-

OLO. propoſitumq; ſuſpendit. Itaq; qui tot ducum, tot pugilum arma protriverat, unius inermis viri aciem ferre non potuit. At Olo ſanè vultus ſui conſcius, obtecto ore accedere eum propiùs, & quid afferat, edere jubet; quippe quem vetuſtas convictus, & longa familiaritatis experientia ab inſidiarum ſuſpicione alieniſſimum faciebant. At ille diſtricto mucrone deſiliens tranſverberat Regem, nitentisq; aſſurgere jugulum ferit. Centum & viginti auri libræ in præmio reponebantur. Poſtmodum pœnitentiâ ac pudore perculſus, tantâ animi acerbitate commiſſum facinus luxit, ut ſi mentionem ejus incidere contigiſſet, à lacrymis temperare non poſſet. Adeò culpæ atrocitatem reſipiſcens animus erubeſcebat. Præterea aliquot ex his, quorum inſtinctu uſus fuerat, in ſceleris à ſe commiſſi vindictam occîdit, & cui facto manum tribuerat, præbuit ultionem.

XXXVIII. OMUNDUS. CÆTERÙM Omundum Dani, Olone ortum, creavêre Regem, plùs parentis ejus nobilitati, quàm meritis deferendum putantes. Hic poſtquam maturuit, in nullo paternis operibus defectior extitit. Siquidem res ab Olone geſtas, aut æquare, aut tranſcendere curæ habuit. Præerat eo tempore aliquantæ Normannorum genti Ringo, cujus filiam Eſam Omundo matrimonium circumſpicienti inſignis commendaverat fama. Verùm poſcendæ ejus ſpem ſingulare Ringonis ſtudium minuebat. Is quippe ſolum ſpectatæ fortitudinis generum affectabat, tantum gloriæ in armis reponens, quantum cæteri in opibus ſitum autumant. Igitur Omundus, ut eo claritudinis genere illuſtris evaderet, laudemq; ſibi fortitudinis conciliaret, viribus votum impetrare conatus, claſſe Norvagiam accedit, Ringonis regnum hæreditatis nomine tentaturus. Excipit amicè illum Jathriæ regulus Oddo, qui Ringonem certiſſimum patrimonii ejus invaſorem aſſereret, ſeq́; ſæpius ab eodem injuriis laceſſitum defleret. Itaq;, Ringone interim apud Hyberniam piraticam exercente, provinciam propugnatore vacuam adortus, præteritis popularium rebus, peculiaria Ringonis bona rapinæ tradidit, ejusq; neceſſarios interfecit. Nam Oddo quoq; Omundo manum junxerat. Inter omnia autem facinora, quæ varie ac multipliciter geſſerat, nunquam quibus multitudine copiarum præſtaret, vim inferre ſuſtinuit, memor ſe fortiſſimo parente editum, virtute non numero bella gerere oportere. Interea Ringonem à piratica revertentem adeſſe contigit. De cujus reditu edoctus prægrande moliri navigium cœpit, unde tanquam è munimento ſupernè hoſtem telis appeteret. Huic Atylonis Scanici filii Homothus ac Thola remiges adſciſcuntur, quorum alter gubernatorem agere, alter proræ præeſſe juſſus. Nec Ringoni in his excipiendis ingenium aut ſolertia defuit. Quippe exiguam copiarum partem oſtendens, à tergo hoſtem incurſandum curavit. De cujus aſtutia Omundus per Oddonem certior factus, qui in inſidiis conſtitutos opprimerent, mittit; Atylone Scanico Ringonem excipere juſſo. Is imperio proniùs quàm feliciùs obſecutus, fractis bello rebus, acceptaq; ſtrage, victus refugit in Scaniam. Igitur Omundus reparatis per Oddonem viribus, pugnaturam pelago claſſem explicat. Quo tempore Atylo bellum Norvagicum ex ſomniorum viſis haud dubie ſpeculatus, redimendæ fugæ gratiâ quàm celerrime navigationem orſus, Omundum prælio propinquum gratâ ſocietate proſequitur. Cujus Omundus operâ fretus, pugnam tàm feliciter quàm fidenter ingreditur. Nam habito per ſe conflictu, victoriam, quam in ſuis amiſerat, recuperavit. Quem Ringo mortifico vulnere perſtrictus exanguibus contemplatus oculis, manu ut poterat motâ (nam vox linguam defecerat) accerſitum, fore ſibi generum obſecrat, jucundè ſe fatum excipere aſſerens, ſi tali filiam connubio reliquiſſet. Nec reſponſo accepto extinguitur. Cujus exceſſum Omundus lacrymis proſecutus, Homothum, cujus fidam in bello operam expertus fuerat, alterius filiarum Ringonis connubio donat, alteram ipſe complectitur.

Eodem tempore Ruſla virgo ſtrenuis militiæ operibus muliebrem animum ſupergreſſa, apud Norvagiam cum fratre Throndo crebros de rerum

ſumma

OMVNDVS

ſumma conflictus habuerat. Hæc Omundum Norvagienſibus præeſſe non ſuſtinens, in omnes Danorum dedititios decreverat bellum. Quod Omundus nuncio expertus, ad hunc tumultum comprimendum promptiſſimos deſtinat. Quibus ſuperatis Ruſla ſuperbiam ex victoria nacta, animum ſpe immodicâ raptum ad ipſam rerum Danicarum ſummam potiendam intendit. Primum igitur Hallandiæ partes adorta, ab Homotho & Thola à Rege tranſmiſſis excipitur, victaq; bello refuga conceſſit ad claſſem. Cujus triginta ſolæ rates, cæteris ab hoſte captis, fugam navigatione carpſerunt. Evitantem Danos ſororem armis excipit Throndus, à qua victus, totoq; exercitu ſpoliatus, Dofrinas alpes permetiendo, neminem fugæ comitem habuit. Ita quæ paulò ante Danis ceſſerat, mox fratre ſuperior, fugam victoria mutavit. Quo cognito, Omundus ingenti Norvagiam claſſe repetit, primumq; Thelemarchiæ populum per Homothum & Tholam clandeſtino compendio miſſos, adverſum Ruſlæ dominationem erexit. Quo evenit ut Ruſla regno per populares exacta, apud inſulas, quas ſpe ſalutis acceſſerat, ſupervenientibus Danis terga ſine prælio daret. Cujus fugam Rex impenſiùs perſecutus, interceptam pelago claſſem internecione delevit, incruentamq; victoriam ac ſpecioſa ſpolia cum ſummo hoſtium diſcrimine retulit. At Ruſla perpaucis elapſa navigiis, incitatiori fluctus remigio perſulcabat. Quæ dum Danos declinat, fraterno trucidatur occurſu. Adeò efficaciorem vim nocendi incircumſpecta ſolent habere pericula, & quæ minus metuuntur mala, plerumq; inſtantibus graviora caſus efficit. At Rex, Throndo ob interfectionem ſororis præfecturâ donato, cæteris verò ſub penſione coërcitis, in patriam redit.

Ea tempeſtate Thorias ac Bero, promptiſſimi Ruſlæ milites, apud Hyberniam piraticum munus edebant. Hi cognitâ dominæ nece, quam ſe olim ulturos jurejurando promiſerant, Omundum avidè petitum duelli provocatione ſolicitant. Quod abnuere quondam probroſum Regibus habebatur. Veterum enim claritudo principum ex armis potius quam opibus æſtimabatur. Subeunt igitur Homothus & Thola, qui ſe provocatores Regis pugnâ excepturos offerrent. Quibus Omundus impensè laudatis, primum eorum operam admittere, vitandi ruboris gratiâ, recuſavit. Ad ultimum crebris ſuorum precibus exoratus, aliena manu fortunam experiri ſuſtinuit. Quo certamine Beronem occubuiſſe, Thoriam graviter affectum pugnâ exceſſiſſe proditum eſt. Quem Rex primò è vulneribus recreatum, mox in fidem acceptum, ducem Norvagiæ creat. Deinde cum conſvetum à Sclavis per legatos tributum exigeret, non ſolum legatorum cædibus, ſed etiam vi Sclavica apud Jutiam laceſſitus, ſeptem Reges uno certamine ſuperavit, ſolitumq; tributi jus victoria confirmavit.

Intereà Starcatherus prolixâ jam ætate defeſſus, cum caſtrorum ſtipendiis, ac gladiatorio munere emeritus haberetur, ne ſenii vitio priſtinum gloriæ decus amitteret, egregium fore putavit, ſi voluntarium ſibi conſciſceret exitum, fatumq; proprio maturaſſet arbitrio. Itaq; qui toties excellentes ediderat pugnas, incruentâ morte defungi ignobile ratus, ut ſpecioſo obitu præteritæ vitæ claritatem augeret, maluit ab ingenuo quovis interfici, quàm ſerum naturæ jaculum opperiri. Adeo quondam rei bellicæ deditis morbo oppetere probroſum exiſtimatum eſt. Itaq; cum & corpore invalido & defectis perſpicuitate luminibus eſſet, diuturnioris vitæ moram peroſus, emendi in ſe percuſſoris gratia, aurum quod pro Olonis interfectione meruerat, collo appenſum gerebat, non aptius ſe violatæ majeſtatis injuriam expiaturum ratus, quàm ſi idem ſuæ, quod Olonianæ necis extiterat præmium, effeciſſet, aurumq; quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ ſalutis impenderet. Hunc quippe uſum ſceleſtiſſimi pretii pulcherrimum credidit. Itaq; gemino cinctus enſe, totidem baculorum adminiculo vacua virium veſtigia tutabatur. Quo viſo popularium quidam geminũ gladiorũ uſum ſeni ſupervacuum ratus, donari ſibi alterum per ludibrium petivit. Quem Starcatherus ſpe petitionis factâ propius

acce-

OMVNDVS accedere jussum, detracto lateri mucrone transverberat. Quod Hatherus quidam, cujus patrem Lennonem Starcatherus olim parricidii pœnitentia adductus occiderat, dum canibus feras insequeretur, aspiciens, omisso venationis officio, duos è comitibus, injiciendi metus gratiâ, concitatis vehementer equis, in senem impetum dirigere jubet. Qui dum pro cursu edito refugere cupiunt, Starcatheri baculis intercepti morte supplicia luerunt. Quo spectaculo Hatherus admodum perterrefactus, propius equo advolat, agnitumq; senem, sed ab eo minimè recognitus, an gladium vehiculo permutare vellet, interrogat. Refert Starcatherus, quondam pœnas se ab irrisoribus exigere solitum, nec unquam impune sibi à procacibus insultatum. Sed neq; juvenem ex oris notis defuncta visu acies deprendere poterat. Itaq; carmen, quod indignationis suæ magnitudinem patefaceret, in hunc subtexuit modum.

Ut sine regressu pronas agit alveus undas,
Sic ætas hominum, cursim labentibus annis,
Irreditura fluit: præceps ruit orbita fati,
Quam generat finem rerum factura senectus.
Illa oculos hominum pariter gressusq; relidit,
Eripit os animumq; viris, famæq; nitorem
Paulatim premit, & claros obliterat actus:
Occupat occiduos artus, frustratur anhelæ
Vocis opus, vegetamq; premit torpedine mentem.
Dum paritur tussis, dum pellis scabida prurit,
Dens stupet exesus, stomachus fastidia gignit;
Evacuat juvenile decus, marcore colorem
Oblinit, & picea crebras serit in cute rugas.
Obterit egregias artes, monimenta priorum
Obruit, & titulos antiquæ laudis adurit,
Demolitur opes, precium virtutis & usum
Carpit edax, transvertit res, & ab ordine turbat.
Ipse ego quàm noceat, didici, damnosa vetustas,
Visu æger, vocis modulis, & pectore raucus:
Cunctaq; in adversam fluxerunt commoda sortem.
Jamq; minùs vegetum corpus fulcimine tutor
Flaccida subjectis innixus membra bacillis.
Lucis inops moderor vestigia fuste gemello,
Et virgâ monstrante sequor compendia callis,
Stipitis auspicio potius quàm lumine fisus.
Nemo mei curam celebrat, nec in agmine quisquam
Solamen veterano adhibet, nisi forsan Hatherus
Assit, & infracti rebus succurrat amici.
Ille semel quemcunq; pio dignatur amore,
Integer, incœpti studio constanter eodem
Prosequitur, primosq; timet pervellere nexus.
Ille etiam bello meritis benè præmia crebro
Digna refert, animosq; colit, largitur honorem
Fortibus, & claros donis veneratur amicos.
Spargit opes, laudisq; suæ cumulare nitorem
Dapsilitate studet, multos superare potentes.
Nec minor ad Martem pietatem viribus æquat,
Belligerare celer, labi piger, edere pugnam
Promptus, & urgenti tergum dare nescius hosti.
At mihi, si recolo, nascenti fata dedere
Bella sequi, belloq; mori, miscere tumultus,
Invigilare armis, vitam exercere cruentam.

OMVNDVS

Caſtra quietis inops colui, pacemq́ peroſus
Sub ſignis, Gradive, tuis diſcrimine ſummo
Conſenui; victoq́ metu pugnare decorum,
Turpe vacare ratus, crebras committere cædes
Egregium duxi, & ſtrages celebrare frequentes.
Sæpe graves bello Reges concurrere vidi,
Et clypeos, galeasq́ teri, crudeſcere campos
Sanguine, loricas affixa cuſpide rumpi,
Undiq́ thoraces admiſſo cedere ferro,
Luxuriare feras inhumato milite paſtas
Hic aliquis fortè egregii conaminis auctor
Marte manuq́ potens medium dum pugnat in hoſtem,
Intentam capiti loricam diffidit, alter
Caſſide perfoſſa, ferrumq́ in vertice merſit
Hic gladius ſæpe dextra bellantis adactus
Tegmine diſciſſo capiti diſtrictus inhæſit.

Contrà Hatherus hujuſmodi carmen habuit:

Unde venis patrias ſolitus ſcriptare Poëſes,
Infirmo dubium ſuſpendens ſtipite greſſum?
Quòve ruis Danicæ vates promptiſſime Muſæ?
Roboris eximij caſſus decor excidit omnis:
Exulat ore color, animoq́ amota voluptas:
Deſtituit fauces vox & raucedine torpet:
Deſeruit corpus habitus prior, ultima cepit
Illuvies, formæq́ notas cum robore carpſit.
Ut ratis aſſiduo fluctu quaſſata fatiſcit,
Sic longo annorum curſu generata ſenectus
Triſte parit funus, defunctaq́ viribus ætas
Occidit, & primæ patitur diſpendia ſortis.
Quis vetuit te, note ſenex, juvenilibus uti
Rite jocis, agitare pilam, morsâ nuce veſci?
Jam ſatius reor ut rhedam, quâ ſæpe veharis,
Venditor enſis emas, facilémve in frena caballum,
Aut pretio leve curriculum merceris eodem.
Aptius invalidos, ſua quos veſtigia fallunt,
Excipient jumenta ſenes, rota proficit illi
Orbibus acta ſuis, cui planta vacillat inanis.
At ſi fortè caves caſſum venundare ferrum,
Ereptus tibi te perimet, nî væneat enſis.

Ad hæc Starcatherus.

Improbe, verba ſeris facili temeraria labro,
Auribus inconcinna piis: quid præmia ductus
Qui gratis præſtandus erat, per munera quæris?
Nempe pedes gradiar, nec turpiter enſe relicto
Externam mercabor opem; natura meanti
Jus dedit, & propriis juſſit confidere plantis.
Cur cui debueras ultrò dux eſſe vianti,
Ludibrio inſultas, ſermone procaciter uſus?
Quæq́ olim geſſi memori digniſſimâ fama
Dedecori tribuis, meritum quoq́ crimine penſas?
Quid riſu inſequeris vetulum pugnare potentem,
Invictosq́ meos titulos & ſplendida facta
Probro adigis, famoſa terens & fortia carpens?
Qua probitate petis indignum viribus enſem?

OMVNDVS

Haud latus hic imbelle decet, dextrámve bubulci
Agrestem soliti calamo deducere Musam,
Procurare pecus, arvis armenta tueri.
Nempe inter vernas ollæ vicinus obunctæ,
Crustula spumantis patinæ bulligine tingis,
Crassi adipis macrum perfundens unguine panem,
Jusq; tepens furtim digito sitiente liguris;
Doctior assuetam cineri prosternere pallam,
Indormire lari, somnos celebrare diurnos;
Sedulus officium nidentis obire culinæ,
Quàm bello fortem jaculis aperire cruorem.
Aversans lucem, latebræ sordentis amator,
Mancipium ventris miserabile, parq; putaris
Sordida cum siliquis lambenti farra catello.
Hercule non tunc me ferro spoliare petebas,
Quando ter, Olonis, summo discrimine, nati
Expugnator eram. Namq; agmine prorsus in illo
Aut gladium fregit manus, aut obstantia fudit:
Hæc gravitas ferientis erat. Quid quando Curetum
Littus, & innumera constratum cuspide callem
Primus ligniferis docui decurrere plantis?
Namq; aditurus agros confertos murice ferreo
Armabam laceros subjecto stipite gressus.
Hinc mecum egregiis congressum viribus Hamam
Enecui, mox cum Rino duce Flebace nato
Obtrivi Curios, vel quas alit Estia gentes,
Et populos, Semgalla, tuos. Post hæc Thelemarchos
Aggressus, caput inde tuli livore cruentum,
Quassum malleolis, armisq; fabrilibus ictum.
Hic primum didici, quid ferramenta valerent
Incudis, quantúmve animi popularibus esset.
Teutonici quoq; me, pœnas, autore, dedere,
Quum natos, Svertinge, tuos Frothonis iniquâ
Cæde reos, domini vindex, ad pocula stravi.
Nec minus hoc facinus, quando pro virgine carâ
Uno septenos necui certamine fratres,
Teste loco, qui me stomacho linquente peresus
Non parit arenti redivivum cespite gramen.
Moxq; ducis Kerri bellum navale parantis
Vicimus egregio confertam milite puppim.
Inde dedi letho Wazam, Fabrumq; procacem
Multavi natibus cæsis, ferroq; peremi
Rupibus à niveis, hebetantem tela, Wisinnum.
Quatuor hinc Leri natos, pugilesq; peremi
Biarmenses; gentis Hybernæ principe capto,
Duflinæ populabar opes, semperq; manebit
Nostra Bravellinis virtus conspecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi,
Quodq; manu gessi ad solidum celebrare recensens
Deficio, sunt cuncta meo majora relatu,
Vincit opus famam, nec sermo suppetit actis.

Hæc Starcatherus. Tandem qvum Hatherum Lenno patre ortum mutuo sermone expertus fuisset, animadvertens juvenem splendido loco natum, feriendum ei jugulum præbuit, hortatus ne à parentis sui interfectore pœnas exigere

exigere vereretur. Hæc facientem auro, quod à Lennone receperat, potiturum esse promittit. Et ut ejusdem in se vehementiùs animum efferaret, hujusmodi exhortatione usus esse traditur: OMVNDVS

Prætereâ, Hathere, privavi te patre Lenno:
Hanc mihi, quæso vicem referas, & obire volentem
Sterne senem, jugulumq; meum pete vindice ferro:
Quippe operam clari mens percussoris adoptat,
Horret ab ignavâ fatum deposcere dextrâ.
Sponte piâ legem fati præcurrere fas est.
Quod nequeas fugere, hoc etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, vetus excidenda, minister
Naturæ est, quisquis fato confinia fundit,
Et sternit quod stare nequit. Mors optima tunc est,
Qvum petitur, vitæq; piget, qvum funus amatur,
Ne miseros casus incommoda proroget ætas.

Hæc dicens exertam crumenâ pecuniam promit. Hatherus autem tàm fruendi æris, quàm paternæ ultionis capessendæ cupidine concitatus, obsecuturum se precibus, nec præmia repulsurum spopondit. Cui Starcatherus cupidé ense præbito, pronam postmodum cervicem applicuit: ne timidè percussoris opus exequeretur, aut ferro muliebritèr uteretur, hortatus; præfatusq;, quod si peractâ cæde, ante cadaveris lapsum, caput ac truncum medius intersiliret, armis innocuus redderetur. Quod utrùm instruendi percussoris gratiâ, àn puniendi dixerit, incertum est. Fore enim poterat, ut saltantem eximii cadaveris moles obrueret. Igitur Hatherus adacto vegetè gladio, senem capite demutilavit. Quod corpori avulsum, impactumq; terræ, glebam morsu carpsisse fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans. Percussor tamen promissis fraudem subesse veritus, saltu non incautus abstinuit. Quem si temeré peregisset, forté lapsi cadaveris ictu obrutus, occisi senis pœnas proprio funere persolvisset. Verum ne tantum athletam busti inopem jacere pateretur, corpus ejus in campo, qui vulgò Raaliung dicitur, sepulturæ mandandum curavit.

OMUNDUS autem, (ut accepi,) pace integrâ, summâ cum tranquillitate decessit, duobus filiis & totidem filiabus relictis. E quibus maximus natu Sy- XXXIX.
vardus, fratre Buthlo adhuc tenero, regnum hæreditate consequitur. Quo STVARDVS
tempore Sveonum Rex Gøtharus alteram Omundi filiarum ob eximiæ pulchritudinis famam, infinito amore complexus, Ebboni cuidam Sibbonis filio postulandæ virginis gratiâ negotium legationis imponit. Is officio prudentiùs administrato, gratū de puellæ consensu nuncium retulit. Jamq; nihil voto præter nuptias deerat, quas Gøtharus apud alienos agere metuens, per Ebbonem, quo prius legato usus fuerat, sponsam sibi transmittendam efflagitat.

Is qvùm parvâ admodum familiâ comitatus Hallandiam præteriret, ad agrestem vicum se, pernoctandi gratiâ, contulit, in quo duorum fratrum habitationes adversas medius amnis secreverat. Et hi quidem consvetudinem jugulandi, quos hospitalitèr recepissent, habebant, liberalitatis specie latrocinium obscurare callentes. Trabem enim in modum præli oblongam, eandemq; ferri acumine præditam, arcanis quibusdam vinculis in excelsâ domus parte suspenderant, quam nocturno tempore subductis nexibus demittentes, subjectorum capita desecare solebant. In quem modum complurium vertices pensili mole præciderant. Igitur Ebboni suisq; post epulas abundè præbitas, penes focum ministri torum extruunt, ut applicatas igni cervices insidiosæ trabis impulsu demeterent. Quibus abscedentibus Ebbo impensum capitibus machinamentum suspiciens, socios simulato somno corpora transponere jubet, præfatus perquā salutarem eis loci variationē existere. Fuére autē inter eos quidā ab Ebbonis clientelâ extranei, qui spretis, quæ

cæteri

SYVARDUS cæteri exequebantur, monitis, immoti ut cuiq; jacendi locus obvenerat, cubuerunt. Sub opacam verò noctem ab inſidiarum miniſtris pendulũ machinamenti pondus impellitur. Quod nodis, quibus inhærebat, excuſſum, magnaq́; vi ſolo adactum, ſubjectos exitio tradidit. Igitur qui facinoris exequendi curam habebant, quò certius rei eventum diſcerent, illato lumine Ebbonem, propter quem maximè rem adorſi fuerant, prudentèr periculo occurriſſe cognoſcunt, à quo protinus impetiti, ſanguine pœnas dederunt. Ebbo quoq; ſuis per mutuam ſtragem amiſſis, frequentem cruſtulis glacialibus amnem invento fortè navigio ſuperat, Gøtharoq́; cladis ſuæ potius quàm legationis eventum declarat.

Quam rem Gøtharus à Syvardi inſtinctu profectam judicans, injuriarum vindictam armis exequi parat. A quo Syvardus apud Hallandiam expugnatus, ſorore ab hoſtibus captâ, conceſſit in Jutiam. Ubi Sclavorum vulgus pugnam ſine principe auſum acie ſuperavit, tantum gloriæ ex victoriâ nactus, quantum ex fugâ dedecoris traxerat. Verùm hiſdem, quos ductu vacuos debellaverat, paulò poſt ducem nactis pugnâ apud Fioniam ceſſit. Adverſum quos identidem in Jutia præliatus, infelicem pugnæ eventum habuit. Quo evenit, ut Scaniâ Jutiâq́; exutus, media duntaxat regni veluti quaſdam exeſi corporis partes, ſine capite retineret. Jarmericus ex eo genitus, cum ſororibus admodum parvulis præda hoſtibus fuit: quarum altera Norvagienſibus, altera Germanis, quòd venalia quondam ſolebant eſſe connubia, pretio vendita eſt. Itaq; Danorum regnum fortiſſimè propagatum, tantis etiam majorum titulis illuſtratum, tot victoriis auctum, ob unius viri inertiam ex ſummo nitore fortunæ & florentiſſimo rerum ſtatu eò ignominiæ pervenit, ut penſionem quam prius exigebat, exolveret. Syvardus autem ſæpius victoriâ caſſus, ac deformium fugarum reus, poſt tot majorum decora, in tam erubeſcendo patriæ ſtatu confuſa regni gubernacula geſtare non ſuſtinens, ne diuturnior vita ad extremam gloriæ jacturam pertingeret, ſpecioſum ſibi fatum pugnâ parere properavit. Quippe memorem calamitatis animum deponendæ ægritudinis cupido ſalutis faſtidio cruciabat. Adeo demendi ruboris ſtudium lucem ei inviſam effecerat. Igitur comparatis pugnæ copiis, Simoni cuidam ſub Gøtharo Scaniam procuranti, bellum apertè denunciat. Quod obſtinatis temeritatis viribus executus, occiſo Simone, per ſummam hoſtium ſtragem vitam finivit; patriam tamen præſtandæ penſionis onere liberare nequivit.

Interea Jarmericus apud Regem Sclavorum Iſmarum cum coævo ſibi collacteoq́; Gunnone conjectus in carcerem captivus degebat. Quo demum erutus atq; exercendi ruris culturæ applicatus, ruſticum opus exequitur. Ob cujus promptiſſimam adminiſtrationem ad regalium mancipiorum magiſterium transfertur. Eo quoq; ſynceriſſimè geſto, in neceſſariorum Regis gregem aſſumitur. Ubi quum ſe juxtà aulicorum ritum egregiâ morum amœnitate geſſiſſet, brevi in amicorum numerum translatus, primum familiaritatis locum obtinuit, ac veluti quibuſdam meritorum gradibus fretus, ab infima ſorte ad ſpectatũ honoris faſtigium conceſſit: Et ne ſegnem enervemq́; juventam ageret, militaribus ſe ſtudiis aſſuefecit, naturæ dotes induſtria cumulans. Grata omnibus Jarmerici indoles erat: ſoli Reginæ ſuſpectum adoleſcentis ingenium fuit. Fratrem quoq; Regis fato functum repentinus rumor edocuit. Cujus corpus Iſmarus ampliſſimo funere elaturus, quò major exequiarum pompa fieret, regia comitate convivium inſtruit. At Jarmericus aliàs cum Regina familiaris rei curam ſortitus, ad fugam, cujus BVTHLVS facultatem regalis abſentia promittere videbatur, circumſpiciendam acceſſit. Animadvertebat enim ſe etiam inter opes poſitum miſerabile Regis mancipium fore, & quaſi alieno beneficio precarium ſpiritum poſſidere. Prætereà quanquam primis apud Regem honoribus uteretur,

liberta-

BVTHLVS. regni administrator.

libertatem deliciis præferendam existimans, visendæ patriæ, noscendiq; generis eximiâ cupiditate flagrabat. Sciens autem quòd Regina, ne quis captivorum elabi posset, competentibus providisset excubiis, quò viribus pervenire nequibat, arte assurgendum procurat. Fiscellam itaq; biblo ac vimine textam, quâ agrestes instar hominis formatâ aves aristis deturbare consveverant, vivo cane complevit. Quam etiam detracto sibi cultu, quò verisimilius humanam repræsentaret imaginem, texit. Deinde privatum Regis ærarium demolitus, egestam inde pecuniam notis sibi tantum recondidit locis. Interea Gunno absentiam socii simulare jussus, illatâ in regiam fiscella, impulsoq; ad latrandum cane, percontanti, quidnam hoc esset, reginæ, mente captum clamitare retulit Jarmericum. Illa ad aspectum statuæ similitudinis errore delusa, insanum æde ejici jubet. Tunc Gunno perlatam foras statuam, perinde ac furentem socium lectulo tradit. Sub noctem verò vigiles epularum hilaritate, ac vino provehit largiore, abscissaq; dormientium capita, quò turpiore eos morte consumeret, inguini sociavit. Excitata strepitu Regina, causamq; ejus discere cupiens, concita fores petivit. Sed dum caput incautius exerit, improviso Gunnonis ense confoditur. Quæ quum mortificum vulnus experta corrueret, reflexis in occisorem luminibus, nullius, inquit, obtentu fraudis, si incolumi mihi vivere licuisset, his finibus impunitus excederes. Ad hunc modum crebras in percussorem minas moribunda profudit. Post hæc Jarmericus una cum Gunnone præclari facinoris socio, tabernaculum in quo Rex fraternas convivio celebrabat exequias, cunctis temulentiâ victis, admoto furtim incendio complet. Quo latius fuso, quidam ebrietatis stupore discusso, immissis equis deprehensos periculi insequuntur auctores. At juvenes primùm jumentis, quæ repererant vecti, ad ultimum hisdem prolixiori cursu debilitatis, pedites dedêre fugam. Jamq; penè occupatis amnis remedio fuit. Pontem enim, quem antè morandi persecutoris gratia præcisis ad medium trabibus non modo onerum impatientem, sed etiam ruinæ propinquum effecerant, prætergressi, in opacam de industria voraginem concesserunt. Quibus imminentes Sclavi, dum parum prospecto periculo equis improvidi pontem onerant, desidentibus tabulatis excussi, præcipitantur in flumen. Sed dum enando ripam appetunt, à Gunnone & Jarmerico obstantibus intercepti, mersi, aut interfecti sunt. Ita juvenes egregiâ calliditate usi, non ut fugitiva mancipia, sed quasi præditi consilio senes, majus ætate sua facinus ediderunt; quod acutè conceperant, efficaciter adimplendo. At ubi in littus ventum, rapto quod fors obtulerat navigio, in altum procedunt. Quos qui insequebantur barbari navigare conspectos, vociferando revocare conati, regnaturos, si redeant, spondent, quòd publico veterum instituto Regum percussoribus regnorum successio decreta fuerit. Diu recedentium aures pertinax Sclavorum clamor promissis pellacibus exurdabat.

XL. IARMERICVS.

Ea tempestate Buthlus Syvardi frater Danis perfunctoriè præerat, à quibus venienti Jarmerico regnum tradere coactus, ex Rege privatus evasit. Eodem tempore Gøtharus Sybbonem stupratæ sororis insimulatum occidit. Cujus nece affines permoti, ad Jarmericum ejulabundi decurrunt, seq; in ultionem propinqui, Gøtharum cum eo oppugnaturos promittunt. Nec parùm promissa solverunt. Nam eorum auxiliis oppresso Gøtharo, Jarmericum Svetiâ potiri contigit. Qui qvum duarum gentium imperio fungeretur, auctæ dominationis fiduciâ Sclavos prælio tentat. Quorum quadraginta captos applicatis totidem lupis laqueo adegit. Quem supplicii modum olim parricidis debitum, ob hoc circa hostes peragere voluit, ut quantæ in Danos rapacitatis extiterint, ex ipsa atrocium belluarum communione videntibus conspicuum foret. Subactâ quoq; regione præsidia locis opportuna disponit. Inde profectus Sembonum, Curetum, compluriumq; Orientis gentium cladem exercuit. Quâ Regis occupatione Sclavi datam sibi defectionis materiam judicantes, interfectis qui ab ipso præsides constituti fuerant, Daniam depopu-

depopulati sunt. Quorum classem Jarmericus forte è piratica rediens interceptam delevit, eoq; facinore priores victoriarum titulos decoravit. Cæterum optimates eorum primo tibias loris trajectos, moxq; immanium taurorum ungulis alligatos, molossisq; incessentibus raptim in cœnum voraginesq; pertractos lacrymabili spectaculo consumpsit. Ea re hebetati Sclavorum animi summa cum trepidatione Regis imperium coluerunt. Jarmericus itaq; tot gentium manubiis locupletatus, ut tutum prædæ domicilium compararet, in editissima rupe mirifico opere ædem molitur. Aggerem collatis glebis extruit, fundamentum crebris conjicit saxis, ima vallo, tricliniis media, summa propugnaculis cinxit. Secus undiq; juges excubias fixit. Quatuor portæ magnitudine præstantes, à totidem plagis irrestrictos aditus dabant. In hujus domus magnificentiam omnem opum suarum apparatum congessit. Ita domesticis rebus compositis, rursum in externas cupidinem vertit. Igitur navigatione cœpta, quatuor fratres genere Hellesponticos obvios pelago factos, piraticæq; admodum studiis assvetos, maritimâ pugnâ attentare non distulit. Quâ triduo gestâ, sororem eorum cum medietate tributi, quo victos oneraverant, pactus, prælium revocavit.

IARMERICVS.

Post hæc Livorum Regis filius Bicco captivitate, quam sub memoratis fratribus ducebat, elapsus, Jarmericum, à quo olim fratribus spoliatus fuerat, injuriæ haud oblitus accessit. Apud quem benignius habitus, brevi arcanorum omnium arbiter singularis evasit. Hunc ut suis per omnia tractabilem monitis sensit, in res quàm maximè factu detestabiles consultantem adduxit, atq; ad scelera flagitiaq; committenda compellit. Adeò nocendi artem obsequii simulatione captabat. Præcipuè eum adversùm eos, quos sanguine proximè contigisset, armabat. Ita fraternam ultionem, quia viribus nequibat, fraude exequi pertentabat. Quo evenit ut Rex virtutum loco vitiorum sordes amplexus, ob ea quæ perfidi monitoris impulsu atrociter gesserat, communibus in se locum odiis daret. Adversum quem etiam Sclavorum tumultus exoritur. Cujus sopiendi gratia duces eorum captos, trajectis fune tibiis, equis in diversa raptantibus præbuit lacerandos. In hunc modum consumpti principes, corporum suorum distractu pertinacis animi pœnas dederunt. Quæ res Sclavorum obsequia in suo statu æquali ac solida subjectione continuit.

Interea qui ex sorore Jarmerici apud Germaniam orti, educatiq; fuerant, avito nomine freti, in avunculum arma suscipiunt, æque sibi regnum atq; ei deberi certantes. Quorum munitiones Rex apud Germaniam machinis demolitus, oppidis compluribus aut obsessis, aut captis, nonnullis etiam solo æquatis, incruentam ad cives victoriam reportavit. Occurrunt Hellespontici pactis sororem nuptiis offerentes. Quibus celebratis rursùm Bicconis instinctu Germaniam petens, captis bello sororiis laqueo spiritum eripere non dubitavit. Optimates quoq; convivii simulatione contractos, eodem exemplo consumendos curavit.

Interea Broderus, quem olim Rex ex alio sustulerat matrimonio, novercæ curam ab eo susceptam plenis sanctitatis excubiis celebrabat. Quem Bicco apud patrem incesti crimine accusatum, ne falsò insimulasse videretur, subornatorum testimonio insecutus est. Cumq; Broderus accusationis partibus plenè exhibitis defensionis præsidia afferre non posset, pater ab amicis in convictum ferri sententiam jubet; minus impium ratus sumendam de filio vindictam alieno quàm proprio delegare judicio. Quem cæteris proscriptione dignum decernentibus, Bicco tristiorem de capite ejus sententiam ferre non veritus, à nefarii stupri auctore pœnam suspendio capiendam esse pronunciat. Quam ne quis à paterna crudelitate profectam putaret, eundem laqueo affixum à ministris subjecto assere excipiendum

piendum percenſuit: ut quum hi feſſas oneri manus ſubducerent, perindè ac rei perempti juvenis forent, Regemque parricidii crimine ſuâ culpâ liberum facerent. Præterea niſi pœna accuſationem ſequeretur, paternæ eum ſaluti inſidiaturum aſtruxit: adulteram verò Svvavildam, quò turpius è vita excederet, pecudum ungulis proculcari debere. Paruit Bicconi Rex, adactumque ſuſpendio filium, nè ſtrangulari poſſet, à circumſtantibus tabulati ope allevandum curavit. Igitur innoxium vinculum parum compreſſis faucibus ſolam pœnæ ſpeciem præ ſe ferebat. Reginam verò firmiſſimo nexu humo aſtrictam, equinis obterendam calcibus præbuit. Hanc tantæ fuiſſe pulchritudinis fama eſt, ut ipſis quoque jumentis horrori foret, artus eximio decore præditos ſordidis lacerare veſtigiis. Quo argumento Rex innocentiam conjugis declarari conjectans, accedente erroris pænitentiâ, falſò notatam feſtinat abſolvere. Advolat intereà Bicco, qui ſupinam jumenta diris deturbare carminibus, nec niſi pronam obteri poſſe firmaret. Quippe eam formæ ſuæ beneficio ſervatam ſciebat. In hunc modum collocatum Reginæ corpus adactus jumentorum grex crebris altè veſtigiis fodit. Hic Svvavildæ exitus fuit. Interea canis, cui Broderus aſſueverat, ceu quibuſdam queſtubus aggreſſus Regem, deflere domini ſupplicium videbatur. Ejuſdemque illatus accipiter intimas corpori plumas roſtro detrahere cœpit. Ex cujus nuditate Rex ſumptis orbitatis auſpiciis, omen intercepturus, præpoperè, qui filium laqueo detraherent, mittit. Per implumem enim aviculam futurum ſe, nî caviſſet, abſque liberis augurabatur. Liberato clade Brodero, Bicco delationis pœnas exolvere metuens, nunciare Helleſponticis pergit, Svvavildam à viro nefaria ſtrage conſumptam. Quibus ulciſcendæ ſororis gratia navigantibus, ad Jarmericum reverſus, parari bellum ab Helleſponticis indicat. Rex mœnibus quàm acie tutius dimicandum exiſtimans, in eam, quam exædificaverat, munitionem confugit. Ubi ad ferendam obſidionem commeatibus penitiora, propugnacula armatis implebat. Fulgentes auro cetræ, circumpenſique clypei ſupremum ædis ambitum adornabant. Contigit autem ut Helleſpontici prædæ partitionem acturi, magnam ſuorum manum peculatus inſimulatam occiderent. Igitur quòd tantam copiarum partem inteſtina clade conſumpſerant, aulæ expugnationem ſuis altiorem viribus rati, veneficam, cui Guthrunæ erat vocabulum, conſulunt. Qua efficiente, regiæ partis propugnatores ſubitò oculis capti, in ſeipſos arma convertunt. Quo viſo Helleſpontici applicata teſtudine primos portarum aditus occupant. Deinde convulſis poſtibus, irruptaque æde, cæcas hoſtium phalanges obtruncant. Eo tumultu ſuperveniens Othinus, medioſque præliantium globos appetens, Danis, quos paterna ſemper pietate coluerat, ademptum præſtigiis viſum ſuperâ virtute reſtituit. Helleſponticos verò corpora adverſum tela carminibus durare ſolitos, crebro ſilice converberandos eſſe perdocuit. Ita utrumq; agmen mutuâ cæde conſumptum interiit. Jarmericus utroq; pede ac manibus ſpoliatus, trunco inter exanimes corpore rotabatur. Cui Broderus parum idoneus ſucceſſit in regnum.

IARMERICVS.

XLI. BRODERVS.

POST hunc regnat Syvaldus. Cujus filius Snio, ſeneſcente patre ſtrenuum piraticæ opus complexus, patriæ res non ſolum ſervavit, ſed etiam diminutas in priſtinum habitum revocavit. Idem tyrannide ſuſcepta, Eskilli atq; Alkilli pugilum inſolentiam comprimendo, Scaniam à Danicæ juriſdictionis integritate ſubmotam ad ſocietatem patriæ victoriâ reduxit. Tandem filiæ Gothorum Regis mutuo amore perſtrictus, conveniendæ ejus copiam clandeſtinis nunciis tentat. Qui à patre puellæ intercepti ſuſpen-

XLII. SYVALDVS

XLIII. SNIO.

SNIO. dioq; conſumpti, improvidæ legationis pœnas dederunt. Quorum Snio ultionem exigere cupiens, quum Gothiam hoſtiliter aggreſſus fuiſſet, Rege ejus cum copiis occurrente, prædictorum pugilum provocatione rem per athletas gerere juſſus, hanc duelli legem edidit, ut alteruter Regum pro varia athletarum fortuna aut proprium perderet, aut alienum lucraretur imperium, victique regnum in victoriæ præmio reponeretur. Quo evenit ut Gothorum Rex propugnatorum ſuorum infortunio ſuperatus, regno Danis cedere cogeretur. Cujus filiam Snio, qvùm in Sveonum Regis connubium paterno impulſu comperiſſet abductam, quendam obſoleto habitu per itinera publica ſtipem petere ſolitum, ad eam uſque tentandam tranſmiſit. Qui qvum egentium more propinqvum liminibus diſcubitum habuiſſet, viſa fortè Regina exili voculâ ſuccinens, amat, inquit, te Snio. Illa allapſum auribus ſonum diſſimulanter excipiens, nec viſu nec gradu relato procedit in regiam, atque eveſtigio regreſſa obſcuro & vix aures offendente ſibilo, amantem, inquit, me redamo. Eo dicto veſtigium extulit. Quam egenus mutui amoris vocem edidiſſe gaviſus, die poſtera foribus aſſidens, præſente domina conſueta ſermonis brevitate, locum, ait, voto ſuppetere convenit. Illa rurſum argutæ vocis induſtriam colligens, ſumma cum diſſimulatione diſceſſit. Parvo poſt percontatorem præteriens, Bøcherør brevi ſe perventuram aſſeruit. Hunc quippe locum fuga petere deſtinavit. Qua de re egenus certior redditus, ſolito percontationis acumine competens promiſſo tempus cognoſcere perſeverat. Illa verò nec aſtu inferior, nec ſermone lucidior, quam breviſſimè potuit, hyemis initium nuncupavit. Cæterum ſtipatores ejus qui levem ab atoriæ vocis jactum exceperant, plenum calliditatis ingenium extremæ ſtoliditatis deliramentum eſſe credebant. Quæ qvum Snio certius ex egeno cognoſceret, Reginam ſublatis mariti opibus lavandi ſimulatione digreſſam, navigio deportandam curavit. Poſtea vero ſæpenumero inter ipſum ac Suetiæ Regem, altero juſtas repetente faces, altero illicitas tueri perſeverante, ancipiti eventu variâq; victoriâ dimicatum eſt.

Ea tempeſtate per ſummam cœli intemperantiam agrorum ubertate corruptâ, ingens annonæ caritas incidit. Cumq; obortâ victualium raritate gravis plebem inedia laceraret, Rex quonam modo temporis difficultati ſuccurreret anxius, qvùm aliquantò majorem bibulorum, quàm edacium impenſam animadverteret, frugalitatem populo intulit; conviviorum uſum abrogans, ne qua ex fruge potio pararetur edixit, acerbitatem famis ſuperflui hauſtus interdicto pellendam, atq; à ſiti abundantiam eſus mutuandam exiſtimans.

Tunc quidam petulantioris gulæ proſcriptam bibendi conſuetudinem deflens, altum calliditatis genus complexus, novam voluptati licentiam reperit, ac publicam continentiæ legem privatâ intemperantiâ ſolvit, deliciarum uſum à ridiculi operis acumine mutuatus. Vetiti enim liquoris guſtu minutim liguriendo uſus, deſiderium ebrietatis explevit. Quam ob rem conventus à Rege, integerrimum ſe frugalitatis obſervatorem aſſeruit, utpote aviditatem hauſtus moderatæ ſumptionis ingenio caſtigantem, affixamq; ſibi culpam ſorbitionis titulo tueri perſeveravit. Deniq; adjecto minarum terrore, non modo bibere, verumetiam pitiſſare prohibitus, conſuetudini tamen imperare non potuit. Ut enim tanquam licitè illicitis frueretur, nec gulam alieno ſubjectam haberet imperio, madefactis potione cruſtulis, capace liquoris offula veſcebatur, cupitamq; crapulam lento guſtu provexit, interdictum ſatietatis modum haud ſecus ac licitum conſecutus. Adeo pertinaciſſima gulæ rabies ſalutem pro luxu

devo-

devovens, nec regiâ quidem comminatione deterrita, ad omne periculum ſpernendum temerarium ſolidaverat appetitum. Secundò quoq; perinde ac violatæ conſtitutionis reus convenitur à Rege. Sed ne tunc quidem facti defenſionem abjecit, nequaquam à ſe regalibus inſtitutis obviam itum eſſe contendens, aut decretam edicto continentiam ſuis profanatam illecebris, præſertim quum lata frugalitatis lex ita parſimoniæ formam tradiderit, ut potandi magis quàm edendi liquoris facultas inhibita videretur. Tum Rex obteſtans deos, per cōmunem jurare ſalutem, tale quid deinceps audentem capitaliter eſſe plexurum. Ille mortem temperantia leviorem, vitamq́ue quàm luxum deponere tolerabilius ratus, rurſum aquis excoquit frugem, decoſtoq; liquore cum ſe nullam ulterius excuſandæ cupiditatis defenſionem objecturum ſperaret, palàm potioni indulgendo ad calicum uſum libera fronte convertit, aſtuq́ue in audaciam verſo, regiam animadverſionem opperiri quàm frugi fieri maluit. Interrogante ergo Rege, cur toties rei interdictæ licentiam uſurpaſſet, deſiderium hoc, inquit, Rex, non tam aviditas mea, quàm habita in te benevolentia peperit: funeribus enim regiis inferias convivio perſolvendas memineram. Itaque ne epulum, quo tuæ peragantur exequiæ, ob frumenti inopiam ſolenni potionis uſu careat, induſtriâ potius quàm ingluvie, ductus prohibiti liquoris temperamento providi. Te autem ante alios inediâ periturum, prioremq; buſto opus habiturum non ambigo, cum ob hoc inuſitatam parcitatis legem tuleris, quod defuturam tibi primum alimoniam verearis. Tibi quippe non aliis conſulendo novum avaritiæ auctorem agere ſuſtines. Tam urbana hominis cavillatio iram Regis in ruborem convertit. Qui cum publicæ ſalutis decretum in ludibrium ſui recidiſſe conſpiceret, omiſſo communis utilitatis conſilio, revocavit edictum, ſententiamq; ſolvere quàm civium offenſam contrahere maluit. SNIO.

Cumq́ue, ut dixi, ſive parùm compluta humo, ſeu nimium torridâ, torpentibus ſatis, ac parcè fructificantibus campis, inediæ languor defectam eſcis regionem attereret, nullumq́ue, parùm ſuppetentibus alimentis, trahendæ famis ſupereſſet auxilium; Aggone atque Ebbone auctoribus, plebiſcito proviſum eſt, ut ſenibus ac parvulis cæſis, omniq́ue demum imbelli ætate regno egeſtâ, robuſtis duntaxat patria donaretur; nec niſi aut armis aut agris colendis habiles domeſtici laris paternorumq; penatium habitacula retinerent. Quorum mater Gambaruc, id ad ſe deferentibus filiis, cum à ſceleſti decreti auctoribus ſalutem in crimine repoſitam animadverteret, damnata concionis ſententia, neceſſitatem parricidio redimi oportere negabat: propius honeſtati conſilium fore aſſerens, animorumq; ac corporum virtuti expetibilius, ut ſervatâ erga parentes ac liberos pietate, patriâ exceſſuri ſorte deligerentur. Quæ ſi ſenes invalidos obtuliſſet, robuſtiores ſe eorum loco exilio offerrent, ejusq́ue pondus pro debilibus perferendum ſua ſponte ſuſciperent. Cæterum indignos eſſe vita, qui illam ſcelere & ſacrilegio comparare, parentesq; ac prolem tam iniquo ſententiæ genere perſequi ſuſtinuiſſent, charitatis loco crudelitatis officia peracturi. Poſtremo cunctos malè patriam demereri, apud quos parentum aut liberorum amori proprii ſpiritus charitas præponderaret. Huic voci ad concionem relatæ, pleriq; ſuffragiis aſſentiebantur. Igitur omnium fortunis in ſortem conjectis, qui deſignabantur, extorres adjudicati ſunt. Quo evenit, ut qui ſponte neceſſitati parère noluerant, fortunæ judicio obſequi cogerentur. Primùm itaque Blekingiam advecti, ac deinde Boringiam præternavigantes, ad Gutlandiam appulerunt: ubi & Paulo teſte, auctore Frig deâ, Longobardorum vocabulum, quorum poſtea gentem condiderunt, traduntur adepti. Tandem ad Rugiam ſe applicantes, deſertisq; navigiis

ſolidum

SNIO. solidum iter ingressi, cum multam terrarum partem emensi, armisq; depopulati essent, post editas latè strages, postremo petitis in Italia sedibus, priscum gentis vocabulum suo nomine permutarunt.

Interea Danorum tellus rarescente cultorum operâ, sulcorumque vestigiis situ obductis, sylvestrem induit vultum, & quasi nativi cespitis amœnitate deposita, informi succrescentium nemorum densitate perhorruit. Quod præsens quoque camporum ejus facies prodit. Quæ enim olim feracia frugum jugera fuerant, eadem nunc arboreo stipite conserta visuntur. Atque ubi olim cultores terram altiùs versantes vastas dissipavére glebas, illic nunc enatum nemus servantia adhuc veteris culturæ vestigium rura complectitur. Quæ nisi cultore vacua ac diuturno situ vasta mansissent, nequaquam unius ruris glebam inter factos aratro sulcos, tenacesque arborum radices partiri potuissent. Colles quoque, quos in plano humandorum cadaverum curâ veterum labor extruxerat, præsens sylvæ congeries occupat. Cernere etiam est crebros petrarum acervos sylvarum saltibus intersitos, quas toto quondam rure dispersas, ne proscindendis ubique sulcis officerent, conjectis in struem molibus, rustica cura sublegit, malens exiguum agri perdere quàm totum difficile reperire. Unde ex eo quod tunc exercendorum liberius arvorum gratiâ agrestium labor egerat, prioris ævi populus postero numerosior extitisse perpenditur, qui brevibus agellis contentus agrestem operam citra veteris culturæ vestigia cohibet. Itaque præsens seculi vultus, capax quondam aristæ solum nunc gignendis glandibus idoneo, agrestemq; stivam ac Cereales culmos consita arboribus facie se permutasse miratur. Et hæc quidem de Snione, quàm verissimè potui digesta sufficiant.

XLIV. BIØRN. XLV. HARALDUS. XLVI. GORMO.

Huic succedit Biørn; itemque post ipsum Haraldus rerum assequitur summam. Cujus filio Gormoni inter priscos Danorum duces non infimæ laudis locum rerum strenuè gestarum titulus tribuit. Hic enim novum audaciæ genus complexus, hæreditarium fortitudinis spiritum scrutandæ rerum naturæ vestigiis quàm armis excolere maluit: utque alios Regum ardor bellicus, ità ipsum cognoscendorum mirabilium, quæcunque vel experimento deprehensa, vel rumore vulgata fuerant, præcordialis stimulabat aviditas. Cumque esset externa atque inusitata visendi cupidus, experiendam præ cæteris duxit Geruthi cujusdam sedium acceptam à Thylensibus famam. Incredibilia enim ab eis super opum inibi congestarum magnitudine jactabantur, sed iter omni refertum periculo ac penè mortalibus invium ferebatur. Ambitorem namque terrarum Oceanum navigandum, Solem postponendum ac sydera, sub Chao peregrinandum, ac demum in loca lucis expertia, jugibusque tenebris obnoxia transeundum, expertorum assertione constabat. Sed in juvenili animo circumstantis periculi metum non tàm prædæ quàm gloriæ cupido calcabat, multum sibi claritatis accessurum sperante, si rem admodum intentatam auderet. Trecentis idem cum Rege votum nuncupantibus, auctorem famæ Thorkillum itineris ducem assumi placuit, utpote locorum gnarum, peritumque adeundæ regionis ejus. Is officio non recusato, adversum inusitatam navigandi maris sævitiam firmiore structuræ genere, nodisque crebrioribus, ac consertioribus clavis præparanda jubet navigia solidari; eademq; magnis repleri commeatibus, ac bovinis supernè tergoribus claudi, quæ intrinseca navium spatia ab incursantium undarum aspergine tuerentur. Inde tribus duntaxat liburnis navigatio tenditur, unaquâq; centenos capiente delectos.

At ubi in Halogiam ventum, secundis flatibus destituti, variâ pelagi jactatione, dubiis navigationis casibus agebantur. Tandem per summam alimentorum inopiam etiam pane defecti, exiguæ pultis usu traxêre famen. Inter-

jectis

jectis diebus eminus perstrepentem procellæ fragorem, perinde ac scopulos inundantis exaudiunt. Igitur intellectâ telluris vicinia, agilitatis eximiæ juvenis, speculandæ rei gratiâ, cacumen mali conscendere jussus, prærupti situs insulam in conspectu esse denunciat. Læti omnes regionem, quæ ab eo significabatur, avidis inseqvuntur luminibus, attentè promissi littoris præsidium exspectantes. Cujus tandem aditum nacti, in editiorem soli partem, per obstantes clivos, prælatis callibus enituntur. Tunc Thorkillus ex armentis, quæ in maritimis frequentia discurrebant, suprà quod semel leniendæ fami sufficeret, negat esse tollendum: futurum enim, si secus agerent, ut à diis loci præsidibus discedendi potentiâ privarentur. At nautæ magis prorogandæ satietatis, quàm servandi imperii cupidiores, incitamento gulæ salutis consilium subjecerunt, exhausta navium gremia cæsorum gregum corporibus onerantes. Qui ideò captu perfaciles extitere, quòd ad inusitatos virorum aspectus firmato pavore mirabundi convenerant. Nocte insequenti monstra littori involantia, ac toto concrepantia nemore, conclusas obsedêre puppes. Quorum unum cæteris grandius, ingenti fuste armatum, profundum passibus emetiebatur. Idem propius admotum vociferari cœpit, non antè enavigaturos, quàm fusi gregis injuriam expiando, viris pro navium numero traditis, divini pecoris damna pensassent. Cujus minis obsecutus Thorkillus, ut universorum incolumitatem paucorum discrimine tueretur, tres sorte denotatos exhibuit.

Quo facto, optato vento excepti in ulteriorem Biarmiam navigant. Regio est perpetui frigoris capax, præaltisq; offusa nivibus, ne vim quidem fervoris persentiscit æstivi, inviorum abundans nemorum, frugum haud ferax, inusitatisq; alibi bestiis frequens. Crebri in ea fluvii ob insitas alveis cautes stridulo spumantiq; volumine perferuntur. Illic Thorkillus subductis navibus tendi in littore jubet; eò loci perventum astruens, unde brevis ad Geruthum transitus foret. Prohibuit etiam ullum cum supervenientibus miscere sermonem, affirmans monstra nullo magis nocendi vim, quàm advenarum verbis parum comiter editis sumere. Ideoq; socios silentio tutiores existere, se verò solum tutò profari posse, qui prius gentis ejus mores habitumq; perviderit. Crepusculo appetente, inusitatæ magnitudinis vir nominatim salutatis nauticis intervenit. Stupentibus cunctis, Thorkillus adventum ejus alacriter excipiendum admonuit, Guthmundum hunc esse docens Geruthi fratrem, cunctorum illic applicantium piissimum inter pericula protectorem. Percontantiq; quid ita cæteri silentium colerent, refert rudes admodum linguæ ejus ignoti pudere sermonis. Tum Guthmundus hospitio invitatos curriculis excipit. Procedentibus amnis aureo ponte permeabilis cernitur. Cujus transeundi cupidos à proposito revocavit, docens eo alveo humana à monstrosis rerum secrevisse naturam, nec mortalibus ultrà fas esse vestigiis. Subinde ad ipsa ductoris penetralia pervenitur. Illic Thorkillus seductis sociis hortari cœpit, ut inter tentamentorum genera, quæ varius obtulisset eventus, industrios viros agerent, atq; à peregrinis sibi dapibus temperantes, propriis corpora sustentanda curarent, discretasq; ab indigenis sedes peterent, eorum neminem discubitu contingendo. Fore enim illius escæ participibus inter horridos monstrorum greges, amissâ cunctorum memoriâ, sordidâ semper communione degendum. Nec minus ministris eorum ac poculis abstinendum edocuit. Duodecim filii Guthmundi egregiâ indole, totidemq; filiæ præclui forma circumsteterant mensas. Qui cum Regem à suis duntaxàt illata delibare conspiceret, beneficii repulsam objiciens, injuriosam hospiti querebatur. Nec Thorkillo competens facti excusatio defuit. Quippe insolito cibo utentes plerumq; graviter affici solere commemorat, Regemq; non tàm alieni obsequii ingratum, quàm propriæ sospitatis studiosum, consveto more corpus curantem domesticis cœnam obsoniis instruxisse. Igitur haudquaquam contemptui imputari debere, quod fugiendæ pestis salutari gereretur affectu. Videns autem Guthmundus apparatus sui fraudem hospitum frugalitate delusam, cum abstinentiam hebetare

GORMO. non posset, pudicitiam labefactare constituit; omnibus ingenii nervis ad debilitandam eorum temperantiam inhians. Regi enim filiæ matrimonium offerens, cæteris quascunq; è famulitio peterent potiendas esse promittit. Plerisq; rem approbantibus, Thorkillus hunc quoq; illecebrarum lapsum, sicut & cæteros, salubri monitu præcurrit, industriam suam inter cautum hospitem ac lætum convivam egregiâ moderatione partitus. Quatuor è Danis oblatum amplexi, saluti libidinem prætulerunt. Quod contagium lymphatos inopesq; mentis effectos pristinâ rerum memoriâ spoliavit. Quippe post id factum parum animo constitisse traduntur. Qui si mores suos intra debitos temperantiæ fines continuissent, Herculeos æquassent titulos, giganteam animo fortitudinem superassent, perenniterq; patriæ mirificarum rerum insignes extitissent auctores. Adhuc Guthmundus propositi pertinaciâ dolum intendere perseverans, collaudatis horti sui deliciis, eo Regem percipiendorum fructuum gratiâ perducere laborabat, blandimentis nisus, illecebrisq; gulæ, cautelæ constantiam elidere cupiens. Adversum quas insidias Rex Thorkillo, ut prius, auctore firmatus, simulatæ humanitatis obsequium sprevit, utendi excusationem à maturandi itineris negotio mutuatus. Cujus prudentiæ Guthmundus suam in omnibus cessisse considerans, spe peragendæ fraudis abjecta cunctos in ulteriorem fluminis ripam transvectos iter exequi passus est.

Progressi atrum incultumq; oppidum vaporanti maximè nubi simile, haud procul abesse prospectant. Pali propugnaculis intersiti desecta virorum capita præferebant. Eximiæ ferocitatis canes tuentes aditum præ foribus excubare conspecti. Quibus Thorkillus cornu abdomine illitum collambendum objiciens, incitatissimam rabiem parvulâ mitigavit impensâ. Supernè portarum introitus patuit. Quem scalis æquantes, arduo potiuntur ingressu. Atræ deintus informesq; larvæ conferserant urbem. Quarum perstrepentes imagines aspicere horridius an audire fuerit, nescias: fœda omnia, putidumq; cœnum adeuntium nares intolerabili halitu fatigabat. Deinde conclave saxeum, cui Geruthum fama erat pro regiâ assuevisse, reperiunt. Cujus arctam horrendamq; crepidinem invisere statuentes, repressis gradibus in ipso paventes aditu constiterunt. Tunc Thorkillus hærentes animo circumspiciens, cunctationem introitus virili adhortatione discussit: monens temperaturos sibi, ne ullam ineundæ ædis suppellectilem, tametsi possessu jucunda, aut oculis grata videretur, attingerent, animosq; tam ab omni avaritia aversos, quàm à metu remotos haberent; neq; vel captu suavia concupiscerent, vel spectatu horrida formidarent, quanquam in summa utriusq; rei forent copia versaturi. Fore enim ut avidæ capiendi manus subita nexus pertinacia à re tacta divelli nequirent, & quasi inextricabili cum illa vinculo nodarentur. Cæterum compositè quaternos ingredi jubet. Quorum Broderus & Buchi primi aditum tentant. Hos cum Rege Thorkillus insequitur. Cæteri deinde compositis gradiuntur ordinibus. Ædes deintus obsoleta per totum, ac vi teterrimi vaporis offusa, cunctorum, quibus oculus aut mens offendi poterat, uberrima cernebatur. Postes longæva fuligine illiti, obductus illuvie paries, compactum è spiculis tectum, instratum colubris pavimentum atq; omni sordium genere respersum, inusitato advenas spectaculo terruerunt. Super omnia perpetui fœtoris asperitas tristes lacessebat olfactus. Exanguia quoque monstrorum simulacra ferreas oneraverant sedes; deniq; consessuum loca plumbeæ crates secreverant: liminibus horrendæ Janitorum excubiæ præerant. Quorum alii consertis fustibus obstrepentes, alii mutua caprigeni tergoris agitatione deformem edidêre lusum. Hic secundò Thorkillus avaras temerè manus ad illicita tendi prohibens, iterare monitum cœpit. Procedentes per fractam scopuli partem, nec procul in editiore quodam suggestu senem pertuso corpore discissæ rupis plagæ adversum residere conspiciunt. Prætereà fœminas tres corporeis oneratas strumis ac veluti dorsi firmitate

mitate defectas junctos occupaſſe diſcubitus. Cupientes cognoſcere ſocios, GORMO. Thorkillus qui probè rerum cauſas noverat, docet Thor divum giganteâ quondam inſolentiâ laceſſitum per obluctantis Geruthi præcordia torridam egiſſe chalybem, eâdemq; ulterius lapſâ, convulſi montis latera pertudiſſe; fœminas verò vi fulminum tactas infracti corporis damno ejuſdem numinis attentati pœnas pependiſſe firmabat. Inde digreſſis dolia ſeptem zonis aureis circumligata panduutur, quibus penſiles ex argento circuli crebros inſeruerant nexus. Juxtà quæ inuſitatæ belluæ dens extremitates auro præditus reperitur. Huic adjacebat ingens bubali cornu, exquiſito gemmarum fulgore operoſiùs cultum, nec cælaturæ artificio vacuum. Juxta quod eximii ponderis armilla patebat. Cujus immodicâ quidam cupiditate ſuccenſus, avaras auro manus applicuit, ignarus excellentis metalli ſplendore extremam occultari perniciem, nitentiq; prædæ fatalem ſubeſſe peſtem. Alter quoq; parum cohibendæ avaritiæ potens, inſtabiles ad cornu manus porrexit. Tertius priorum fiduciam æmulatus, nec ſatis digitis temperans, oſſe humeros onerare ſuſtinuit. Quæ quidem præda uti viſu jucunda, ita uſu probabilis extitit. Illices enim formas ſubjecta oculis ſpecies exhibebat. Armilla ſiquidem anguem induens venenato dentium acumine eum, à quo gerebatur, appetiit. Cornu in draconem extractum, ſui ſpiritum latoris eripuit. Os enſem fabricans, aciem præcordiis geſtantis immerſit. Cæteri ſociæ cladis fortunam veriti, inſontes nocentium exemplo perituros putabant, nè innocentiæ quidem incolumitatem tribuendam ſperantes. Alterius deinde tabernaculi poſticâ anguſtiorem indicante ſeceſſum, quoddam uberioris theſauri ſecretarium aperitur: in quo arma humanorum corporum habitu grandiora panduntur. Inter quæ regium paludamentum cultiori conjunctum pileo, ac mirifici operis cingulum viſebantur. Quorum Thorkillus admiratione captus, cupiditati frenos excuſſit, propoſitam animo temperantiam exuens; totiesq; alios informare ſolitus, nè proprios quidem appetitus cohibere ſuſtinuit. Amiculo enim manum inſerens, cæteris conſentaneum rapinæ auſum temerario porrexit exemplo. Quo facto, penetralia ab imis concuſſa ſedibus, inopinatæ fluctuationis modo trepidare cœperunt. Subinde à fœminis conclamatum, æquo diutius infandos tolerari prædones. Igitur qui prius ſemineces, expertiaq; vitæ ſimulacra putabantur, perinde ac fœminarum vocibus obſecuti, è ſuis repentè ſedibus diſſultantes, vehementi incurſu advenas appetebant. Cætera raucos extulêre mugitus. Tum Broderus & Buchi ad olim nota ſibi ſtudia recurrentes, incurſantes ſe Lamias adactis undiq; ſpiculis inceſſebant, arcuumq; ac fundarum tormentis agmen obtrivêre monſtrorum. Nec alia vis repellendis efficacior fuit. Viginti ſolos ex omni comitatu regio ſagittariæ artis interventus ſervavit. Cæteri laniatui fuêre monſtris. Regreſſos ad amnem ſuperſtites Guthmundus navigio trajicit, exceptosq; domi cum diu ac multum exoratos retentare non poſſet, ad ultimum donatos abire permiſit. Hic Buchi parum diligens ſui cuſtos, laxatis continentiæ nervis, virtute, quâ hactenus fruebatur, abjectâ, unam è filiabus ejus irrevocabili amore complexus, exitii ſui connubium impetravit, moxq; repentino verticis circuitu actus, priſtinum memoriæ habitum perdidit. Ita egregius ille tot monſtrorum domitor, tot periculorum ſubactor, unius virginis facibus ſuperatus, peregrinatum à continentia animum miſerabili jugo voluptatis inſeruit. Qui cum abiturum Regem honeſtatis cauſa proſequeretur, vadum curriculo tranſiturus, altiùs deſidentibus rotis, vi vorticum implicatus abſumitur. Rex amici caſum gemitu proſecutus, maturatâ navigatione diſceſſit. Quâ primum proſperâ uſus, deinde adversâ quaſſatus, periclitatis inediâ ſociis, paucisq; adhuc ſuperſtitibus religionem animo intulit, atq; ad vota ſuperis nuncupanda confugit, extremæ neceſſitatis præſidium in deorum ope conſiſtere judicans. Deniq; aliis varias deorum potentias exorantibus, ac diverſæ numinum majeſtati rem divinam fieri oportere cenſentibus, ipſe Ugarthilocum votis pariter

ac propitiamentis aggreſſus, proſperam exoptati ſyderis temperiem aſſecutus eſt.

GORMO.

Domum veniens cum tot maria ſe, totq; labores emenſum animadverteret, feſſum ærumnis ſpiritum à negotiis procul habendum ratus, petito ex Svetia matrimonio, ſuperioris ſtudii habitum otii meditatione mutavit. Vitâ quoq; per ſummum ſecuritatis uſum exactâ ad ultimum penè ætatis ſuæ finem provectus, qvum probabilibus quorundam argumentis animos immortales eſſe compertum haberet, quaſnam ſedes eſſet exuto membris ſpiritu petiturus, aut quid præmii propenſa numinum veneratio mereretur, cogitatione ſecum variâ diſquirebat.

Hæc volventem ſubeunt quidam parum benigni in Thorkillum animi, docentes divino opus eſſe conſultu, tantæq; rei certitudinem humano altiorem ingenio, nec mortalibus cognito facilem, cœleſtibus expetendam oraculis. Quamobrem propitiandum eſſe Ugarthilocum, neminemq; id Thorkillo aptius executurum. Fuére quoq; qui eundem inſidiarum reum, ac regii capitis hoſtem deferrent. Qui cum ultimo ſe periculo deſtinari videret, criminationis auctores profectionis comites expetivit. Tum qui inſontem notaverant, periculum alieno capiti præparatum in ſeipſos recidiſſe cernentes, conſultum revocare tentabant. Sed fruſtrà Regias aures implentes, etiàm pavoris increpiti, Thorkillo duce navigare coguntur. Ita excogitatis in alterum malis auctorem plerumq; adigi neceſſe eſt. Qui cum ſe inevitabili diſcriminis neceſſitate diſtrictos animadverterent, navigium taurinis obſtructum coriis, proviſis abundè commeatibus, impleverunt.

Quo evecti eò pervenêre loci, ubi regio Solis inops, ignara ſyderum, nec diurni luminis capax, perpetuæ noctis ſpecie caligabat. Cumq; diu ſub inuſitata cœli facie navigaſſent, tandem incidente lignorum inopiâ, foculi nutrimentis defecti, nec ſuppetente decoctionis officinâ, crudis famem obſoniis propulerunt. Verùm complures veſcentium ultimam peſtem ab indigeſtæ dapis ſatietate traxerunt. Primum enim paulatim ſtomachis inuſitato partus edulio languor irrepſit, deinde latius manante contagio, vitalia morbus appetiit. Sicq; anceps utriusq; intemperantiæ malum ut inediam gravem, ita gulam quoq; ſuſpectam effecerat; cum nec veſci tutum, nec abſtinere commodum noſceretur. Igitur omnem ſalutis ſpem abjicientibus, [ut nervum tunc faciliùs rumpi ſolitum eſt, cum arctius tenditur,] patrocinium inopinatæ commoditatis affulſit. Subitò enim ignis haud procul emicare conſpectus, exhauſtis trahendæ vitæ fiduciam ingeneravit. Quem Thorkillus tanquam divinitùs datum remedium colligere ſtatuens, quò ſibi certiorem ad ſocios reditum ſtrueret, cacumen mali infixæ gemmæ fulgore ſignavit. Littore deindè potitus ſubjicit oculis anguſti aditus, arctarumq; faucium ſpecum. Quem, comitibus foris præſtolari juſſis, ingreſſus, duos eximiæ granditatis aquilos conſpicatur corneis naribus contracta, quæ fors obtulerat, igni nutrimenta præſtantes. Cæterùm deformis introitus, obſoleti poſtes, ater ſitu paries, ſordidum tectum, frequens anguibus pavimentum, non oculum magis quàm animum offendebant. Tum gigantum alter ſalutatum eum rem conatu præarduam orſum eſſe dicebat, inuſitati numinus adeundi cupiditate flagrantem, atq; extra mundani climatis cognitionem inveſtigabili ſcrutatione complexum. A ſe autem propoſiti itineris ſemitas cogniturum, ſi tres veridicas ſententias totidem proverbiis comprehenſas expromeret. Tum Thorkillus: Non mehercule incomptiorem naribus familiam pervidiſſe commemini. Sed neq; locum, quo minus libenter degerem, attigi. Item; Illum mihi pedem potiorem ſtatuo, qui prior exitum capeſſere quiverit. Gigas Thorkilli prudentiâ delectatus, proverbiorum veritate laudatâ, docet, ad inops graminis ſolum, altisque obfulum tenebris, inprimis eſſe migrandum. Antè autem quàm deſtinatus poſ-

tus poſ-

GORMO.

tus poſſit locus accipi, navigationem quatriduo pertinaci remigio pertrahendam. Illic viſendum fore Ugarthilocum tetros horrendosq; ſpecus ſordida manſione complexum. Thorkillus magnopere ſtupens, quod & longa & periculoſa navigatio imperabatur, ſpe tamen dubiâ præſentem metum vincente, foculum expetivit. Et gigas, ſi ignem, inquit, deſideras, neceſſe eſt alias tres ſententias ſimilibus proverbiis edas. Tum Thorkillus: Conſilio, tametſi exilis id auctor ediderit, obſequendum eſt. Item, eò temeritatis proceſſi, ut ſi regredi quivero, ſalutem meam nulli magis, quàm pedibus, debeam. Rurſum, ſi impræſentiarum receſſu libere fruerer, ulterius à reditu temperandum curarem.

Inde perlato ad ſocios igne, auræ indulgentiam nactus, quarto die ad propoſitum portum appulit, aggreſſusq; cum ſociis terram, apud quam continuæ noctis facies alterni luminis viciſſitudinem fruſtrabatur, ægrè proſpectum capientibus oculis, inuſitatæ molis ſcopulum conſpicit. Cujus perluſtrandi cupidus, à comitibus foris ſtationem peragentibus, extuſum ſilicibus ignem, opportunum contra dæmones tutamentum, in aditu juſſit accendi. Poſt hæc prælato per alios lumine, arctis cavernæ faucibus corpus ſubjiciens inter crebros ſerpentum allapſus ferreorum undiq; ſedilium frequentiam contemplatur. Inde placidior aquæ moles, ſubjectoque ſabulo molliter influens, conſpectui obverſata eſt. Quâ tranſitâ, paulò devexiorem ſitu ſpeluncam aggreditur. Ex qua item atrum obſcœnumq; conclave viſentibus aperitur. Intra quod Ugarthilocus manus pedesq; immenſis catenarum molibus oneratus aſpicitur: cujus olentes pili tam magnitudine quàm rigore corneas æquaverant haſtas. Quorum unum Thorkillus adnitentibus ſociis mento patientis excuſſum, quo promptior fides ſuis haberetur operibus, aſſervavit; ſtatimq; tanta fœtoris vis ad circumſtantes manavit, ut, niſi repreſſis amiculo naribus, reſpirare nequirent. Vixq; egreſſu potiti, ab involantibus undiq; colubris conſpuuntur. Quinque duntaxat Thorkilli comitum, cæteris veneno conſumptis, navigium cum ductore conſcendunt. Imminent efferi dæmones, & in ſubjectos venenata paſſim ſputa conjiciunt. At nautæ prætentis coriorum umbraculis illapſum reſpuêre virus. Hic cujuſdam fortè proſpicere cupientis tactum veneno caput, perinde ac ferro reciſum cervici exemptum eſt. Alius ocellos umbraculis exerens, ſub eadem vacuos luminum orbes retulit. Alius exerta manu tegimen explicans, ejuſdem tabis vi truncum ad ſe brachium revocavit. Igitur cæteris propenſiora ſibi numina nequicquam deprecantibus, Thorkillus Univerſitatis Deum votis aggreſſus, eiq; cum precibus libamenta defundens, mox prioris cœli uſum ac perſpicua rerum elementa proſperâ navigatione collegit.

Jamq; alium ſibi orbem atq; ipſum rerum humanarum aditum perſpicere videbantur. Tandem ad Germaniam Chriſtianis tunc ſacris initiatam appulſus, apud ejus populum divini cultus rudimenta percepit. Ubi ſociorum manu ob inuſitatum aëris hauſtum propemodum conſumptâ, duobus tantum, quos ſors ultima præterierat, comitatus, reditum ad patriam habuit. Verùm illitus ori marcor ita habitum corporis, ac priſtina formæ lineamenta confudit, ut ne ab amicis quidem potuiſſet agnoſci. At ubi deterſâ illuvie, notitiam ſui viſentibus reddidit, eximiam Regi cognoſcendæ legationis aviditatem ingeſſit. Sed necdum æmulorum obtrectatione ſupitâ, fuêre qui Regem, cognitis, quæ Thorkillus afferret, ſubitò deceſſurum aſtruerent. Auxit affirmationis fidem, ejuſdem rei falsâ ſomnii prædictione ſuggeſta credulitas. Igitur qui noctu Thorkillum opprimerent, Regis imperio ſubornantur. Cujus ille rei utcunque indicium nactus, clam cunctis relicto cubili, magni ponderis lignum ſubjecit; eoq; facto, ſubornatis truncum cædentibus, regiæ fraudis commentum eluſit. Die poſtero Regem corpus curantem aggreſſus, Ignoſco, inquit, ſævitiæ tuæ, erroriq; veniam tribuo, qui proſperum legationis nuncium afferenti pœnam pro gratiâ decreviſti. Itaq; te ſolum, pro quo

caput

GORMO.

caput tot ærumnis devovi, tot periculis contudi, quemq; operum meorum gratissimum pensatorem speravi, acerrimum virtutis punitorem inveni. Verum ultionis partibus prætermissis, interno animi tui rubore (si tamen ullus ingratos pudor afficit) læsionis meæ vindice sum contentus. Nec immeritò te omnem dæmonum rabiem, aut belluarum sævitiam superare conjecto, quod tot monstrorum insidiis erutus à tuis immunis esse non potui. Rex cuncta ex ipso cognoscere cupiens, fatisq; arduum obstare judicans, eventuum ordinem exponere jubet. Cumq; per cætera avidis referentem auribus excepisset, postremò recensitam numinis sui mentionem sinistrâ opinione colligi passus non est. Exprobratam enim Ugarthiloci fœditatem exaudire non sustinens, adeò indignitatis ejus vicem doluit, ut impatientem dictorum spiritum inter ipsa narrantis recitamenta deponeret. Itaq; dum vani numinis cultum cupidè fovit, ubinam verus esset miseriarum carcer agnovit. Crinis quoq; oliditas, quem Thorkillus perinde atque operum suorum magnitudinem testaturum capillitio gigantis excerpserat, in circumstantes effusa, compluribus exitio fuit.

XLVII. GOTRICUS, qui & GODOFREDUS.

Defuncto Gormone, Gotricus ex eo genitus regnat. Hic non armis modò, sed etiam liberalitate conspicuus, incertum fortior an clementior fuerit, adeoq; severitatem mansvetudine castigabat, ut alteram alterâ rependere videretur. Eodem tempore Rex Norvagiæ Gøto à Berone & Refone Thylensibus petitus, Refonem cultius ac familiarius habitum, magni ponderis armillâ donavit. Quo quidam aulicorum conspecto, magnitudinem doni impensiori laude complexus, neminem Gøtoni parem humanitate firmabat. At Refo, quanquàm gratiam beneficio deberet, tamen immodici laudatoris tumidam vocem approbare non passus, Gotricum ei prætulit. Ut enim vanam assentatoris affirmationem obtereret, absenti liberalitatis testimonium reddere, quàm præsentem beneficii datorem falsò palpare maluit. Partim quoq; ingratitudinis argui, quàm inanis jactantiæ laudem assentiendo prosequi, Regemq; veritatis serio movere, quam adulationis mendacio fallere, aliquanto pretiosius duxit. At Ulvo dictas in Regem laudes, non solum pertinaciter affirmare, sed etiam experimento prosequi perseverans, pignus cum negante proponit. Cujus consensu Refo in Daniam pergens, Gotricum sellâ positâ, stipendia inter milites partientem invenit. A quo quisnam esset rogatus, vulpeculæ sibi nomen esse respondit. Cumq; risu quosdam, alios admiratione complesset, & vulpem, inquit Gotricus, ore prædam excipere convenit. Ac mox detractum lacerto torquem accersiti labris inseruit. Quem Refo confestim brachio applicans, id cunctis auro præditum ostentabat: reliquum vero perinde atq; ornamenti inops occultius habuit: eoq; acumine ab invictæ munificentiæ dextera consentaneum priori munus accepit. Quod ei non tam pretii magnitudo jucundum, quam litis initæ victoria faciebat. A quo cum Rex de pignoris positione cognosceret, fortuitò magis quam de industria munificus erga ipsum extitisse gaudebat, plus se voluptatis ex datione, quam accipientem ex munere sentire testatus. Igitur reversus Norvagiam Refo concertatorem pignus exolvere recusantem occîdit, filiamq; Gøtonis captivam Gotrico potiendam adducit.

Cumq; Gotricus, qui & Godefridus est appellatus, transfusis in exteros præliis, famam ac vires felicibus propagasset auspiciis, inter cætera factorum monimenta, hanc quoq; Saxonibus tributi legem indixit, ut eorum duces, quoties apud Danos regni mutatio obvenisset, centum equos niveos suffecti Regis initiis dedicarent. Quod si novum Saxonibus ducem variata rerum successio peperisset, is quoq; prædictæ pensionis obsequio potestatis principium Danicæ majestatis titulis inclinaret: quò & gentis nostræ fateretur imperium, & subjectionis suæ solenne præberet indicium. Nec Germaniæ quidem oppressione contentus, per Refonem legationi addictum Sveoniam tentat. Quem Sveones apertâ vi necare veriti, latrocinium ausi, incusso lapide,

pide, dormientem consumpserunt. Quippe molarem supernè pensum, rescissis vinculis, subjecti cervicibus illabi fecere. In cujus noxæ expiationem GOTRICVS. actum est, ut singuli facinoris autores bissena auri talenta, è plebe verò quilibet unam ejusdem generis unciam Gotrico persolveret. Vulpeculæ pensionem vocabant.

Accidit intereà ut Rex Francorum Carolus contusam bello Germaniam non solùm Christianismi sacra suscipere, sed etiam ditioni suæ parêre compelleret. Quo comperto Gotricus finitimas Albiæ gentes adortus, Saxoniam susceptum Caroli jugum cupidius amplexantem, ac Romana arma Danicis præferentem, ad pristinum regni sui titulum revocare tentabat. Quo tempore Carolus victricia trans Rhenum castra receperat; ideoq; ab advenæ hostis congressu, perinde ac fluvii interstitio vetitus, temperabat. Qvem qvum ob res Gotrici comprimendas iteratò transmeare proponeret, à Leone Romanorum Pontifice in urbis tuendæ præsidium accersitus mandato paruit: filio vero Pipino gerendi adversum Gotricum belli partes commisit; ut dum ipse in longinqvum hostem ageret, hic contrà vicinum, susceptum pugnæ negotium procuraret. Oportebat enim ut gemina curarum anxietate distractus, sparsâ manu aptum utriq; remedium provideret. Interea Gotricus speciosam ex Saxonibus victoriam referens, contractis denuò viribus, ac frequentiori copiarum robore comparato, non in Saxones modò, verùm in omnem Germaniæ populum amissæ dominationis injuriam ulcisci constituit. Ac primò quidem classe Fresiam domat. Quæ provincia admodum situ humilis, quoties sæviente Oceano objecta fluctibus æstuaria perrumpuntur, totam inundationis molem patentibus campis excipere consuevit. Huic Gotricus non tam arctam quàm inusitatam pensionem imposuit. De cujus conditione & modo summatim referam. Primum itaq; ducentorum quadraginta pedum longitudinem habentis ædificii structura disponitur, bissenis distincta spatiis, quorum quodlibet vicenorum pedum intercapedine tenderetur, prædictæ quantitatis summam totalis spatii dispendio reddente. In hujus itaq; ædis capite, Regio considente quæstore, sub extremam ejus partem rotundus è regione clypeus exhibetur. Fresonibus igitur tributum daturis mos erat singulos nummos in hujus scuti cavum conjicere, è quibus eos duntaxat in censum regium ratio computantis eligeret, qui eminus exactoris aures clarioris soni crepitaculo perstrinxissent. Quo evenit, ut id solum æs quæstor in fiscum supputando colligeret, cujus casum remotiore auris judicio persensisset. Cujus verò obscurior sonus citra computantis defecisset auditum, recipiebatur quidem in fiscum, sed nullum summæ præstabat augmentum. Compluribus igitur nummorum jactibus quæstorias aures nulla sensibili sonoritate pulsantibus, accidit, ut statam pro se stipem erogaturi, multam interdum æris partem inani pensione consumerent. Cujus tributi onere per Karolum posteà liberati produntur. Cumq; Gøtricus transcursâ Fresiâ, ac reverso jam Româ Karolo, in ulteriores se Germaniæ provincias effundere statuisset, proprii satellitis insidiis circumventus, ferro domesticæ fraudis interiit.. Quo audito Karolus effuso gaudio exultavit, nihil eo casu unquam fortunæ suæ jucundius obvenisse confessus.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI OCTAVI FINIS.

SAXO-

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER NONUS.

XLVIII. OLAVUS.



LAVUS Gøtrici filius patre mortuo regnat. Hic paternæ vindictæ studio civilibus patriam bellis implicare sustinuit, publicam pietatem privato affectui subjiciendo. Cujus extincti corpus collis Olavi titulo celeber prope Lethram congestus excepit.

XLIX. HEMMINGUS.

Huic succedit Hemmingus; cujus dignum memoratu opus non reperi, nisi quod pacem cum Cæsare Ludovico jurisjurandi firmitate composuit. Et fortè complura temporum ejus insignia, quanquam præclara extiterint, vetustatis livore teguntur.

L. SYVARDUS, cum quo Ringo.

Post hos Syvardus cognomento Ring, quem ejusdem nominis pater, Norvagiæ Dux, olim ex Gøtrici filia susceperat, Scanis Sialandisq; fautoribus regnat. Nam consobrinus ejus Ringo, idemq; Gøtrici nepos, Jutiam occupabat. Igitur unius regni dividua potestas, tanquam utrâq; parte ob parvitatem ignobili, non sperni modò, sed etiam lacessi ab exteris cœpit. Quos Syvardus majore odio quàm regni æmulum insecutus, peregrina bella civilibus præferendo, quinquennio periculis patriæ defensionem suam opponere perseveravit. Elegit enim vulnus tolerare domesticum, quò promptius sanaret externum. Quamobrem Ringo domuitionis ejus occasione suscepta, universum imperii jus in seipsum transferre conatus, foris excubias peragentem, intus lacerare sustinuit. Provincias siquidem, quæ ab ipso possidebantur, invadens, communis patriæ defensionem ingratâ mente pensabat. Igitur ex Sialandicis quidam Syvardi studiosiores, quò synceriorem absenti fidem gererent, filium ejus Regnerum vix dum cunis erutum Regis nomine censuerunt, non quòd ipsum regimini intempestivum nescirent, sed ut tanti pignoris ductu adversum Ringonem torpentium sociorum animos excitarent. Audiens autem Ringo Syvardum interim ab expeditione regressum, Sialandenses magna manu petitos, nî se dederent, ferro perituros edixit. At Sialandici quibus aut rubor, aut periculum imperabatur, viribus ob paucitatem diffisi, deliberandæ rei inducias poposcerunt. Quibus impetratis, qvum nec Syvardi gratiam colere liberum, nec Ringonis amplecti videretur honestum, diu inter metum pudoremq; soliciti jactabantur. Qua in re ne senibus quidem consilio suppetente, Regnerus tunc fortè concioni præsens, brevis, inquit, arcus subitò spiculum jacit: ego verò tametsi puerili ausu majorum ora præcurrere videar, ignoscendum erratis, veniamq; immaturè editis precor. Verum prudentiæ monitor tametsi despicabilis videatur, respuendus non est. Docili quippe animo sorbenda est utilium disciplina. At quoniam, ut desertores ac transfugas notari turpe, ita supra vires audere temerarium est; & utrobiq; par culpa subesse convincitur: simulatâ transitione petendus est hostis, idemq; qvum primum facultas obvenerit, opportuna desertione linquendus. Satius ergo erit adversarii iram obsequii figmento præcurrere, quàm negatione eundem in nosmetipsos acrius incessendos armare. Quid enim fortioris imperium detrectantes agimus, nisi quod ipsi in jugulum nostrum arma sponte præstamus? Sæpe involutioribus studiis efficacissima fraus alitur. Astu illaqueanda est vulpes. Cujus consilii salubritate, & fluctuantium civium cunctationem discussit, & hostilibus castris noxium robur adjecit. Concio quoq; infantiæ ejus non facundiam minus quàm ingenium mirans, egregiæ indolis decretum habitu annorum excellentius cupidè amplexata est. Nec rubori fuit defectis consilio senibus puerilibus obsequi monitis, quæ quanquam à tenero manassent, integerrimo disciplinæ ponde-

SYVARDVS.

pondere redundabant. Auctorem vero conſilij inſtanti periculo objicere veriti, educationis gratiâ Norvagiam tranſtulerunt. Brevi poſt conſertâ pugnâ Ringonem Syvardus aggreditur; quo occiſo ipſe immedicabili plaga perſtrictus, paucis interjectis diebus ex vulnere deceſſit.

LI. REGNERVS. Lodbrogh.

Cvi Regnerus in regnum ſuccedit. Quo tempore Rex Svetiæ Frø, interfecto Norvagienſium Rege Syvardo, conjuges neceſſariorum ejus proſtibulo religatas, publicè conſtuprandas exhibuit. Quo Regnerus audito, avitæ ultionis ſtudio Norvagiam petivit. Eò veniente matronæ complures, quæ corporum ſuorum ludibria, aut nuper paſſa fuerant, aut in proximo pudicitiæ periculum verebantur, viriliter cultæ cupidè caſtris ejus adproperare cœperunt, profitentes ſe fatum contumeliæ prælaturas. Nec erubuit futurus muliebris improperij vindex, adverſum autorem turpitudinis, quarum ignominiam ulciſci venerat, auxilia mutuari. Inter quas affuit & Lathgertha perita bellandi fœmina, quæ virilem in virgine animum gerens, immiſſo humeris capillitio, prima inter promptiſſimos dimicabat. Cujus incomparabilem operam admirantibus cunctis, (quippè cæſaries tergo involare conſpecta fœminam eſſe prodebat.) Regnerus avi interfectore proſtrato, de puella, quam in acie præviam prænotaverat, commilitones plurimùm percontatus eſt, unius fœminæ viribus victoriam ſibi conſtitiſſe profeſſus. Quam qvum illuſtri inter barbaros loco natam cognoviſſet, per internuncios procari perſtitit. Illa legatione tacitè ſpretâ, conſenſum ſimulat. Cumq; datis fallaciter reſponſis anhelanti proco potiendi voti fiduciam attuliſſet, adjectum urſo canem in ædis ſuæ veſtibulo religari præcepit, contra omne amatoris ſtudium per objectas belluas proprium tutatura conclave. Regnerus verò favorabili nuncio recreatus, navigium ſcandit, emenſusq; fretum, comitibus apud Gølerdal (id valli nomen eſt) ſubſiſtere juſſis, ſolitarius puellæ penates accedit. Ubi exceptus à belluis, alteram telo trajicit, alteram faucibus apprehenſam obtorto gutture ſtrangulavit, virginemq; victi periculi præmium habuit. Ex cujus matrimonio geminis filiabus, quarum nomina memoriæ prodita non ſunt, filioq; Fridlevo ſuſceptis, triennium feriatus eſt.

Cujus ob recentes nuptias reditu deſperato, Juti gens inſolens, Scanis in ſocietatem contractis, Sialandos, qui Regneri fidem propenſiori charitate colebant, bello laceſſere tentant. Quo comperto Regnerus tricenas inſtruit puppes, ventiſque navigationi parentibus, Scanos apud Whiteby vicum bellum auſos obtrivit, exactaq; hyeme, cum Jutis propè Lymfiorthinum ejus regionis fretum habitantibus, ſecundis eventibus dimicavit. Tertiò item ac quartò Scanis Hallandisq; fœlici auſpicio domitis, in Thoram Herothi Regis filiam nuptiarum amore converſo, ſibi ac Lathgerthæ repudium interjecit. Damnabat enim conjugis fidem, quam olim in perniciem ſui ſummæ ferocitatis belluas admoviſſe meminerat. Interea Rex Sueonum Herothus ſylvas fortè venatione complexus, repertas à comitibus angues filiæ detulit nutriendas. Illa paterno ocyus obſecuta præcepto, vipereum genus virgineis manibus educare ſuſtinuit. Quinetiam curæ habuit, ut integrum bovis cadaver earum quotidie ſatietati ſuppeteret, ignorans ſe privato pabulo publicam ſuſtentare perniciem. Quæ qvum adultæ peſtilentiſſimo halitu viciniam urerent, Rex inertis operæ pœnitens, potiturum filiâ, qui peſtem amoviſſet, edixit. Quo non minori fortitudinis quàm libidinis incitamento frequens juventus adducta, periculoſam inaniter operam erogabat. Cujꝰ rei famam Regnerus ab intermeantibus expertus, laneum à nutrice ſagulum, villoſaq; admodum fœmoralia, quibus inflictos anguiũ morſus elideret, expetivit. Nam ut munimenti gratiâ referto pilis cultu utendũ credidit, ita agilitatis causâ tractabilem ſumpſit. Cumq; navigio Svetiam appuliſſet, incidente gelu aquis de induſtria corpus injecit, humefactamque veſtem quò minus penetrabilis redderetur, brumę durandam præbuit. Quâ amictus ſalutatos comites ad fidem Fridlevo ſervandam hortatus, ſolꝰ procedit ad regiam. Qua viſa enſem lateri nectens, dextræ telum inſerit amentatum. Procedenti

REGNERUS Lodbrogh.

inuſitatæ magnitudinis obvius allabitur ſerpens. Huic alter granditate par prioriſq; prolapſum inſecutus arrepſit. Qui juvenem modo caudæ voluminibus quatere, modo pertinaci vomitu ac veneno conſpuere decertabant. Interea aulici tutiora complexi latibula, perinde ac paventes puellulæ rem eminus inſpectabant. Ipſe Rex pari metu perterritus, in anguſtum cum paucis conclave refugerat. At Regnerus gelati cultus duritie fretus, non armis modo, ſed etiam amictu virulentos fruſtrabatur aſſultus, ſolusque duarum rictum pertinaci ſpiritu virus in ſe profundentium infatigabili congreſſione ſuſtinuit: quippe morſus clypeo, venenum veſte reſpuit. Ad ultimum, excuſſum manu telum ſtrenuè inceſſentium ſe belluarum corporibus adigit, eoq; utriuſque præcordia lacerans, fœlicem pugnæ eventum habuit. Cujus cultum Rex curioſius contemplatus, qvum hirtum atque hiſpidum animadvertiſſet, præcipuè tamen occiduæ veſtis horrorem, maximeq; incomptam braccarum ſpeciem eludens, Lothbrog eum per ludibrium agnominavit. Quem etiam ut ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum accerſit. Ille prius reviſendos ſibi, quos reliquerat, arbitros ajebat. Profectusq; eosdem futuræ epulationis gratia nitidius cultos adducit. Ac demum peracto convivio præfixum victoriæ pignus accepit. Ex quâ Rathbarthum Dunvattumq; egregiæ indolis pignora procreavit. Hiſdem Syvardus, Bjørnus, Agnerus, Ivarusq; naturâ fratres adjecti ſunt.

Interea Juti ac Scani inſopibili ſeditionis face ſuccenſi, abrogato Regneri titulo, Haraldo cuidam rerum contribuunt ſummam. Adverſum quos Regnerus legatis Norvagiam miſsis, qvum amica precaretur auxilia, Lathgertha priſtini amoris pertinaciore hauſtu exuberans, cum viro ac filio navigationem arripuit. Centum ac viginti navium claſſem ei, à quo olim repudio acta fuerat, exhibere ſuſtinuit. Qui etiam univerſæ opis egenum ſe judicans, ab omni ætate præſidium mutuari curavit, robuſtisq; imbecilles agglomerans, fortium cuneis ſenum puerorumq; partes inſerere non erubuit. Igitur apud campum, qui Latialiter Laneus dicitur, inprimis Scanorum res obterere orſus, grave cum factioſis bellum habuit. Ubi Ivarus ſeptimum agens annum, inſigni pugnâ editâ puerili corpore grandævum robur exercuit. Syvardus verò dum hoſti vim adverſo corpore ingerit, humi collapſus prono vulnus excepit. Quæ res inſpectantibus ſocijs graviſſimam circumſpiciendæ fugæ ſolicitudinem attulit, nec Syvardum modò, ſed & omnia ferè Regnericæ partis arma dejecit. Verùm hunc attonitarum mentium lapſum Regnerus virili opera hortatuq; firmavit, paratosq; vinci victoriam conari perpulit. Lathgertha quoq; teneris membris incomparabilem ſortita ſpiritum, trepidantis militiæ ſtudium ſpecioſo fortitudinis exemplo contexit. Militari namq; diſcurſu inopinatorum terga circumvolans, ſocialem metum in hoſtilia caſtra convertit. Ad ultimum laxatâ Haraldi acie, atq; ipſo per ſummam ſuorum ſtragem fugato, qvum domum ex acie revertiſſet, ſpiculo, quod togâ occultaverat noctu mariti jugulum attentavit, totiusq; potentiæ ejus ac nominis ſummam invaſit. Inſolentiſsimus namq; fœminæ ſpiritus abſq; viro regnum gerere, quàm fortunæ ejus communicare jucundius duxit.

Interea Syvardus oppido, quod in vicinia erat, allatus, curandum medicis corpus præbebat. Quibus ad ſummam usq; deſperationem provectis, dum vulneris immanitas adhibita fomentorum genera fruſtraretur, quidam ſtupendâ magnitudine ægri lectulum adire conſpectus, ſi ſibi illorum, quos armis oppreſſurus foret, animas dedicaſſet, protinus incolumitate gaviſurum promittit. Nec nomine quidem ſuppreſſo, Roſtarum ſe dici ſubjunxit. Animadvertens autem Syvardus parvulæ promiſſionis impendio ingens comparari beneficium poſſe, petitis cupidè paruit. Tunc ſenex attrectatæ tabis livorem repentino manus auxilio diſpulit, ſubitamq; vulneri cicatricem intendit. Poſtremo pupillas ejus pulvere perfundens abijt. Qui maculis repente coörtis eximiam vermiculorum ſimilitudinem obſtupeſcentibus oculis ingeneravit.

Credi-

REGNERVS. Lodbroghi.

Crediderim hujus miraculi auctorem futuram juvenis sæviciam evidentiori luminum testimonio prodere voluisse, nè perspicacior corporis pars sequentis vitæ præsagio vacua maneret. Quem anus, quæ potionibus ejus præerat, vermiculatas ore notas præferre conspiciens, inusitato juvenis horrore permota subito lapsu decidens, linqui animo cœpit. Quo evenit ut Syvardo serpentini oculi vulgatum latè cognomen accederet.

Interea nuptam Regneri Thoram violentus morbi casus absumpsit, eaq́; res amantissimo conjugis viro infinitam ægritudinis molestiam peperit. Quam optimè negotio discutiendam ratus, solatium ab exercitio mutuari, doloremq́; labore temperare constituit. Militiam itaq; detrahendæ ægritudinis, pariendiq́; solaminis gratia meditatus, statuit ut unusquisque paterfamilias, quem inter liberos contemptissimum duceret, aut si quem pigrioris operæ, ac minus spectatæ fidei servum haberet, stipendia sibi meriturum offerret. Quod edictum tametsi parum proposito competens videretur, invalidissimos Danicæ gentis aliarum nationum fortissimis præstare docuit, magnumq́; juventuti profectum attulit, delectis certatim socordiæ notam abstergere cupientibus. Præterea ut omnis controversiarum lis semotis actionum instrumentis, nec accusantis impetitione, nec rei defensione admissâ, duodecim patrum approbatorum judicio mandaretur, instituit. Cujus legis beneficio temeraria litium contractione summota, improborum calumniæ sufficienter obviatum existimans, arma in Britanniam erexit, Regemq́; ejus Hamam, Hellæ nobilissimi juvenis patrem, pugnâ perstrictum occidit. Inde Scotiæ ac Petiæ, insularumq́; quas Australes vel Meridianas vocant, ducibus interfectis, Syvardo ac Rathbartho filijs vacuas gubernatore provincias in potestatem addixit. Norvagiam quoq́; principe suo violenter exutam Fridlevo parêre præcepit, eundemq́; Orchadibus proprio duce defectis præferre curavit.

Interea Danorum quidam pertinacioris erga Regnerum odij, obstinatis ad rebellandum animis, Haraldi quondam profugi partibus advoluti, prostratam tyranni fortunam attollere conati sunt. Quâ temeritate insolentissimos belli civilis adversùm Regem spiritus excitaverunt, externisq́; liberum domesticis implicuêre periculis. Ad quos constringendos Regnerus cum insularium Danorum classe profectus, rebellium agmen elisit, Haraldumq́; superati exercitus ducem fugâ in Germaniam actum, honorem improbè partum impudenter abijcere compulit. Captivos quoq́; simplici morte afficere non contentus, tortos necare maluit, ut qui ad deserendam impietatem adduci non poterant, ne spiritum quidem nisi per summam pœnarum violentiam deponere sinerentur. Cæterùm latifundia eorum, qui cum Haraldo profugerant, secum stipendia peragentibus partitus est: eò patres punitiores judicans, quòd ad liberos, quos suo judicio repulissent, charioribus patrimonio spoliatis, honorem hæreditatis suæ translatum viderent. Sed ne sic quidem ultionis satietate perfusus, insuper Saxoniam, quod eam asylum hostium, Haraldiq́; profugium crederet oppugnare constituens, implorato filiorum auxilio, Carolum tunc fortè illis imperij sui finibus immorantem offendit. Cujus qvum interceptis vigilibus prajectas fefellisset excubias, atque ob hoc cætera factu levia duceret, conatuq́; promptiora speraret, subitò divina futuri muliercula, tanquam cœleste quoddam oraculum, aut divinæ voluntatis interpres, salutari Regem prædictione permonuit, adventantisq́; periculi malum fœlici vaticinio præcucurrit, Syvardi classem ad Sighnini fluminis fauces appulisse denuncians. Imperator attentè accepto monitu hostilem interpretatus advētum, significatos sibi barbaros pugnæ opposit u constringendos curavit. Quâ in Regnerum habit non similiter ut discriminis cautelam hausit, belli actum implevit Itaque infatigabilis ille totius penè Europæ domitor, serenissimis amplissimisq́; victorijs tantam terrarum partem e-

 mensus

REGNERUS. Lodbrogh.

mensus, tot civitatum, tot gentium victorem exercitum, aversis bello pectoribus, unius provinciæ parvulâ manu profligatum aspexit.

Cùmque Regnerus oneratis tributo Saxonibus de morte Herothi certum è Suetia nuncium accepisset, liberosque suos Sørli suffecti Regis calumniâ avitis bonis exutos cognosceret, Biørni, Fridlevi, atque Rathbarthi collegium apprecatus (nam Regnaldus, Witsereus, & Ericus, quos ex Suanlogha progenuerat, nondum habilem armis ætatem impleverant) Svetiam petijt. Cui occurrens cum exercitu Sørlus, publicè an privatim dimicandi optione factâ, singularem deligenti conflictum, Scardhum spectatæ audaciæ pugilem, cum septenâ filiorum manu ex provocatione pugnaturum admovit. Cum quibus Regnerus tribus filijs in certaminis societatem assumptis, utroque exercitu inspectante congressus, agone victor excessit. Biørnus verò, quod integer hosti cladem ingesserat, tanquam à ferrei lateris firmitate sempiternum usurpavit agnomen. Qua victoria Regnerus omnis periculi superandi fiduciam nactus, Sørlum, cum universis, quas ductaverat, copijs impetitum occidit. Cumq; Biørno ob conspicuæ fortitudinis meritum Sveticâ prælatione donato, aliquanto bellorum interstitio quievisset, cujusdam forte mulierculæ amantior factus, quo promptiorem sibi potiendæ ejus aditum strueret, patrem ipsius amplissimo beneficentiæ cultu officiosissime captandum curavit. Sæpè enim numero accersitum ad epulas plurimæ comitatis officijs prosequebatur. Nam & venientem assurgendi reverentiâ, discumbentemq; proximo sibi consessu veneratus est. Sæpe etiam donis, interdum benignissimo recreavit alloquio. Qui qvùm tantæ honorationis causam à nullo suo merito profectam animadverteret, cogitatione variè deflexâ, ex amore filiæ suæ tacitam principis liberalitatem descendisse cognovit, libidinosum propositum humanitatis nomine colorantis. Quam, ut exactissimum amantis ingenium frustraretur, tantò impensius observandam curavit, quantò eam latentiorib9 studijs ac pervicacioribus modis ambiri comperit. Verum Regnerus certissimo consensus ejus nuncio recreatus, villam, in qua asservabatur, accessit, nihilq; amori invium putans, in vicino quendam rusticæ vitæ solitarius hospitio petijt. Manè commutata cum fœminis veste, amicæ laneum opus explicanti muliebriter cultus astitit, virgineoq; operi rudes artificij manus callidè, nè proderetur, admovit: nocte vero votis virginem amplexatus indulsit. Cumq; maturescente partu, temeratæ pudicitiæ facinus tumidiore puellæ gremio proderetur, incertus pater cui se filia polluendam dedisset, ignoratum stupri auctorem ex ipsa maxime cognoscere perseveravit. Quâ se neminem præter pedissequam lecti participem habuisse pertinacius affirmante, rem Regi cognoscendam mandavit. Ille insontem famulam inusitatâ criminatione notari non sustinens, proprij sceleris professione alienæ innocentiæ fidem facere non erubuit. Quâ humanitate, & muliebris calumniæ partes repulit, & nè riduculus rumor apud improbas aures fereretur effecit. Prætereà gignendum ex ea filium sui sangvinis esse, quodque eum Ubbonem nuncupari vellet, adjecit. Qui qvum aliquatenus excrevisset, teneræ ætatis ingenio maturæ discretionis habitum apprehendit. Matris enim dilectionem, quòd excellenti se toro miscuisset, amplexus, venerationem patris, quòd ad obscuriorem justo copulam descendisset, abjecit.

Post hæc Regnerus expeditionem in Hellesponticos parans, vocatâq; Danorum concione, saluberrimas se populo leges laturum promittens, ut unusquisque paterfamilias, sicut antè, quem minimi inter liberos duxerat, militaturum exhiberet, ita tunc valentioris operæ filium, aut probatioris fidei servum armaret, edixit. Quo facto, omnibus, quos ex Thora procreaverat filijs, præter Ubbonem, assumptis, Hellespontum, ejusq; Regem Dian, varijs contusum bellis lacessendo perdomuit. Ad ultimum, eundem creberrimis discriminibus implicatum extinxit. Cujus filij Dian & Daxon olim Ruteni Regis filias maritali sorte complexi, impetratis à socero copijs, ardentissimo spiritu paternæ vindictæ negotium rapuerunt. Quorum Regnerus immensum animadvertens exercitum, diffidentiâ copiarum habitâ, equos æneos ductilibus rotulis superpositos, ac versatilibus curriculis circumductos, in confertissimos

REGNERUS Lodbrogh.

hoſtes maxima vi exagitari præcepit. Quæ res tantum ad laxandam adverſariorum aciem valuit, ut vincendi ſpes magis in machinamento, quàm milite repoſita videretur. Cujus intolerabilis moles quicquid impulit obruit. Altero ergo ducum interfecto altero fugâ ſublapſo, univerſus Helleſponticorum ceſſit exercitus. Scythæ quoq; Daxon arctiſſimo materni ſanguinis vinculo contingentes, eodem obtriti diſcrimine referuntur. Quorum provinciâ Witſerco attributâ, Rutenorum Rex parum viribus fidens, formidoloſa Regneri arma fugâ præcurrere maturavit.

At Regnerus cæteris prompta ſibi deditione ſubſtratis, qvum quinquennem propemodum piraticam explevißet, Bjarmos nuper devictos, invalidâ ſubjectionis fide palàm imperium detrectantes, invenit. Qui qvum adventum ejus compertum haberent, carminibus aggreßi cœlum, ſolicitatas nubes ad ſummam uſque nimborum violentiam impulerunt. Quæ res Danos aliquamdiu navigatione prohibitos alimentorum facultate defecit. Eoſdem quoque, ſubitò remiſsâ tempeſtate, æſtuoſiſſimi fervoris flagrantia torruit. Nec ea quidem peſtis concitati frigoris magnitudine tolerabilior extitit. Itaq; anceps geminæ intemperantiæ malum, viciſſim affecta corpora immoderatâ utriuſq; ſtatus acceßione corrupit. Cæterum laxi ventris profluvium complurimos exanimavit. Ita Danorum pleriq; dubiâ cœli qualitate concluſi, paßim obortâ corporum peſtilentiâ deceſſerunt. Cumq; ſe Regnerus adulterinâ magis quàm verâ aëris vi præpeditum animadverteret, utcunq; navigatione productâ, in Curorum Semborumq; regionem acceßit; qui majeſtatem ejus perinde atq; honoratiſſimi victoris amplitudinem impenſius venerati ſunt. Quo beneficio Rex magis adverſus Bjarmorum inſolentiam efferatus, ſpretæ majeſtatis ſuæ vindictam inopinato petivit aſſultu. Quorum ignoti nominis Rex ſubitaneâ hoſtium irruptione perculſus, ſimulq; conferendæ cum ipſis manus fiduciâ vacuus, Matullum Finmarchiæ ducem perfugio petiit. Cujus peritiſſimâ ſagittariorum operâ fretus, Regneri apud Bjarmiam hyberna peragentem impunè laceravit exercitum. Quippe Finni lubricorum ſtipitum celeri allapſu curſum intendere ſoliti, arbitrariâ velocitatis potentiâ rapiuntur, promptiſſimamq; propinquitatis vel abſentiæ facultatem obtinere creduntur. Mox enim ut hoſtem læſerint, eâdem celeritate, quâ ſubeunt, avolant, nec procurſu languidius reditum tentant. Itaq; & vehiculorum, & corporum, agilitate, inſtandi fugiendiq; expertiſſimam obtinent poteſtatem. Credendum eſt tunc Regnerum fortunæ ſuæ imbecillitatem admiranter tuliſſe, qvum ſe olim Romani culminis triumphatorem, ab inermi inconditoq; agmine ad ultimum uſq; diſcrimen abripi pervideret. Itaq; qui ſplendidiſſimum Romanæ militiæ decus, maximiq; ac ſereniſſimi ducis inſignes copias excellenter obtriverat, agreſtis & ignobilis vulgi ſordidiſſimo atq; tenuiſſimo apparatui ceßit: isq; cujus bellicam antea claritatem fortiſſimæ gentis vis hebetare nequiverat, deſpicabilis populi parvulam manum ſuſtinere non valuit. Quo evenit, ut eâ manu, quâ clariſſimam orbis pompam, ac graviſſimum militaris roboris inſtrumentum fortiſſimè contudit, quâ tot peditum, tot caſtrorum, tanti equitatus fragorem apertiſſimè ſubruit; vilem obſcuramq; plebeculam furtim & quaſi per latrocinium inceſſere ſuſtineret, illuſtremq; gloriam ſuam palàm atq; interdiu partam nocturnâ fallaciâ maculare non erubeſceret, manifeſtæ fortitudinis loco clandeſtinas amplexatus inſidias. Quæ res ut opere deformis, ita exitu utilis fuit. Nec Finnorum, quàm Caroli fugâ, parcius gratulatus eſt, plus ſe virium in nudiſſima plebe, quàm in inſtructiſſimo milite reperiſſe confeſſus. Siquidem graviſſimam Romanorum armaturam, quàm levia pannoſæ gentis ſpicula tolerabilius ferre potuit: ubi Bjarmorum Rege interfecto, Finnorum verò fugato, Regnerus ſaxis rerum geſtarum apices præ ſe ferentibus, hiſdemque ſupernè locatis, æternum victoriæ ſuæ monimentum affixit.

Interea Ubbo per avum ſuum Hesbernum ad ſacrilegam regni cupiditatem adductus, abjecta paterni reſpectus verecundia, capiti ſuo regium arrogavit

REGNERUS. *Lodbrogh.*

inſigne. Cujus qvum Regnerus inſolentiam ex Svetiæ ducibus Kelthero Thorkilloque cognoſceret, Gothiam verſus perproperè navigationem exercuit. Quos Hesbernus Regneri partibus ſingulari fide devinctos expertus, præmio ſolicitatos Regis deſertores efficere laborabat. Illi non flexo è ſententia propoſito, ex Biørni arbitrio ſuum conſiſtere retulerunt, confeſſi Sveonum neminem, quod ab ejus placito deſtitiſſet, auſurum. Nec ſegniter ipſum Hesbernus benigniſſimis legatorum alloquiis captavit. Qui ſe perfidiæ quàm bonæ fidei propiorem fore denegans, piiſſimi patris amori improbiſſimi fratris gratiam anteferri perquàm nefarium judicabat. In ipſos verò legatos perinde ac graviſſimi criminis hortatores laqueo animadvertit. Sveti quoque de reliqua legatorum turba pari clade noxiæ exhortationis pœnas ſumpſerunt. Igitur Hesbernus occulto clandeſtinoq; paratui parùm proſperum ratus conſtare progreſſum, adſcitis palàm copiis, manifeſtè procurrit ad bellum. At præfectus Jutiæ Ivarus neutram ſacrilegæ pugnæ partem pietate propinquam autumans, impium bellum voluntario præcucurrit exilio. Regnerus verò Hesbernum apud ſinum, qui Latialiter Viridis appellatur, aggreſſus, occidit, exanimisq; abſciſſum caput prorâ excipi mandans, terribile factioſis ſpectaculum edidit. Ubbo verò profugio uſus, itemq; patrem, revocato apud Sialandiam bello, adortus, dum laxatâ ſuorum acie undiq; ſolus impetitur, tantum adverſi agminis fudit, ut hoſtilium cadaverum excremento, perinde ac munitione firmiſſimâ circumactus, facile provocantium inhiberet acceſſum. Ad ultimum frequentioribus hoſtium globis obfuſus comprehenſusq;, publicis vinculis onerandus abſtrahitur. At ille immenſâ vi extricatis reſciſſiſq; catenis, inditos ſibi nexus disjicere ac lacerare adorſus, nullis tamen obitum modis effugere potuit. At ubi Ivarus tumultum patriæ factioſi ſupplicio diſcuſſum comperit, Daniam petiit. Quem Regnerus, quòd inter ſæviſſimas parricidiorum procellas, integerrimum ſe pietatis cultorem geſſerat, ampliſſimâ veneratione ſuſcepit.

Intereà Daxon Withſercum Svetiæ principantem diu nequicquam ſuperare conatus, tandem factæ pacis commento circumventum aggreditur. Convivialiter ab eo exceptus, armatum ſubornavit exercitum, qui ſimulatâ mercatione in urbem rhedis advectus, hoſpitis domum nocturno laceraret aſſultu. Cujus latrocinii manum tanta Withſercus ſtrage perculit, ut hoſtilium corporum cumulo circumfuſus, niſi ſcalis ſupernè admotis comprehendi nequiret. Duodecim quoq; comites ejus pariter ab hoſte capti, facta ſibi repetendæ patriæ poteſtate, devotis pro Rege capitibus, alienum participare periculum, quam ſuum abjicere maluerunt. At Daxon egregiæ Withſerci formæ miſeratione permotus, orientem ſpecioſiſſimæ indolis florem convelli paſſus non eſt. Cui non tantum ſalutem, ſed & filiam dimidio regni ſui dotatam in matrimonium obtulit, ac decori incolumitatem, quàm fortitudini pœnam afferre maluit. Ille vero precariæ vitæ uſum animi magnitudine floccipendens, impunitatem perinde atq; parvulum aliquod beneficium reſpuit, mortis ſententiam ſua ſponte complexus; præfatus Regnerum vindictam filii remiſſius exacturum, ſi eum in eligendo mortis genere proprio uſum arbitrio comperiſſet. Cujus temeritatem admiratus hoſtis, ea fati ſpecie, qua ipſe in ſe animadvertiſſet, conſumendum eſſe promittit. Quam libertatem juvenis ingentis beneficii loco ſuſcipiens, vinctum ſe cum ſociis cremari petivit. Nec ſegniter Daxon avidis fati precibus obſecutus, pro beneficio optatæ mortis ſupplicium erogavit. Quo audito, Regnerus obſtinato ad moriendum luctu, non modo mœrorem induit, verum & per ſummam animi ægritudinem lectulo corpus affixit, doloremq; conceptum gemitu patefecit. Quem conjunx virilem ſupergreſſa fiduciam, imbecillitatis increpitum virili adhortatione firmavit, revocatumq́, à mœrore animum, arma impenſius celebrare perdocuit; affirmans fortiſſimum patrem cruentos filii cineres juſtius armis quàm lacrymis expiaturum. Monuit quoq; nè muliebriter lugens, tantum ſibi ignominiæ fletu pareret,

reret, quantum antea claritatis virtute contraxerat. At hanc vocem veritus Regnerus, nè priſtinos fortitudinis titulos effœminato mœrore contereret, diſcuſſo mœſtitiæ habitu, depoſitiſq; doloris inſignibus, promptiſſima vindictæ ſpe jacentem revocavit audaciam. *REGNERUS lodbrogh.* Adeò interdum ab invalidis fortia roborantur ingenia. Ivaro ergo regni tutelam deferens, Ubbonemq; priſtinæ gratiæ redditum paternâ charitate complectens, trajectâ in Ruſſiam claſſe, comprehenſum Daxon, catenarumq; pœna coërcitum, apud Utgarthiam cuſtodiæ relegavit. Siquidem tunc Regnerum adverſus chariſſimi filii interfectorem, clementiſſimâ animi moderatione uſum eſſe conſtabat, cum ad concupitæ ultionis ſatietatem, exilium ſontis, quàm necem ſufficere maluit. Quâ quidem humanitate magnus Ruthenis injectus eſt rubor, ulterius adverſus eum ſæviendi Regem, quem ne injuriarum quidem acerbitate ad infligendam captivis mortem impellere potuerunt. Eundem quoq; Regnerus brevi in gratiam reductum patriæ reddidit, pollicentem ſe ei annuò nudatum pedes, cum duodecim patribus diſcalceatis ſuppliciter tributa penſurum. Enimvero in captivum ac ſupplicem leniter animadvertere, quàm cruentam ſecurim diſtringere, ſuperbamq; cervicem ſedulo mulctare ſervitio, quàm ſemel elidere ſatius duxit. Inde provectus filium ſuum Ericum, Ventoſi pilei cognomen habentem, Svetiæ præfert. Ubi, Fridlevo atq; Sivardo apud ſe ſtipendia merentibus, Normannos Scotosq; duobus aliis falsò Regis nomen irrogaſſe comperiens, inprimis Norvagicæ rei uſurpatorem ſuſtulit, eamq; Biørno fruendam tradidit.

DEINDE eo atq; Erico adſcitis Orcades populatus, ad ultimum Scotorum finibus appulit, eorumq; Regem Murial triduano exhauſtum prælio interfecit. Verùm filii ejus Dunvat, atq; Rathbarthus pugnâ ſpectabiliter editâ ab hoſte necati, ſanguine ſuo cruentam patri victoriam pepererunt. Cumq; in Daniam reverſus conjugem Svanlogam interim morbo cognoviſſet abſumptam, protinus ſolicitudini remedium ſolitudine quæſivit, ægræq; mentis luctum intra penatium ſuorum clauſtra cohibere paſſus eſt. Verùm hanc mœroris acerbitatem Ivari regno pulſi repentinus detraxit adventus. Quippe Angli, fugato eo, in Hellam quendam Hamonis filium falſam Regis contulerant poteſtatem. Quo duce Regnerus perinde atq; locorum perito uſus, editâ claſſe, portum, qui Norvicus appellatur, acceſſit, ubi expoſitis copiis, Hellam Gallicanâ virtute ſubnixum, poſt extractam in triduum pugnam fugæ amantem effecit, eaq; res creberrimo Anglorum, rariſſimo Danorum ſanguine conſtitit. Cumq; ibidem Regnerus annum victor expleſſet, conſequenter excitis in opem filiis Hyberniam petit, occiſoq; ejus Rege Melbrico, Duflinam barbaris opibus refertiſſimam obſedit, oppugnavit, accepit: ibiq; annuò ſtativis habitis, mediterraneum fretum pernavigans ad Helleſponticum penetravit, interjecta regnorum ſpatia clariſſimis emenſus victoriis, continuæ fœlicitatis progreſſum nuſquam interpellante fortuna.

Inter hæc Haraldus quorundam aſtipulatione Danorum, Regneri militiam languidiore ſtudio comitantium, recidivos patriæ tumultus incutiens, regii nominis uſurpator emerſit. Qui Regneri ab Helleſponto redeuntis armis exceptus, cùm rebus infeliciter geſtis exhauſta domeſticæ opis præſidia animadverteret, Ludóvicum Maguntiæ conſtitutum auxilia petiturus acceſſit. At Ludovicus ſummo amplificandæ religionis ardore confertus, conditionem Barbaro intulit, opem ſpondendo, ſi Chriſti cultum exequi conſenſiſſet. Nullam enim poſſe ajebat animorum intervenire concordiam, diſſona ſacra complexis. Quamobrem petitorem opis primum religionis contubernio opus habere, neq; magnorum operum conſortes exiſtere poſſe, quos ſupernæ venerationis formula diſparaſſet. Qua ſententia & ſalutem hoſpiti, & ſibi pietatis præconium peperit. Haraldum enim ſolenni lavacro uſum conſequenter Saxonicis roboravit auxiliis. Quibus is fretus, in territorio Sleſvicenſi dicandam Deo ædem ſolicitâ moliebatur impensâ. Hic itaq; ſanctiſſimi tenoris

REGNERUS. Lodbrogh.

ſpecimen à Romanis ritibus mutuatus, profanato perfidorum errore, delubra diruit, victimarios proſcripſit, flaminium abrogavit, atq; inconditæ patriæ Chriſtianiſmi ſacra primus intulit, rejectoq; dæmonum cultu, divinum æmulatus eſt. Supremò, quicquid ad cuſtodiam religionis attinuit, ſcrupuloſiſſimâ curâ ſervavit. Sed non tam efficaciter, quàm piè rem auſpicatus eſt. Superveniens enim Regnerus, inductaq; per eum ſacra temerans, verâ religione proſcriptâ, priſtino adulterinam loco reſtituit, ac ſuo cæremonias honore donavit. Haraldus vero profugus fortunam ad ſacrilegium tranſtulit. Nam ut præcipuum inchoatæ religionis ſpecimen, ita primum neglectæ ſpectaculum fuit, atq; ex ſplendido ſanctitatis autore, infamis ejusdem deſertor evaſit.

Interea Hella ad Hybernos collatus, omnes qui ſe Regnero propiore fide devinxerant, ferro ſuppliciisq; mulctavit. Quem Regnerus claſſe adortus, juſtâ omnipotentis animadverſione manifeſtas detractæ religionis pœnas pependit. Comprehenſus enim atq; in carcerem conjectus, noxios artus colubris conſumendos advertit, atq; ex viſcerum ſuorum fibris triſtem viperis alimoniam præbuit. Cujus adeſo jecinore, cum cor ipſum funeſti carnificis loco coluber obſideret, omnem operum ſuorum curſum animoſâ voce recenſuit; ſuperiori rerum contextui, hanc adjiciens clauſulam; Si ſuculæ verris ſupplicium ſcirent, haud dubio, irruptis haris, afflictum abſolvere properarent. Quo dicto Hella adhuc nonnullos filiorum ejus vivere interpretatus, quieſcere carnifices, amoveriq; viperas jubet. Cumq; ſatellites peragendæ juſſionis gratiâ accurriſſent, Regnerus imperium Regis funere ſuo præceſſerat. Quem quid aliud quàm duas inter ſe fortunas partitas eſſe dicemus; alteram, quæ ei incolumem claſſe, propenſum imperium, præcipuas piraticæ vires adjiceret: alteram, quæ claritatis ruinam, commilitonum necem, acerbiſſimum vitæ exitum irrogaret, cum ipſum carnifex venenatis belluis circumfuſum, eo corde, quod adverſus omne diſcrimen immobile geſſerat, aſpides exatiantem videret. Itaq; ex ſpecioſiſſimo victore ad miſerabilem captivi ſortem deductus, nè quis nimium fortunæ credat, edocuit.

Quem caſum Ivarus, dum fortè ludos inſpectaret, accepit. Sed nihilominus vultum in eodem habitu continens, ſolitoq; nulla ex parte infractior, non ſolùm nunciatam parentis cladem doloris diſſimulatione ſuppreſſit, ſed nè ſtrepitum quidem exoriri paſſus, attonitum rumore populum theatro diſcedere vetuit. Itaq; neque oris hilaritatem depoſuit, nè ceſſato ludo ſcenam interrumperet, neq; oculos à publico plauſu ad privatam mœſtitiam flexit, nè ex ſummo tripudio repente in ultimum prolapſus mœrorem potius calamitoſi filii, quàm jocabundi ducis partes egiſſe videretur. Sivardus verò eodem nuncio accepto, propior paternæ charitati, quàm privatæ paſſioni, haſtile, quòd fortè in manu habebat, altius pedi ſtupefactus immerſit, triſtitiæ ſalebrâ corpoream negligente moleſtiam. Ut enim animi vulnus patientius ferre potuiſſet, corporis partem gravius afficere ſtuduit. Quo facto ſimul fortitudinem mœroremq; detexit, fortunam ſuam inter calamitoſum filium, conſtantemq; partitus. At Biørnus inter teſſerarum jactus delato ad ſe paternæ mortis nuncio, tanta vi correptum manu calculum preſſit, ut tabulæ quoque cruorem digitis extortum infunderet; ubi nimirùm fortunæ jactum ipsâ, quam verſabat, aleâ leviorem eſſe didicit. Quod audiens Hella, hunc trium parentis obitum fortiori animi robore ſuſtinuiſſe judicavit, qui nihil pietatis ejus funeri præſtitiſſet, ideoq; ſibi Ivari ſuſpectiſſimam haberi virtutem. Ivarus verò petitis Angliæ partibus, qvum claſſem ſuam conſerendi cum hoſte belli impotentem animadverteret, aſtum audaciæ præferens, Hellam acumine tentat, ſpatium arvi, quantum equino tergore complecti potuiſſet, in ſequeſtræ pacis pignus expoſtulans. Et quidem,

quod

REGNERVS.

quod petijt, impetravit. Rex enim parvo preces stare autumans, à tanto hoste exiguum munus magnæ rei loco expeti gratulatus est, ratus perquàm breve tergus paululum ruris occupaturum. At Ivarus corio in exiles admodum corrigias scissim extracto, habilem exædificandæ urbi agrum implicuit. Igitur Hella prodigalitatis pœnitentiâ succedente, magnitudinem corij serâ æstimatione collegit, divisam cuticulam rectius quàm incolumem mensus. Quam enim exiguum soli cincturam credidit, amplissima jugera latius occupantem aspexit. Ivarus vero conditæ vrbi abunde suffecturos obsidioni commeatus invexit, ab inedia perinde atq; hoste defensam haberi cupiens.

Interea Sivardus ac Biørnus cum quadringentarum navium classe supervenientes, bellum Regi manifesta provocatione significant. Idque statuto tempore executi, comprehensi ipsius dorsum plagâ aquilam figurante affici jubent, sævissimum hostem atrocissimi alitis signo profligare gaudentes. Nec vulnus impressisse contenti, laceratam salivêre carnem. Taliter perempto Hella, Biørnus ac Sivardus regna sua reduces expetivere. Ivarus Angliam biennio tenuit. Interea Dani perseverantissima bellum factione complexi, Syvardo cuidam atque Erico, regia gente creatis, publicam detulêre tyrannidem. Quos Regneri filij communiter mille septingentarum navium classe apud Slesvicum adorti, semestri delevêre pugnâ. Colles indicio manent. Nec minus is, apud quem belligeratum est, linus Syvardi funere inclaruit. Jamq; præter Regneri filios regius propemodum interierat sangvis. Exinde Biørno atq; Erico domum reversis, Ivarus atq; Syvardus, quò tenaciores rebellibus frenos imponerent, in Dania resederunt, Agnerum Angliæ præferentes. Qui repulsâ provocatus Anglorum, opitulante Sivardo, contemptricem sui provinciam incolis vacuefaciendo tenacia situ jugera cultore carere, quàm insolentem alere maluit, pingvissimaq; insulæ rura teterrimâ vastitate perfundens, desertæ quàm superbæ regioni imperitare satius autumavit. Post hæc Ericum apud Svetiam Osteni cujusdam malignitate sublatum ulcisci cupiens, dum alienæ vindictæ arctiùs incumbit, suum hosti sangvinem erogavit; dumq; cæsi fratris pœnas avidius expetit, proprium fraternæ charitati funus impendit.

III. SIVARDVS

ITAQUE Sivardus summis totius Danicæ concionis suffragijs paternum apprehendit imperium. Hic autem post editas latè strages domestica claritate contentus, togâ quàm armis illustris haberi maluit; omissoq; castrorum cultu, ex acerrimo tyranno exactissimum pacis custodem agere cœpit, tantum decoris in otio atq; vacatione constituens, quantum antè in victoriarum frequentiâ repositum autumabat. Adeò autem studiorum ejus mutationem fortuna favorabiliter prosecuta est, ut sicut ipse neminem, ita nec ipsum quisquam hostiliter laceraret. Idem fato functus, Ericum admodùm infantulum naturæ magis quàm regni aut pacis hæredem habuit. Quippe Ericus Haraldi frater tenerrimam ejus ætatulam spernens, irruptâ cum seditiosis patriâ, Regium occupavit insigne; nec erubuit lacessitâ legitimi ducis infantiâ, adulterinam arripere potestatem, hoc se regno indigniorem comprobans, quod imbellem eo spoliare sustinuit. Igitur illum sceptro, seipsum virtutibus exuit, & dum armis incunabula appetit, omni pectus virilitate nudavit. Neque enim ubi cupiditas ambitioq; flagravit, consangvinea charitas sedem habuit. Sed hanc inhumanitatem supernæ ultionis ira pensavit. Inter ipsum namq; ac Guthormum Haraldi filium subitò tanta clade confectum est bellum, ut eorum utroque cum innumeris alijs interempto, regia Danorum stirps atrocissimis exhausta cædibus, ad unicum superioris Sivardi filium redigeretur.

IIII. ERICVS. I.

HIC consangvineorum jacturâ regnandi fortunam adeptus, utpote propinquorum nece quàm incolumitate felicior, relictis aliorum exemplis, per aviti negotij vestigia decurrit. Repentè namq; studiosissimus piratici muneris executor apparuit. Et utinam in abolendo Christianismi cultu temerarium Regneriani spiritus non egisset hæredem. Siquidem religiosissimum quemque

aut

ERICVS I. aut supplicijs insequi, aut rebus exuere, exilióque mulctare perseveravit. Sed frustrà principium causer, cujus exitum probem. Laudabilior enim est vita, cujus initium turpe speciosus finis abripit, quàm cujus probabile exordium in culpas flagitiaque decurrit. Siquidem Ericus ad salutares Ansgarij monitus sacrilegæ mentis errore deposito, quicquid per ejusdem insolentiam commiserat, expiavit, tantumq; in excolenda religione se gessit, quantum egerat in aspernanda. Itaque non solum sanioris disciplinæ haustum docili animo traxit, verumetiam primævas maculas finali puritate pertersit. Hic filium Kanutum ex Guthormi filia, eademq; Haraldi nepte, progenitum superstitem moriens dereliquit.

LIV. CANVTVS I. Huj9 infantiâ manente, regni pupilliq; tutor exposcitur. Verùm quoniam hujusce muneris advocationem præstare plerisq; vel invidiosũ vel arduũ videbatur, sortitione virum legi placuit. Prudentissimi namq; Danorũ in tã excellenti negotio arbitrario delectu uti pertimescentes, plus alienæ fortunæ, quàm suis sententiis permiserunt; electionis eventum fortuito magis quàm solido consilio delegantes. Quo evenit ut Ennignupus quidam amplissimæ atque integerrimæ virtutis, tàm onerosæ functioni humeros suos submittere cogeretur, decretamq; sorte administrationem ingressus, non minus universorum res, quàm singularia Regis incunabula tueretur. Unde & ei quidam parùm annalium periti medium in fastis locum tribuunt. Cumque Canutus decursis adolescentiæ spatijs ab annis virilitatem traxisset, amotis qui sibi beneficium educationis impenderant, ex penè desperato adolescente autor insperatæ probitatis evasit: hoc uno deflendus, quod absq; Christianæ religionis insignibus è vita ad mortem transitum habuit.

LV. FROTHO VI. Sed mox ad filium ejus Frothonem rerum summa concessit. Cujus fortuna armis belloq; alita, eò felicitatis excessit, ut provincias, quæ à Danis quondam defecerant, pristino adactas jugo, vetustis alligaret obsequijs. Qui etiam seipsum apud Angliam jam pridem Christianismi peritam, solennibus aquis humectandum exhibuit. Cæterum privatam salutem suam in publicam exuberare cupiens, ab Agapito, qui tunc civitatis Romanæ sacris præerat, Daniam divinitus erudiri petivit. Quod antequam votis exequeretur, absumptus est. Nam fatis suis Romanæ legationis præcurrit adventum; animo certe quàm effectu superior, tantumq; supernæ compensationis ob pietatis propositum assecutus, quantum cæteris præstatur ex opere.

LVI. GORMO Anglicus. HVIVS filius Gormo, cui quod ex Anglia oriundus extitit, Anglici cognomen incessit, patre extincto, promptiore fortunâ quàm diuturniore, apud insulam, regiam adeptus est arcem. Dùm enim Daniam disponendæ ejus gratia petisset, ex Anglia, longam parvuli secessus jacturam expertus est. Quippe Angli libertatis suæ fortunam in ejus absentia reponentes, publicam à Danis defectionem moliendo, præcipitem rebellandi fiduciam induerunt. Sed quò eum Anglia invidentius sprevit, hoc Dania fidentius coluit. Itaque dum ad duarum provinciarum utramque avidas imperij manus porrexit, altera potitus, alterius irrevocabiliter dominationem amisit, nihil unquam fortiter pro ipsius recuperatione conatus. Adeò difficilè prægrandia continentur imperia.

LVII. HARALDVS. Post quem filius ejus Haraldus Daniæ regnator incessit ob hoc quidem obscurioris apud posteros memoriæ, egregiorumq; operum monimentis vacuus, quòd regiarum opum servator magis quàm propagator extiterit.

LVIII. GORMO. Post hunc Gormo arcem obtinuit, semper infensi erga religionem animi, Christicolarum perindè ac teterrimorum hominum respectum extinguere cupiens. Omnes hujusce normæ participes vario injuriarum genere fatigatos, quibus potuit calumnijs, insequi non quievit. Quinetiam ut priscum delubris cultum restitueret, templum in fundo Slesvicensi à religiosis conditum, tanquàm sacrilegum aliquod impietatis domicilium, ab imis fundamen-

GORMO.

damentorum partib9 demolitus eſt,quos ſuppliciis non attigerat,ſacræ cellæ ſtrage puniens. Hic tametſi proceritatis habitu eximius putaretur, parum reſpondentem corpori animum geſsit. Ita enim mores ſuos intra regnandi ſatietatem continuit,ut ſervatâ potius quàm auctâ majeſtate gauderet,ſatiusq; tueri proprium,quàm alienum inceſſere duceret, magis de acquiſitorum cuſtodia,quàm acquirendorum incremento ſolicitus. Hic à majoribus conjugalia ſacra celebrare permonitus,Anglorum Regis Edelradi filiam Thyram nuptiali ſtudio inſecutus eſt. Illa ut erat gravitate atque induſtriâ ante alias præſtans, conditionem proco attulit,non antè ſe ei nupturam præfata, quàm Daniam ſub dotis nomine recepiſſet.Eoque pacto intercedente, Gormoni deſponſa, nocte,quâ prima genialem torum conſcendit,ſponſum perſeverantiſſimis precibus aggreſſa in triduum ſe virilis concubitus expertem dimitti petivit, non antè rebus Venereis indulgere conſtituens,quàm matrimonium creandis liberis efficax futurum aliquo per quietem præſagio didiciſſet. Itaque ſimulatione continentiæ, matrimonij experientiam interpellabat, cognoſcendæ poſteritatis propoſitum pudicitiæ ſpecie colorando; commerciumque libidinis diſtulit,verecundiæ figmento fortunam propagandæ ſucceſſionis explorans. Alij eam, ut temperantiâ ſuâ tori ſocium Chriſtianiſmi ſacris adſciſceret, maritalis lecti blanditias detrectaſſe conjectant. Verùm quanquam Juvenis amori ejus flagrantiſſimo animo inhæreret,alienę tamen continentiæ,quàm propriæ voluptati obſequi prætulit; ſpecioſiusque nocturnis motibus imperare,quàm lacrymoſa amicæ vota repellere arbitratus eſt, profectas ab induſtria preces pudicitiæ propinquas autumans.Evenitque,ut qui mariti partes agere debuerat, pudicitiæ cuſtodem præſtaret,ne in capite nuptiarum ſtuproſæ mentis notâ afficeretur,quaſi plus libidinis viribus, quàm propriæ indulſiſſet verecundiæ. Cæterùm ne inconceſſum virginis amorem libidinoſa complexu præripere videretur,vicina latera non ſolum alterius complexibus exuit,ſed etiam diſtricto mucrone ſecrevit, atque ex cubiculari lecto ſuum ac ſponſæ dividuum contubernium reddidit. Sed voluptatem,quam gratuitâ humanitate diſtulit, mox lætâ ſomnij ſpecie delibavit.Quippe profuſo in ſomnum animo,exiſtimavit duos alites conjugis ſuæ genitali parte prolapſos,ſed alterum altero grandiorem,corpora ſupernè librantes, præpeti cœlum volatu petere, exiguoque tempore interjecto reverſos,ſuis altrinſecus manibus inſediſſe. Secundò quoque ac tertiò parvula quiete recreatos, propaſſis alis aëri ſe crediδiſse: tandèmque minorem ex his ad ſe pennis cruore oblitis comite vacuum remeaſſe. Ea opinione attonitus,ut erat ſomno preſſus,indicem ſtuporis queſtum edidit, ac totos penates tumultuoſo clamore complevit. Quàm ſpeculationem eo perconantibus famulis explicante, Thyra fœlicem ſe prole futuram autumans,omiſso differendarum nuptiarum propoſito, caſtimoniam, quam cupidè precata fuerat, avidius remiſit; cœlibatumque ad venerem transferens, ſponſo gratam ſuimet potiendæ copiam tribuit; continentis animi virtutem admiſſi concubitus ſatietate penſando, præfata minimè ſe ei nupturam fuiſſe, niſi ex his adumbratæ quietis imaginibus certiorem fœcunditatis ſuæ fortunam hauſiſſet.Itaque ut vafro,ità inuſitato conſilio pudicitiæ ſimulatio in futuræ prolis agnitionem tranſivit. Nec ſors opinionem ejus fruſtrata eſt. Brevi enim Haraldi atque Kanuti fœlix prole mater apparuit. Qui cum virilem attigiſſent ætatem,exerta claſſe effrenatam Sclavorum inſolentiam domuerunt. Nec Angliam quidem immunem ab hoc vexationis genere reliquerunt.Quorum Edelradus ingenijs delectatus, illatam à nepotibus vim voluptatis loco habuit,ampliſſimi beneficij nomine teterrimam amplexatus iniuriam.Multo enim amplius virtutis in eorum fortitudine, quàm pietate repoſuit. Ideoq; ab infeſtis laceſſi, quàm ab ignavis coli ſpecioſius duxit,tanquam ex ipſo fortiſſimo indolis habitu futurum virilitatis eorum ſpecimen pervideret. Non enim ambigere potuit, quin extera quandoq; impetituri eſſent,qui materna tam auda-

GORMO. audacter exigerent. Adeò autem injurias officijs anteposuit, ut prærerità filià Angliam ijsdem testamento legaret, avitum nomen paterno præferre non dubitans. Nec imprudenter: quoniam aliquantò speciosius mares quàm fœminas regni usum decere noverat, imbellis filiæ ac fortissimorum nepotum conditionem separandam existimans. Quo evenit ut Thyra filios suos paternorum bonorum hæredes non invidenter exhæres ipsa conspiceret. Prælationem enim eorum honorabilem sibi magis quàm contumeliosam fore arbitrata est. Iidem crebris piraticæ quæstibus locupletati, summâ cum fiduciâ spes suas ad injiciendum manus Hyberniæ promoverunt. Cujus Rex, Duflinâ, quæ provinciæ caput habebatur, obsessâ, cum paucis admodum sagittariæ artis peritis conjunctum urbi nemus ingressus, Kanutum magna cum militum frequentia nocturnis ludorum spectaculis interpositum, insidioso fraudis circuitu, vulnificâ procul sagittâ petivit, quæ in adversum ejus corpus incidens, mortificum ei vulnus intorsit. Veritus autem Kanutus, nè periculum suum hostes effuso gaudio insequerentur, atq; ob hoc cladis suæ fortunam dissimulanter haberi cupiens, voce supremos anhelitus reddente, ludos absq; tumultuatione peragi jubet. Qua arte prius Danos Hyberniæ potitores, quàm suum Hybernis exitum notum reddidit. Quis autem extinctum non plangeret, cujus disciplina militum suorum victoriæ consilio quàm spiritu diuturniore suffecit? Salus namq; Danorum in ultimas angustias deducta, ac pene desperationis periculis implicata, quia morientis ducis jussui paruit, brevi quos timuit, triumphavit. Quo tempore Gormo ad ultimum ætatis suæ finem provectus, ingentem annorum seriem luminibus captus exegerat, senectam ad ultimos humanæ conditionis terminos prorogando, magis de filiorum vita & incrementis, quàm reliquo spiritu suo solicitus. Tanta autem majoris filij charitate tenebatur, ut à se occidendum juraret, qui prior ipsius exitum nunciasset. Cumq; fortè Thyra haud dubium de ejusdem exitio nuncium accepisset, nemine id Gormoni palàm insinuare audente, præsidium calliditatis amplexa, casum, quem ore prodere timuit, opere explicavit. Maritum namq; regio cultu exutum, tetriore circumdedit, aliaq; doloris insignia, per quæ causam luctus aperiret, admovit, quod antiqui talibus inter exequiarum actiones uti consveverant, acerbitatem mœroris habitus asperitate testantes. Tunc Gormo: En mihi, inquit, Kanuti fatum publicas? Et Thyra, idipsum (ait) tuo potius, quàm nostro, declaratur augurio. Quo dicto marito mortem, sibi viduitatis causam præbuit, nec antè filium, quàm conjugem planxit. Itaq; dum viro nati fortunam exprimit, alterum alterius funeri sociavit, amborumq; exequias paribus prosecuta lacrymis, huic conjugales, maternos illi planctus impendit; quanquam tunc temporis magis solatijs erigenda, quàm cladibus obterenda fuisset.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI NONI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER DECIMUS.

IIX. HARALDVS. Blaata id.

Efuncto Gormone, Haraldus hæreditariæ dominationis fortunam conspicuæ fortitudinis operibus prosequi cupiens, trajectâ in Orientem piraticâ, circumpositum lacessivit Oceanum. Sed absumpto interim Edelrado, quanquam sedulos quæstuosi negotij fructus decerperet, aliquantò plus tamen in avito fato amaritudinis, quàm ex tyrannide voluptatis accepit.

HARALDUS Blaatand.

cepit. Dum enim eum fortuna cum ulatiùs barbaris ditavit opibus, Anglicis exuit; externâq; donatum prædâ, domesticâ atque hæreditariâ spoliavit. Siquidem Edelradi filius Adelstenus patris testamento præteritus indignationem suam literis, quibus Haraldus hæres scribebatur, opposuit, rescissoque parentis arbitrio, proprium æmulatus est. Igitur Norvagiæ Rex obtusi cordis homini amplissimæ rej summam cessisse ingemens, potiendæ ej⁹ spe armatâ insulam classe petijt. Cujus cum se Adelstenus viribus minorem animadverteret, conficiendæ pugnæ fiduciâ vacuus, bellum ad obsequium transtulit, benevolentiam hostis, quem armis propulsare nequiverat, officijs capessere cupiens. Non solum enim Regem amicissimo vultu, benignissimoq; excepit alloquio, sed etiam, quò salubrius patriam armis hostilibus liberaret, filio ejus Haquino, admodum tenero, educationis impensam pollicitus, regnum se pariter testamento legaturum promittit. Quam rem maximè, ut Norvagicis armis adversum Haraldum uteretur, oblatu dignam putavit. Ejus namq; ferociam pertimescens, orbitatem suam gratuito hærede solari, quàm violentum expectare, satius existimavit. Rapuit hostis conditionem præceps, propositamq; pactionem amplexus, tantum de offerentis humanitate præsumpsit, ut filium proprio spiritu chariorem inexploratæ ejus fidei credere non dubitaret.

Post hæc Haraldus reductis ab Oriente copiis, quanquam ad impetendum avunculi factum præcipuis juris viribus invitari poterat, nihilominus impunitam ejus ambitionem dissimulatæ indignationis patientiâ præterire sustinuit, justisq; operibus piè carere, quàm crudeliter potiri maluit. Post paululum verò temporis Haquinus audito paterni fati nuncio, cum proficiscendi gratia velis navigationem instrueret, magno supervenientis Adelsteni impetu revocatus, paulisper omisso ventorum usu, propius littori navigium egit. A quo post cætera morum documenta, quibus quotidie informabatur, novi quid accepturum se ratus, nè inter epulas obscuro se vultu gereret, sed magis in circumspiciendis amicis hilari oculorum habitu uteretur, audivit. Quem enim Adelstenus compluribus alijs honestatis præceptis imbuerat, etiam aptos convictui mores ignorare passus non est. At cui parentis mors Norvagiam cessit, paulò post præceptoris occasus Angliam patefecit.

Veritus ergo Haraldus, ne injuriarum tolerantia, quæ hactenus consangvineæ charitatis respectui dabatur, deinceps in ignaviæ verteretur opprobriũ, & quod moderationis esset, vitio applicaretur; Norvagicæ rei turbatione primam Haquino jacturam inferendam constituit; domesticis ejus viribus debellatis, externas facilius obterendas existimans. Cum itaque res barbaras regia executione tractasset, in Daniam reversus, occursu Haraldi, Gunnildæ filij, adversus eundem Haquinum auxilia petentis, excipitur, pollicentisque se tributa daturum, si Danicæ opis beneficio efficacia partium suarum adjumenta sumpsisset. Enimverò inter acerbissimos rerum casus clementissimam Regis humanitatem expertus est. Hevindo enim atque Karlholftho pugnæ adjutoribus receptis, sexaginta navium classe donatus, petiti præsidij compos abscessit, evenitq; ut plus spei in auxilio Danorum, quàm metus in sua adversitate reponeret. Igitur navigationem remensus, adversus hostem navalis pugnæ copiâ non suppetente, terrestrem exercuit: in qua Hevindus Haquinum, ut in primos prælantium globos progrederetur hortatus, ipsum clarius sui indicium exhibentem, inusitatæ magnitudinis securi petijt, attigissetq; nì satellitum quidam adactum Regi ferrum proprij corporis periculo fefellisset. In quem Hevindus tanta vi districtæ bipennis aciem egit, ut ferrum medio corpori elapsum nullum inter artus obstaculum reperiret. Quod cum terræ altius illapsum, genibus nixus abstrahere conaretur, ab Haquino interfecti militis corpus conscendente perfoditur. Incertum ergo, uter alteri plus pietatis impenderit. Ille enim salutis suæ impendio Regis fatum repulit, iste servatoris sui cladem speciosissimâ ultione pensavit, cujus beneficio fatum effugerat, exitium ultus. Et quid hujus militis operâ clarius, qui alienæ incolumitati quàm suæ propior, voluntarium pro duce spiritum erogavit, privatæq; mortis

HARALDUS. Blaatand.

objectu, ne publica sociorum salus periclitaretur, effecit? Interea Thoralvus, quem Haquinus ad exturbanda hostium terga in insidijs collocaverat, superveniens, edito in aciem impetu, Karlhoftho mortem, Danis fugam inflixit. Enimvero cæterorum fortunam unius inclinavit occasus. Haquinus autem palantes pertinacius urgere veritus, effusas sociorum habenas salutari consilio revocavit, nè qua improvidi militis incuria effici posset, ut in victricem victæ partis fortuna recideret. Igitur æqualis ambarum partium strages parem utrobiq; belli successum effecerat. Nam etsi altera victoriæ propior videbatur, cladibus tamen victam æquabat. Repetente verò classem Haquino incredibile memoratu monstrum incidit. Jaculum namq; vago ancipitiq; discursu supernè inter auras oberrare conspectum, non minore intuentes metu, quàm admiratione complevit. Siquidem in diversas partes dubijs reflexibus agitatum, figendi vulneris locum exploratius prospicere videbatur. Quod miraculum cunctis immani stupore prosequentibus, incertisq;, quidnam res tam inusitata portenderet, subitò casus in solius Haquini caput suspectum omnibus periculum transtulit. Arbitrantur quidam matrem Haraldi Gunnildam procurato maleficijs spiculo victi filij pœnas à victore sumpsisse. Haraldus itaq; insperato hostis exitio regnandi fortunam adeptus, triennio promissum Danis bonæ fidei vectigal exhibuit.

Eâ tempestate Sturbiornus, Svetici Regis Biornonis filius, à patrui Olavi filio Erico, regno spoliatus, petendi auxilij gratia ad Haraldum, cui Thyra mater extitit, cum sorore Gyritha supplex migravit: tantoq; apud eum paratiorem amicitiæ locum reperit, quantò illi ejusdem sororis suæ matrimonium liberalius promisit. Post hæc Haraldus armis Sclaviâ potitus, apud Julinum nobilissimum illius provinciæ oppidum, Sturbiorno duce, competentia militum præsidia collocavit. Quorum piratica egregio animorum robore celebrata, ac finitimis paulatim trophæis alita, eò demum ferocitatis excessit, ut continuis nautarum cladibus septentrionalem repleret Oceanum. Ea res plus Danico imperio, quàm ullum terrenæ militiæ negotium attulit. Inter quos fuere Bo, Vlff, Karlshefni, Sivaldus, alijq; complures, quorum prolixam enunciationem tædio quàm voluptati propinquiorem stylo prosequi supersedeo. Inter hæc Sturbiornus ultionis aculeo lacessente, acceptam injuriam pensare cupiens Haraldo in opem accito, memorem damnorum iram adversus invisam Erici dominationem distrinxit. Cujus rei gratiâ Haraldus in Hallandiam proficiscens, Theutonicæ irruptionis nuncium, quæ à Cæsare Othone gerebatur, accepit. Igitur alienæ rei impetitionem, quàm propriæ defensionem, langvidiore studio prosecutus, externæ pugnæ proposito domesticæ curam anteposuit, reflexoq; in Jutiam cursu, ad opem oppressis ferendam præcipiti celeritate contendit. Sed eo superveniente, Cæsar Jutiam, utpote Regio ductu vacuam, nullo resistente permensus, cum Lymici sinus objectu tunc temporis Wendalam aquis claudentis, ulterius excurrere vetaretur, conjectâ in undas lanceâ, non solùm iter ad Eydoram reflexit, verùm & simillimum fugæ reditum habuit. Siquidem hastam, cujus usu habebat, maritimos in fluctus relinquendi monimenti gratiâ jaculatus, suum freto vocabulum indidit. Verum ut impetu gravis, itâ exitu vanus apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostiũ reliquias inseqvutus, Epponem extremi agminis ducem, cum ijs quos reperit, trucidavit. Interea Sturbiornus cõtumeliosa militum adhortatione compulsus, fortunam suam temerè sociorum fortitudini credidit, inq; proprium exitium ruens, regiarum partium reditum stolidâ præcessit audaciâ. Bellum enim præproperè ausus, rebus Sveonum per incuriam lacessitis, occiditur. Et sanè hostilibus gladijs ultrò jugulum subjicit, quisquis in urgenti aliquo discrimine magis alienæ temeritati, quàm propriæ obsequitur providentiæ.

Post hæc Thyra, quò patriam à clandestinis exterorum irruptionibus tutiorem præstaret, quantum à Slesvico ad Occidentalem Oceanum patet, vallo fossaq; proscindere aggressa est, superq; jacto aggere tenacissimi operis terrenum molita est munimentum. Cui postmodum Waldemari Regis, Absalonisq;

Danicæ

HARALDVS. Blaatand.

Danicæ gentis Antistitis, consimilis erga patriam pietas murum cocti lateris superjecit, uti potiùs veteris valli occiduos lapsus solidior novæ molis structura reficeret, quàm debilem ejus situm crebrior in posterum ruina submitteret. Siquidem priori munitione fundamenti loco usi, imperfectum fœmineæ virtutis propositum virili prudentia compleverunt, tantò excellentius opus edentes, quantò se muliebri noverant industriâ clariores. Eadem quoq; cum sub specie fœminæ virilem animum gereret, Scaniam Sveticâ dominatione compressam præstandi tributi onere liberavit. Itaq; hinc muro, inde armis hostem repellens, diversis patriæ finibus par tutelæ beneficium peperit. Interea defuncto apud Norvagiam Haraldo, filius ejus Haquinus patriam hæreditariæ pensionis ignominiâ exuere cupiens, cum Haraldum, auditis, quæ Cæsar apud Jutiam gesserat, Germanicis diutulè bellis implicandum speraret, palam detrectandæ stipis audaciam præbuit, plus spei ac fiduciæ ex Saxonicis armis, quàm suis viribus capiens. Verùm Haraldus rebus cum Imperatore compositis, consortium Catholicæ religionis amplexus, divinam humanamq; pacem regno suo conciliavit: sicq; Haquinum conceptæ inaniter spei irritum reddens, seipsum errore, patriam prælijs liberavit. Compertâ verò Haquini defectione, tantò in Norvagicæ juventutis contumaciam asperiùs animadvertendum putavit, quantò eam adversum se cervicem insolentius extulisse cognovit. Missâ igitur adversus hanc Julinæ piraticæ manu, Boö atq; Sivaldo ducibus contemptus sui ultionem mandavit. Quorum Haquinus perspectis copiis, cum intolerabile rebus suis onus imminere cognosceret, excipiendi ejus materiâ non suppetente, tanquam humanæ opis diffidentia, divinam amplexus, superos inusitato piaculo propitiandos curavit. Duos siquidem præstantissimæ indolis filios hostiarum more aris admotos, potiendæ victoriæ causâ nefariâ litatione mactavit, nec sangvinis sui interitu regnum emere dubitavit, patrisq; nomine quàm patriâ carere maluit. Sed quid hoc Rege stultius, qui geminam charissimorum pignorum stragem, incertis unius pugnæ eventibus impendendo, fortunam belli parricidio petere, & orbitatem suam muneris loco dijs bellorum fautoribus erogare sustinuit? Quo evenit, ut Dani manum cum eo navali certamine conserentes, quocunq; militaris discursus impetum contulissent, infestam nimbi vim, quâ tanquã ab hoste læderentur, exciperent. Cæterum coörti imbris maleficium itâ nostrorum vertices inusitatis grandinis ictibus converberavit, ut eorum oculi veluti quibusdam nimborum spiculis lacessiti, prospiciendiq; penitus facultate defecti, graviorem ab elementis pugnam quàm ab hoste sentirent. Accidit ergo ut Norvagienses cœli quàm suis viribus fœliciores, Danos districtam adversum se numinum iram haud dubiè sentientes, antè fuga quàm cædibus implicarent. Inter quos Carlshefni ac Sivaldus à victoribus capti, quanquam dimicando speciosissimam rei militaris operam edidissent, aliquantò tamen plus laudis in vinculis quàm prælio meruerunt. Haquinꝰ enim celeberrimam Danicæ juventutis fortitudinem exploratiùs nosse cupiens, duos, qui captivorum patientiam plenius experirentur, admovit. Tantum enim virium animis eorum à natura insitum esse fama fuerat, ut etiam receptis in vultum ictibus, ne leves quidem superciliorum motus ederent, atq; adversus omne percussoris irritamentum in eodem animum habitu continerent. Cujus experientiæ gratia prior Sivaldus ingenti satellitis fuste percussus, oculos motu vacuos præbuit. Quinetiã eò minus fortunæ cessit, quò miserius virtutis suæ experimentũ habuit. Nec minus in reliquo mentis robur apparuit. Karlshefni enim aliũ districta securi capiti suo imminentem pulsu pedis humi postravit, applicatumq; cervici suæ ferrũ manibus ferire conantis excutiens, ut erat vinculatus, arripuit, queq; lapsu affecerat, capite spoliavit. Enim vero ut strenuo ita impigro nisu periculum audacia præcucurrit. Neq; enim captivi virtus inter vinculorũ stridorẽ vigore suo exui potuit, quin & inter gravissimas cõtumelias, eò clariorẽ fortitudinis suæ experientiã præbuit, quò incitatiorẽ fortunæ adversũ se fremitũ sensit. Sed nec illi aut mortis propinquitas, aut catenarũ contumelia, quò minus liberũ fortitudinis opꝰ ederet, obstare valuit.

HARALDUS. Blaatand.

Quorum constantiam admirans tyrannus, ut utroque potius bono milite uteretur, quàm in utrumque animadverteret, remissionem pœnæ, dummodo partes suas fide atque amicitia colerent, pollicetur. Illi vero violentum obsequium vitæ respectui erogare indecorum putantes, utpote alienæ fidei quàm propriæ saluti propiores, conditione insolentius spreta, turpi pacto prorogandi spiritus beneficium expetere noluerunt. Quo viso Haquinus, ne patientiæ punitor magis quàm probatur existeret, virtuti eorum incolumitatem tribuendam putavit.

Haraldum verò duos ex Gyritha filios sustulisse memoriæ proditum est. Quorum major Haquinus excellentissimæ indolis habitu, ac fœlicissimis naturæ incrementis, fratris Svenonis fulgorem suppresserat. Idem Sembos aggressus cum militum animos periculosi belli respectu aliquantò infractiores animadverteret, quò melius fluctuantibus fugæ spem demeret, ignem subductæ classi subjecit, eoq; necessitatis duramento imbecillitatis ignaviam repulit. Effecit enim ut navigiorum facultate defecti, reditum victoriâ struendum animadverterent. Itaq; quo æquiore animo seipsum classe spoliavit, eo tutiore hosti spolia detraxit. Miserta est tunc profectò fortuna Danici ducis, à navigiorum jactura nautarum præsidia mutuantis, cum summam classis inopiam opem victoriæ cerneret. Igitur ut prudenti, ita periculoso consilio salutarem ministravit eventum. Potiti enim Sembiâ Dani, necatis maribus fœminas sibi nubere coëgerunt, rescissaq; domesticorum matrimoniorum fide, externis avidius inhærentes, suam cum hoste fortunam communi nuptiarum vinculo partiti sunt. Nec immeritò Sembi sangvinis sui contextum à Danicæ gentis familia numerant. Adeò enim captivarum amor victorum animos cepit, ut omissa redeundi cupiditate, barbariē pro patria colerent, alienis quàm suis conjugijs propiores.

Post hæc Thyra Danicæ majestatis caput absumpta est. Cujus corpus Haraldus amplissimo funere elatum magno cum omnium plangore, non longe à patris tumulo sepulturæ mandavit. Neq; enim tam acri jactura cujusquam penates mœroris expertes esse poterant, privato funere publicam patriæ fortunam expirasse credentes. Ubi nunc quoq; sacrarium perspicere est, duorum conjugum socialibus bustis intersitum.

Nec silentio implicandum quod sequitur. Toko quidam aliquamdiu Regis stipendia meritus, officijs, quibus commilitonum studia superabat, complures virtutum suarum hostes effecerat. Hic fortè sermone inter convivas temulentiùs habito, tam copioso se sagittandi usu callere jactabat, ut pomum quantumcunq; exiguum baculo è distantia superpositum, prima spiculi directione feriret. Quæ vox primùm obtrectantium auribus excepta, Regis etiam auditum attigit. Sed mox principis improbitas, patris fiduciam ad filij periculum transtulit, dulcissimum vitæ ejus pignus baculi loco statui imperans. Cui nisi promissionis auctor primo sagittæ conatu pomum impositum excussisset, proprio capite inanis jactantiæ pœnas lueret. Urgebat imperium Regis militem majora promissis edere, alienæ obtrectationis insidijs parùm sobriæ vocis jactum carpentibus. Itaque ex dictis etiam non dictorum effectui obligatur, evenitq; ut conatus suos ad id, quod minùs præsumebat, erigeret; & quod parùm professione coluerat, plenius experientiâ celebraret. Neq; enim solida virtus tametsi detractionum laqueis implicata, justam animi fiduciam abjicere potuit. Quinetiam eò certius, quò difficilius, experimentum accepit. Exhibitum itaque Toko adolescentem attentius monuit, ut æquis auribus, capiteq; indeflexo quàm patientissimè strepitum jaculi venientis exciperet, ne levi corporis motu efficacissimæ artis experientiam frustraretur. Præterea demendæ formidinis consilium circumspiciens, vultum ejus, ne viso telo terreretur, avertit. Tribus deinde sagittis pharetrâ expositis, prima, quam nervo inseruit, proposito obstaculo incidit. Cui si fortuna caput adolescentis objecisset, haud dubie in patris periculum nati pœna recideret, spiculiq; error percussorem percussi exitio sociasset. Virtutem ergo patris an ingenium filij impensiori admiratione prosequar ambigo, quorum alter artis suæ prudentiâ

parti-

HARALDUS Blaatand.

parricidium cavit,alter corporis animiq; patientiâ sibi sospitatem peperit,patri pietatem servavit. Enimvero juvenile corpus senilem animum roboravit, tantum fortitudinis in expectando jaculo exhibens, quantum peritiæ pater in emittendo præbuerat.Itaq; constantiæ suæ beneficio,ne sibi spiritus, patri salus eriperetur,effecit.Interrogatus autem àRege Toko,cur plura pharetræ spicula detraxisset,cum fortunam arcus semel duntaxat experimento prof. qui debuisset: Ut in te,inquit,primi errorem,reliquorum acumine vindicarem, nè mea fortè innocentia pœnam,tua impunitatem experiretur violentia.Quo tam libero dicto & sibi fortitudinis titulum deberi docuit, & Regis imperium pœnâ dignum ostendit. Sed his necessitatum procellis erutum,paulò post par mali tempestas implicuit. Haraldo enim ejus se artis,quâ Finni nivales saltus peragrant, peritiorem jactanti, Toko in consimili genere laudis suam a. . .is conferre virtutem, apud Kollam rupem editæ professionis experimentum præbere compellitur.Sed quod minus exercitio celebraverat,plenius à virtute mutuatus est.Eminentis enim scopuli cacumine conscenso,exiguo se fusti credidit,lubricasq́; plantis tabulas adaptando, rapidum in præceps vehiculum egit.Cujus præcipiti raptu in prææruptos silices actus, nihilominus debitum ejus regimen intrepida manu continere suffecit. Neque illi aut periculi magnitudo,aut ullus animi stupor,quò minus firmo se corpore contineret,officere potuit. Exterruisset alium conspecta præcipitij immensitas,atq; ante ipsum periculi ingressum plena metus hebetudine confecisset. Tandem illiso cautibus vehiculo,cui insistebat,excussus,fortuito fustium fragmento solidum incolumitatis præsidium reperit, fatoque alioqui propinqvus felici naufragio insperatam salutis anchoram apprehendit.Enimuero acriùs clivo impactus, perfracti vehiculi damno tutum cursitandi eventum habuit.Nisi enim impetum ejus invia petrarum robora,vastæque voragines interpellassent,haud dubiè procursum subjectum rupi pelagus excepisset.Ubi à nautis exceptus,inviso Regi tristiorem fortuna sua famam reliquit. Vehiculi quoq; fragmenta à navigantibus inter undas reperta,falsò periculi ejus fidem auxerant. Ipse vero suspectam Haraldi præsentiam reputans,quòd virtuti suæ præmiorum loco pericula proponi cognosceret,studiorum suorũ exerçitia ad filij ejus Svenonis militiam contulit.

Post hæc Haraldus totam regni classem exerens,ne parvo apparatu magnæ molis pondus aggrederetur, junctis hominum boumque copijs inusitatæ magnitudinis saxum Jutico littore repertum, quo matris tumulum insigniret, abstrahi jussit. Interea qui cum Svenone classi præerant, Haraldi imperium, tùm quia divino cultui favorem tribuerat,tùm quia inusitatis plebem oneribus adigebat,perosi,quendam compositum & subornatum, qui Svenonem, an arma adversus patrem sumere, regnoq; potiri vellet, callide percunctaretur, inducunt. Quo mandato Sveno ad regnum parricidio petendum adductus, percunctanti grates habuit,libenterq; se patriæ dignatione usurum respondit. Quo accepto, majores exploratam ejus cupiditatem securius amplectentes, occultis animorum commentis audacter evidentiam præbuerunt. Enimverò quod clandestinis motibus texerant, apertius executi, continuò Regem eum publicâ acclamatione decernunt. Inter hæc Haraldus circà tractum lapidis occupatus, quendam suorum è classe supervenientem arctius percunctari cœpit,an tantam aliàs molem mortali manu tentatam conspexerit? Ille se majoris ponderis ductum humanis viribus effectum recenter oculis subjecisse commemorat. Quod Rege crebris percunctationibus prosequente, nuper,inquit, cum Dania tibi subduceretur, intereram; ipse,uter onerosior tractus extiterit, penses. Ita Haraldus cum alieno judicio cœpti gloriam quærit, erepti regni nuncium accepit. Pœnituit tunc Regem pecudalibus jugis humanas alligasse cervices. Nam cum omisso vehendæ molis proposito, tractum saxi in belli apparatum convertere voluisset, gravissimum militis supercilium expertus est. Exercitus namq; tàm probrosi officij contumelia lacessitus pro quo jugum tulerat, arma capere recusavit. Neq; enim majestatis

HARALDUS. Blaatand.

imperio aut prece adduci potuit, ut ejus capiti incolumitatem quæreret, qui omnium cervices erubescendâ jussione damnasset. Nonnulli tamen popularis sententiæ expertes, inter publicæ consternationis procellas consuetâ se erga Regem charitate gesserunt. Quibus adjutoribus usus, dum filij conatus armis elidere nititur, acrius sangvinis sui viribus oppugnatur. Siquidem bello à Svenone victus, fugam suam Sialendiæ credidit, contractisq; ex ea viribus, rursum consimilem fortunæ habitum navali ex certamine retulit. Jamque domesticis exuto copijs, externa manus imploranda restabat. Igitur relictâ patriâ Julinum Danicis armis refertum, utpote fidissimum militiæ suæ gremium, exilio petivit. Interea Sveno nondum paterno odio pietatem violasse contentus, conciliandæ sibi plebis gratia, effusis impietatis habenis delendorum sacrorum curam animo pertinacius sumpsit, omniq; divinitatis cultu patria ejecto, victimarios templis, aris libamenta restituit. Quem rursum pater mixtis Danorum Sclavorumq; copijs apud Helgenes littus aggressus, diem prælio, tam fugæ quàm victoriæ alienus, extraxit: in quo defatigati exercitus, nectendæ pacis gratia, posteram lucem colloquio tribuunt. Cum fortè Haraldus creandæ compositionis fiduciâ licentius evagatus, in angustiores nemoris partes concessit. Ubi cum exinaniendi ventris gratiâ arbustis insideret, à Tokone injuriarum suarum ultionem sitiente, sagittâ vulnus excepit, idemq; saucius à suis Julinum relatus, celerem vitæ exitum habuit. Corpus ejus Roskildiam missum, apud sacrarium nuper ab ipso conditum, solennem sepulturæ locum recepit. Ingrata enim olim bonorum suorum patria, pijssimi ducis opera sera animadversione complectens, quod minus vitæ ejus præstiterat, funeri plenius deferendum putavit: omnibusq; humanitatis nervis exequiarum cultui insistens, cujus spiritum superbè oderat, clementer cineres amplexata est.

LX. SVENO. Tiuffueskeg.

Defuncto Haraldo, Sveno prosperam sibi in divina sæviendi occasionem venisse gavisus, totam religionis stirpem ab radice convulsit, eoq; autore Dani susceptũ divinitatis cultum repetita superstitione mutarunt; hoc liberius erroris sui recursum complexi, quò certius amarissimum ejus reprehensorem occidisse cognoverant. Quam temeritatem vindex contemptus sui divinitas, non parva rerum acerbitate pensavit, auctorem ejus tristissimis fortunæ vicibus insecuta. Ipsum namq; deserendæ religionis ducem perquam graviter affectum, violentissimis casibus implicare non destitit, lætisq; successibus spoliatum, amarum vitæ usum experiri coegit. Quippe à Julini oppidi accolis piraticâ Daniam incessentibus captus, factâ sibi redimendi potestate, corpus suum auro semel, argento bis rependendum promisit. Eâ summâ à Danis ob deserta sacra nimio eum favore prosequentibus contributâ, patriæ restitutus, nihilominus oculos densissimis ignorantiæ tenebris obfusos conspicuæ lucis radijs admovere contempsit. Enimvero plenum nequitiæ portentum, paternoq; animo parum respondens, ab eximio ejus splendore in profundum caliginis secedere non erubuit. Sed cui propria damno labes extitit, aliena usui benignitas fuit. Idem secundò consimili fortuna affectus, nobilium liberis vadibus pro se datis, priorisq; summæ pactione interpositâ, redemptionis præsidium impetravit. Sed cum promissum æs ex proprio fisco solvere nequiret, omnibus qui pro salute ejus filios proprio spiritu chariores prædes dederant, nunc publicè, nunc privatim saltus ac nemora venditabat, eorumq; pretium protinus captivitatis suæ autoribus numeravit. Enimvero Scani ac Sialandenses communes sylvas publico ære comparaverunt. Apud Jutiam verò non nisi familijs propinquitatis serie cohærentibus, emptionis communio fuit.

Eo tempore piraticæ usus nostris creber, Sclavis perrarus extitit: qui ob hoc latius ad eos manare cœpit, quod Julini oppidi piratæ, patriæ studijs adversum patriam usi, eò maxime Danis, quod ab ipsorum ingenijs traxerant, nocu-

nocuerunt. Quem incurſationis morem noſtris annis Waldemari Regis, Maximiq; Pontificis Abſalonis, propenſæ pro civibus excubiæ domuerunt. Quorum ſtrenuo interventu tranquillus terris cultus geritur, tuta aquis navigatio celebratur.

SVENO Tiuffveſkeg.

At Sveno oppreſſionum ſuarum vindictam ſitiens, maximeq; Julinum, perindè ac ſceleſtiſſimi contubernij domicilium armis evertere cupiens, ſinum, quo Møën inſula à Falſtria ſecernitur, Regiâ claſſe complevit. Qui cum ſe mox in Sclavorum effuſurus provinciam videretur, qui Julini conſtiterant, audacter callidi, impetum hoſtis arte præcurrendum duxerunt. Nam cum muniendæ claſſis gratia nocturnas à Danis circumiri vigilias noſſent, delectos remiges ſubornaverunt. Qui manè anticipato vigilum more, ſimulatoq; ab excubijs reditu, frequentem liburnis portum brevi lintre permenſi, cum ad Regis usq; navigium proceſſiſſent, eſſe gubernator dixit, quod ſecretius eum noſſe admodum oporteret. A quo Rex noctu exploratæ rei nuncium afferri ratus, detracto navigij tegmine, capiteq; exerto, veluti familiaris colloquij gratia acclivo vocanti corpus præbuit. Quem ut ille inſidijs opportunum animadvertit, ſubitò cervicem ejus perquam violento amplexu corripuit, liburnæq; detractum, apparitorum ope myoparoni ſuo injiciendum curavit. Nec ſegniter fugam nautæ concitatis remorum ictibus expetebant. Ita præſidium ſtrenuæ calliditatis amplexi, quod armis nequibant, inſidijs promoverunt. Igitur qui paulò antè in majeſtatis faſtigio fulſerat, tunc barbarorum miſerabile mancipium contumelioſo ludibrio fortunæ effectus. Neſcio patris major, an religionis injuriâ, provinciam, quam parentis exilio violaverat, miniſtram carceris ultricemq; parricidij ſenſit, patriam quam ſacris ſpoliaverat, etiam opibus exuere neceſſe habuit. Neq; enim ocyus à ſuis juvari poterat, utpote quibus primum detrahenda navigijs tegmina, aptandi foris remi, extollendæq; undis anchoræ fuerant. Ceſſit igitur expeditio fraudi: nec barbariem abſq; regio ductu petere auſa, ſolutâ claſſe domeſticis militem littoribus reddidit.

In qua fortunæ violentia Sveno virili defectus auxilio, fœmineum expertus eſt. Nam cum exhauſtis regni opibus, nè aurum quidem redemptioni ejus ſuppetere videretur, tanta ei matronarum humanitas affuit, ut detractis aurium inſignibus, cæteroq; cultu, certatim digeſtam pondere ſummam explerent, plus commodi in ſalute principis, quam amœnitatis in ornamentorum ſuorum ſpecie reponentes. Adeò in liberando eo vterque ſexus unius humani voti curam habuit. Ita matronalis ſtolæ publicum columen privatis facultatibus emere voluptati magis quam oneri fuit. Neq; enim ejus capiti incolumitatem publicæ ſtipis impendio petere dubitatum eſt, qui primus deſerendæ religionis conſtantem ſe geſſiſſet auctorem. Enimvero ignara perditionis ſuæ patria, ſummum ſcelus, ampliſsimis beneficijs rependere pietatis loco duxit, parentis ac numinis violatorem indebito gratulationis officio proſecuta, quodq; pœnis expiandum fuerat, obſequijs penſans. Quanto enim Haraldi odio tenebatur, tanta Svenonis charitate flagrabat, auctorem religionis faſtidio, aſpernatorem benevolentiâ inſequendo. Ita populus ſacrilegi animi probator, religioſi punitor, quantum in patris ſanctitatem contemptus, tantum in filij labem honoris congeſſerat: cultumq; ejus, quia ſacrorum morem abrogaverat, copioſa favoris indulgentia proſeqvutus, ter Regem à piratis captivum interpoſita munerum pactione receperat. Nec illi quidem ad præmia matronarum obſequio exolvenda ingrata mens fuit. Nam fœminis deinceps participandarum hæreditatum jus, à quibus antè lege repellebantur, indulſit. Ut autem argentum priori ſummæ debitum contraheret, agros ac latifundia vænire juſſit, utq; ab exteris ipſe vænijt, ita vænalem ſuis patriam fecit. Ita neſcio macie miſerior an felicior fuerit, quæ quantum ejus corpori detraxit, tantum cenſui pepercit, opesq; artuum conſumptione ſervavit. Cæterùm barbari nondum rebus eum exuiſſe contenti, truculentius affectum jurare etiam, iram remiſſurum, compellunt, gemina miſerum pactione torquentes. Sed alteram exhibere difficile, alteram

 admit-

SVENO Tiuffveſkeg.

admittere turpe. Opes enim hoſti fundere neceſſitati convenit, injuriæ vero reſpectum abijcere, pœnasq́; impunitate penſare, vicinum rubori beneficium eſt. Siquidem ut violentiæ cedere infirmum, ita vindictam ejus abdicare probroſum. Quippe ſupra vires cogi, quàm viribus remiſſè uti ſpecioſius. Nec ſegniter, exuendæ captivitatis cupidus, ſacramento omittendæ ultionis exhibito, propoſitæ conditionis partes admiſit; hoſtemq́; non minus fruendæ ſecuritatis beneficio, quàm auri impendio locupletavit; hoc magis ſervilem ſe exhibens, quò turpius libertatem impetrare ſuſtinuit. Tantum autem transfugarum erga patriam charitas valuit, ut cum regiam Danorum ſtirpem ad unicum Haraldi filium redactam eſſe cognoſcerent, quo minus alienis ſumma cederet, ſaluti ipſius parcendum exiſtimarent. Quamobrem opes ejus, non exitum ſitientes, egeſtatem ſuam cenſu ſolari quàm ſangvine maluerunt.

Nec tamen erga deſertorem ſacrorum principem divinæ correptionis aculei quieverunt. Nam Svetiam quoq; Danorum rebus infeſtam fecère. Cujus Rex Ericus agnomen à victorijs mutuatus, per Haraldum jampridem latam Sturbjorno adverſus Sveones opem memoriæ ſubjiciens, perquam graviter in Svenonis caput exarſit. Utq́; ſui vindictam perageret, exercitum in Daniam trajecit, expugnatione filij parentis noxam penſare cupiens. Quanquam enim eum arctiore materni ſangvinis nexu contingeret, iram tamen affinitati prætulit, eò quidem fidentius, quòd Svenonis fortunam ſæpius ægram atq; fractam, ac crebris detrimentorum incurſibus laceſſitam, ſuam jugiter in ſummo felicitatis cardine verſatam noverat. A quo Sveno bello Scanico victus, relicta excellentis pulchritudinis filia Thyrâ, aviæ nomen referente, (quæ quâ matre orta fuerit ignoro) Olavum Tryggonis filium Norvagiæ regimē gerentem exilio petivit, eò quidem ampliori ſpe, quod patrem ejus jampridem regno exactum, Haraldi ſuccurſu reſtitutionem impetraſſe meminerat. Is quanquam regio nondum titulo cenſeretur, regijs tamen partibus pleno procurationis officio fungebatur. Quo beneficio quanquam obligatus eſſet Olavus, nihilominus debitam patris ejus meritis gratiam referre negligens, profugum ac ſupplicem ſprevit, omniaq́; momenta petitæ opis abnegans, nullum penè miſero ſuffragium præbuit. Neq; enim exuli ſuccurrit, nec aſpernabatur illum à ſe repelli, à cujus parente ſuus patriæ redditus fuerat. Cujus repulſæ Sveno contumelia ſuggillatus, ad Anglorum præſidia convolavit. Quorum Rex Eduardus ætate admodum tenera, auxilij petitorem ambitionis notâ perculit, exiſtimans non tam opem à profugo peti, quam exilij ſimulatione regnum à callido repeti; fortunæq́; inopiam argumentum aſtutiæ reputans, obſeratis exulem auribus averſatus eſt. Adeò paterna felicitas ſuſpectam nati miſeriam fecerat. Ita maligni animi ducibus ſpes ſuas precesq́; fruſtrantibus in Scotiam profectus, clementiam quam in aliquantò mitiore gente non reperit, apud efferata barbarorum ingenia ſenſit. Adeò enim volubilis fortunæ varij atq; ancipites motus exiſtere conſveverunt, ut interdum humana mens ubi ſperatis fallitur, inſperata facilius aſſequatur.

Hac fortunæ ſævitiâ Sveno ad amplectendam religionis charitatem adactus, abſtractos caligine oculos ſalutari lucis contemplatione ſuffudit. Nam cum duos maxime reatus ſuos, parricidium atq; ſacrilegium, totidem graviſſimis ſupplicijs captivitate atq; exilio abundè mulctatos animadverteret, piam neglectæ ſalutaris diſciplinæ verecundiam egit, converſoq́; in curam ſacrorum animo, utriusq; delicti contagium plenis pœnitentiæ lachrymis expiavit. Quinetiam cunctis circa ſe ritè peractis, lavacri uſum promptiſſimo religionis tenore percepit. Cujus quanta prius labes extiterat, tantum poſtea robur ac columen evaſit. Nec ſegniter pœnitentiæ beneficio permulſa Deitas propitij numinis favore priſtinum ei fortunæ ſplendorem conciliavit:

liavit: annoq; exilij ipsius septimo, decedente Erico, promptum regni introitum struxit; pro exilio patriam, pro paupertate amplissimum decus, ac summam largita potentiam. SVENO Tiuffveskeg. Nam Erici filius Olavus cum matre Syritha Svetiam repetivit, ibiq; degens regnum materno arbitrio subjectum habuit. Ita Sveno eodem penè tempore & religioni paruit, & patria potitus est. Ne autem quorum favorem impietate contraxerat, sanctitatis irritamento odia in se repente trajiceret, publice dissimulatâ religione, privatim exhibitâ, pium mentis habitum texit. Itaq; diversi motus ijsdem præcordijs inclusi, summa formido ac sanctissima devotio animum ejus perplexa cunctatione distractum, ad ultimam penè hæsitationem redegerant. Hinc enim perdendi regni, indè lædendi numinis metus pectoris ejus munimentum ancipiti periculo vulnerabat. Fastiditæ siquidem religionis ultorem Deum, plebem cultæ vindicem metuebat. Quæ tam dissona studia attentiore animi comparatione expendens, plus divini quàm humani timoris viribus indulgendum providit. Privatim itaq; majores aggressus, clandestinâ admonitione sacris ritibus subjicere perseverabat; differendi officium, quod à literis doctrinaq; non traxerat, rudi atque impolito ingenio prosecutus: adeò præceptoris partes, quas solertia ac consvetudine parum complexus fuerat, à fundandæ religionis cupidine mutuabatur. Verùm medelæ salubritatem ab incolumi capite quæsitam, ab aridis atque indignantibus membris evomi crederes. Neque enim amator veterum populus, docilem inusitatis animum præbere sustinuit. Quinetiam externi cultus tædio patrium æmulatus est. Igitur cupido sed inefficaci ferendæ religionis auctori, numinis sui illustrator Deus Popponem ingenio ac sanctitate conspicuum, præcipuâq; literarum scientiâ excellentem, præclari operis consortem adjecit. Hic Danorum concione publicè apud portum, cui glaciei frequentia agnomen peperit, habitâ, cum eos, nè fana excolere vellent, sermone flectere nequiret, evidenti indicio certissimum assertioni suæ argumentum præbuit, doctrinæq; fidem conspicuo sanctitatis miraculo publicavit. Percontatus enim, an monitis suis obsecuturi essent, si ad flagrantis ferri tactum manum ejus læsione vacuam conspexissent: universis haud dubiè parendum respondentibus, candentem ferri laminam chirothecæ formam habentem expediri jussit, eiq; brachium cubito tenus inseruit, ac protinus per omnes interritè circumlatam ante principis pedes excussit, dextramq; nulla ex parte corruptam in eodem incolumitatis colorisq; habitu religiosæ omnium admirationi conspiciendam monstravit. Quo tam mirifico spectaculo alioqui inexorabiles studio suo consentaneos reddidit, effecitq; ut periculum non impedimentum monitorum ejus esset, sed experimentum. Enimuero ipsam rerum naturam audacis voti constantia superavit. Quinetiam ea miraculi celebritate æternum genti nostræ religionis spiritum ingeneravit. Quo evenit, ut Dani abrogatâ duellorũ consuetudine, pleraque causarum judicia eo experimenti genere constatura decernerent; controversiarum examen rectiùs ad arbitrium divinum, quàm ad humanam rixam relegandum putantes. Quamobrem Poppo à Maximo Pontifice Bremensi Adaldago apud Arusium honorem gerendi Pontificij, vitæ atque operibus suis perquàm debitum, impetravit. Eodem officij nomine Henrico Slesvicum, Lefdago Ripæ cessêrunt. Gerbrandus Roskildiæ claruit. Adeò religiosissimi principis exactissima sanctitas Christianismi cultum novis sacerdotijs auxit, cellis atq; sacrarijs decoravit. Prius enim quatuor hæc religionis domicilia externis sacrorum contenta præsulibus, domesticæq; prælationis expertia, fortuito magis quàm solido Pontificum ordine nitebantur. Nec minus Norvagia Bernardi ex Anglia profecti saluberrima admonitione profecit. Cujus Regi Olavo tanta sumendorum auspiciorum adnotandorumq; ominum cura acta est, ut etiam aquarum sacrarum liquore perfusus, cum pariter religiosæ disciplinæ rudimenta sorpsisset: nullo tamen sanctitatis exemplo, nullius autoritate doctrinæ, quò minus augurum monitus consectaretur, futuraq; per pullarios disceret, vetari

SVENO Tiuſveſkeg.

vetari poſſet. Itaq; ſanctitate vacuus, nec niſi inanem ejus umbram complexus, ſuſceptam religionis ſpeciem fucoſa ſuperſtitione damnabat. Coi ſimilis ejuſdem Pontificis induſtria Sveciæ Regem Olavum ad Chriſtiana ſacra perductum, Jacobi nomine venuſtavit, morum profectui decus vocabuli tribuens. Utrum autem idem Rex ab eo, an à Bremenſium Pontifice Unnone, ſacrorum uſum diſciplinamq; perceperit, parùm comperi. Eo tempore Lundenſes ſacrarium moliti, ſub Gerbrando Roſkildiæ præſule rem divinam domeſtici templi religione geſſerunt. Cæterum Unnonis corpus Birca oppidum veteri famâ inclytum, Bernardi Lundenſe hypogæum tenet.

Interea Rex Norvagiæ Olavus adhuc cœlebs, fruendæ claritatis, potiendæq; Daniæ cupidine inſtinctus, quo facili⁹ voti ſe cōpotē redderet, petitis Syrithæ nuptijs, Sveticas partibus ſuis vires applicare curavit. Ne ergo Sveno duorum Regum junctis copijs geminum patriæ latus incurſandū præberet, perquam callido conſilij genere uſus, duos pervicacioris animi ſatellites ſubornavit, qui ſimulatâ damnatione Olavum ſupplices petiverunt. A quo exulum more indulgentius habiti, cum poſt aliquantæ familiaritatis uſum propoſito licentius utendum animadverterent, Svenonis vituperio, Thyræ commendationem impenſioribus verbis ſociare cœperunt, quantum patris mores convicio, tantum filiæ ſpeciem laudibus inſecuti. Adeò falſum proſcriptorum nomen complexi, mendacij noxam benevolentiæ ſimulatione texerunt. A quibus Olavus probabilis formæ irritamento virginem petere perſvaſus, legationem preces ſuas Svenoni porrecturam inſtruxit. Qua aditus Sveno, petitas proco nuptias pollicetur. Quo nuncio Olavus ad ſummam usq; gratulationem evectus, matronali ſtolæ illibatas pudicitiæ faces præferendas exiſtimabat, virgineumq; æmulatus amplexum, adoleſcentiam ſuam intra viduitatis gremium obterere paſſus non eſt. Igitur quantum alteri contemptus, alteriq; venerationis deferret, aperuit. Syritham namq; colloquij ſimulatione celebriter accerſitam, navigium conferendi ſecum ſermonis gratia ſubintrare petivit. Cujus precibus Regina, quò verecundiæ munimento tutior fieret, aliquamdiu reluctata, ad extremum imperio ceſſit. Igitur vix atq; ægre obtemperanti lignum penſilibus uncis ſubnixum, pontis loco ſcandendæ puppis gratia ſternitur. Quod cum Regem aditura conſcenderet, eodem per inſidioſos ſubducto, præceps fluctibus obvoluta eſt. Nec contenti nautæ ampliſſimam majeſtatem ultimo dedecore confudiſſe, quo clarius libidinoſum ei animum exprobrarent, inflicti caſus turpitudinem clamore ſub hinnitus ſpecie edito perſecuti ſunt. Hæc eſt Norvagica humanitas dolis ac deriſione inſtructa, quæ ſplendidiſſimæ fœminæ fidem probroſis inſidijs circumvenire, matronale decus contumelijs proculcare, amoremq; ignominiâ rependere non erubuit. Et ſanè quiſquis ei populo humanitatem atq; obſequium erogat, ingratis beneficium præſtat. At Regina penè periculo præfocata, magno cum Sveonum rubore ægrè littori reſtituta eſt. Tandem recepto ſpiritu impudicitiam ſibi à Rege exprobratam judicans, ruborem periculi tacita ferre nequivit, opprobrij deformitatem minis, quibus potuit, inſecuta. Neq; enim duabus graviſſimis calumnijs periculo ac rubore affecta, laceſſiti pudoris irritamentum æquo animo tolerare ſuſtinuit, utpote quæ ex integerrimæ majeſtatis Regina ad inſolentis proci plenum ignominiæ ludibrium redacta fuerat. Ita verſuti ducis acumen admirabilis vaframenti involucro tectum, vires, quibus Olavum exuit, ſibi ſagaciſſimè conciliavit. Continuò namque petitæ in matrimonium Syrithæ eò benigniorem animum, quò Olavo infeſtiorem expertus eſt. Nec inerter ruborem conjugis negata mox proco filia vindicavit.

Interjecto tempore Canutum ex Syritha ſuſcepit. Ita Olavus duobus ſplendidiſſimis conjugijs deſtitutus, dum alterum temerè reſpuit, ab altero turpiter repelli meruit, utq; hoc repulſâ, ita illud inſolentiâ perdidit. Verum

quia

quia Svenonem parùm proſperè bella gerere ſolitum noverat, facta non virium ejus, ſed fortunæ æſtimatione, inſtructoq́; nobilis famæ navigio, armis ultionem exequi parat. Contrà Sveno adſcitâ privigni manu, maritimo hoſtem certamine excipit. In quo Olavi ſagittarius Enarus, magno corporis artisq́; robore præditus, tanto rigore mirifici arcus tormentum intenderat, ut excuſſum ab eo jaculum nulla rerum duritia ſiſteret, quò minus citato motu univerſum penetraret obſtaculum. In malum navigij incidens, lignum violentiâ ſuâ pervium habuit. Eâdem vi trajecto Regis clypeo tabulæ ratis illapſum, vix inter undas impetus ſui finem reperit. Itaque gravius hoſtem ſolus quàm tota ſociorum manus afficere valuit. Cæterùm adeò certo ictu deſtinata feriebat, ut quicquid impetebat, offenderet. Quo evenit, ut Sveno tormenti monſtro territus, plus metus in unico ſtipite, quàm tota hoſtium claſſe reponeret. Cumq́; ſolum in ejus corruptione remedium animadverteret, non tàm ſagittarium, quàm artis ſagittariæ inſtrumentum ab ejus rei peritis impeti jubet, violatâ arcus fortunâ tutius bellum gerere cupiens. In quod delectis certatim tela congerentibus, unum fortè arcui impactum, artificem ingenio, hoſtem victoriâ ſpoliavit. Cumq́; late ruptionis ejus fragor obſtreperet, ſtupens Olavus, quidnam eſſet comminutum, interrogat. Cui Enarus, convulſam, inquit, abs te Norvagiam puta. Plus namq; opis in arcu, quàm exercitu repoſitum judicabat, futurum pugnæ exitum abſciſſa reſponſi ſagacitate complexus. Nec ſecus, quàm prædixerat, accidit. Fractio namq; arcus inſecutam Norvagienſium cladem ominata eſt. Ut autem Olavus hoſtium manus arbitrario fato præcurreret, mortemq́; ſibi ipſe conſciſceret, armis onuſtus præcipiti ſaltu profundum petiit, tanquam vita feliciter exceſſurus, ſi non aviditate lucis victorem intueri cogeretur. Cumq́; Sveno hoſtium vires in ſuam redactas poteſtatem vidiſſet, quos armis ad fugam inclinaverat, oratione ad obſequium flectere cupiens, inſignem rei bellicæ ſucceſſum ad blanditias tranſtulit, victorq́; cum victis paciſci deforme non duxit. Nec Norvagiam ſibi ſubjeciſſe contentus, petitâ Angliâ pactum cum Adelſteno habuit, ut eo decedente, Regis bonis ac nomine frueretur.

SVEN Tiuffveſkeg.

Iiſdem temporibus Popponi Rimbrandus, Henrico Marcus, pontificij religione ſucceſſit. Pro Lefdago Fulbertus ſacerdotio fulſit: poſt quem Othincarus Albus, ſplendidiſſimo loco natus, infulas ſumpſit. Cujus liberalis in Deum animus, ne parvulâ quidem ſibi ſummâ retentâ, ampliſsimum patrimonium neceſſarijs templorum uſibus erogavit, cellaſq́; ante id rei familiaris inopes uberrimis agris ac latifundijs locupletes effecit, adeò ut excellentiſsimæ totius Jutiæ civitates, quicquid penè prædiorum poſsident, à religioſa ejus donatione perceperint. Itaq; propior publicæ devotioni, quàm privatæ facultati, ſolidæq́; magis quàm fluxæ laudis appetens, momentaneo rerum impendio, manſuras animi delicias comparavit, ſeq́; patrimonij, quàm religionem rei familiaris inopem eſſe maluit; ad eum hæreditatis ſuæ honorem transferens, à quo pia dona perpetuis bonis rependenda cognoverat. Nec poſſeſsionem ſacris impendiſſe contentus, ut omnes virtutis partes ac numeros exequeretur, etiam rerum beneficijs virtutum adjumenta ſubtexuit. Siquidem Sialandiam & Scaniam officio piæ eruditionis aggreſſus, mirificum ſacri dogmatis auctorem agere cæpit. Ac ne parcius animi quam corporis officium adminiſtraret, tantum ſe in amplificanda religione geſsit, quantum egerat in locuplanda, pro quo patrimonium erogaverat, etiam morte paratus occumbere.

Cæterùm Sveno ſenilis animæ laboribus feſſus, divinis rebus infatigabilem ultimi temporis curam tribuit, nec ſpiritu quam religione diuturnior fuit. Siquidem omni humana concuſsione vacuus, in ipſo perfectiſsimæ vitæ fulgore deceſsit. Hunc igitur duæ inter ſe diviſère fortunæ, quem varia ſors in ludibria ac decora alterna vice trajecit, regno illius captivitatem, ca-

ptivitati

privitati exilium substituendo. Quis enim crederet illum à maximo solio ad Sclavorum perventurum catenas? Quis rursus existimaret à Sclavicis vinculis ad Regni rediturum insignia? Attamen ex Rege captivus, atq; ex captivo Rex est factus. Ita nunc miserrimis, nunc felicissimis par, diverso conditionis habitu geminam utriusq; fortunæ mensuram æquavit.

LXI. *CANVTVS Magnus.*

Mortuo Svenone Angli ac Norvagienses, nè rerum summam alieno imperio subjectam haberent, Reges ex suis legere, quàm à finitimis mutuari satius rati, abrogato Danici nominis respectu, Eduardum atq; Olavum in majestatis fastigio locaverunt. Quorum prævalidum robur Canutus Danorum solio functus inter rerum initia aggredi veritus, ne tamen regnandi usum intra patriæ metas clausum haberet, dissimulatâ magis quàm omissâ paterni imperij recuperatione, primùm Sclaviæ ac Sembiæ, perinde ac debilioribus regnis, ferrum injicere statuit. Quarum alteram Sveno, tametsi graves injurias passus, obstante religionis vinculo, concutere formidabat; alteram ab Haquino oppressa, absumpto eo, rebelles Danis manus exercuit. Solerter igitur à Danici regiminis successore provisum est, ut in hac paterni gravaminis, in illâ defectionis noxam puniret. Neq; enim ignorabat bonæ indolis habitum ad majorem virtutem capessendam leviori rerum conamine roborari; ideoq; in ipso militiæ tyrocinio, adolescentiam suam aliquo præclaro opere auspicari cupivit. Nec eò quidem segniores desertoribus manus intulit, sed nescio an ideo promptiores, quia strenua ingenia, quò plus experimenti sumunt, hoc ad insignem operam edendam majore ausu proficiunt. Cujus propositi compos spes suas duabus splendidissimis victoriis alitas, tertiam ab Anglis expetere docuit. Quod ut promptius expediretur, Olavum Norvagiæ potitorem cum fratre Haraldo, tectis dissimulatione odijs, adversum defectionis suæ consortem armavit. Enimvero ut prudenter, ita periculosè hoste in hostem usus, ambitione conjunctos armis dividuos fecit. Igitur Danorum Anglorumq; exercitibus acerrimâ pugnâ consertis, Tymmo genere Sialandicus, cum hostili impetu sociæ partis Aquilas admodum inclinatas videret, levemq;, & quem sors obtulerat, ramulum hasta sustulit, eoq; vexilli loco usus, atq; in eum vociferatus modum, quo Canuti milites mutuæ adhortationis gratia acclamare consveverant, adversas in fugam turmas felix antesignanus avertit. Itaq; non tam signi, quàm animi virtute salutarem suis aquiliferum gessit, nutantemq; Danorum fortunam ad victoriam usq;, ne laberetur, erexit. Nec solùm fortitudinem ipse plenissimam præbuit, sed etiam ex sociorum animis penè profugam revocavit. Cujus facti decus postmodum cognomine usurpavit, insuperq; virtutis titulo honore primipili à Rege donari meruit. Nec puduit Danorum partes splendidissimo aquilifero defectas, plebei hominis ductum ut obscurum specie, ita præclarum eventu recreatis animis salutis præmium consectari. Igitur Edvardus contusis suorum animis, intolerabilem Danici exercitus spiritum animadvertens, quia manum non poterat, pactum cum hoste conseruit, ut quoad ipse viveret, Canutum dimidij Regni consortem haberet, extinctus omnium bonorum hæredem relinqueret. Ita victor à victo extudit, ut is sibi consortionem imperij vivens cederet, totum moriens testamento legaret. Eodem tempore Alvvinam ab Olavo adamatam, Canutus eximia matronæ specie delectatus, stupro petijt. Igitur Olavus sive quia concubinæ facibus spoliatus, sive quia promissa Angliæ parte per Canutum fraudatus fuerat, privatam offensam publicæ militiæ prætulit, peractisq; stipendijs, ira pariter ac dolore instinctus Norvagiam redijt, non incongruum ejus desertorem agere ratus, à quo plenâ turpitudinis injuriâ vexatus fuerat.

Septenis postmodùm interjectis annis quidam triclinium, in quo Canutus epulabatur, ingressi, totius Angliæ Regem salutare cæperunt. A quibus

Rex

CANVTVS Magnus.

Rex sibi ictum cum Edvardo fœdus per involucrum exprobrari ratus, nihil ejus se pudere respondit. Sed neq; ab ira animum, neq; vultum à rubore continuit, profectas à scelere voces ludibrio propinquas existimans. Tunc illi funestum ministerium incauto confessionis officio prosecuti, Edvardum suâ interemptum operâ jactitabant, eo se Regi placituros rati, quo summam ipsius offensam accenderant. In quos Rex perindè ac majestatis insidiatores, præparati præmij loco, suspendio protinus animadvertendum curavit, deterrimum opus deformi vindictæ specie puniens. Quanquam enim se acri æmulo liberatum cognosceret, sceleri tamen pœnam, quàm utilitati gratiam referre maluit. Memorant alij Edvardum clandestino Canuti imperio occisum, ejusdemq; jussu pœnam à maleficis, gratiâ demendæ suspicionis exactam. Ut enim innocentiæ suæ fidem astrueret, seq; ei culpæ affinem fuisse negaret, gravius in sceleratos consulendum putavit. Ea tamen res primum Regis apud domesticos favorem quassavit. Qui cum Anglorum rebus obtentis nectendam cum finitimis amicitiam decrevisset, Normanniæ præfecti Roberti filiam Immam matrimonio duxit, ejusq; fratri Rikardo sororem Estritham conjugio potiendam permisit. Igitur ex Imma Canuto Gunnildâq; susceptâ, duorum populorum concordiam communi sangvinis vinculo stabilivit.

Cæterùm quo promptius habilem expeditamq; clientelam contraheret, splendidis militiam tyrocinijs auxit, amplissima fortibus stipendia proponendo; non tam numero quàm robore militum venerabilius imperij sui decus futurum existimans. Itaq; militaris alacritas, cujus maximè præmijs honos alitur, certatim in ejus contubernium defluebat. Cujus munificentiæ gratia Vlvonem quendam è Svetia accersitum, dolis magis quàm viribus insignem, in militarem ordinem allici contigit. Cujus quoniam incidenter mentionem egi, ortum summatim disseram. Cujusdam patrisfamilias in agro Svetico filiam liberalis formæ cum ancillulis lusum egressam, eximiæ granditatis ursus deturbatis comitibus complexus rapuit, exceptamq; ungvibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportavit. Cujus egregios artus novo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis quàm absumendi studium egit, petitamq; laniatui prædam in usum nefariæ libidinis vertit. Continuà enim ex raptore amator effectus, famem concubitu solvit, ardoremq; gulæ Veneris satietate pensavit. Quoq; eam indulgentius aleret, crebris incursationibus vicinum acrius incessabat armentum, nec nisi lautioribus antè vesci solitam, sparsis sangvine dapibus assvefecit. Adeò enim captivæ speciei efferatam raptoris sævitiam fregit, ut quem sangvinis sui cupidum extimescebat, amoris avidum experiretur, pastumq; ab eo perciperet, cui se fore protinus alimoniæ metuebat. Quò non penetrat, aut quid non excogitat amor? cujus ductu etiam apud efferatam belluarum rabiem gulæ irritamentum libidinis imperio cedit. Tandem gregis possessor exhausti pecoris inopiâ provocatus, observatione adhibita circumventam canibus belluam cursu ac clamore vehementius urgere perstitit, fugacemq; sectatus, eò fortè loci, quo puella servabatur, accessit. Siquidem domicilium ejus invijs paludibus clausum, perplexa ramorum series continenti frondium umbraculo texerat. Ubi mox fera à retiarijs circumventa ac venabulis occupata confoditur. Ut ergo duplicis materiæ benigna artifex natura nuptiarum deformitatem seminis aptitudine coloraret, generationis monstrum usitato partu edidit, sylvestremq; sangvinem humani corporis lineamentis excepit. Nato itaq; filio, paternum à necessarijs nomen imponitur. Qui tandem agnita suæ veritate propaginis, à patris interfectoribus funesta supplicia exegit. Cujus filius Thrugillus cognomine Sprageleg, nullo probitatis vestigio à paternæ virtutis imitatione defecit. A quo Vlvo genitus, originem ingenio declaravit, avitum animo sangvinem repræsentans.

CANVTVS Magnus.

Cæterùm ut ad diverticulum, quo exceſſi, redeam, Olavum cum Haraldo fratre Danis atrociter imminentem, Canutus claſſe ex Anglia petitum, ad ſocerum Gerithallavum, Orientalium ducem, exilio migrare compulit; recuperatâq; Norvagiâ rediens, Rikardum acerrimum uxoris oſorem effectum patriâ exegit: ſed & ſororem Sialandiæ redditam regiarum partium functione donavit. Interea abſumpto Sveonum Rege Olavo, ſuccedit Omundus, à vitæ diuturnitate cognomen ſortitus. Cujus fato Olavus Norvagienſis repetendæ patriæ fiduciam nactus, contractâ Sveonum ope, Norvagiæ ſummam audaci uſurpatione corripuit, quod Canutum fraternæ opis caſſum, ac celeberrima virium parte defectum adverteret. Idem ignarum juris populum, paſſimq; & agreſti more viventem, legibus ſalubriter editis, ad melioris vitæ habitum perduxit. Quarum vetuſta monimenta plebs Norica præſenti veneratione complectitur. Nec minus in Deum venerabilis, memorabili exemplo ſervatæ religionis inclaruit. Nam cum primâ feriâ cultello fuſtem per incuriam ſecuiſſet, atq; ab his qui proxime conſtiterant, ſolutæ à ſe religionis fuiſſet admonitus, continuò dexteram ſuam, quod ejus miniſterio lapſæ mentis errorem compleſſet exoſus, ſparſas repente ſcindulas legit, factoq; ex eis foculo, ſubjectam palmam cremandam præbuit, fortuitum culpæ modum, ſolido cruciatus genere puniens. Adeò ſcrupuloſo cultu levia quoq; religionis momenta ſervavit, cujus detractæ triſtem à ſeipſo pœnam exigere cunctatus non eſt. Nam cum reos pœnas apud inferos manere perſuaſum haberet, levi admodum cruciatu graviorem præcurrere ſtatuit, manumq; ad præſentes pœnas perferendas patientiæ duramento firmare, quàm animam futurarum metu ſuſpendere tutius duxit. Ita ne cæteri à divinitatis cultu avocarentur, ne ſibi quidem ignoſcendum putavit, & quod piè diſſimulare licuit, ſuppliciter expiavit. Cumq; præſidio negligentiæ errorem tueri poſſet, ne qua religioni fraus fieret, pœnitentiam magis repræſentare curavit, pœnamq; correctionis ſuæ fidem, quàm impunitatem delicti teſtem eſſe maluit. Ita prudentia ac devotione inſtructiſſimus, propior publicæ religioni quàm privato reatui fuit. Cujus facti circumſpectiſſima ſanctitate, æternam cognomine memoriam uſurpavit. Ab eodem quoq; pauperibus protectio, pupillis tutela, ſacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentiâ laceſſitis ſubſidia præbebantur. Præterea ex gremio ejus, veluti quodam munificentiæ fonte, complura alia virtutum ſpectacula manaverunt. Hæc hactenus: quià publico cultu conſecrata pietas privatæ laudis egena non eſt.

At Vlvo ob virtutis æmulationem gravibus in Canutum odijs efferatus, quia tutò inimicitias gerere nequibat, quò efficaciores inſidias necteret, inſtrumentum doli ſimulatione officij texit. Svetis enim aſſiduè Scaniam irrumpentibus, primus ad conſtringendos eos proficiſci popoſcit; impetratisq; petiti miniſterij partibus, Eſtritham, quæcunque imperaſſet, exequi, literis ſignatorio annulo impreſſis juberi petivit. Quibus acceptis, continuò matrimonium ejus poſtulare aggreſſus, rei bellicæ mandatum ad nuptiarum preces tranſtulit, libidinoſumq; quam ſtrenuum legationis miniſtrum agere ſatius duxit. Quam rem Eſtritha arcano fratris imperio conſentaneam rata, perſeveranti repugnare paſſa non eſt. Ita verſuti ducis animus impulſu capti odij inſtinctus, corrupto legationis officio, lingvæ volubilitate, quâ plurimum valuit, fratris ac ſororis credulitatem nefarijs perfidiæ laqueis circumventam oppreſſit, bellumq; adverſus Daniam profeſſus, ſtructis callidè dolis audacter evidentiam præbuit. Et ne Canutum in Dania ultorem opperiretur, declinandæ vindictæ gratia, in Svetiam ſibi cum conjuge tranſeundum providit. Ubi invadendæ Daniæ propoſitum pertinacius animo volvens, Omundo, Olavoq; conſilij participibus factis, alteri maritimis Sialandiam copijs, alteri Scaniam terreſtribus impetendam proponit, ipſe ſe claſſem è Svetia ducturum promittit. Cujus rei molitione

detecta,

CANVTVS Magnus

detecta, Haquinus quidam è villa Stangby, amantissimus Regis, arreptâ quàm celerrimè navigatione, Canuto cuncta ex se cognoscendi copiam tulit, eaq; humanitate, quantâ principis ac patriæ charitate teneretur, aperuit. Rex tantæ conspirationis nuncium exercitu subsecutus, ne rumoris autorem præmio vacuum præteriret, fidem nuncij quod & longam & periculosam navigationem egerat, præmij loco duûm jugerum agri Scanici donatione pensavit.

Interea Olavus classe suâ apud insularum unam acquiescere jussa, habili expeditoq; navigio Sialandiam petiit. Ubi accersitum concionis nomine populum ad deditionem quàm potuit desertissimo provocabat eloquio, modò universorum, modò singulorum compositis blanditiarum figmentis animos demulcendo, eam demùm tutiorem potentiam credens, quæ pace magis, quàm prælio constitisset. Igitur à majorum quodam astu benignissimæ responsionis exceptus, simulatum plebis favorem spe eximia complectebatur. Tandem inter varium plebis tyranniq; sermonem speculatorum unus ex maritimis superveniens, grandia terris vela propinquare narrabat. Igitur fluctuantem Olavum, senior Regis adventum opperiens, interrito se animo gerere cohortatus, consvetam littoribus mercem advehi prædicabat, non aliam premendi inimici occasionem aptiorem futuram ratus, quàm si odium benevolentiæ specie suppressisset, spemq; ejus vano sermone protrahere potuisset. Secundò quoq; pari nuncio accepto, concionantis metum consimili affirmatione discussit. Tum demum Olavus assertionem ejus suspicione insecutus, emissum in littus speculatorem explorare jubet, Canutus ne esset, an negociatorum aliqui venientis exercitus speciem præbuissent. Quo reverso seq; frequens classe pelagus prospexisse perhibente, continuò senem mendacij damnans colloquium solvit. Ille nihilominus vera se omnia retulisse contendens, eos adventare dicebat, à quibus Daniam ferro comparare quis posset. Olavus vix fuga usus, pertinaci remigio sociam repetit classem. Sub inde Canutus portum classe complexus, victum labore remigem nocturna quiete firmavit. Ubi ab incolis Omundum terrestri agmine Scaniam, Vlvonem navali fluvium Helgam occupasse cognoscit. Ipse igitur Omundum excipit, classem ad opprimendos, qui ad amnem appulerant, mittit. A quo cum navium duces Omundum apud Stangam montem insigni pugna obrutum comperissent, ipsi quoq; consentaneam fortitudinis operam edere cupientes, ne Rege audacter agente ignavum gessisse militem viderentur, quò promptius in eam quam hostes occupaverant insulam trajicerent, aliam eidem vicinam ingressi, medium amnis spatium contabulatis molibus sternunt. Illic siquidem fluvius latius manantibus aquis, amnis modum excedens, ingentis stagni speciem præbet. Tum Vlvo suos, nè hostem cœpto deturbarent, admonitos, trajicientem telis eminus ac sagittis incessere jubet, futurum taliter inquiens, ut ipse sua sibi manu ultimam fati semitam strueret. Progresso vero longius opere veluti nostros transitu prohibiturus, in adversa ripa phalangem explicat. Quo viso Dani trajiciendi cupidiores effecti, frequentes oneravêre pontem. Vbi dum conferti, sed in quàm periculosum iter progrederentur ignari, bellum instanter appetunt, subitò desidente congerie inter undas avidum pugnæ spiritum deposverunt. Si quem vero (ut in eo discrimine accidere solet) semel ad summum fluctus retulit, protinus alterius amplexibus implicatus, in profundum periturus abstrahebatur. Ita dum mixti atq; alius alij cohærentes invicem opem exigunt, mutuò sibi exitium pepererunt, & quem salutis quis autorem petijt, infelicem fati comitem habuit. Neq; enim armorum pondere pressi, tutum natandi eventum assequi potuerunt. Ita Vlvo Danorum deceptor magis quam victor, aliena temeritate, quod proprijs viribus nequibat, obtinuit, certissimam hostium virtutem salubrius cunctatione pugnæ quam impetu proculcando. Cujus facinoris insecuturam metuens ultionem, quod sibi hinc classem obstare, inde Regem imminere

CANVTUS Magnus.

conſpiceret, ſalutis obtinendæ conſilium ut viribus difficile, ita arte promptiſſimum reperit. Fugam namq; diligentius animo circunſpiciens, cum unicum ejus diverticulum in claſſis deſertione reſtare animadverteret, noctu majoribus navigijs relictis, in proximam ripam univerſum ſcaphis trajecit exercitum; ſicq; clandeſtino ſeceſſu uſus potitum latebris agmen abducit. Diluculo Dani ſociæ cladis ultionem avidius ſitientes, dum in hoſtium navigia iruunt, eadem propugnatore vacua reperiunt. Rex lacu luſtrari juſſo, merſorum corpora uncis aut everriculis capta, apud Aſum contiguum amni oppidum ſupremis procuravit officijs. Olavum verò per Norvagienſium quosdam pecunia à ſe corruptos domeſtico bello opprimendum curavit. Ita egregii animi dux ſuorum avaritia laceſſitus, quos foris popugnatores habuit, domi percuſſores invenit. Cujus frater Haraldus conſimilem gentis perfidiam veritus, adito Byzantio ſuſpectam patriæ fidem longinquo declinavit exilio.

Igitur Canutus ſex præpollentium regnorum poſſeſſor effectus, eximio ſui fulgore etiam Romanum illuſtravit imperium. Enimvero ejus principi Henrico filiam Gunnildam nuptum tradidit, eundemq; paulò poſt Italica conſternatione perculſum auxilio proſecutus, priſtinæ fortunæ, preſſâ rebellium conſpiratione, reſtituit. Inde reverſus Haraldum natu majorem Angliæ, Daniæ Canutum, Norvagiæ Svenonem, quem ex Alvina ſuſtulerat, absq; ulla majeſtatis ſuæ diminutione præfecit. Nam etſi tres provincias totidem filiorum regimini tradidit, nihilominus commune ſibi trium imperium reſervavit, neq; ſummam penes alium conſiſtere voluit. Præterea teneris adhuc ducibus, in officiorum tutelam fortiſſimorum præſidia ſociavit. Poſt hæc Eſtritha filium Svenonem enixa, ſobolis interceſſu viro fratris gratiam conciliavit. Benevolentiam enim quam Canutus perfidis Vlvonis meritis denegavit, conſangvineæ ſibi prolis reſpectui tribuendam putavit. Quinetiam ſororem Anglorum ſatrapæ Godevvino nuptijs junxit, gentem genti animis atq; affinitate conſerere cupiens. Ex qua Haraldum, Biornonem, Toſtonemq; ortos memoria proditum habemus. At Cæſar ex Gunnilda filium æquè fortuna ac vocabulo Magnum ſuſcepit: à quo illuſtrium Teutonicorum imagines, ſplendidaq; Germaniæ lumina ſucceſſionis ſerie pullulaſſe produntur.

Eo temporis Guthſcalcus Sclavicus eximiæ indolis adoleſcens, commilitium Regis ſtipendia meriturus acceſſit. Is à Pribignevo patre Chriſtiani cultus amantiſſimo, deficientemq; à religione Sclaviam nequicquam revocare conante, præter nationis ſuæ morem, percipiendæ literarum diſciplinæ gratiâ, doctoribus traditus, ut eum à Saxonibus potiendæ Sclaviæ cupidis interemptum cognovit, efferatum ingenium leni ſtudio miteſcere paſſus non eſt. Repentè enim armis ſcholam mutavit, & ne alienigeni ingenij exercitatione patrios ritus pigriùs proſequeretur, literarum cultum in tyrocinium vertit, omiſſoq; doctrinæ ſtudio, ſtrenui vindicis quam ignavi diſcipuli partes agere maluit audacter quam induſtriè animo uti ſatius autumans. Itaq; naturæ magis quam præceptoris monitis obſecutus, partâ tande multione, Canuti commilitium expetivit. Ita adoleſcentis mens in ipſo doctrinæ limine ſævitiæ ſtimulis intercepta, ſtudioſæ rationis elementis ingenitum ſangvini ſuo rigorem expugnare non potuit.

Eodem tempore apud Daniam ſacrorũ antiſtites alijs alij ſucceſſiſſe traduntur. Nam Gerbrando ſubſtituitur Avaco; Otthincarus Junior Ripenſis. Pontifex creatur. Cæterum Canutus tria præmemorata regna circumjens, clientelam ſuam ſex millium numerum explentem, ſexaginta navigijs cultius apparatis, eorumq; quolibet centenos armatos capiente diſtinxit. Eandem æſtate pro tuendo imperio excubantem, hyeme contuberniis diſcretam alere conſvevit. Menſibus ſtipendia novabantur. A quo Vlvo tempore, quo rerum autor nobiſcum immortalitatem ſuam partiri voluit, annuo feriarum circuitu repetito, apud Roskildiam convivialiter accerſitus, poſtquam induſtriam temulentia vicerat, merſæ nuper militiæ cladem nocturnis laudum ſuarum cantibus celebrabat. A quo Rex ſuorum ſibi pericula palàm exprobrari

judicans, vehementis iræ procursum adversum contumeliosum ejus carmen distrinxit; indignum ratus eo convivâ uti, cujus ductu se fortissimis propugnatoribus spoliatum cognoverat. Igitur Ulvo inter ipsa mensæ sacra ab astantibus interfici jussus, præcipitis lingvæ justa supplicia pependit. Ita dum aliena fata parum sobriè meminit, sua cecinit; siccatosq; cupidè calices proprij sangvinis liquore complevit. Meritò enim ex tam petulanti ingenio amaritudinem potius quàm voluptatem percipere debuit, quod gloriæ sibi loco arrogasset, ductu suo præcipuis Regis viribus ultimam incessisse jacturam. Quo peracto Canutus violatæ necessitudinis injuriam, ac sororis viduitatem, duarum provinciarum attributione pensavit: quas eadem postmodum sacrosanctæ Trinitatis ædi, præcipuâ apud Roskildiam veneratione cultæ, decimarum nomine partiendas curavit. CANVTUS Magnus.

Jamq; frequens ad Canutum miles defluxerat, animis quàm impensis onerosior. Plerisq; enim amplior virium, quàm morum gravitas inerat; quiq; se splendidius bello gesserant, obscurius pacis decora intuebantur, adeò ut qui foris insignes extarent, domi ignobiles viderentur, vixq; eadem & honesta & acria ingenia reperiebantur. Igitur complures ad vim & rixam usq; in aula perniciosi esse consveverant. Quos cum Rex natione, lingvis, ingeniis quàm maximè dissidentes animadverteret, quippè variis ac perplexis invicem affectibus urgebantur; (nam petulantia alios, alios invidia, quosdam etiam ira vexabat) quò minus seditiosè se gererent, saluberrimum castrensis disciplinæ tenorem, qua tantæ varietatis discordiam rumperet, debitamq; militi maturitatem monstraret, exactissimis edidit institutis. Itaq; circumspectissima ejusdem deliberatio Oponis Sialandici, cæteros prudentia atq; autoritate præstantis, monitis persvasa, ne externa fortè domestico crimine turbarentur, socialis odij tempestatem repressit, legesq; severissimè cavendo seditiosum militiæ spiritum veluti fraterna quadam charitate coërcuit. Atq; ut audaciæ comitatem adijceret, fortissimo militi speciosissimum moris habitum ingeneravit, clientelam suam effrenium ac litigiosorum convictu tanquam erubescendâ aliqua sentinâ vacuefacere cupiens. Ut ergo improborum frequentiam à curiæ valvis repelleret, statuit ut in capessendo discubitu, ordine quo quisq; militaris muneris advocationem sortitus fuerat, uteretur, locoq; antecelleret, qui prior obsequio foret. Adeò militiæ vetustatem honorē mensæ rependi par duxerat, ne promiscuis sedendi locis confusa meritorum series videretur. Eum verò qui cœnâ initâ, aliqua mora interpellante tardior supervenisset, inter considentes excipi oportebat. Qui si tam arcto se consessū junxissent, ut ob nimiam eorum frequentiam, qui supervenerat, sessū recipi nequiret, qui ejus loco insederat exurgens proximum occupabat, eousq; invicem se assurgendi officio venerantibus, donec laxato totius consessionis ordine, legitimum recipiendo spacium patuisset, mensâq; qui postremus residebat, abscederet. Si quis vero alieno discubitu uti per insolentiam perseverasset, qui eo spoliatus fuerat, proximè circumsedentibus injuriæ querelam detulit, hisdemq; testibus in concionem productis adversus reum actione contendit, effecitq; ut qui cedere jussus contumaciter supersedisset, contumeliosè stipendiis amoveretur. Ter tamen Regi tali culpa affectis necessitatem pœnæ remittendi fas erat. Nec aliter quàm ut tot gradibus quis discubitu indignior fieret, quot vicibus sodalem dignæ sedis negatione sprevisset. Ita enim legis temperamentum inter severitatem ac mansvetudinem medium, rigori clementiam sociavit, ut nec pœnitentiam repelleret, nec impunitatem excessui daret. Quod si quartò se quis eodem reatus genere maculasset, discreto à milite loco, mensæ alienus fiebat, commilitonum nemini catino aut calice communicabat. Neq; enim ter veniam experto ulterius ignoscendum putabat, quia sua jam noxa pœnam meruit, qui se ea toties affecit. Adeò contumaciam contemptu mulctari placuit. Valuit enim apud Regem spretæ militaris dignitatis indignatio; eumq; qui parem venerari nesciret, parum [illegible]

CANATVS Magnus. delaturum eſſe exiſtimatum eſt. Eodem pœnæ genere in minutos quosq; animadvertebatur exceſſus: ut, ſi quis alium convicio inſecutus fuiſſet, aut potione per contumeliam reſperſiſſet.

Cæterùm Rex maritimam ſæpius quàm terreſtrem militiam agere conſveverat. Igitur quoties equitatu opus erat, milites equis omnibus vacui pro aſſervandis equis alternis vicibus excubabant. Qui verò adaquandi tempore ita ſodalis equo uſus fuiſſet, ut ipſum continuè, nec modò ſuum, modò illius viciſſim inſidendo premeret, prædictum pœnæ modum explevit. Tanto enim ſtudio Rex verecundiam à ſuis ſervari voluit, ut etiam parvulo impudentiæ exceſſu devios, caſtigationis remedio coërcendos putaret. Qui verò tribus faſciculis in ſtabulum conjectis, equo ſuo communis pabuli ſpicam, alieno ſtipulam admoviſſet, juxta priorem formulam militia, aut turpiter uti, aut deformiter excedere cogebatur. Ac ne quis ſocio flumen tranſequitanti, ita equo concurreret, ut ad ipſum turbulentior unda deflueret, pari induſtria cautum. Adeò ſcrupuloſa curâ parvula quoq; ſocietatis officia penſabantur. Ei vero qui ſtationi addictus, ita ſe ſomno oneraſſet, ut veſtes aut arma dormienti detrahi poſſent, conſimile vindictæ genus mulctæ nomine irrogabatur. Neq; enim Regio profuturus imperio putabatur, quem privatus torpor publico excubiarum officio ſubmoviſſet. Verùm adverſus graviora præfractior actio conſtituta fuerat. Si quis enim commilitonum ſuorum quempiam manu, ferro, vel fuſte læſiſſet, aut ſi quicquam violenter ejus manibus extorſiſſet, comàmve alieni capitis violaſſet, poſtremò ſi majeſtati inſidias ſtruxiſſet, abundeq; de facto, teſtium adſtructione, conſtaret; tanquam capitalis criminis reus, clientelâ amotus, militari munere defungebatur. Is namq; qui graviter ab aliquo affectus fuerat, in primis Regem ſellâ poſitâ jus militi dicere poſtulabat; deindè reum, ut in concionem veniret, tertio citatorum ordine provocabat. Unum quemq; bini duntaxat commilitones explebant. A quibus, ſi reus in quæſtionem publicam deducendus, rem familiarem poſſediſſet, domi ſemel, bis in curiâ apud diſcubitus ſui locum, præſens abſenſvè, poſtulari ſolebat. At ſi fundo careret, eo loci, ubi in aula accubare conſveverat, ter ſponſione provocandus fuerat. Concione initâ, qui provocaverant, ſyncerè ſe reum poſtulaſſe, nihilq; in ea cauſæ dictione favoris, aut offenſæ reſpectui indulſiſſe jurabant, ſimulq́, & citatorum, & teſtium partibus inſervjebant. Conſequenter in reum principalis facti teſtimonium, à duobus denunciandum reſtabat, juramento præfari juſsis, nec actoris amore, nec rei odio, quicquam ſe præter oculis aut auribus explorata dicturos. Nam in quæſtione læſæ majeſtatis propenſior auditui fides haberi conſveverat, cæterum teſtimonium in oculis reponebatur. Prætereà objecta defenſionis præſidio repellere non licebat. Siquidem teſtium criminatio, neq; alieno patrocinio, neq; propriâ cujusquam repulſione ſubrui poterat. Tantum quippe autoritati ipſorum pondus inerat, ut aſſertionis eorum fidem elevare proxima ſacrilegio dementia putaretur. Ita reus adverſum teſtimonii fulmen, nec culpam nec innocentiam ullo argumento tueri potuit. Sed neq; ei, ſi ſponſione provocatus fuiſſet, reſtipulatione uti licuit. Rationem teſtium diſtricta judicum inſequebatur autoritas, reum veluti evidenter noxium, nihilq; jam pro ſe recuſantem, honore, opibus, patriâ, atq; omni demum militari functione damnantium. Hoſtibus ejus honos atq; impunitas adjudicabantur. Juxtà in præſentem abſentemq́, ſententiæ ferebantur. Sua nulli longinquitas præſidio eſſe poterat, quò minus & accuſatio teſtibus, & damnatio ſententijs inſtrueretur. Quarum utrâq; plenè partes ſuas exhibente, reo defenſionis amplecti præſidium non licebat. Tum demum Rex cognitione ſuſceptâ, an ea cæteris pronunciatio placuiſſet, interrogat. Ipſe enim auditoris tantùm partem exequens, militiæ judicationis mandavit arbitrium, deforme ratus damnare viros, quos ipſe foviſſet. Quapropter in eos, quorum egregiâ operâ uſus fuerat, aſperè pronunciare veritus, quæſtionem ad ſe delatam, ad curiæ cognitionem

CANUTUS Magnus.

nem relegavit, silentiumq; moderationis suæ fidem, quàm sententiam severitatis testem esse maluit. Cumq; demum exaudita militum responsione, totius concionis suffragia judicationi consentanea noscerentur, qui damnatus fuerat interrogari solebat, terreno an maritimo secessu fugam petere decrevisset. Ita Rex proscriptione suos quàm nece puniri maluit, delectumq; fugæ, ne violentiam repræsentaret, indulsit. Quod si reus mari se credere delegisset, eò commilitonum frequentiâ prosequendus, datâq; nave, remigijs, commeatu, vasculo egerendis aquis idoneo, tamdiu in littore opperiendus fuerat, donec remi, si eis navigatio gereretur, vel si velis, antennæ extra conspectum abijssent. Tum deniq; qui profugerat, superiori ab omnibus sententia repetita, amarissimorum maledictorum verberibus laceratus, tristissimis totius militiæ suffragijs damnabatur. Qui si tempestate in littus relatus fuisset, continuò ut hostis habitus violatæ societatis pœnas pendebat, discrimenq; capitis ejus funesto damnationis incursu cupide à commilitonibus expetebatur. Ita non periculosa minus, quàm ignominiosa sontium evitatio fuit. At si militiæ munere defunctus terra perfugere maluisset, ad nemus usq; pari militum cura comitandus erat, cunctis tamdiu in ejus abitu expectantibus, quousq; procul ipsum abesse cognoscerent. Ac tunc demum magno cum totius militiæ fragore ter valide edendus clamor, cunctaq; strepitu miscenda fuerant, ne fugiturus ullo ad eos errore referri posset. Tunc demum districta, & jam inexorabilis omnium severitas, cunctis solenni jure completis, ne de indemnato supplicium sumere videretur, supremam reo damnationem intendit, effecitq;, ut qui se à specioso militiæ convictu abruperat, turpiter vagam vitam proscriptus exigeret. Ita militaris disciplinæ rei, judicialis ignominiæ gravitate in abjectissimorum condicionem relegabantur. Adeò enim Rex contumeliam sontium non sangvinem sitiebat, ut eos probroso castigationis genere, quàm cruento punitiores putaret. Si quis autem ei postmodum commilitonum uno telo aut comite superior obvio pepercisset, ipsius se contumeliæ participem præbuit, cujus culpam vindicta prosequi formidavit. Tale noxiis, quoties à curiæ moribus degeneratum fuerat, militiæ munere defungendi jus erat. Adeò quondam castrensis notæ dedecora judiciali repellebantur umbone. Quod si reus ab actore testimonio superari neqeiret, sex secum commilitonibus in jusjurandũ accitis, culpæ quæ objiciebatur, alienum se fuisse monstrabat. At si commilitonum quis eum, quem militiæ consortem nescisset, injuriâ per ignorantiam affecisset, ad conciliandam errori suo fidem, prædictum sodalium numerum in sacramenti societatem contrahere debuit. Cæterùm solenni jure convictos, ac superiori modo damnatos felicitas deficiebat, occupabat adversitas: eo quidem certius, quod trium regnorum Pontifices adversum talium transgressionum reos solenni execratione usos esse constabat. Ita disciplina ejus geminum amplexa columen, partim regio, partim religionis præsidio nitebatur, ut humanam sententiam divino crederes judicio comprobari. Cujus rigor discordias rupit, simultates finivit, seditiones extinxit, pacatioremq; Regi militem reddidit. Postmodum vero severitati ejus, sivè ob inertiam, sivè ob clementiam principum, pecuniariæ mulctæ temperamentum accessit. Quo tamen, sola ligni percussio caruit, quòd eo canes quis abigere soleat. Adeò majorum verecundia summam in ictu probroso contumeliam reponebat. Contigit autem ut ipse Rex suâ primus lege caderet, jurisq; firmamentum, quod eatenus syncerum, atq; incolume steterat, parùm sobrius proprij militis occisione laxaret. Cumq; se legibus, quas ipse tulerat, evidenter noxium animadverteret, pœnitentiæ acerbitate correptus, vocatâ militum concione, regiâ sellâ descendit, inq; omnium conspectu supplex humi demissus, milites commissi sceleris pœnas suo arbitrio exigere jussit, libenter se decretam ab eis pœnam suscepturum promittens. Cumq; factum majestatis nomine tueri posset, militari se animadversioni substravit, humilitatemq; mansvetudinis suæ documentum, quàm vires elatio-

CANUTUS Magnus. nis indicium esse maluit. Illi concione lacrymantes egressi, deliberatione initâ, tristem de Rege sententiam ferre ut minus honestum, ita parùm utile perviderunt; non ignari sine eo esse se vacuum spiritu corpus, prædam, quibus ante imperassent, futuros. Postremò, universum rei militaris statum, eo pœnam subeunte, convelli, inq; unius omnes proscriptione damnari: lapsum ejus ruinam suam; damnationem, commune omnium periculum fatebantur. Igitur in tam ardua re sententiæ dubij, creditoq; sibi judicio æquo levius austeriùsve uti veriti, proprio Regem arbitrio decrevêre mulctandum, existimantes plus nutui majestatis, quàm privatorum sententijs deferendum. Emendabile enim credidêre delictum, quod impetu magis quàm industriâ nosceretur admissum. Igitur ex eo Judicem statuunt, pœnamq; præstolanti impunitatis potentiam largiuntur. Et pulchrè quidem factam sibi judicandi potestatem ipsius arbitrio reddiderunt, nè difficillimum negotium temerè jacta pronunciatione finirent, vel commilitonis ultionem placidè, vel Regis supplicium crudeliter expetentes. Ita salus Regis penè suo scelere eversa, temporis difficultati donata est. Ad hæc satis graves eum delicti pœnas dedisse arbitrabantur, qui se in tanto fortunæ fastigio, tàm suppliciter abjicere sustinuisset. Tum demum venerabiliter exceptum, atq; ex ancipiti reo securi judicis partibus inservire jussum, sellæ restituerunt. Rex culpam ære redimi debere constituit. Cumq; aliàs homicidiorum crimen quadragenis nummi talentis expiari soleret, ipse sibi trecenta ac sexaginta mulctæ nomine numeranda descripsit. Huic summæ novem talenta auri doni nomine adjecit, eandemq; mulctæ speciem consimilis culpæ reis, lege perenniter irrogavit. Totius verò pecuniæ partem Regi primam, alteram militibus, tertiam interfecto sangvine conjunctis adjudicavit. Cumq; ipse in præsentiarum tàm Regis quàm rei partes exequi debuisset, asscriptam sibi portionem sacrorum præsidibus egenisq; divisit, Deum perindè ac communem omnium principem pio munere propitiandum existimans. Egit humanum judicem, reum liberalem, veniæ genus, absolutionis spem, debito emendationis ordine complectendo. Cæterùm eo vivente militaris mos æquè violatore atq; expiatore caruit. Igitur dum sic seditiosis occurritur, mens militum à litigijs aberat. In exequenda enim ultione non sangvinis, non necessitudinis vinculo parcebatur, quò minus damnationis partes legitimo rigore procederent. Nunc verò solutis hebetatisq; pristinæ militiæ nervis, graviora inter commilitones quàm exteros dedecora pariuntur, cum & omnis adversum improbos actio sileat, & qui culpæ punitor esse debuerat, patronus existat, nec sit qui dissolutos militiæ mores præfractius rigidiusq; constringat. Hanc itaq; militaris disciplinæ consvetudinem diuturnâ usurpatione firmatam, nostri temporis principes abrogare minime erubescendum duxerunt. Ubi enim domestica quies seditionum fluctibus agitatur, priscæ consvetudinis forma convellitur. Quippe adversum effrenes, concitatiq; ingenij tyrones, severitate potiùs, quàm nimio favore, ac profusa indulgentiâ utendum est. In quem modum Canuti industria pro administrandis militaris disciplinæ negocijs, syncere ac valenter excubuisse cognoscitur. Præterea militi Regem, vel Regi militem, non nisi pridie Calend. Januarias abdicandi fas erat. Ejusdem quoq; postmodum observantiæ gravitas ab aula Regum, in aliquantò obscurioris familiæ convictum prorepsit, diuq; superioris disciplinæ etiam apud supparis conditionis viros imitatio valuit.

Interea Svenonem tutelæ tunc Norvagiæ vacantem casus absumpsit, moxq; ad patrem provincialis ministerij summa concessit. Ut autem Canutus à Richardo, quod sororis suæ repudium egisset, atq; adversus uxorem severius æquo maritali supercilio usus fuisset, tanquam à conjugalia sacra contumeliosè tractante pœnas sumpturus, ac tori genialis injuriam repulsu-

tus,

rus, in Normaniam magnâ claſſe trajecit. Ubi cum paulò poſt triſte quoq; de Haraldi fato nuncium accepiſſet, propior publicæ expeditioni quam privato affectui, agmen eâdem, qua prius, celeritate promovit, neq; animo aut officio, quò minus cœpto inſiſteret, remiſſior fuit: ſed neque oculos ad ſingularem luctum à generalis militiæ contemplatione deflexit. Adeò rerum ac temporis ſtatum inter fortem patrem ac ſtrenuum ducem egregia animi moderatione diviſit, nec minus in toleranda filij morte, quàm in hoſtium appetendâ, perſpicui roboris ſpectaculum præbuit. Cujus impetum Richardus Siciliam petens, fugâ præcurrere maturavit. CANVTVS Magnus.

Interea Canutus ob gravis militiæ labores adverſâ valetudine preſſus, cum ſe corporis firmitate defectum, ac mox ſpiritu cariturum animadverteret, convocatos proceres, non niſi bello confecto, domos reverti juſſit, haud dubie victoria potituros, ſi funebri ejus lecto humeros in acie ſubjeciſſent, atque inter primos præliantium globos ducis nomine corpus ſuum exanime pertuliſſent, idq́;, fugato hoſte, quò clarius cinerum ſuorum monumentum extaret, apud Rothomagum, promiſſâ indigenis libertate, ſepulturæ mandarent: facilè uſuros conditione Gallos, ſi ilicò hoſtem finibus ſuis exceſſurum cognoſcerent, parvoq́; impendio grandi patriam metu liberare quiviſſent. O immenſam perituri Regis induſtriam, quæ ſuis in ultimas rerum anguſtias devolutis, diſciplina quàm ſpiritu vividior affuit. Enimvero ſuperſtitum ſalus decedentis ingenio ſtetit. Nam corpus ejus funebri lecto à militibus in acie perlatum, ad Danorum usq́; victoriam veluti viva adhortatione profecit, ut non minus extincti, quàm ſuperſtitis fortunæ pondus ineſſe credentes. Cui mox ſepulturam, diſceſſuros ſe pacti, à Rothomagenſibus expetiverunt. Rapuère conditionem hoſtes, cineribusq́; ejus in urbe ſua acquieſcendi locum dedèrunt. Ita milites ſuſcepti monitus ratione, pugnam, pactionem, ſepulturam atque exequias proſecuti, fato functum humeris ſuis Regem in acie pertulerunt, victoresq́; funerato eo, ſumptis tantùm commeatibus, ad propria reditum habuerunt. Hunc Canutus exitum habuit, quo nemo noſtrorum Regum, tametſi plura alij victorijs illuſtraverint, ſplendidior fuit. Adeò enim operum ejus magnitudinem propitiæ famæ fides auxerat, ut quos rerum geſtarum gloria pares habuerat, amplitudine claritatis excellat. Cumq́; aliorum ſplendorem ignorantiæ obſcuritas, ac vetuſtatis rubigo perederit, hujus decus longa famæ uſurpatione ſubnixum, perpetuis memoriæ fructibus revireſcit. Siquidem ſanctitate ac fortitudine inſtructiſſimus, non minus religionem, quam regnum proferre curæ habuit. Quippe cum bellicis latè titulis inclaruiſſet, placidiore ſtudio uſus, ex fiſco ſuo compluribus in locis privatorum Clericorum convictu inſtituto, cellularum frequentiam novis conventiculis auxit, ſacrorumq́; venerationem, quam maximam ſemper exhibuerat, regiarum opum impendio ſtipendijs multiplicavit. Monachalem quoque ordinem uberiorem reliquit, ne ferociæ propior quàm pietatis officijs videretur, æquam ſibi utriusque laudem adjicere cupiens. Cujus ſtudij induſtriâ ad tantum claritatis lumen acceſſit, ut cum fortiſſimorum Regum bellica virtus antiquitate exoleverit, ejus famam gloriæ quæſtu opulentiſsimam tenaciſſima poſteritatis agnitio comprehenderit.

Interea Sveno Eſtrithæ filius expectato apud Angliam Canuto, quò plenius incolis auſum defectionis excuteret, militiam præſidijs ſparſit, ne libera munimentorum occupatione ſuſpectas Anglorum vires armaret. Ut autem Norvagienſibus mortis Canuti nuncius adfuit, continuò pudore externi obſequii Danicum detrectantes imperium, ad Olavi filium Magnum, cui bonitas ſua cognomini erat, deficiunt, eiq́; regnum imponunt. Quippe ſpectata patris ſanctitas popularium ei favorem conciliaverat. Neque enim parenti gratiam impendiſſe contenti, in filium quoq; favorem extenderant.

Interea

CANVTVS II. Magnus.

Interea Canutus haud levius Norvagicæ perfidiæ quam paterni fati rumore perculsus, vereri cœpit, ne si finitimorum bello intenderet, ex dilatione rerum Anglia per absentiam careret, ideoq; minoris regni defectionem tolerare, quam majori consimilis ausus locum tribuere, consultius duxit, leviori malo solam gravioris formidinem præponderare judicans. Itaque dissimulatâ injuriarum offensâ conditione defectorem aggreditur, jurejurando pactus, ejus, qui prior decederet, superstiti Regnum esse cessurum, ne priscam regnandi consvetudinem nova regnorum partitio laceraret, rerumq; quondam junctarum dividuam efficeret summam. Adeò enim Daniam Norvagiamq; unius esse regiminis affectabat, ut alteram alteri subjici, quam utramq; separatim Regnum gerere præoptaret, patriæq; exteros imperitare, quam patriam sine exteris imperium gerere mallet. Quæ nimirum conditio eò stoliditati propior, quò fortunæ subjectior, alterutri aut splendidum imperium, aut sordidam paritura fuerat servitutem. In hanc pacti fidem utraque pars sacramento convenit. Deinde Angliam profectus, cum cuncta Svenonis industriâ pace plenissima comperisset, Edvardum fratrem, quem ejusdem nominis pater ex Immæ matrimonio sustulit, in Regni societatem adscíscit, non quod fraterno illum affectu coleret, sed ut ejus ambitionem munificentiâ ac liberalitate præcurreret, regniq; parte potitum, totum cupere prohiberet. Itaq; non tàm veneratione charum, quàm popularium ambitione, paterniq; generis autoritate suspectum, consortem imperij facit. Verum Edvardo humilior origine animus fuit, siquidem obtusi admodum cordis obscuriorem indolis experientiam præbuit. Canutus cum biennio regnasset, defungitur. Cujus Sveno propinquitate fisus, relictis apud Angliam præsidijs, Daniam navigatione contendit, retinendæ insulæ spem non solum in Godovini filijs, quibus sangvine admodum conjunctus fuerat, reponens, sed etiam ex ipsa consortis sui stoliditate desidiaq; præsumens. Quod audiens Magnus, Daniam perinde ac sibi mutuæ pactionis lege debitam, ipsiusq; Canuti testamento legatam, æquis popularium animis occupat, Svenoniq; cognationis rationem edenti, pristinam fœderis conditionem opponit. Nec dubitavit alienissimum sangvini suo regnum legati titulo postulare. Sed & Dani pacti, cui se sacramento obligaverant, ratione permoti, constantius religionis quàm familiaritatis fidem præstandam putabant: ideoq; facta competitorum æstimatione, alienum domestico prætulerunt, curiosiùs fœderis pignus quàm debitam regno prosapiam intuentes, fideiq; suæ quam patriæ respectui propiores. Igitur alienigenæ partes religioso favore complexi, præteritam Canuti familiam Regum suorum sangvinem repulsæ deformitate confundere, quàm jurisiurandi vinculum perrumpere maluerunt: suffragiorum jura non adulationis, sed fidei intuitu ponderantes, seq; plus religioni quam regno debere confessi. Adeò promissionem suam sequestram perjurij fieri noluerunt. Quanti igitur roboris fuisse tunc inter cives justitiam credimus, cum inter diversæ nationis viros tantum virium possedisse cernamus? Et utinam adultæ jam religioni ea apud nostros vis autoritasq; constaret, quam inter antiquos tenera atq; enervis habuerat. Contrà Sveno subjectam stoliditati conditionem reputans, temerarium consobrini pactum nequicquam rescindere cupiebat, perquam stultum argumentando, quibus antè imperitassent, obsequi, inq; unius juramenti imprudentia communem deponere libertatem, atq; ex fulgenti imperio repente in humilimam concedere servitutem. Sed religiosa popularium sententia superabat, quorum arbitrio pacti, non sangvinis, habitus æstimabatur. Verùm ut Magni votis Danica fides respondit, ita Svenonis credulitatem Anglica perfidia circumventam oppressit. Nam post ejus ab Anglia profectionem, Godovini filius Haraldus spe imbroba totius Angliæ regnum complexus, participato cum incolis consilio, Danicum, ut

erat

LXIII. MAGNVS S. Olai filius

erat per præſidia diſtributus, exercitum compluribus ſeparatim vicis, uno eodemq; tempore, magnifico conviviorum apparatu per obſequij ſimulationem excipi juſſit, meroq; ac ſomno ſopitum noctu per inſidias trucidandum curavit. Ea nox parvulo temporis momento vetuſtam Danorum dominationem, diuq; majorum virtute elaboratum finivit imperium. Sed neque id poſtera noſtris fortuna reſtituit. Ita Anglia dominandi jus ignaviâ perditum ſcelere recuperavit. Igitur Haraldus Danicæ oppreſſionis, ſimulq; domeſticæ libertatis auctor Edvardo ſummam, facta non animi ejus, ſed ſangvinis æſtimatione, permittit, quatenus ille nominis, ipſe rerum uſurpatione regnaret, & quô nobilitate pervenire non poſſet, potentiâ vallatus aſſurgeret. Edvardus verò ſola generis auctoritate, non prudentiæ ratione munitus, vano majeſtatis obtentu pravorum ingenia, majorumq; petulantiam nutriebat, titulo Rex patriæ, conditione miſerabilis procerum verna, contentus quòd alij fructum, ipſe umbram tantum ac ſpeciem occupaſſet. Itâ Anglorum inter ſe ſummam, nomen atq; potentiam diviſerunt, tituliq; jus ac rerum dominium veluti diverſis ab invicem gradibus differebant. Sed nec Haraldus alienum ſpecie Regnum geſſiſſe contentus, propriam claritatis imaginem affectabat. Igitur Edvardo ipſum quoq; nuncupationis decus invidit, omniaq; Regni inſignia in ſe ipſum transferre conatus, cupiditati aditum ſcelere petivit, occiſoq; Rege, tituli, qui ſolus ſibi deeſſe videbatur, gloriam occupavit.

Interea Sveno tametſi rarâ fautorum ope ſubnixus, belli cum Magno fortunam experiri decrevit, cumq; paucis & incompoſitis adverſus multitudinem manum conſerere cunctatus non eſt. Igitur in Jutiâ, priùs maritimâ, deinde equeſtri pugnâ, ſiniſtris congreſſus auſpicijs, utrâq; victus conceſſit in Fioniam; nec armis major quàm agmine fuit. Cumq; ſe omni auxilio deſertum, nec hoſtium tantum, ſed etiam ſuorum contemptu perfuſum videret, Sialandiam, Scaniamq; prætergreſſus, Svetiam maternæ neceſſitudinis fiduciâ petere cogitabat. Quem Magno terra mariq; pertinacius inſequente, in Jutiam ſe repente Sclavicus effudit exercitus. Quorum irruptio dubium victori effecit, fugacem ne hoſtem pellere, an imminentem excipere debuiſſet. Quidam enim gentis illius nobiliſsimus, duodecim filiis maritimis prædonibus apud Daniam ſpoliatus, Jutorum fines ferro orbitatem ulturus invaſit. Quamobrem Magnus perſeverantiſsimis popularium precibus committendi prælij autorem agere poſtulatus, omiſſo æmulo, à domeſtico hoſte in externum arma convertit, & quaſi privatæ affectionis oblitus publicam induit, ne ſuas quam Regni partes curioſius egiſſe videretur. Nec dubitavit alienigeni ſangvinis dux, ſummâ adhuc fluctuante, in ſeipſum dubiæ poteſtatis transferre periculum. Nocte verò, quam belli dies inſecutus eſt, quietem ejus certæ prædictionis ſpecies adumbravit. Quippe ſomnum capienti imago cujuſdam obverſata prædixit, hoſte eum ſuperiorem futurum, inq; aquilæ nece victoriæ fidem auſpiciaq; ſumpturum. Expergefactus Rex viſionis ordinem die poſterâ, magnâ cum omnium admiratione, vulgavit. Sed & ſomnio omen conſentaneum fuit. Progreſſo namq; exercitu aquilam, quæ in quiete demonſtrata fuerat, comminus conſidere conſpectam, pernici equo advolans haſta petivit, fugamq; alitis veloci jaculo præcucurrit. Itaq; novitate rei ad ſpem victoriæ ſpectatores erexit. Arripuit igitur omē exercitus, atq; fortuito aquilæ occaſu certiſsimâ hoſtium ruinam interpretatus eſt. Cuncti quippe eventum ſomnio congruiſſe cernentes, perinde atque ſecuri rerum in fortunam ſuam acceptæ rei præſagium referunt, & quaſi indubitatam vincendi ſortem, pari mentium alacritate præſumunt. Quos eò audaciæ ipſa auſpicij religio provehebat, ut jam ſibi victoriam ante oculos præponentes, absque reſpectu periculorum certatim in prælium proſilirent. Quibus primam pugnandi occaſionem corripientibus, eodemque

MAGNVS I. Olai filius

què eventu quo omine dimicantibus, cæduntur funditus Sclavi. Victor Magnus felici pugna popularibus percharus evaſit, eorumq; propenſiore ſubſidio roboratus, ad proſequendum regni æmulum redit, eò quidem inſtantius, quòd rerum ſucceſſus quò plus ſibi gratiæ peperit, hoc magis Svenonis favorem abſumpſit, averſoq; vulgi animo magnopere reſiduum ejus debilitavit auxilium: nec ſolum contrahendarum virium ſpem ſuſtulit, ſed etiam contractas excuſſit. Quinetiam Guthſcalcus Sclavicus inter cæteros, qui infelicis ejus militiæ ſtipendia deſeruerant, diu ſe ſub alienis auſpicijs rem infeliciter geſſiſſe conſiderans, cum domino nihil ſpei relictum animadverteret, militem exuens, defectorem agere non erubuit, ſuamq; experiri fortunam, quàm alienam ſequi tutius duxit, ut cum Regem meliora ſperaturum diffideret, paternæ ſaltem neci ultionem non negaret. Conſilio reſpondit eventus; Siquidem geſtis variè bellis Sclaviam ſuæ ditionis effecit, utq; externis rebus infractus, ita domeſticis invictus apparuit. Nec quæſitæ dominationis felicitate contentus, Saxoniam poſtmodum parentis necem ultus obtrivit, parvæ gloriæ regnum, aut divitias reputans, ſi non ultionem opibus adieciſſet. Adeò autem Magnus ob vindictam finium ſuis charus haberi cæptus eſt, ut omnium conſenſu Boni cognomine cenſeretur; quodque aliorum moribus tribui aſſolet, fortunæ laudibus impetraret. Sveno vero deſperatis jam rebus in Scaniam, ut diximus, profectus, Svetiam (nam maternum inde genus traxerat) reviſere proponebat. Quem Magnus concitato animi impetu ſubſecutus, cum oppidum Alexſtadiam præteriret, deturbato per occurſum leporis equo, trunco, cujus præacuti fortè ſtipites eminebant, adactus extingvitur. Corpus ejus Norvagiam relatum Throndemi in regiorum monumentorum area ſepulturam poſſedit. Ita Svenoni anguſtiſſimis fortunæ caſibus implicato, omniq; mortalium ope defecto, præſidium ſupernæ pietatis affulſit, regnumq; quo illum fortunæ iniquitas ſpoliavit, ejuſdem beneficium reddidit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANICÆ
LIBER UNDECIMUS.

LXIV. SVENO Eſtrithæ filius



POST hæc Daniæ ſtatus varijs rerum caſibus fluctuatus eſt. Quippe Sveno ſummam ſucceſſu magis quàm viribus capit. Sed neq; ad reſtituendam Danici nominis fortunam quicquam ejus ſuſceptione profecit. Nam adeò nec favore felix, nec imperio efficax fuit, ut ſubjectorum animos veteris offenſæ acerbitatem redolentes, ad ſyncerum ſui cultum adduceret, aut ira abſtractos ad placidiorem mentis habitum inclinaret. Tanta ſiquidem mole in Danorum præcordijs prioris odij reliquiæ conſederunt, ut privatos motus Rei publicæ uſibus anteferrent, honoremq; patriæ ſuâ deperire ſocordiâ, quàm ſuſcepti ducis auſpicijs reſtitui præoptarent. Neq; enim facilè propagata odiorum ſementis ſtirpitus interit: quippè ut gratiæ in odium deflexus facilis, ita odij ad gratiam difficilis eſſe tranſitus conſvevit, raroq; animus, quem ſemel graviter faſtidivit, ſyncerae fidei ſtipendijs excolit, aut cum quo vehementes primum inimicitias geſſit, affectuoſè poſtmodum in gratiam redit. Cujus impotentiæ vis à ſimultatis ardore profecta, arcaniſq; æmulationis flammis alita, non ſolum gerendarum præclarè rerum ſpem ſuſtulit, ſed etiam magnificè geſtarum gloriam corrupit. Verum ea res, ut novæ majeſtatis contemptum ita prioris fideliter cultæ indicium edidit, ſimulq; recentis injuriæ crimen & priſtinæ fidei perfectionem exhibuit.

SVENO Eſtrithæ filius

Principio regni Svenonis, Roskildenſium ſacrorum antiſtes Avachus moritur. Sufficitur Wilhelmus, quo Canutus Major & ſcribâ & ſacerdote uſus fuerat, genere quidem Anglus, ſed omnium virtutum partibus ac numeris abundè inſtructus, idemq; pontificalium ſacrorum apprimè peritus. Ad cujus usq; tempora Scaniæ genti religionis privilegio Roskildenſis præſidebat autoritas. Ab eo viro dividuum eſſe ſacerdotium cœpit. Cujus Scania veluti alteram partem adepta, protinus inter conjuncta admodum oppida novam muneris potentiam partita eſt. Nam Lundia Dalbyaq; protinus ſuſceptum inter ſe ſacrorum diviſêre primatum, geminaq; ejusdem dignitatis uſurpatione certarunt. Nam alteri Henricus, Eginus alteri ſacerdos acceſſit. Verùm Henrico ob immoderatum potionis uſum abſumpto, pontificatus ejus univerſum jus, omniaq; honoris inſignia ad Eginum Lundenſium præſulem conceſſerunt, ac veluti in unum corpus utraq; ſacerdotij ſumma confluxit, quanquam meritò in ebrioſi antiſtitis fato ſobrius civium honos expirare non debuit. Sed in gregis perniciem ſordida paſtoris intemperantia redundavit, innoxiaq; civitas poti Pontificis temulentiam deponendi ſacerdotij cauſam habuit. Ita alterum inimica bibendi cupiditas abſtulit, alterum ſalutaris continentiæ diſciplina provexit. Indignum populari, nedùm Pontifice exceſſum, cujus plenam ignominiæ ſortem omnis ævi deriſus pleno cavillationis ludibrio proſequitur. Ita bibulus præſul candorem ſacerdotij turpiſſimis gulæ maculis obſoletum, quem vivendo corruperat, moriendo conſumpſit, humaniq; calicis cupido hauſtu divini uſum amittere meruit. Cumq; ordini gloriam deberet, notam intulit, pro virtutis conciliatore probri auctor effectus. Nec immeritò, qui alijs continentiæ & frugalitatis ſpecimen exhibere debuerat, tam indecenti fato violatæ ſobrietatis pœnas pendebat. Hujus memoria Danicis annalibus non parvæ eſt verecundiæ, quoniam perridicula morte conſumptus, privatum opprobrium publico rubore perfudit.

Hoc loci ſplendida Haraldi memoria tempeſtivam ſui exhibet mentionem. Qui qvum fratre caſſus, ſalutem ſuam intrà patriam tueri non poſſet, fugam Byzantio credidit. A cujus Rege homicidij crimine damnatus, domeſtico draconi lacerandus objectari præcipitur. Nihil enim ejus morſu ad necandos reos valentius ducebatur. Cui in carcerem eunti ingenuæ fidei ſervus vltrò ſeſe damnationis comitem obtulit. Exuit vernam, ut ſocium ageret, mortemq; excipere, quàm domino deeſſe maluit. Utrumq; is, qui cuſtodiæ præerat, curioſius obſervatum, per os antri inermem excuſſumq; demiſit. itaq; nudato miniſtro, Haraldum verecundiæ gratiâ linteo tantùm diſcinctum excepit. A quo clam armillâ donatus, piſciculis pavimentum inſtravit, ut haberet draco, in quo primæ famis procurſum effunderet, reorumq; carceralibus tenebris obfuſi oculi vel parvulam perſpiciendi copiam ipſo ſquamarum nitore capeſſerent. Tunc Haraldus lecta cadaverum oſſa anguſtijs telæ conſertioris implicuit, hisdemq; in unum globum coactis veluti clavam effecit. Cumq; allapſus draco in objectam perquam avidè prædam irrueret, dorſum ejus veloci ſaltu conſcendens, cultellum tonſorium, quem ſecum fortè tectum attulerat, umbilico, qui ſolus ferro patebat, immerſit. Sectionem enim rigidiſſimis ſquamis obſitus ſerpens cæterâ corporis parte ſpernebat. Hunc cultellum Waldemarus Rex res geſtas cognoſcendi ac referendi cupidiſſimus, rubigine exeſum, vixq; ſecandi ſufficientem miniſterio, familiaribus ſæpè monſtrabat. Sed neq; Haraldus obſeſſionis eminentiam ingenti belluæ ore corripi, dentiùmve acumine noceri, aut caudæ voluminibus elidi poterat. Miniſter verò compacto geſtamine uſus, converberatum belluæ caput ad ſangvinem & necem usq; crebris ictuum ponderibus contundebat. Quo cognito Rex ultione in admirationem verſâ, fortitudini ſupplicium remiſit, ſalutemq; animoſitati tribuendam putavit. Nec pœ-

SVENO Estrithæ filius

nam remisisse contentus, addidit charitatem. Navigio enim stipendioq; donatos abire permisit. Cumq; crimini supplicium deberet, fortitudini pepercit, virtutemq; colere, quàm culpam punire maluit.

Reversus Haraldus Norvagiam occupat, eaq; potitus, arma in Daniam transfert. Igitur Sveno, contractis Jutis, cupidius quàm consideratius apud Dyursam fluvium totam Norvagiensium manum aggressus, ut classe, ita bello quoq; inferior fuit, copiarum numero respondente fortuna. Siquidem tam infeliciter, quam temerè dimicavit. Maxima Jutorum pars ferri metu flumen insiluit, præreptoq; hostis officio, suâ vi quàm alienâ consumi tutius duxit. Itaq; quod ab hoste timebat, sibi ipsa conscivit, inq; gemino fati delectu undâ, quàm armis perire maluit. Igitur dum alterum mortis genus timidè declinavit, alterum cupidè comprehendit; dumq; adversarium refugit, hostilem in se ipsa crudelitatem exercuit, tanquam spiritum placidius aquis quàm aëri redditura, ac violentiorem exitum ferro, quàm fluctibus expertura. Ita nescias viriliter mortem, an effœminatè petiverint, incertumq; utrum fati cupidis ignavia, an virtus incesserit, quoniam tam vehemens animi æstus fortes ne an timidi spiritus sui raptores extiterint, ambiguæ existimationis esse fecit. Brevi post dux victi agminis Sveno Scaniæ, Sialandiæq;, ac præterea quarundam insularum viribus recreatus, Nissam fluvium classe corripit, eademq; supervenienti Haraldo obviam in altum procedit. Cumq; Dani paucitatem suam hostilis frequentiæ comparatione pensassent, raritati consertione succurrendum rati, digesta in ordinem navigia tenaculis sociare cœperunt, quatenus continenti nexu cohærens classis expeditius opi invicem ferendæ iter sterneret, cunctisq; hac necessitate duratis, tam fugæ quàm victoriæ indissolubilis communio foret, nec cuiquam à tanta collegij firmitate dilabendi fas esset: adeò imbecillitatem necessitate roborandam duxerunt.

Hic nobis, Aslace, Skyalmonis Candidi remex, ob immensam bellicæ virtutis gloriam literarum præconijs inculcandus occurris. Danis siquidem adversum Norvagienses maritimo certamine decernentibus, non contentus clarissimam pugnam intra proprium edidisse navigium, omnibus corporis tui munimentis præter scutum abjectis, confertissimam hostium ratem insiluisti quercusq; quam in gubernaculi prius colligamentum excideras, viribus fretus hostium corpora converberasti, ejusq; crebris & vegetis ictibus, quicquid obvium fuerat, obtrivisti, ingentiq; verberum fragore stupentes prælantium animos à proprijs periculis ad tuæ virtutis spectaculum deflexisti. Quinetiam fortissimos utriusq; agminis bellatores, operis tui admiratione suscepti certaminis immemores reddidisti, pugnæq; ac periculorum oblitis avidius te intuendi, quam seipsos tuendi studium incussisti, ita ut promptissimi quique neglecto discriminis sui negotio, plus te viso stuporis, quam ex dubia salute formidinis caperent. Itaq; fortius fuste, quàm cæteri ferro, rem gessisti, cunctaq; intolerabili modo comminuens, hinc Danicis, inde Norvagicis oculis incredibilem, nisi spectareris, operam edidisti. Adeò autem sociorum paucitatem hostium multitudini coæquasti, ut disparem viribus pugnam in noctem usq; par belli successus extraheret, numeroq; dissimiles copias fortuna persimiles reddidisti. Postremò qvum omnem navis remigem partim fuste, partim fluctibus obruisses, compluribus sed levibus plagis perstrictus, ex tot hostibus admirabilem solus victoriam retulisti. Quæ res veri fidem excederet, si non Absolon auctor suis eam relatibus tradidisset. Verùm Danis nullam virium accessionem circumspicientibus, Norvagiensibus insperatus domestici ducis adventus affulsit. Quo viso, Scanienses contusis debilitatisq; animis, noctu, nè res strepitu proderetur, classis societatem solvêre, resciffisq; vinculis, ac perruptâ nexuum consertione, à cætero agmine intempestâ se nocte subducunt. Deinde tacitis remorum ictibus fugam adepti, furtivo discessu fluminis diverticula, quibus excesserant, repetebant, ibiq; relictis navibus passim per avia profugere, meritò omnis

Danicæ

SVENO Estrithæ filius

Danicæ ætatis convicio lacerandi. Cujus fugæ deformitas auctoribus quammaxime erubescenda, ad posteros quoq; probrosa descendit. Luce reddita Sveno fugitivæ admodum classis pudore perculsus, pertinacissimâ resistendi virtute fortunam suam armis, quàm fugæ credere maluit. Igitur quanquam & classis, & militum numero inferiorem se cerneret, exiguas bello reliquias applicat, virtute sua sociale probrum abluere cupiens, bellaq; animorum quam numeri robore fortius geri judicans. Sed pestiferum temerè initi certaminis exitum expertus est; quippe numero victoria paruit. Skyalmo Candidus, cujus nutu suo tempore totius Sialandiæ vires regebantur, graviter astrictus, immensaq; hostium multitudine conclusus, capitur, non quod timide præliatus, sed quia labente sangvine viribus prorsus vacuus extitit, tantumq; ejus apud victores amplitudini donatum est, ut aliàs captivis parcere insoliti, saluti ipsius custodiæ præsidium adhiberent. Quippe tam conspicuæ dignitatis virum ferro aggredi passi non sunt. Neq; enim præsens illi fortuna præteritæ venerationem adimere valuit. Sed hanc custodiæ vim apud Caprinum lacum profunda nocte decepit. Cæterum Haraldus non contentus Danorum vires duabus exhausisse victorijs, ijsdem hostili studio frequentius imminebat. Cujus qvum Sveno instanter motibus urgeretur, lacessitæ patriæ defensionem majore fiducia, quàm fortuna parabat. Tertiò tamen, binâ prius clade afflictus, fortunam suam publicis armis committere verebatur, qui jam rem Danicam duarum pugnarum temerarijs ingressibus à se confractam videbat.

Interea minores Godovini filij, regni æmulatione, majorem perosi, voluntario secessu invisam ejus dominationem vitarunt, ultroq; exilij tenebras ferre, quàm fraternæ intra patriam fortunæ splendorem conspicere maluerunt. Ad ultimum Haraldum Norvagiæ Regem obsequij promissione conveniunt, suam patriæq; subjectionem polliciti, si summâ per eum potiri quivissent. Rapuit oblationem exulum avida dominationis ambitio, Angliæq; littoribus Norvagica classis advehitur. Eodem fortè tempore Normanorum dux pari impetu diversum insulæ latus aggreditur. Cujus Rex Haraldus inter geminas hostium partes anceps quam priorem exciperet, aliquandiu liberum utriq; procursum reliquit. Quam ipsius cunctationem Norvagienses timori consentaneam rati, neglectis corporum munimentis, perinde ac securi periculorum validius prædæ incubuerunt. Sed dum incautius ruunt sparsi palantesq; ab Anglis nullo negotio trucidati sunt. Ea res victoribus maxima quæq; audendi fiduciam ministravit. Sed mox temerè crescente audacia Normanos adorti, infelici pugna recentis victoriæ titulum perdiderunt. Neq; ullum victi Regis vestigium extitisset, nisi postmodum ab agrestibus obscuro solitudinis loco repertus proderetur. Cujus filij duo confestim in Daniam cum sorore migrarunt. Quos Sveno paterni eorum meriti oblitus, consangvineæ pietatis more excepit, puellamq; Rutenorum Regi Waldemaro, qui & ipse Iarizlavus à suis est appellatus, nuptum dedit. Eidem postmodum nostri temporis dux ut sangvinis, ita & nominis hæres ex filia nepos obvenit. Itaq; hinc Britannicus, inde Eous sangvis in salutarem nostri principis ortum confluens, communem stirpem duarum gentium ornamentum effecit.

Extincto Haraldo, cui scelera Mali cognomen adjecerant, Svenonis regnum, quod antè admodum claudicaverat, perinde atq; acerrimo hoste vacuum, prosperioris fortunæ gradibus incedebat, oppressumq; Daniæ gubernaculum plena prosperitatis vela solvebant. Hic qvum liberalitate illustris, beneficentiâ celeber, cunctisq; humanitatis partibus perfectissimus haberetur, etiam sacrarum ædium condendarum ornandarumq; curam intentissimè edidit, rudemq; adhuc sacrorum patriam ad cultiorem religionis usum perduxit. Verum hunc morum candorem sola libidinis intemperantia maculabat. Complurium namq; illustrium puellarum castitate delibatâ, ut nullum ex matrimonio, ita complures ex pellicibus filios sustulit.

SVENO Estrithæ filius

E quibus fuere cum Gormone Haraldus, cum Svenone Omundus. His accessere Vbbo & Olavus, Nicolaus, Biørno, atq; Benedictus, paterno quàm maximè, materno minimùm sangvini respondentes. Consimilis copulæ obscuritas Canutum & Ericum maxima patriæ ornamenta progenuit. Sed & filia Siritha, quæ postmodùm Guthskalco Sclavico conjunx accessit, in sequentibus referenda, pellice pariter orta proditur. Tandem Rex animum suum ab illecebris luxuriæ & immoderato Veneris usu retractum, genialis tori castitate cohibere constituit. Ut ergo multorum pellicatuum experientiam decenti nuptiarum usu, uniusq; matrimonij lege redimeret, nec talibus ulterius cubiculis majestatis suæ vigorem absumeret, Gutham, Svetico Rege genitam, sangvine conjunctam sibi, legitimæ prolis cupiditate complexus, simulatâ conjugij religione collegit, ejusq; coitum pro matrimonio habuit. Ita dum ad conjugalia sacra celebranda animum induxit, eorum nomine flagitium coloravit, dumq; ab uno se crimine retrahit, in aliud repente provolvit. Sed tolerabilius, quòd alieni sangvinis, quàm quod suæ propinquitatis copulam usurpavit: quamquàm uterq; hujusce Veneris usus impudicitiæ crimini obnoxius sit.

Quam rem Eginus & Wilhelmus intactam præterire passi non sunt. Quippe Regem à tam illicito thalamo frustrà conantes abstrahere, monitisq; dirimendi contractus perseveranter aggressi, adversum incestuosam ejus libidinem debitæ reprehensionis amaritudinem distrinxerunt. Cumq; correptioni insistentes nihil se eà profecisse cognoscerent, apud Bremensium Antistitem injustas ejus nuptias accusantes, majori Pontificio castigationis arbitrium reliquerunt. A quo cum Rex per sacram ac salutarem admonitionem incesti reus ageretur, disciplinæ minas opposuit, seq; ferro correptionis insolentiam repressurum edixit. Itaq; vexationis impatiens, plus crudelitati suæ, quàm sacrosancti juris viribus indulgendum putavit, religionisq; quàm nuptæ desertor esse maluit. Quæ res ab Hamburgensibus, maritimi periculi metu, ad Bremenses pontificium transtulit.

Hæc volventem Wilhelmus propositum exequi monitis suis passus non est. Sanctitate enim consilij consentaneum furori impetum ab ejus pectore submovit, maximaq; doctrinæ suæ perseverantiâ studium ejus à sententiâ revocavit. Itaq; repente sanior affect⁹ Regis animum occupavit. Saluberrimo namq; præceptoris imperio resipiscere coactus, continuò injusti concubitus nexum rescidit, depositoq; stuprosæ mentis ardore, nuptam repudio submovit. Nec solum ira abstinuit, sed etiam ab illicita connubij usurpatione mentem retraxit. Gutha quoq; paternos penates repetens, susceptis viduitatis insignibus cum summa morum sinceritate consenuit, castitatemq; votis professa, virilis concubitus experientiam abdicavit. Et quia injusto se toro maculaverat, nullum ulterius sibi juri esse permisit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum, reliqvum vitæ tempus cœlebs exegit, ingentiq; pudicitiæ severitate illiciti concubitus noxam licentis evitatione pensavit. Sed nec inerti otio tempus effluere passa, quotidianâ consvetudine exquisita Sacrariorum ornamenta fingebat, inq; eandem operam continuam ancillularum curam cogebat. Inter quæ chlamydem sacerdotalem sutilibus sigillis exsculptam, preciosæq; materiæ impensa ac mirifici operis arte elaboratam, Roskildensi Sacrario doni nomine largita est. Alia quoque complura divini cultus insignia sacrorum usibus operata est.

Sveno vero sacrorum administratores quam maximè conversatione probabiles contrahebat. In quibus quanquam scientiam veneraretur, morum tamen curiosius habitum intuebatur, indignum ratus literarum svavitati summum familiaritatis consortium tribui. Adeò igitur honestatis scholam literarum rudimentis præponderare credebat, ut in agendo clericorum delectu virtutis potius, quàm scientiæ elementa pensaret, lateraq; sua fidis quàm doctis obsequijs vallare mallet. Svenonem quoq;

Norva-

SVENO Estrithæ filius

Norvagicæ regionis virum cunctis virtutis partibus ac numeris instructissimum sed parum justâ notitiâ literarum monimenta complexum, in jus familiaritatis adsciverat. Hic ex præfectura ad sacerdotium translatus, tametsi Latinæ vocis penuria premeretur, domestici sermonis opibus abundabat. Quem cæteri ingenijs suis ob virtutem, quâ ipsis præstabat, à Rege præferri videntes, perridicula imperitiæ exprobratione scurriliter cavillandum duxerunt. Rem enim divinam acturo, derisus gratia affectum litura codicem subjecerunt. Qui qvum salutem Regi votis libello expressis solenni verborum precatione debuisset exposcere, ipsum famuli nomine designatur, vitiata ab æmulis pagina, muli appellatione fœdavit. Neq; enim lituræ errorem correctionis beneficio redimere noverat. Igitur circumstantes lectoris imperitiam jocabundo cachinnorum anhelitu prosecuti, immodico ora risu solverunt: ipso quoq; ioci irritamento, religio in ludibrium abjit. Finita actione Rex amotum aræ libellum complexus, cum & ipsum invida manu corruptum & recentis lituræ vestigia causam inerter fusæ precationis aspiceret, invidæ societatis animos detestatus, insultantium fraudem coarguit, ipsosq; obtrectatione vitiosiores, quàm Svenonem inscitia comprobabat. Eundem quoq; brevi irrisoribus suis imperitiam exprobraturum adjecit. Deinde scholam eum petere hortatus, sumptum se administraturum promittit. Neq; hac re quicquam de consveta ejus familiaritate decerpsit, nè invidiæ respondisse potius quàm obstitisse videretur. Profectus Sveno efficacissime liberalium artium studijs operatus est. Quippe literarum, quibus parum inservierat, documenta sumere cupiens, percipiendæ earum disciplinæ gratia, omissa domestica, peregrinæ scholæ erudiendum se dedit, animumq; doctrinæ capacissimum excolens, Latino se sermone assvefecit. Cujus studijs abundè instructus, vocabulorum vim ad summa quæq; Grammaticæ rationis elementa animi docilitate percepit, abscissoq; rustici rigoris crimine, facundiam suam ingenij exercitatione politiorem effecit. Itaq; flagrantissima discendi cupiditate clarum scientiæ magisterium retulit, breviq; morarum processu, quos imperitiæ derisores habuit, ingenij admiratores invenit. Primum inter omnes Wilhelmus apud Regem familiaritatis locum occupaverat, ejusq; gratiæ mutua animi vicissitudine respondebat. Etenim ab ipso cæteris impensius cultus, charitatis dignationem singulari fide pensabat. Horum fidei Rex tanquam tutissimis obsequijs latera sua cingenda commiserat.

Sed & sequens casus in Antistite severitatis pulcherrimum, in Rege certissimum moderationis documentum exhibuit. Ipse namq; sacro circumcisionis pervigilio solenni magnatum convivio feriatus, cum quorundam principum clandestinâ obtrectatione parum honoratè de se habitum comperisset sermonem, occultam eorum perfidiam temulentiæ lascivijs detectam existimans, iræ aculeis actus, misit qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis ædem oraturos confoderent, tanquam in sacris penetralibus aptissimus humanarum cladium locus existeret. Itaq; actum erga convivas facinus sacrilegio duplicavit, ipsumq; pietatis domicilium crudelitatis officinam effecit, neque loci, aut temporis, quo minus cupiditati indulgeret, respectum habuit. Quam rem Antistes, templi (ut par erat) violatione permotus, inprimis dissimulanter excepit, neque indignationem suam ulla ex parte stipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore præbiturus. Nam qvum rem divinam pontificali more peragere debuisset, non solum adventantem Regem occurrendi veneratione excipere supersedit, sed etiam Sacrarium subire connisum à primis ejus liminibus absque respectu familiaritatis sacerdotij insignibus ornatus, baculo, quo utebatur, exclusit, sacrorum penatium aditu indignum judicans, quorum religionem non sine gravi pacis rubore civili sangvine maculasset, suppressoq; dignitatis nomine non Regem eum, sed humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum objurgasse contentus, aculeum virgæ ejus pectori infixit, armatumq; duritia animum

imperati parricidij pœnitere perdocuit. Enimvero privatæ societati publicæ religionis verecundiam prætulit, non ignarus alia esse familiaritatis officia, alia sacerdotij jura, quibus servorum æque ac dominorum, neque ingenuorum parcius, quàm ignobilium flagitia vindicari par est. Cumq; abunde foret repulsam egisse, etiam execrationem adjecit, nec dubitavit in præsentem damnationis quoq; proferre sententiam. Itaq; mirifica audacia dubium reliquit, fortius illum manunè, an voce pulsaverit, quem gravibus admodum contumelijs proculcatum prius lingvæ, deinde dextræ repulsa mulctavit, inq; pectore, quo virtutem antè coluerat, vitium contudit. Neq; enim in tam evidenti scelere longum ultionis tempus expectandum putavit, facilius origini atq; incunabulis culpæ, quàm ulterioribus ejus incrementis occurrendum existimans, ne mora alitum crimen diuturnitatis tractu convalesceret. Igitur ut Regem impotentiæ & temeritatis incursus transversum in facinus egit, ita Antistitem ad exercendam vindictam profecta à religionis æmulatione severitas concitavit. Enimvero fortiter vindicata religione, & debitam ordini suo fidem, & alienæ temeritati salutarem reddidit disciplinam. Ne enim solennium officiorum tutelam omittere videretur, veluti indulgentiæ oblitus, severitatem exercuit, neq; sanctitatis inimico amicus existere aut assentatoris potius quàm pontificis partes præsentare sustinuit. Cæterum specie hostem, reverà amicum exhibuit, quia fida concordiæ pignora ac syncera familiaritatis stipendia potius justi rigoris, quam iniqui favoris examine ponderabat. Quapropter mansvetissimum ingenium suum deposita ad tempus clementia austeritati subjecit, meritoq; ad firmandam religionis disciplinam aliquid à crudelitate sibi paulisper mutuandum putavit. Quamobrem infesto militum concursu petitus, applicatos cervici suo gladios animi firmitate contempsit, tantumq; se in despiciendis periculis gessit, quantum egerat in provocandis. Tanto animi robore præditus, tamq; generosi spiritus abundantia instructus, divinæ charitatis munimento superior humani timoris viribus apparuit. Cujus Rex inhibita nece, qvum eum non temeraria offensa, sed publicæ severitatis fiducia concitatum animadverteret, conscientiæ rubore perfusus, scelerisq; quàm repulsæ pudore ægrior, continuò regiam repetit, quietamq; frontem contumeliose correptus exhibuit, nec ipsa quidem generosæ indignationis verba invitus audivit. Deinde regià veste deposita obsoletam accepit, mœroremq; deformitate cultus, quàm splendore contumaciam testari maluit. Neq; enim tam tristi pontificis sententia perculsus, regalis magnificentiæ cultum gestare sustinuit. Sed abjectis regiæ majestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit. Quinetiam simul cum veste potentiam exuit, atq; ex sacrilego tyranno fidus sacrorum venerator evasit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regressus, in ejus se aditu prostravit, terramq; suppliciter osculatus, dolorem qui ex contumelia acerrimus infligi solet, verecundia ac moderatione compressit. Neq; enim continuò repulsæ vindicem egit, sed pudore ac pœnitentia culpam cruenti imperij redemit. Exulasse hujus animum in nequitia, non habitasse credimus: quem ut primo temeritas transversum in facinus egit, ita postmodum æquissima moderationis temperies rexit. Quanta enim masvetudine pectus ejus instructum fuisse putemus, qui pontificem palàm severissimis sacerdotij viribus adversum se usum, non solum impunitate donaret, sed etiam humilima veniæ petitione venerari sustinuit, gratiamq; tam pudoris patrocinio, quàm pœnitentiæ beneficio meruit? Divina siquidem obsequio, non viribus propitianda noverat, ideoq; atrocitatem sceleris verecundâ mœroris acerbitate pensabat. Quinetiam parvulo pudoris irritamento magnopere confusus, excitatam ignominia virtutem rubori imperare coegit, quantumq; violentiæ religioni crudeliter imperando incusserat, tantum venerationis vehementer animo

contusus

SVENO Estrithæ filius.

contusus exolvit. Sed dum taliter se gerit, inusitatam sacerdotalis auxilij clementiam expertus est. Intereà Antistes inchoamento psallendi facto, primaq; concentus parte editâ, qvum Græcæ precationi solennem ritè GLORIAM subnectere debuisset, ex stipatoribus supplicem foribus Regem adesse cognoscit. Igitur cessato cantu, cleroq; conticere jusso, fores repetens, qvum Regem, quid ita se gereret, percontatus fuisset, atq; ille criminis confessione facta, religioni sese satisfacturum promittens, sacerdotalis subsidij veniam postulasset, continuò execratione remissâ jacentem amplexus, abstersis lacrymis, depositisq; doloris insignibus, & cultum & animum Regium resumere jussit, non licere inquiens privatum mœrorem publicis interesse tripudijs. Neq; enim eum humiliorem dignitate sua vultum gerentem, aut supplicem liminibus advolutum intueri sustinuit, sed benignioribus verbis recreatum, pristinam vestem, quâ majestatem suam concinniorem efficeret, corpori reponere, cultioremq; progredi jubet: satis graves eum pœnas religioni dedisse ratus, qui se tam demissè agere, tamq; suppliciter prosternere sustinuisset. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores, quorum frequentia solennitas agebatur, in occursum ejus, quò ornatius reciperetur, procedere jussit, statimq; venerabiliter exceptum, cunctis lætitiâ ovantibus, ad aram usq; perduxit. Ita prioris violentiæ speciem honesto comitatis genere temperavit, repulsæq; deformitatem specioso pensavit obsequio. Nec minus in pœnitentia venerationis, quam austeritatis in admisso reposuit. Quin etiam adhuc mœrenti solicitudinem detraxit, fiduciam adjecit, privatæq; tristitiæ salebram publica gratulatione discussit. Itaq; quod in potentis viri scelere pollutum fuerat, religiosa severitate expiatum est. Sed & populus maximo plausu tam spectatam in Rege verecundiam comprobabat, plus pœnitentiâ pium, quàm imperio scelestum evasisse confessus. Peregerat jam Pontifex severi ac pij vindicis partes, inq; eodem rigoris & clementiæ experimento se gessit, nec parcius veniam quàm vindictam exhibuit. Quippe cujus contumaciam severè repulit, indulgenter modestiam coluit, sicq; pietati justitiam contemperavit, ut nec sperneret supplicem, nec reciperet insolentem. Qua in re paterni affectus habitum plenissime repræsentavit, quod parentis more correptionem blanditijs subsecutus, neq; aut elatum amplecti, aut demissum aspernari sustinuit. Post hæc omissa altaris sacra repetens, summo patri regiæ expiationis gloriam succinit, eoq; serenius gaudium subijt, quo tetrior luctus causa præcessit. Rex ipse biduum quiete peragens, tertio demum die regio cultu ornatus, inter ipsa missæ sacra, excelsam ædis partem conscendit, silentioq; per præconem venerabiliter acto, coram omnibus semet gravissima accusatione perstrinxit, acerbum religioni vulnus inflixisse confessus. Deinde collaudata antistitis indulgentia, quòd tanto crimini tam repente ignoverit, seq; jussu, etsi non manu, reum celerrimè sacrorum usibus restituerit, pro tam cruenti imperij expiatione muneris loco Steffnicæ provinciæ dimidium arisà se conferri publicat. Nec erubuit multorum auribus singularem flagitij sui committere notionem. Ea res inextricabilem regni sacerdotijq; concordiam operata est. Quippe Rex non solùm Antistitem in eodem amicitiæ gradu habuit, sed etiam majoribus dignitatis incrementis donavit, plus officijs ejus ad gratiam, quàm contumelijs ad iracundiam concitatus, quem non privatâ irâ, sed publicæ religionis injuriâ adversum se provocatum videbat. Hic enim mirificam illius severitatem, ille sanctissimam hujus moderationem benevolentiæ constantiâ prosequebatur. Sed & uterq; quotidianis votis, nè tantæ animorum concordiæ dividuum fati tempus intercederet, exoptabat. Itaq; summæ venerationis officia certatim mutuis sibi studijs impendebant, adeoq; eximiam societatis fidem honoris vicissitudine nutriebant, ut potius inter eos amicitiæ paritas, quàm superioris ad inferiorem familiaritas cerneretur.

Veniam nunc ad Canutum Svenonis filium, qui propitiæ fortunæ beneficio summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento ætatem

SVENO Eſtrithæ filius

tem animo præcucurrit. Quippe contractâ juventute, myoparonum piratica monſtra perdomuit, Sembicis atque Eſthonicis illuſtrem trophæis adoleſcentiam egit, noviſq; virium gradibus paterni roboris fundamenta tranſcendit. Quæ victoria futurum ejus dominium ominata eſt. Pro amplificandâ tuendâq; patriâ juges excubias geſſit, rerumq;, quarum ob infirmam adhuc ætatem vix ſpectator eſſe potuit, auctor haberi præſumpſit. Quinetiam juvenile corpus continuo uſu ad bella impigrè conficienda, armaq; viriliter ſuſtinenda firmabat, famaque ejus bellicâ vi in tantum claritatis exceſſit, ut redivivum magni Canuti ſpiritum fortunamq; ſimul cum nominis videretur communione ſortitus, adeò ut nullus eum paterni regni ſucceſſione potiturum ambigeret. Neq; enim virtute jam maturus, honori intempeſtivus videbatur. Sed nec liberalitatis ſpecies ejus adoleſcentiæ defuit. Cujus fratrem Haraldum, natu majorem, obtuſi admodum cordis, inter juventæ initia perpetuus inertiæ ſopor oppreſſum tenebat.

Tandem Svenonem ultima penè ſenectute confectum, apud Suddathorp Juticarum partium oppidum febri implicatum adverſa corporis valetudo corripuit. Qui cum peſtifero humore graſſante fatalem cordi dolorem imminere cognoſceret, parvulas adhuc extremi ſpiritus reliquias trahens, à præſentibus ſe Roskildiæ ſepeliri petivit. Nec miniſterij eorum promiſſo contentus, ſacramento fidem exegit. Siquidem loci illius religio Regibus vetuſto more exculta, ut vivis ſedem, ita fato functis ſepulturam præſtare conſveverat. Jamq; Regis corpus ab ijsdem amplo funere elatum Sialandiam usq; pervenerat, cum primum Wilhelmus in occurſum ejus veniendi mandata ſuſcepit. Nec moratus, ad urbem curſu feſtinato contendit, inq; ipſa Trinitatis æde, accerſitis qui terram ad ſolidum foderent, prius Regi, deinde ſibi tumulum extrui jubet. Quam vocem foſſoribus potius à mœrore, quàm induſtria profectam putantibus, extinctisq; non vivis tumulo opus eſſe dicentibus, ſuum antequam Regis funus ab eis excipiendum aſſeruit, non ſe voto fraudandum inquiens, quo cum eo commori ſemper optaſſet. Eosdem admiratione ſtupentes, imperiumq; deliramento conſentaneum exiſtimantes, ad obſequendum, pœnam, ni paruiſſent, comminatus adduxit. Ita adhuc experte morbi corpore, mortis certitudinem præſumebat. Deinde citato equo in occurſum exequiarum contendens, cum ad nemus fortè Topshøgicum perveniſſet, duabus miræ proceritatis arboribus ſecus iter conſpectis utramq; præcidi, inq; uſum lecti funebris aptari præcepit. Illi ſibi regalis feretri conſtructionem præcipi rati, imperium exeqvuntur. Compactum deinde vehiculum præſtantibus robore equis imponunt. Cumq; Pontifex ſilvam prætergreſſus regium in vicino funus adeſſe cognoſceret, aurigam conſiſtere juſſit, ac protinus veluti laxamenti gratia amiculum, quod habebat, exuit, eiq; humi expanſo ſeipſum præcipitem ſuperjecit. Deinde erectis ſupernè palmis, ſi quo rerum auctori ſervitio placuiſſet, vitam à ſe finiri petivit. Sanè absque ulla fati cunctatione amicum morte inſequi, quàm vita deſerere præoptavit. Hæc fatus, veluti in domeſtico lectulo acquieſcens extingvitur. O immenſam concordiam, quæ ſuperſtite ſpiritu jucundior fuit: Quem famuli longam admodum cubandi moram egiſſe mirati, cum nequicquam erigere jacentem vellent, exanimem repererunt. Igitur recens omnibus inopinati funeris luctus exoritur. Ipſe vero à ſuis feretro exceptus atq; ante Regem elatus, ut fato poſterior, ita funebri pompa prior extitit. Viris namq; funebri Svenonis lecto humeris ſubjicientibus, ipſe equis ſubvectus veluti quidam exequiarum ejus auriga præceſſit. Prior verò ſacrario allatus, veram præſagij fidem retulit. Quâ tam admirabili fati ſorte potitus, ſe Regis cultum charitati poti⁹, quàm fortunæ erogaſſe perdocuit. Exequijs impenſius actis amborum corpora conjunctis admodum tumulis occluduntur. Hæc ſunt venerenda amicitiæ ſtipendia, quæ, cum à

duobus

LXV. HARALDUS HEIN.

duobus ejus consortibus alter excidit, reliquo, vitæ dulcedine fastiditâ, mortis appetitum ingenerant. Post hæc Sveno Noricus, quem suprà significavi, communibus cleri suffragijs sacerdotium sumit.

Regiæ vero successionis delectum anceps popularium sententia pertractabat. Major namq; Danorum pars memor quantis per Canutum, adhuc privatæ fortunæ periculis objecta fuerit, graviora, si regnum indueret, verita, maligna virtutis interpres, quod gloriæ ejus accrescere debuerat, iniquissimâ meritorum æstimatione damnabat, elevatis virtutum præmijs clarissima ejus opera repulsæ turpitudine rependendo. Igitur ut hunc negotiorum metu perosa, ita Haraldum otij cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prætulit, ignavumq; sibi Regem maluit imperare quàm fortem. Quamobrem egregiæ indolis claritate contempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsâ fortitudine, inertiam honoribus insecuta. Verum hunc ingratæ mentis habitum fucosâ rationis specie colorabat, Haraldum perinde ac natu majorem ipso naturæ jure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum! Hunc virtus invisum, illum vitium probabilem fecerat. Soli Scanienses justa animi inclinatione provecti, Canuti probitate cultâ, Haraldi desidiam respuebant. Igitur Ysoram habendi delectus gratiâ convenitur. Ibi quidem ingens Oceani vastitas ostijs admodum angustis excipitur, furensq; fretum coactu littorum in arctas fauces terra compellit. Medium sinus harenæ tenent obscura nautarum celantes pericula. Nam ut abiens eas æstus aperit, ita rediens claudit. Orienti Scania, cætera vero occidenti classis appulerat. Hic fratres apud suos quisq; fautores diversis in locis concionati sunt. Tunc Haraldus vocato assensorum concilio, nequaquam contumeliosam sibi fratris prælationem videri refert, si non eum dignitate posteriorem sors ipsa nascendi fecisset, majoremq; à minore superari ridiculum esset. Qui etsi virtuti maturior videretur, se tamen naturæ ordine, ætatisq; privilegio vincere. Præterea indignum fore civium illi vexationem, objectamq; periculis patriam suffragari debere, suæ vero provectioni servatam in omnes clementiam obesse: nec ita merita ab eis æstimanda fore, ut miserias suas gratia felicitatis repulsa pensare cupiant. Nam ingratorum hanc maxime vicissitudinem esse. Ad hæc si summam assequatur, impias se leges abrogaturum, blandas placidasq; pro eorum arbitrio laturum promittit. Tanti igitur tamq; optati commodi promissorem concio pestiferis ejus blanditijs invitata, Regem appellat, paternum illi regnum deferens, cujus inertiæ contemptus magis quàm ullus honos aut gratia referri debuerat. Itaq; populi favor orationis svavitate præreptus, plus fallacibus ejus promissis, quàm invictæ Canuti fortitudini præstitit. Igitur fraternæ contentionis certamen varia assentatione subnixum, sine arbitris aut judicibus, solis partium suffragijs gerebatur. Verum Haraldus imperitæ multitudinis errore suffultus, mox per legatos fratri mandat, ne decretam majori summam ambiat, eumq; honore sibi postponat, quem nascendi serie priorem sciat, néve regnum majorum virtutibus illustratum domesticæ atq; intestinæ discordiæ bello corrumpat, nec perniciosa seditione dividuos patriæ motus incutiat, sed potius clausum ambitioni animum gerat, abjectaq; temeritate competitoris sui, suffragatorem agere non erubescat. Adjectæ monitis minæ, mandataq; non tam blanditijs pacis, quàm belli irritamentis instructa. Præterea plerosq; fraternæ partis fautores legum emendatione, liberiorisq; vitæ jucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam solicitandos curavit. Ita à Canuto vulgi animos partim spes, partim metus avertit. Ipse deficientibus à se copijs, tribus duntaxat rostratis navibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, regno carere jussus, cujus ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Ubi fraternâ legatione regni communionem spondente reverti monitus, spretis mandatorum blanditijs, Sveciam fugi-

LXV. HAHALDVS HEIN

fugibundus intravit, perquam ſtultum ratus ejus ſe promiſſis infractâ fortunâ credere, cujus, eâdem adhuc vigente, minas acceperit. Mox perinde atq; injuriarum oblitus, intactis patriæ rebus, bellum adverſum Orientales vivente patre cœptum, enixè proſequitur. Haraldus habito in octo dies concilio, quod promiſſis complexus fuerat, rebus proſequi monitus, ut regia majeſtate popularem excoleret, in primis adverſum provocationem reſtipulandi jus edidit, prioresq; defenſionis partes, quàm accuſationis inſtrumenta conſtituit. Reo ſiquidem actoris jus in refellenda accuſatione conceſſit, quam antea teſtium fide ſubnixam defenſionis præſidio repellere non licebat. Quod jus uſurpatione firmatum ut familiare libertati, ita religioni peſtiferum evaſit. Ipſa namq; defendendi poteſtas non armorum, non teſtium uſu, ſed ſola ſacramenti fide ſubnixa, multorum conatus votorum cupiditate periurio polluit, ſed & funditus ſingularium congreſsionum uſum evertit. Poſteris namq; ſuſceptas cauſarum controverſias ſatius jurejurando viſum eſt expedire, quàm ferro. Verùm alterum religionis intuitu, alterum ſalutis reſpectu periculoſius. Quem morem Dani pertinaciter retentum ad hucusq; tempus obſtinatè uſurpant, adeò ut vita magis quàm eo carere cupiant, ſalutemq; ſuam pro ipſius obſervatione devoveant. Haraldus vero ſolis ſacrorum officijs deditus, latarum à ſe legum ſeveritate neglectâ, impunitas omnium noxas enervi legum indulgentiâ præteribat, omniaq; ſtatuti juris munimenta convulſit, ignarus plus Deo ſinceram regni adminiſtrationem, quàm inania ſuperſtitionis momenta placere, ſeverumq; juſtitiæ cultum ſupervacua precum adulatione gratiorem exiſtere. Præterea divinum pleniùs propitiari numen, ubi jura quàm thura promuntur, plus ſcelerum quàm pectorum contuſionem probare, libentius criminum, quàm genuum flexus aſpicere, nullamq; victimam vindicatæ pauperum libertati præferre. Quanquam enim Regum majeſtas rite religioni intendere debeat, aliquanto tamen ſpecioſius interdum tribunalia, quàm aras excolere poteſt. His omiſsis Rex ſola ſacrorum charitate conſpicuus, iniquiſsimos actus profuſa animi tolerantia ſuſtinebat, pauciora experimentis proſecutus, quàm promiſsis complexus fuerat. Noxas non venia modo, ſed etiam licentia proſequebatur, tamq; inopem juris patriam reddidit, quam antea promiſſis divitem fecit. Sed neq; à regijs moribus habituq; degenerare deforme ducebat. Regnando biennium emenſus, defungitur.

LXVI. CANVTVS Sanctus.

Quo mortuo Canutus fraternis ſuffragijs in regni faſtigium revocatus, Orientale bellum, quod in adoleſcentia orſus, in exilio auſpicatus fuerat, accepto ſolio, potius amplificandæ religionis, quàm explendæ cupiditatis gratiâ totis viribus innovandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec ante manum ab incœpto retraxit, quàm Curorum, Sembonumq; ac Eſthonum funditus regna deleſſet. Deinde ſublato hoſte nuptias circumſpiciens, finitimaq; conjugia obſcura ac dignitate ſua minora reputans, præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium advocavit: ex qua filius ei Carolus obvenit. Cumq; magnatum inſolentiâ ſolutos hebetatosq; priſci juris nervos aſpiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris diſciplinam conniſus, probatioris juſtitiæ cultum ſeveriſsimis edidit inſtitutis, contuſumq; & labentem æquitatis tenorem in priſtinum habitum revocavit. Non ſangvini, non neceſsitudini, quò minus juſtè ſe gereret, indulgentiam habuit, nullius amicitiæ aut familiaritati impunitatem injuriæ tribuit: ſed omnia antiquæ conſvetudinis momenta præcurrens, labefactatum juris vinculum tenaciſſimo nexu aſtrinxit, ac paternæ ſeveritatis veſtigia ſolicitus uſurpavit, eoq; ſtudio graviſsimas majorum offenſas contraxit. Sacris decus ſuum reddebat. Sacerdotia gerentes gratiæ nutrimentis proſequebatur. Cumq; ab inerti & rudi populo parum juſtam Pontificibus venerationem haberi conſpiceret

CANVTVS Sanctus,

ſpiceret, ne tanti nominis potitores inter privatos relinqueret, decreti circumſpectioris induſtria principum eis conſortionem indulſit, ipſisq; primum inter proceres locum perinde ac ducibus aſſignavit, auctoritatem honore concilians. Providit enim ne tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inq; ſumma religionis arce poſiti, infimâ cultus conditione vileſcerent. Nec ſolum pontificibus dignitatis incrementa donavit, ſed etiam privatorum clericorum ordinem benigniſſimis decretis adornare ſtudebat. Nam quo cumulatiorem eis honorem redderet, literatorum controverſias vulgaris fori conditione exemptas, ad ejuſdem profeſſionis judicium relegabat. Iisdem religionis reos objecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permiſit. Quibus etiam in omnia, quæ adverſum divina committerentur, animadverſionis arbitrium tradidit, cunctasq; hujuſce generis actiones ſacerdotali judicio deſtinatas à publico foro ſecrevit, ne honore impares conditio æquaret. Quamobrem dignitati pondus adjecit, decusq; privato faſtigio excelſius eorum reſpectui ineſſe voluit. Quo effectum eſt, ut Danorum nemini niſi Regi aut pontificibus, eiq; qui potiſſimus regni ſucceſſor advertitur, domeſticis quemquam liceat actionibus poſtulare. Idem populares adhuc ſacrorum rudes decimarum religioni aſſveſacere conabatur. Sed propoſiti irrita ſvaſio fuit. Quippe maturitatem rerum capere novelli cultus rudimenta nequibant.

Interea Sveno Roskildenſis templi ædificationem à Wihelmo cœptam ſaxeo opere proſecutus, cùm perfecto ſacello ſolas locandi pulpiti anguſtias, quo minus dedicatio perageretur, obſtare conſpiceret, condendi ejus gratia Wihelmi monumentum ſummovit, cineresq; mauſoleo erutos, eò loci, ubi nunc acquieſcunt, transferendos curavit. Nocte igitur, quam dedicationis dies inſecuturus putabatur, Sacriſtæ ſomnum capienti quidam ſacerdotij inſignibus decoratus per quietem præcepit, Svenoni ſufficere diceret, quòd in exædificando ſacrario Wilhelmi ſibi merita vendicaſſet, ac gloriæ ſuæ alieno labore partam arrogaſſet impenſam, nè cujus famam aucupatus fuiſſet, etiam cineres ſubmoveret, eosq; à chariſsimo Regis corpore ſepararet. Cujus facti pœnas haud dubiè ab ipſo violationis auctore, niſi vitæ ejus ſanctitas obſtitiſſet, expetendas fuiſſe: nunc vero in ipſas ſacrarij partes ab eo conditas ulciſcendum, ſeq; omnem operis ejus molem funditus everſurum. Monuit quoq; ne quis ſuum de cætero tumulum attentare præſumeret, præfatus neminem qui cineres ejus loco ſuo ſubmoverit, impunè laturum. Deinde baculo tectum impellere, totamq; operis molem diruere viſus, ſomnij fidem ædis excidio comprobavit. Quippe ſacrarium repente ab imis fundamentorum ſedibus convulſum excidit: adeoq; res viſioni conſentanea fuit, ut eodem temporis momento ruina ſomnij comes incederet, nocturnaq; unius opinio omnium oculis interdiu ſubjecta clareſceret. Tantum autem rei miraculum extitit, ut ne collapſum quidem ſacrarium cuſtodem oppreſſerit. Nam neq; petrarum pondere, quæ undiq; congerebantur, eliſus, neq; ulla collapſæ molis importunitate quaſſatus, tutum quietis uſum habuit, quanquam cubile ejus cadenti materiæ contiguum fuerit. Attoniti fragore cives, ruinæ præſentis admiratione concurrunt, cuſtodemq; excidio periſſe creditum, medijs lapidum coagmentis incolumem egredi cernunt. Quæ res omnium in eum oculos religioſa vulgi admiratione convertit, incertum utrum templi lapſus an ſacriſtæ ſalus plus viſentibus ſtuporis attulerit. Nec parvulum viſioni, auctor ejus ab imminenti lapidum mole defenſus, præbuit argumentum. Qui cum Antiſtiti nocturna Wilhelmi mandata prompſiſſet, ſubridens Præſul, nil ſe mirari inquit, vitæ ejus ſeveritati fati habitum reſpondere: ſuæ nihilominus ſolicitudinis fore, collapſas ædificij partes reficere. Quamobrem diù poſtmodum intactus Wilhelmi tumulus manſit, donec noſtris eum temporibus Hermannus, majoris ſacrarij præſes, Arnfaſtusq; ſcholæ magiſterio functus, connivente Iſaaco ruralis ſacerdotij præpoſiti, parabilem,

bilem magis & inter cæteros cultissimum advertentes, Asceriana sepulturæ gratia aperiri jusserunt. Porrò fossa ad solidum humo, incorruptam antistitis togam inter adesa solo ossa reperiunt. Quibus sublatis, tanta fragrantiæ vis sine ullo auctore ad circumstantium nares veluti è beato quodam ungventorum fonte manavit, ut nemo cœlo potitum ambigeret, cujus cineres tàm mira terrestrium odorum svavitas perfudisset. Ipsas vero contrectantium manus tanta odoramenti pertinacia astrinxit, ut ipsum triduo balneis ac lavacris attentatum abolere nequiverint. Nec tamen sanctitatem cinerum, ut decuit, venerati, in extremam eos monumenti partem applicandos curabant. Sed neq; præsumptioni impunitas abfuit. Siquidem sacrilegi consilij auctores pestiferum audaciæ suæ exitum experti sunt, tantumq́; quisq; supplicij retulit, quantum violandi busti sententiæ impendit. Hermannus namq; sub Absolone sacerdotali concilio assidens, sacrum naribus ignem excepit, cujus vi non solum corporis firmitate, sed etiam vocis officio spoliatus, elingvis ac mutus ante triduum, grassante latius ardore, decessit, dignus ea corporis parte puniri, qua divinam ingratus fragrantiam hauserat. Ne cleviorem Arnfastus excessum habuit: qui cum impotentium nervorum hebetudini mederi vellet, potione per incuriam sumpta, quo salutem conciliare debuerat, langvorem instruxit. Sed & rupti tandem jecinoris partes frustatim egestas vomitu protulit, quas à medico pelvi exceptas, Maximus Pontifex Absolon, dùm ad visendum eum humanitatis officio venisset, aspexit. Quo præsente æger hic se ob violatos Wilhelmi cineres perpeti protestatus, manifestas neglecti imperii ejus pœnas pependisse dicebat, seq́; sua ~~cum~~ tota re familiari religioni pollicitus, trimestri langvore habito, per summam animi pœnitentiam expiravit. Miserandos duorum exitus tertius temeritatis auctor aspiciens, seq́; similibus supplicijs propinqvum veritus, fati inclementiam pietatis officio præcucurrit. Nam in æde Mariæ magno rei familiaris impendio sacrarum virginum convictum instituit, eisq́; quoad vixit, pudicitiæ disciplinam ingeneravit. Nec tamen omnem prorsus vindictam effugit. Diutino namq; vitiati pulmonis langvore consumptus interijt. Ità primo fati celeritate correpto, reliquos à diversis corporis partibus profecta pestis tarditate ad ultimam tabem redactos absumpsit. Igitur tantum unusquisq; pœnæ sumebat, quantum in violanda antistitis sepultura auctorem egerat. Quia enim salubritatem suam prudentiæ munimento tueri noluerunt, cladem culpæ præcipitio contraxerunt.

Ne autem Sveno promissam templi refectionem negligentius exequi videretur, cœptam Roskildensis sacrarij fabricam ad finem usq; perduxit. Cujus excolendi gratiâ Rex coronam arte impensaq́; operosissimè elaboratam, in ejus ornamentum appendit; existimans regias opes potius sacrorum splendori, quàm humanæ avaritiæ servire oportere. Eginus quoq; hisdem fermè temporibus, opitulante Rege, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus explicuit. Quibus Rex dedicari jussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogavit. Nam in æde Laurentianâ annua cantorum stipendia, pontificis subsidio fultus, instituit. Ipse enim partim ex fisco suo, Regiisq́; latifundijs, partim Antistes ex ante collatis templo beneficijs quotidianos eorum sumptus exhibuit, tantaq́; inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, ut uter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaq; dedicationis die Rex solenniter altaria veneratus, quartam regij numismatis, quartam suæ in cives exactionis, quartam æstivi census portionem ei, qui pro tempore loci Antistes extiterit, muneris loco perpetuo jure possidendam concessit. Nec parcius privata clericorum jura tutatus, ab eis qui sacrarij rus excolunt, universum penè regiæ pensionis jus, ascriptis chori ministris, deferendum curavit. Cæterum detractæ expeditionis pœnas, ac violatæ pacis vindictam, eorumq́; qui propinquis vacui decessissent, hæreditates,

tates, regij duntaxat juris esse voluit. Itaq; non minorem in edendis templorum privilegiis, quàm præstandis beneficiis auctorem egit. Et ut legibus suis æternitatem conciliaret, eas convellere conaturos Antistitum execrationi subjecit. Cujus edicti postmodum à multis temerè pertentati vetus adhuc ratio perseverat. Rex verò qvum in omnibus sanctè se industrieq; gessisset, præcipuè religionis caritate conspicuum præbuit, nec unquam remotos ab exactissimo ejus cultu oculos habuit. CANVTVS Sanctus.

Qui cum fratrum suorum turbam juveniliter intemperantem patriæ admodum onustam videret, largis uberibusq; stipendijs alitam, uno duntaxat Olavo Slesvici partibus præsidente, in clientelam assumpsit, ac publicum pondus privato levavit impendio. Tandem Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus, à paterni avunculi temporibus obrutum animadvertenti novandarum rerum cupido suprebsit. Vtq; ejus animum certius repræsentaret, non contentus studia sua Orientalibus decorasse victorijs, Angliam infelicitate amissam hæreditatis duxit nomine repetendam. Recolebat enim bellicam majorum gloriam, cumq; opibus imperij fines, nullo magis quàm Anglicis crevisse titulis, majoremq; eis ex unius insulæ, quàm totius Orientis spolijs incessisse splendorem. A quorum imitatione deficere stolidi ac degeneris animi esse, satiusq; regno carere, quàm inter parvulæ telluris angustias inclusum majestatis usum habere. Vt ergo negotiorum conformitate majorum fortitudini responderet, operamq; eorum studiis consentaneam ederet, atq; aviti nominis gloriam æquaret, omnium quæ paterna corrupisset inertia, refectionem suæ commendabat industriæ, parentemq; perosus, avum æmulatus est. Primum igitur occultum Olavo consilium prodit, eoq; idipsum hortante, rem deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quem Rex sibi fraternæ charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum habebat, insidiosæq; ejus adulationis ignarus, affectum referri sibi, quem ipse impenderet, æstimabat. Quem etsi prudentia secus monuit, sanctitas tamen malignam de fratre suspicionem referre prohibuit, ne consangvineam fidem temerè damnare, inq; fraudis metu hostes ac necessarios juxtà ponere videretur. Verùm Olavus affectatione regni, pietatis erga germanum oblitus, perfidissimi pectoris habitum summa fidei simulatione tegebat, vulgatumq; Regis propositum non solum adulationibus fovit, sed etiam hortamentis instruxit: non quòd potentissimum regnum ab eo recuperari posse speraret, sed ut imperatæ rei difficultatem in odium imperantis converteret. Enimvero fratris animum fastidiosè æstimans, piissimum ejus amorē parricidali fraude pensabat. Nam qvùm eum, quòd neglectam antè severitatem novis legibus restituisset, civibus invisum animadverteret, quô odium ejus cumulatiùs redderet, quod publicè displiceret, privatim exequi stimulabat. Et ne solus insidias volveret, lectâ societate, clandestinæ conjurationis cœtum instruxit. Nec frustrà ingenium fuit. Quippe primores, quorum violentia regijs sanctionibus retusa fuerat, parricidalis cum Olavo propositi consortium habuerunt. Canutus verò omnium animos gloriæ magis, quàm sceleri intentos existimans, imperata classe, Lymivicci maris oris advehitur: à quo brevissimus in Oceanum transitus patet, quondàm navigijs pervius, nunc vero interjecta arenarum mole præclusus. Hic Rex fraternum diu præstolatus adventum, navigandi cunctatione exercitus alacritate est excussus. Nam Olavus reddita tarditatis ratione, veniendi moram indies extraxit, commentumq; cassandæ expeditionis excogitans, alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum simulatione quærebat, eò moram trahere cupiens, donec aut Regem sine eo proficiscentem interim ipse regno privaret, vel tarditate suspensum, exercitu destitueret: Rexq; vel desertorum impunitate despicabilis, vel pœnâ, cunctis invisus evaderet. Ita & fratrem & dominum adventus sui cunctatione ludificans, tam vafræ tamq;

CANVTVS Sanctus,

inſidioſæ rationis commento genoroſi ac fortis propoſiti molitionem ſubruere conabatur. Nec eum callida conſilij ratio fefellit. Nam tota à Rege claſſis, faſtiditâ ejus exſpectatione, defecit. Rerum enim quæ à fratre gerebantur ignarus, morantis adventum ſæpenumero mandatis exegerat, qvum tandem de ejus perfidia certior factus, claſſe præſtolari juſſa, Slesvicum lectiſſimâ manu feſtinatò contendit, ibiq; fratrem inopinatum & attonitum intercepit. Deinde productum, accuſatumq; nec objecta valide propulſantem, perinde ac convictum, impotentemq; defenſionis compediri à militib⁹ jubet. Qui indebitam regio ſangvini contumeliam ſuis manibus adminiſtrandam negabant. Cujus tanta apud ipſos veneratio fuit, ut ex eo ortos morte, quàm vinculis mulctare mallent, tolerabilius rati quod communis conditio admittit, quam quod ſervile ſupplicium exigit. Sed & gentis noſtræ verecundia ſummam in vinculorum pœna turpitudinem reponere conſvevit, hisq; affici omni fato triſtius ducit, ingenuas mentes probroſo, quam cruento ſupplicio punitiores exiſtimans, tantoq; alterum altero ſpecioſius cenſens, quantum naturæ habitus à fortunæ vitio diſtare creditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus juſti imperij quàm iniqui germani reſpectui tribuendum, nec ſangvini parcendum, dum vitia puniuntur, exiſtimans. Quippe quem virtus defecerit, nullam ſtirpis reverentiam obtinere, animiq; labe fœdum omnem generis infuſcaſſe ſplendorem. Igitur non tam fratris nomen quàm parricidæ propoſitum intuebatur. Adeò ſangvinis precium eviléſcit, qvum ſe moribus ignobilem fecerit.

Poſt hæc Rex Olavum catenis coërcitum, navigioq; in Flandriam relegatum, carcerali cuſtodiæ mandandum curavit. Cujus captionem conjurati parum famâ aut nuncio experti, quò callidius exercitum ſolverent, inertem Regis moram abſentiamq; cauſati, claſſem clandeſtino monitu circumventam domos abire juſſerunt. Quam rem ſi quis palàm exhortatus fuiſſet, publicatis bonis aut in exilium agi, aut capitali ſupplicio affici lege merebatur. Quam ob rem defectionis incentoribus tutiſſimum viſum, ut ſine ullo auctore ipſe ſibi populus deſertionis licentiam vendicaret, nè tàm privatum diſceſſionis crimen quàm publicum haberetur. Tantum autem apud improvidam multitudinis temeritatem inſidioſa Magnatum ratio valuit, quòd plebs non minus eorum auctoritate, quàm moræ tædio adducta, fidentiſſimam revertendi libertatem acciperet. Cujus facti Rex cognitione ſuſcepta, dolorem prius, deinde lætitiam egit. Siquidem injuriam in religionis habitum formavit, mulctæq; nomine primam exigendarum decimarum occaſionem corripuit, lætatus quòd ſibi utiliſſimam propoſiti rationem opportunitas conciliaſſet, ſuoq; dedecore ſacrorum decus inſtruere liceret. Cumq; Magnates Olavum, quem ſibi factionis ducem futurum ſperaverant, à fratre interceptum audiſſent, propoſita fraude defecti, ſummam ejus diſſimulationem egerunt. Itaq; Rex accerſita poſtmodum concione, docet quantum Danicis armis militaris ſemper diſciplina profuerit, majorum imperijs à minoribus ſemper obtemperatum fuiſſe, Regum auctoritatem popularibus inniti ſuffragijs, principum famam nullo magis quàm militum fide creviſſe, eorumq; nullius momenti imperium eſſe, ſi non plebeiis ſubſiſtat auxilijs. Sibi vero nuper ignotam Regibus contumeliam obveniſſe, inuſitatæ defectionis auctores hebetudinem audaciæ prætuliſſe, aviditate otij ſpecioſiſſimæ rei negocium ſubruiſſe. Adjecit quoq; quanta pecuniæ ſumma ob impium deſertionis crimen damnari meruerint, gubernatorum ſingulis quadragena nummûm talenta, terna remigum unicuiq; mulctæ loco numeranda proponens. Nemine collationem abnuente, promiſſa æris ſolutio eſt. Quo cognito remittere ſe Canutus illam exactionem, ſi ſacerdotibus decimas erogare voluiſſent, edixit. Tunc concio petita conſulendi licentiâ, pauliſper à Rege deliberatura ſecedit, an propoſitis ſatisfieri conditionibus oporteret. Vtraq; exhibitu difficilis æſtimata. In ſolvendo namq;

ære

CANVTVS Sanctus.

ære complures inopiâ afficiendos credebant; Decimarum verò pensionem omni ævo celebrandam, æternam debitoribus infligere servitutem. Igitur quasi in tristium rerum contextu minus asperè delectum facturis, acerbior visa conditio, cui comes diuturnitas affuisset. Nam cum alterâ se tantum, alterâ posteros quoq; puniendos adverterent, præsentem inopiam perpetuo oneri prætulerunt. Itaq; temporum æstimatione facta, quò sibi tantum quàm pro posteris pœnam crearent, culpam redimere præoptantes, semel ære, quàm semper libertate defici maluerunt; jure elicitum, dedecore vacuum; persvasione extortum, probro obnoxium rati. Quinetiam annuam alienis frugem dependere ignominiæ, non religioni attinere censebant. A quibus qvum Rex deteriorem conditionis partem approbari videret, simulatâ pecuniæ exactione, septentrionales Jutiæ partes ingressus, Tostonem cognomine Peculatorem, ejusq; collegam Hortam colligendæ pensionis quæstores instituit, mulctæ metu decimarum religionem asserere cupiens. Iisdem defectorum res, æstimatis possessionum pretiis, intactas dimittere jussum. Qui mandatum immitius ac jussi fuerant executi, iniquâ plebem exactione pulsabant. Quam rem æmuli Regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendacijs exaggerabant. Veris quoq; majora fingentes, invisos cunctis reddidêre quæstores. Quippe militum opus, non Regis imperium, judicabant, nec jubentis, sed jussi studium intuebantur. Quorum instinctu multitudo quæstores adorta, communem injuriam publica consternatione cohibuit: magis quid fieret, quam quid fieri jussum esset, inspiciens. Nec eorum cædibus satiata, in Regem quoq; vesana prorupit. Qui impetum ejus opportunè suâ ratus absentia declinandum, Slesvicum concessit, ibiq; conjugem cum filio constitutam, si res sinistrè cessissent, perfugere in patriam jussit, nullum inter perfidos præsidium habituram. Siquidem intempestivum regno hæredem domesticorum arbitrio relinquere verebatur. Igitur Wandali solam sibi in armis libertatem restare credentes, fugæ ejus perinde ac victores insultare cœperunt. Qui qvum, imminentibus Jutis, & vetera auxilia deficere cerneret, nec non a temporis angustiæ contrahi sinerent, quò tutior secessu foret, Fioniam petit, salutem insulæ præsidio quæsiturus: ubi nihilominus indignam religiosissimo spiritu suo violentiam expertus est. Hinc enim Jutis aucta sæviendi fiducia concitatam multitudinis temeritatem exacuit, hinc grassandi præsumpta libertas tristem Regi procellam inflixit. Sanè populares pœnæ metu cœptum omittere veriti, perseverantiam sceleri exhibendam duxerunt. Neq; enim bis læsum pœnam noxiis remissurum credebant. Ideoq; ejus exitium sitientes, ardentissimo odio sanctissimi viri necem petebant: ac veluti veniæ desperatione compulsi, hostem tollere quam ultorem experiri maluerunt. Nec suis eum finibus exegisse contenti, Fioniâ quoq; propellendum decernunt. Jamq; Rex accepto trajectionis nuncio, Sialandiam emigrare statuerat, cum Blacco quidam primam ipsius familiaritatem adeptus, sed nihilominus eum occultè perosus, simulatæ fidei consilio hortatur fugæ parcat, Othoniensis pagi præsidia expetat, nec fœmineo more latebram circumspiciat: se interim plebis acta speculaturum, blanditiasq; iræ ejus oppositurum promittit. Quod si plebis animum mitigare nequisset, tanto antè id Regi pronunciaturum, quantum fugæ occupandæ sat esset. Consilio obtemperatum est. Tunc Blacco omissâ legatione, sinistris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impensius struit. Hortatur quàm celerrimè calumniæ auctorem occupent, nec fugacem elabi permittant, oppressionum vindices tyrannum non Regem fastidire commemorat: carere culpâ, quod honestatis æmulatione committitur: patriæ tutores perinde ac pietatis ministros parricidio exui: privatū abesse crimen, ubi publicæ libertatis vindicta peragitur. Prætera miserrimos, cœpti irritos; compotes, felicissimos fore. His atq; consentaneis modis solicitato in

CANVTVS Sanctus,

Regis necem populo, adverſùm immerentis caput funeſtos omnium conatus erexit, eâq; actione conſternatam amentiâ plebem veluti furiali quadam face ſuccendit: ſtatimq; impetus crevit, ubi hortatorem habere cœpit. Neq; enim temeritati ejus conſtantiam ſuam objecit, ſed publicæ ſeſe dementiæ auctorem aſcripſit. Igitur incitatior ſeditionis procella peſtiferâ ejus concione efferbuit, graviorq; tempeſtatis incentorem nactæ tumultus erupit. Inde reverſus pacatiorem populi animum nunciat; facilè conſternationis procellam acquieſcere, ſi Rex iram mutuò deponere, reiſq; pœnam remittere voluiſſet. Quem Rex fidum legationis miniſtrum ratus, regalis magnificentiæ convivio excipit, malignumq; ſuæ pietatis interpretem donis proſequitur. Vtrobiq; gratia perfidiæ hábita eſt. Nam Blacco alterna partes vice ſubiens corrupto legationis officio, prò mediatore proditorem agere cœpit, atq; ex ſpeculatore ſceleris hortator evaſit, ſiniſtrè Regis, falſò plebis animum interpretatus. Ita pellacis viri mendacium legationis titulò involutum, Regem pariter ac populum fefellit, hunc, nè imminentem vitaret, illum, nè parceret exſpectanti. Eundem die poſterâ Rex prioribus paria pollicentem ad ſpeculanda ſeditionis acta dimittit, communemq; hoſtem inter ſe & vulgum creandæ pacis auctorem aſſumpſit. Nec ſolita legato perfidia defuit. Cujus peſtiferis monitis inſtincta plebs vehementius adverſum Regis caput conſternationem diſtrinxit. Canutus interim quotidianis ſacrorum ſolennibus aſſvetus, ne quid religioni præponeret, Albani ædem ſacram pro ſe deprecaturus accedit. Quippe precibus Deum, quàm hoſtem armis, ne quid charitati detraheret. aggredi præoptavit. Vbi dum religioni vacando, officia ſanctitatis exequitur, conſternatæ multitudinis corona armis ſacrarium clauſit. Quotquot ergo ex militibus hoſtem præcurrere poterant, periculi conſortium affectantes, Regem petebant, ejus in ſeipſos diſcrimen transfundere cupientes. Cumq; ſalutem ſeceſſu conſequi poſſent, periculum præſentia quæſierunt, morteq; clari quàm fugatuti fieri maluerunt. Quanta porrò humanitate clientelam hanc abundaſſe credemus, quæ ne infelicem domini fortunam deſereret, periculo ſeſe, quod vitare licebat, oppoſuit, inq; magna fugiendi copia ſalutem Regis, quàm ſuam, tueri ſatius duxit? Benedictus quoq; fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori deſtinaverat. Ericus vero ſeorſum ab hoſte concluſus, cum ſolus multitudinem ſuſtinere nequiret, per medios hoſtium globos ferro ſeceſſum molitus erupit. Tunc nemine religioſæ pacis domicilium violenter irrumpere præſumente, primus Blacco cunctantibus cæteris ferro valvas petivit, ductuq; ſuo eandem cunctis licentiam tribuit. Ita ſe non ſacrilegii modò, ſed etiam publici parricidii ducem auctoremq; exhibuit. Quod videns plebs concitato ſeditionis motu templum aggreditur, eoq; irruptione facta divinos lares, ac ſanctiſſima penetralia ſacrilega tempeſtate fœdavit. Verum Blacco in ipſo, quem irruperat, aditu trucidatus, datis parricidii piaculis, violati ſacrarii pœnas pependit. Mors ejus interfectoris exitu vindicata eſt. Itaq; alterius fato ſcelus, alterius pietas cauſam præbuit. Crediderim tunc pium cruorem parricidali permixtum ſeparatis fluxiſſe meatibus, atq; ſine ulla rivulorum communione hinc ſacrum indè ſceleſtum ſangvinem dividuis alveis inceſſiſſe. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur. Rex ipſe inter cruentos imminentis violentiæ ſtrepitus, fiduciâ conſcientiæ, eundem mentis habitum tenuit: neq; religioni parcius, quam ſi periculũ abeſſet, vacavit, nè plus ab eo timoris quàm conſtantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem ejus hora ſanctitatis ſtudio vacua fuit. Nam cum parietẽ undiq; à popularibus perfringi (quippe ligneus erat) ideoq; propinquam ſibi necem inſtare animadverteret, accerſito ſacerdoti factorum arcana confeſſ⁹ per ſummam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas abſolvit, præmiumq; ſibi pœnitentiæ ſalubritate conſcivit. Tantũ enim in innocentia ſua fiduciæ repoſuerat ut morte non periculo oppreſſ⁹ refugere, ſed metu vacuus appetere videretur.

Quine-

Quinetiam propassis utrinq; brachijs ante aram fati securus occubuit: ubi dum victimæ more prostratus percussorem exspectat, immissæ per fenestram lanceæ mortifico jactu confossus, pium mortis sacrificium edidit, profusoq; militum sangvine, suum ad ultimum erogavit. Enimvero crebris undiq; telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo cubabat, excessit, quàm feretro mandaretur extinctus. Ex cujus sanctissimis vulneribus plus gloriæ quàm cruoris effluxit. Quippe præsentis vitæ exitu initium melioris accepit, hostili judicio punitus, divino servatus. Felix eorum parricidium, qui quem terrestrium virtutum orbe exemerant, cœlestium usibus applicabant, caducaq; & fragili potentia spoliatum, solidæ atq; æternæ felicitatis compotem statuerunt. Sed & clandestina ejus virtus perlucidis postmodum experimentis enituit. CANVTVS Sanctus.

Hæc audiens Regina patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus: ex quibus Ingertha Folconi Sveticæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum, Canutumq; filios habuit, hisdemq; mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Svetiæ ducem, cum fratribus suis nepotem accepit. Verùm ex Ceciliæ matrimonio Ericus Gothorum præfectus Canutum cum Carolo procreavit. Ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas clara propinquitatis serie cohærens emersit.

At populus perempto Rege exultans, quod scelus deflere debuerat, insultatione prosequi voluptatis loco reputabat. Qui cum parricidio pietatis causam prætexeret, idq; tyrannicidij nomine coloraret, militem suum Deus mercede fraudari non passus, arcanam sanctissimi viri innocentiam manifestis publicavit indicijs, eximioq; vitæ ejus splendori etiam clara mortis ornamenta concessit. Sanè ad coargvendam parricidarum malitiam puniti merita miraculosis prodidit argumentis, ignotamq; vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione perculsa virtutis invidiam egit, conspicuamq; signorum experientiam diu nequicquam infuscare tentavit. Veteris namq; invidiæ fremitu, ac pristinis odij viribus pertinacius excandescens, adduci non poterat, ut divinis honoribus coleret, quem ob scelus à se interfectum putaret, rem cœlitus declaratam humanis argumentis abnegare conando. Quanquam enim damnatos à se mores cœlesti judicio comprobatos videret, ad dissimulandam tamen, occultandamq; miraculorum fidem justam cædis causam fingebat, firmamq; facti tuitionem retinens, sententiæ suæ perseverantissima propugnatrix existere non erubuit. Nec vita Regem spoliasse contenta, etiam fati laudibus exuere conabatur, cuj⁹ lucem extinxerat, famam quoq; sepelire connisa. Sed humanis tenebris divinus splendor involvi non poterat. Quippe miraculorum nitor dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam sanctitatis ejus medela varias imbecillitatum affectiones remediorum salubritate prosecuta est. Cumq; obtrectantium livor crebrescentibus signis virtuti cedere cogeretur, nec fidem ulterius frustrari quivisset, in facti tamen defensione persistens, sanctitati quidem assensit, sed eam non tam ex præteritæ vitæ meritis quàm ultimi temporis pœnitentia profectam astruxit. Ita & justam facto causam prætexuit, & vita cassum honore donavit. Siquidem dignè Regem perisse, sed pium lacrymis evasisse dicebat, intentionem ejus avaritiæ quàm religioni propiorem existimans. Cujus erroris non parvas postmodum pœnas pependit. Sed & posteri paternam redolentes invidiam, sanctitatis ejus fortunam non moribus, sed lacrymis imputant, præsentiq; incredulitate præterito sese errori implicant. Neq; adduci possunt, ut ipsius beatitudinem deposito odio syncerè æstiment. Verum sacra ejus oppidulo orta toto penè terrarum orbe fulserunt, cultusq; ipsius primum à civibus exceptus, paulatim in commune prorepsit. Cujus tam vitæ quàm miraculorum virtutem privatim Othoniensibus venerandam, publica etiàm religio consecravit. Sed & cœlestem ejus

CANVTVS Sanctus.

spiritum ad hoc usq; tempus felix signorum fortuna prosequitur. Hinc est quod Canutus divini jam animi immortalitate potitus, ut terrestribus patriam patrociniis attollere studuit, ita cœlestibus protegere non desistit: ideoq; sanctitas ejus gloriæ & celebritatis fructu opulentissima, splendidum in Fastis locum obtinet. Quin etiam salutares effectus suos quotidianis administrat indiciis, malitiamq; patriæ, beneficiis pensat. Nam virtutum ejus insignibus omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illustrationis radiis sanctorum fatis claritas erogatur, cum cœlesti beneficio mortalis livor opponitur.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI VNDECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER DUODECIMUS.

LXVII. OLAVS Famelicus.

INTERFECTO Canuto, Juti iniquæ societatis pertinaciâ singularem Olavi gratiam amplectentes, creari eum Regem alacerrimis petivere suffragiis: hunc sibi plurimum gratiæ relaturum sperantes, cui tanto regnum discrimine quæsivissent. Neq; ejus fratribus hunc honorem, eximio Canuti amore suspectis, erogandum duxerunt. Igitur pecuniâ pactâ, Nicolaum communem tam præteriti quàm futuri Regis germanum, vadem pro ejus redemptione dederunt, receptoq; regnum imponunt. Nec parvum Nicolaus fraternæ charitatis specimen edidit: siquidem fraternas induere catenas, suisq; vinculis germano regnum emere non dubitavit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor, quam ei communis fratris jussu inflixerat, ultionis metu cum conjuge Botildâ, quæ Ulvoni Gallitiano ex filio Thrugoto neptis obvenerat, Svetiam petivit. Dani vero collato certatim ære pro sponsoris reditu, pactam creditori pecuniam numerarunt. Quem Flandrensi custodiâ liberatum, infesta parricidis fortuna veluti cladem aliquam nostrorum abundantiæ ac fertilitati injecit. Nam cùm Dani novi Regis initiis applaudentes pristinæ ruinæ procacius insultarent, criminosis semper infensâ divinitas, ne diu scelus impunitate floreret, petulantiam penuriâ rependere voluit, communiq; inopiâ publici parricidii justa exegit piacula. Vt enim non in singulos modò, sed in universos animadverteret, summa aëris intemperantia annorum, quibus Canutus regnum gesserat, numerum adæquavit, cœlestiq; robore humana vi majorem edidit ultionem. Quippe verni æstiviq; temporis fervore satum omne coaruit: autumnale verò adeò pluvium fuit, ut si quid locorum humilitate palustrive madore alitum succrevisset, perseveranti imbrium inundatione decideret. Quanquam contrarium cœli habitum humanæ commoditatis ratio flagitasset. Igitur opportuno Solstitium humore caruit, eundemq; sine modo profusum siccum amans Sextilis excepit. Tunc plane camporum facies cœlestibus imbribus inundata, late patentis stagni speciem præbere conspecta est. Ità quod æstas ægrè genuit, autumnus oppressit: tantaq; temporum intemperies extitit, ut nec imber æstum leniret, nec æstus imbris illuviem temperaret. Quin etiam agrestes, aquis campos tegentibus, supernantia spicarum capita demetentes naviculis excipiebant, ac deinde putres aristarum reliquias fornacibus igni percalefactis exsiccandas mandabant, sicq; eas molæ subjicientes, quia panem præstare non poterant, in usum pultis vertebant. Quamobrem tanta ciborum penuria incessit, ut maxima populi pars alimentorum inops inediâ consumeretur. Ea

res

res locupletes inopiâ, pauperes morte mulctavit; majoresq; ære, minores ſpiritu ſpoliavit. *OLAVS famelicus.* Nam divitum populus non ſuppetentibus alimentis, auro argentoq; ſalutarem comparavit impenſam: pauperum vero gregem tam cenſus quàm dapis inopem horrida paſſim fames abſumpſit. Rex ipſe ad ultimam tabem redactus, plurima fruge latifundia permutabat, agriſq; vænire juſſis, alimenta poſſeſſionum preciis comparabat. Nobilibus in eundem uſum ingenuitatis inſignia erogare rubori non fuit. Enimvero abundè ſeges finitimi erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Quæ tam dira clades convictum populi animum ſanctitatem Canuti, quam antea detrectaverat, fateri coëgit: deq; celſitudinis ejus contemptoribus veneratores effecit. Sanè tam evidens pœna, aliis fruge abundantibus, Danis privatim ingruens, & parricidarum noxam, & perempti innocentiam, liquidò argumentata eſt.

Hanc peſtem Sveno Pontifex, cujus ſumma apud Danos auctoritas erat, populo parricidii pœnitere permonito inceſſuram prædixit. Quippe in plebem pius, in Deum venerabilis habebatur, religionemq; attentiore cura, conciones præſtantiore facundia celebrabat. Ità favore omnium occupato, arcem inter noſtros auctoritatis, atq; eloquentiæ faſtigium poſſidebat. Subjectorum mores, non ſolùm dictis, ſed etiam ſereniſsimis operum informabat exemplis, nec voce quàm mente concinnior fuit. Idem perfecta Trinitatis æde, in exædificando ejus ambitu Canutum religioſi operis ſocium habuit. Nec minorem in extruendis Mariæ ſacrariis operam geſsit. Quippe unum in urbe, alterum Ringſtadis enixè molitus, tertium Michaëli Slagloſiæ condidit. Adeò ſe ſanctorum penetralium ſingulari cultu flagrare monſtravit. Nec domeſtica ſanctitate contentus, augmentum ejus foris petere, arrepto peregrinandi labore, conſtituit. Cumq; Hieroſolymam proficiſcens Byzantium perveniſſet, contracta varii generis ornamenta cum ſacrorum cinerum reliquiis in neceſſarios uſus domeſtici templi remittenda curavit. Sed cujus Græcia pietatem vidit, mortem Rhodus aſpexit. Iiſdem ferè temporibus abſumpto Richvaldo, Aſcerus morum generiſq; ſplendore eximius Lundenſi potitur ſacerdotiò.

Olavus cùm bis penè luſtrum regnando condidiſſet, inter continuas rei familiaris anguſtias, nihil regali magnificentia dignum exequi poterat. Sed & finitimi facto paupertatis ejus contemptu, famelicum ferro inceſſere roboris loco duxerunt, rati inediam armis obrui non oportere, neq; divinitus afflictum humanitus premi, aut cœleſtium vindictam mortalium viribus exaggerari. Cui enim invidioſum exiſteret regnum contemptiſſimâ tot annis inopiâ profligatum? Cum Rex divinum Natalem celebrans, pane in domo non ſuppetente, jejunos circumquaq; penates aſpiceret, erubeſcendâ menſarum inopiâ magnoperè confuſus, obducto manibus capite, ſuffuſoq; lacrymis vultu, per ſummam animi ægritudinem temporis difficultatem gemitu proſecutus eſt. Sanè tantulam dapem tot convivis apponi deflevit, contemptiſſimam famem honoratiſſimæ lucis ignominiam judicans. Qui mihi alienam ſpecie, ſuam re verà deploraſſe videtur inopiam. Deinde ſupplicatione habita, ſuperna contuitus, auctorem omnium Deum, ut ſi quid iræ adverſus populum concepiſſet, ſuo, non ejus periculo ſatiaret oravit, infeliciſſimum patriæ ſtatum, difficillimum temporis habitum æſtimans. Quippe tam inops epularum convivium, quo famem inſtruere potiùs, quàm pellere videretur, principum oculis ſubjicere erubeſcebat. Nec difficiles numinis aures habuit. Siquidem celerem fati viam obtinuit, ſibiq; mortem, ſalutem patriæ, (ſi qua modo parricidis virtus ineſt,) piâ prece conſcivit, ingenuoq; vivendi pudore maximæ cladis pœnam avertit. Itaq; memoriæ ejus ſpecioſiùs depoſita vita quàm geſta aſcribi poteſt, qui fatum patriæ finiendi ſpiritus cauſam habuit. Porrò quantum charitatis erga ſuos cordi inſitum haberet aperuit, cùm & eorum mala proprio capite luere vellet, & commune periculum ad ſe ſolùm redundare

OLAVS Famelicus.

dare deposceret. Nempe quia suam pro civium salute devovit, pii animi titulo fraudandus non est. Fortuna siquidem famem cum auctore suo pari funere extulit, inediamq; satietate mutavit.

LXVIII. ERICVS Ejegod,

Huic Ericus natu proximus è Svetia revocatus, magno omnium favore sufficitur. Hujus ætas periclitanti populo labentis annonæ subsidia reparavit, segesq; tempestivi imbris beneficio visitata convaluit. Nam regnante eo, agrorum habitus ad tantam ubertatem excessit, ut singuli cujuslibet annonæ modij totidem denarijs permutarentur. Sed & continuis regni ipsius annis eadem agris ubertas incessit. Quo evenit, ut non solum ex morum, sed etiam temporum placidissimo usu, Boni cognomen acciperet. Tunc planè penuriæ copia, inopiæ successit abundantia. Hujus viri virtutes summatim cognoscere, tædio non sit. Nam præter ingentia animi decora, singularibus naturæ incrementis evectus, admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excesserat, ut cæterorum vertices humeris superaret. Nec longitudini inconcinna soliditas fuit, ut totam ejus compagem exactissimo naturæ ingenio excultam elaboratamq; putares, quæ corpori granditate conspicuo consentaneum virium habitum conciliavit. Igitur ut corpore nullam, ita nec robore parem habuit, cum staturæ laude egregia quoq; vigoris ornamenta sortitus. Hastæ aut lapidis jactu sedens stantes vincebat: neq; illi situs, quò minus fortitudinis suæ experientiam ederet, officere potuit. Eodem corporis situ ex robustissimis duos luctâ aggrediebatur; dumq; alterum attrectaret, alterum genibus compressum urgebat; nec ante destitit, quàm prius hunc, deinde illum pedibus subjiciendo, amborum manus post terga vinciret. Nec minori robore funiculorum certamen exhibuit. Quippe unum dextrâ, alterum sinistrâ continens, eorum extrema quatuor præstantibus robore viris ex adverso distrahenda commisit. Quibus eum nequicquam sede suâ detrahere laborantius, ipse funem utrumq; modò dextrâ, modò lævâ corripiens, ingenti fortitudine effecit, ut aut tenentibus restim excuteret, aut eosdem ad se magnoperè renitentes appelleret, funemq; ducere nequeuntes sequi cogeret. Eidem quoq; speciosissimus vocis habitus fuit. Siquidem conciones non solum præstanti facundia, sed etiam tanta pronunciationis amplitudine celebrabat, ut in actionibus non solum à præsentibus, sed etiam à procul positis liquidò exaudiretur. Præterea ad conciliandam sibi popularium benevolentiam in extrema actionum suarum parte mandati loco subnectere consveverat, ut viri conjuges suas ac liberos, necnon & servos, cum primum domos redissent, sub ejus titulo consalutationis officio prosequerentur, suum se cuique jus servaturum promittens, communemq; cunctis in exhibendo æquitatis cultu, debitorem affirmans.

Verùm hunc corporis ejus animiq; fulgorem, sola libidinis vis tetris intemperantiæ maculis obscurabat. Siquidem conjugalis copulæ tædio Veneris usum pellicum cubiculis intentum habuit: quanquam ei fortuna uxorem forma ac moribus conspicuam sociasset. Nec defuit Botildæ tolerabunda mens ad insolentiam mariti sustinendam. Puellas siquidem, quas ab eo ad amari persenserat, maternæ dilectionis officijs prosequebatur, easq; quò promptius mariti studijs indulgeret, quoad vixit, inter pedissequas habuit. Quarum ut formam quoq; concinniorem efficeret, sæpenumero capitibus earum cultum proprijs manibus exhibebat. Cumq; abundè foret iram abjecisse, addidit charitatem, & quia sua specie non potuit, aliena marito placere voluit, viriq; in eis affectum colere, quàm læsionis suæ vindictam agere præoptavit, ne clarissimum ducem turpitudinis reum ageret. Etenim amoris sui raptrices officijs quam odiis insequi speciosius duxit. Itaq; non solum mariti flagitium dissimulatione texit, sed etiam absq; respectu pellicatus odium merentibus, gratiam erogare sustinuit, veneratione contemptum, obsequijs injuriam pensans, eoq; facto clarissimum muliebris patien-

tiæ

ERICUS *Ejegod.*

tiæ exemplum præbuit. Quin etiam singulari moderationis beneficio posteritati insignem nominis sui memoriam commendavit. Fuere Erico filij, Haraldus, Canutus, & Ericus: sed primus concubinâ, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur.

Nec mansvetudinis spiritus Regis fortitudini defuit; qui ut crudelitatis alienus, ita socordiâ vacuus medium inter desidiam ferociamq; temperamentum tenuit. Ejusdem quoq; severitas benignissimè popularib9 affuit. Nè enim potentum avaritia æquitatis vinculum labefactaret, petulantiaq; juris hebetudinem pareret, insolentiæ rigorem opposuit, & quo plus à perversis loco distitit, hoc magis per imperium nocuit. Quippe cum à populariumoppressoribus parum per absentiam timeretur, eosdem subita satellitum manu interceptos suspendio consumendos curavit. Quo facto quid aliud quàm injuriæ pondus arboreâ lance pensavit? Quamobrem majoribus formidolosus, minoribus percharus evasit; cùm hos paternâ indulgentiâ, illos Regiâ severitate insequeretur. Filias quoq; complures ex concubinatu habuit; quarum unam Haquino cuidam Beronianæ necis ultionem polli[c]ito, præmij nomine nuptum dedit. Frater siquidem Erici Bero Holsatijs Dythmersisq; subactis, eo loci, ubi Wermundi filium Vffonem, cum duobus Saxonicæ gentis lectissimis manum duelli nomine conseruisse proditum est, munitionem inhibendæ defectionis causa molitus, vallo fossâq; insulam cinxit. Cujus dominationem popularium quidam privatim perosus, concionantis latus hasta transfixit.

Ea tempestate Sclavorum insolentia diu Danicæ rei miserijs alita [quippè magis otijs Olavi provecta, quàm ullis ejus negotijs retusa fuerat,] piratica nostros acerrimè lacessebat. Sed & Autonem quendam splendidissimo loco natum, Falstriam è Sialandia petentem, moriq; quàm intercipi præoptantem occidit. Enimvero ingenita Danico sangvini virtus, captivitatis sortem omni fato tristiorem existimat. Quam rem Skialmo Candidus, [frater hic Autonis erat,] in celeberrimis Danorum concilijs querelarum frequentiâ prosecutus extudit, ut auctoritate ejus motum vulgus, unius necem omnium manu ulciscendam decerneret. Adeò quippe regia majestas popularem libertatem evexerat, ut ei decernendarum expeditionum jus esset, armisq; publicis, non imperium principis, sed plebis arbitrium præsideret. Præterea Alli & Herri Scaniæ oriundi, sed ejus usum facinoribus demeriti, Julinum certissimum Danorum perfugium proscriptorum titulo petiverunt. Cujus enixè negotia consectantes, maritimisq; patriam latrocinijs incessentes, rem Danicam atrocius profligare cœperunt. Tunc Danica juventus Julinum adorta, fractos obsidione cives, quotquot intra mœnia piratas habebant, cum pecunia pactionis nomine præbere coegit. Quibus nostri in potestatem acceptis, læsæ patriæ pœnas crudelissima mortis ratione expetendas duxerunt. Nam quo violentiore eos morte consumerent, revinctis post terga manibus, palis primùm affigendos curabant, deinde ventrium cava cultro rimati, nudatis extis primaq; viscerum parte protractâ, cætera stipitibus explicabant, nec antè supplicium remiserunt, quàm tortos extis funditus alvo egestis, horridæ rapacitatis spiritum profundere coegissent. Quod spectaculum ut specie triste, ita re nostris perquam utile extitit. Non solum enim reis pœnam inflixit, sed etiam cæteros consimilem cruciatus causam vitare permonuit. Itaque non minori visentibus documento, quàm afflictis supplicio fuit. Nec semel quidem Ericus Sclavici roboris amplitudinem pressit, & nervos debilitavit, sed iterum ac tertio effrenata gentis illius ingenia tanto tempore retudit, ut nulla eum ulterius piratici æstus procella pulsaret.

Interea defuncto Egino Ascerus clarissimo inter Jutos loco natus, Lundense sacerdotium sumpsit. Forte autem Hamburgensis Antistes ob inanes

& falsas

ERICVS Ejegod,

& falsas suspiciones Ericum execratione mulctandum censuerat. Quod veritus Rex, appellatione sententiam præcucurrit, Romamq; evestigio petivit: ubi causæ suæ examine diligentius habito, Pontificis accusationem potenter repulit, cunctisq; defensionis partibus actore superior rediit. Nec contentus efficacissimum causæ dictionis suæ propugnatorem egisse, adversariæ partis odio penetralium sacrorum decus externo sacerdotio subjectum habere passus non est. Quamobrem Romam regressus, tùm se, tùm etiam patriam ac domestica sacra Saxonicâ prælatione liberari petivit, ne religionis ratione exteris admodum obsequi cogeretur, aut ejus disciplinam ab alienigenis petere necesse haberet. Nec difficilem Curiæ consensum habuit. Quæ ne clarissimum virum repulsâ afficeret, tum dignitatis, tum etiam fatigationis ejus intuitu mota, petitioni annuit, seq; regnum ipsius summi sacerdotij insignibus adornaturam spopondit, atq; eâ promissorum spe Regem à se exhilaratum dimisit.

Sed tristioris fortunæ, quod sequitur. Reversus namque Ericus cum more Regio domi in propatulo cœnitaret, inter alios quendam Musicæ rationis professorem adesse contigit. Qui cum multa super artis suæ laudibus disputasset, inter cætera quoq; sonorum modis homines in amentiam, furoremq; pertrahi posse firmabat. Quinetiam tantas fidibus vires inesse dicebat, ut perceptis earum modulationibus astantes mente constaturos negaret. Cumq; an ejusmodi usu calleret interrogatus, peritiam fateretur, tum precibus Regis, tum etiam minis effectum præsentare compellitur. Qui cum nec vecordiæ metu, nec periculi prædictione imperantem avertere potuisset, ne furori nocendi materia suppeteret, primum æde armis vacuefacta, complures extra auditum citharæ in ambitu collocandos curavit, oriente vesaniæ strepitu fores irrumpere, ereptamq; manibus suis citharam capiti illidere jussos, ne ulterior ejus modulatio supervenientes quoque mente captos efficeret. Monuit quoque præstò esse qui furentium vesaniæ valenter occurrerent, nè lymphantes, dementiâ in rixam versâ, mutuis seipsos viribus interimerent. Obtemperatum consilio est. Igitur armis domo egestis, claustrorumq; custodia obseratis, fidibus operam dare exorsus, inusitatæ severitatis musam edidit. Cujus primâ specie præsentes veluti mœstitia ac stupore complevit. Qui postmodum ad petulantiorem mentis statum vegetioribus lyræ sonis adducti, jocabundis corporum motibus gestiendo, dolorem plausu permutare cœperunt. Postremò ad rabiem & temeritatem usque modis acrioribus incitati, captum amentiâ spiritum clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus, modorum varietas inflectebat. Igitur qui in atrio melodiæ expertes constiterant, Regem cum admissis dementire cognoscunt, irruptaq; æde furentem complexi, comprehensum continere nequibant: quippe nimio captu furoris instinctus, eorum se valide complexibus eruebat. Naturæ siquidem ejus vires etiam rabies cumulabat. Victo itaq; colluctantium robore procursum nactus, convulsus regiæ foribus, arreptoq; ense, quatuor militum continendi ejus gratia propius accedentium necem peregit. Ad ultimum pulvinarium mole, quæ undiq; à satellitibus congerebantur, obrutus, magno cum omnium periculo comprehenditur. Vbi verò mente constitit; læsæ primum militiæ justa persolvit. Vt autem acrioribus expiationis modis pœnitentiam ederet, redimendæ noxæ gratia, religiosæ peregrinationis propositum amplexatus est, Judęamq; divinę visitationis memoriâ venerabilem adire constituit. Cujus studij sanctitatem cum diu tacitus animo revolvisset, tandem ijs maximè, quos ob excellentem corporis habitum profectionis suæ consortes destinabat, insinuat. Quibus rem dolenter ferentibus, idipsum apud celeberrima patriæ concilia publicavit. Quod cum in Wibergica quoq; concione vulgasset, attonita multitudo, perindè ac patrem amissura foret, ingemuit,

ERICUS Ejitgod,

gemuit, abſentiam ejus pernicioſam patriæ futuram vociferans, inq; eo remorando tota plebs unius plorabundi amici vultum habuit. Ad ultimum lacrymis ſuffuſa ſupplicem ſe ejus genibus advolvit, magnopere deprecans, ne magis privati voti quàm publici commodi debitum intueretur, eumq; plus Deo ſyncera regni adminiſtratione, quàm exilio placiturum affirmans. Ille precibus concionis voti religionem oppoſuit, eiusq; titulo propoſiti pertinaciam tuebatur. Nec populo ad refellendam excuſationis rationem conſilij ſagacitas defuit. Redimendi namq; voti gratia tertiam ſe rei familiaris partem egentibus erogaturum promiſit. Sed ne ſic quidem tenaciſſimam ſanctitatis ejus perſeverantiam labefecit. Negabat enim Rex honeſtatem culpa redimi poſſe, ſeq; alieni æris interventu voto liberum fore, futurum aſſerens, ſi conditione uteretur, ut & ſe perjurij, & patriam paupertatis periculis implicaret. Malle vero proprio ſumptu profectionem inſtruere, quàm aliunde impenſarum neceſſaria mutuari, ne alieno gravamine ad peragendum devotionis propoſitum uteretur. Itaque ſeductos Majores de ſubſtituendo interim procuratore conſulere cœpit: non quia prudentiâ fallebatur, ſed ne præteritis aliorum conſiliis, ſuo indulſiſſe videretur, privatam ſententiam publicæ præferendo. Quo audito principes id ſe conſultoris optioni permittere reſponderunt, ne hac quidem in re de ejus induſtria dubitaturos, cujus ſummam in alijs ſolertiam didiciſſent. Tunc Rex Haraldum filium, quem præſtantior ætas honori tempeſtivum effecerat, Regis partibus perfunctoriè donat. Scialmoni vero Candido ſplendidiſſimæ atq; integerrimæ dignitatis viro, cui non ſolum totius Sialandiæ, ſed etiam Rugiæ vectigalis à ſe factæ procurationem detulerat, peragendæ circa Canutum educationis officium mandat. Ericum autem obſcuriore loco natum hebetiore quoq; cura complexus, minoris potentiæ tutoribus applicavit. Quibus diſpoſitis, ut granditatis ſuæ ſpeciem conſentaneo corporum habitu minueret, proceriſſimos quosq; peregrinationis participes legit; ſicq; alienæ ſtaturæ ſpectaculo, ſuæ miraculum temperavit, nè ſingularis ejus magnitudo viſentibus exteris ludibrio foret. Nec piger Botildæ ad conſectanda mariti ſtudia animus fuit. Quem quidem eodem voto, ſed dividuo toro ſecuta, profectionis meritum pudicitiâ cumulavit.

Sed neq; Ericus patriæ, quam deſeruit, curam abjecit. Ne enim Dani ſub externo Pontifice ſacrorum munera celebrarent, miſſis ad Curiam legatis, in ornamentum domeſticæ religionis maximi ſacerdotij inſigne expetendum curavit. Nec eum Romanæ promiſſionis fides fefellit. Profectus enim à curia Legatus, qui ſacri inſignis prærogativâ noſtræ gentis ſacerdotium adornaret, cum celeberrimis Danorum urbibus inſpectis cuncta curioſisſimè colluſtrando, non minorem perſonarum quàm civitatum reſpectum egiſſet, Lundiæ, ob egregios Aſceri mores, tùm quòd ad eam è finitimis regionibus terra mariq; tranſitus abundè pateat, hunc potiſsimùm honorem deferendum exiſtimavit. Nec ſolum eam Saxonica ditione eruit, ſed etiam Svetiæ Norvagiæq;, religionis titulo, magiſtram effecit. Nec parùm Dania Romanæ benignitati debet, quâ non ſolùm libertatis jus, ſed etiam exterarum rerum dominium aſſecuta eſt.

Intereà Ericus petitam navigio Ruſciam terreſtri permenſus itinere, magnâ Orientis parte tranſcurſâ, Byzantium veniebat. Quem Imperator nequaquam urbe excipere auſus, extra mœnia tendere juſſum, hoſpitalitatis officijs proſequebatur, ratus religionis ſimulatione dolum intendi. Siquidem famam ejus ac magnitudinem ſuſpicione inſecutus, impenſis eum quàm mœnibus fovere maluit. Ad hæc, Danos ſumma à ſe familiaritate cultos eadem ſuſpicionis occaſione notabat, perinde ac majorem patrij Regis quàm ſtipendiorum ſuorum reſpectum acturos. Inter cæteros enim, qui

Con-

ERICVS Shiegod.

Constantinopolitanæ urbis stipendia merentur, Danicæ vocis homines primum militiæ gradum obtinent, eorumq; custodiâ Rex salutem suam vallare consvevit. Nec Imperatoris Ericum opinatio fefellit. Verùm re dissimulariter habitâ, venerandorum sacrorum gratia civitatis introitum expetivit, præfatus maxime se eo loci celebrandæ religionis amore perductum. Imperator collaudato petentis studio, postero se die postulationi responsurum promittit. Interea qui ex Danis Græcorum militiam secuti fuerant, Imperatore adito, Regem suum consalutandi potestatem efflagitant, permissisq; segregatim egredi jussum, ne simul omnium animos una Regis hortatio caperet. Subornaverat enim Imperator utriusq; vocis peritos, per quos eorum Ericiq; colloquia disceret. Primum itaq; consalutato Rege considere jubentur. Tum ille fari exorsus, docet Danos Græcorum stipendia merentes jam dudum honoris arcem virtutibus in petrasse, indigenis exules imperitare, multoq; foris quàm domi feliciores existere. Ad hæc, Imperatorem eorum fidei capitis sui custodiam credere, eumq; prælationis usum non tam ex eorum meritis, quàm ex illorum, qui antè eos Græcorum militiam coluissent, virtute progenitum. Quapropter magnoperè eis curandum esse, nè plus temulentiæ quàm sobrietatis studijs indulgerent, susceptæ militiæ melius affuturi, si neq; se vino, neq; Regem sollicitudinibus onerassent. Fore autem si frugalitatis normam deseruissent, ut militiam segnes, jurgia alacres exequerentur. Monuit quoq; ne manuum cum hostibus conserturi, majorem vitæ quàm virtutis curam agerent, nevé mortem fugâ præcurrerent, aut salutem suam ignaviæ præsidio tuerentur, promittens se cum primum in patriam redisset, fidelem eorum operam beneficiis pensaturum. Quod si viriliter dimicantes spiritum in acie profudissent, propinquos eorum ac necessarios honore prosecuturum. His atq; consentaneis modis universos affatus, propensam Danorum fidem Græciæ conciliavit. Cujus rei Imperator per subornatos certior factus, falsò Græcis sapientiæ prærogativam ascribi inquit, quod ducis fidem notassent, cujus gentem toties alienam perfidiæ cognovissent. Siquidem probatissimo popularis constantiæ experimento regiæ fidei habitus æstimari poterat. Cumq; eum religioni potius quàm fraudi intentum aspiceret, urbe exornari jussa, ac plateis cultius stratis, dextera manu venerabiliter exceptum ad curiam & palatium usq; magno cum omnium tripudio, triumphantis more, perduxit, & cui suspicionem immerenti inflixerat, honorem, quo major ab homine præstari non poterat, erogavit. Quinetiam ei perinde atq; honoratissimo hospiti regiam cessit, eaq; nemo deinceps Imperatorum uti voluit, ne quis se maximo viro tecti communione æquasse videretur, hospitijq; reverentia perpetuum hospitis monumentum existeret. Quinetiam accersito, qui staturam ejus mensuræ parilitate comprehenderet, stantisq; & sedentis habitum quàm diligentissimè coloribus complecteretur, tantæ magnitudinis admirationem perenni spectaculo repræsentandam curavit. Et ne tantum hospitem indonatum dimitteret, complacita postulare præcepit. Quem cum facto opum contemptu sacros potissimum cineres exoptare cognosceret, honorandis ossium reliquiis donat. Ille religiosum munus cupidè amplexatus, idipsum Imperatoriâ bullâ assignatum Lundiam, Roskildiamq; deportandum curavit. Et ne ortus sui locum veneratione vacuum sineret, Slangathorpiam, cum Nicolai sacratissimis ossibus, divini patibuli particulam transtulit. Quippe & oppidi illius templum molitus, & eo loci, ubi nunc aram videmus, matre editus proditur. Præterea oblatum ab Imperatore magni ponderis aurum sprevit, ac repudiavit, ne postposito continentiæ studio, Græcas opes appetere videretur. Quem mox Imperator injuriæ reum agere cœpit, affirmans se, non donum, contemptu ab eo fuisse perfusum, abjectisq; precibus unico notæ irritamento

oblatis

ERICVS Ejegod.

oblatis verecundè eum uti coëgit. Et ne Rex accipientis potius, quàm erogantis partes agere videretur, humanitatis ejus officiis mutua liberalitate respondit. Sed donis ejus pretium novitas fecit, barbarumq; munus hoc Imperatori charius, quò Græciæ rarius fuit. Deinde piraticis ab ipso navigiis, commeatúque donatus, Cyprum contendit. Cujus insulæ natura adeò quondam tumulorum impatiens fuit, ut mandata sibi interdiu corpora, proximâ nocte rejiceret. Hic Rex febri implicatus cum vicinum sibi fatum adesse cognosceret, apud celeberrimam Cypri urbem corpus suum funerari petivit, præfatus tellurem aliorum cineres respuentem, suos quietiùs habituram. Igitur pro voto tumulum nactus, corporis sui beneficio vetustam humi indignationem repressit, eamq; humanis ante cadaveribus reluctantem, non solum suæ, sed etiam alienæ sepulturæ patientem effecit. Conjugem quoq; ejus idem peregrinationis labor finivit. Jamq; tota Regis Svenonis stirps ad tres tantum filios, Svenonem, Nicolaum, & Vbbonem redacta fuerat. Nam ut ex suprapositis liquet, Canutum, Benedictum, atq; Beronem ferrum abstulit, cæteros morbus absumpsit.

A discessu verò Erici biennium intercessit, antequàm Dania certum mortis ejus nuncium accepisset. Igitur Sveno natu major ab Erico secundus tantoperè regnum ætatis fiduciâ affectabat, ut nequaquam communem patriæ sententiam duceret exspectandam, vocatáq; Wibergum concione, publici delectus arbitrium unius provinciæ judicio præcurrere non extimesceret. Et fortassis morum suorum obscuritatem perspicaciori censuræ committere verebatur, ideoq; fastigium paucitatis consensu rapere, quàm fortunam suam incerto multitudinis decreto subjicere maluit, partiumq; suffragiis occupare, quod universorum erat sententia tribuendum. Sed dum citato equitatu cursum ad Wibergicæ concionis locum dirigit, corporis firmitate defectus, quò lenius commodiusq; ferretur, carpento se excipi jussit, affirmans hilariter obiturum, si saltem sub Regis titulo triduum exegisset. Neque enim nervorum hebetudo, aut membrorum tarditas festinabundæ mentis cursum reflectere potuit. Sed ob morbi magnitudinem hujus quoq; usum perosus, ministris properare jussis, lecticam poposcit, præfatus nil se curaturum, si Rex à populo salutatus, spiritum in concione deponeret. Enimvero insopibilis ambitionis calor imbecillitate superari non potuit. Sed dum adversæ valetudinis immemor supra vires concionem appetit, non regno fatum, sed fato regni titulum præcucurrit. Restabat igitur ut circa Nicolaum Vbbonémque delectus perageretur. Nam Haraldus summa sibi popularium odia iniquissimâ regni administratione pepererat. Quippe procuratione in calumniam versâ, tam fœdè se, tamq; deformiter gesserat, ut abjecto justitiæ cultu rapinis ac latrociniis teterrimam in subjectos potentiam exerceret, plebémque omni injuriæ genere fatigaret. Quo evenit, ut cuncti sordidissimam ejus dominationem perosi, nequaquam regnum oppressori deferendum putarent, indignum rati injurias suas obsequiis, angustias honore rependi. Cunctis ergò Isoram coëuntibus, cum ob ætatem Vbboni summa decerneretur, Nicolaus solus, qui id ægrè laturus putabatur, maximo favore concionis suffragia comprobabat, quòd Svenonis filii pro ætatis habitu regni inter se successionem versare consveverint, semperque minorem major honoris hujus hæredem habuerit. Vbbo verò parum solertiæ fisus, veluti secordiæ conscientiâ tanto oneri humeros suos subjicere recusavit, vegetioris ingenii fratrem eo munere dignissimum asseverans. Enimverò animi sui imbecillitatem proprio quàm alieno judicio metiri prudentius duxit. Sed mihi quidem vitandæ præsumptionis gratia, humilius quàm verius de virtute sua sensisse videtur, cui melius respuendo regnum, quàm amplectendo consuluit. Eo quidem honore dignior, quòd oblatum sibi fraternæ prudentiæ cedere non erubuit. Et quidem Dani parum justâ æstimatione tàm modestam ejus verecundiam prosecuti, ignariq; prudentem virum fugiendi oneris rationem inertiæ simu-

ſimulatione quæſiſſe, quem perſeverantiâ ſuperare debuerant, negligentiâ præterire ſuſtinuerunt. Quis enim mentis compos hujus refertum induſtriâ pectus ignoret, qui ſe intra privatum fortunæ habitum continere, quàm dignitatis incrementa curâ ac ſolicitudine quærere præoptavit?

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DUODECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER DECIMUS TERTIUS.

LXIX. NICOLAUS.



GITUR Nicolaus, ſuſcepto regno, adeò animum ab omni faſtu averſum habuit, ut nihil ex priſtina manſvetudine ſuâ decerperet, totàmque præteritæ vitæ conſvetudinem retinens, cum fortuna animum mutari paſſus non eſt, nè potius fortunæ mores, quàm moribus fortunam ſubjicere videretur. Præterea ne patriam ſumptuoſâ clientelâ, ac voracibus oneraret impenſis, quotidianam militiam ſuam ſex tantum aut ſeptem clypeis, ob exturbanda latrocinia, contentam habuit: nec petulantiorem Regem, quàm militem egit. Duxit autem Margaretam patre Ingone Sveonum Rege, matre vero Helena natam: cujus caſtitatem Rex Norvagienſium Magnus conjugio delibaverat. Qui cum ſedulò Sveones adortus, in Hallandenſes etiam arma proferret, inopinatâ eorum irruptione perculſus, ut erat calceamentis vacuus, probroſum ad naves recurſum habuit, ejusque fugæ deformitatem etiam cognomine uſurpavit. Cujus manum Ingo ſaluti ſuæ perniciter imminentem ferre nequiens, merendæ pacis gratiâ, filiâ ei in matrimonium traditâ, periculum beneficio repulit. Ex hac itaque Margareta Magnus prolem non ſuſtulit. Nicolaus infelicibus ſobolem auſpiciis propagavit. Cujus filius Ingo, initio adoleſcentiæ, effrenis equi laſciviâ excuſſus, ejusdemque ungulis artuatim obtritus, ſplendidiſſimum ſangvinem luteis viarum ſordibus erogavit, triſtiſsimoque fati genere conſumptus, ſparſis viatim membris, lacerum humi cadaver iacuit. Pædagogus quippè eum equo aſſvefacere cupiens, habenas manu continere permiſit, quarum regimini intempeſtivus adoleſcens, pede ſubſeliis inhærente, contiguum ſolo corpus habuit. Magnus verò felicioribus naturæ quàm fortunæ incrementis evectus, teterrimum conſangvineæ cædis piaculum edidit, at ad notiſsimum perfidiæ exemplum evaſit. Cui mater ampliorem propinquorum favorem affinitatum beneficio create cupiens, Henrico Regnaldi fratris filiam Ingertam, Canuto Ingiburgam ſororis filiam conjugio copulavit. Paterna verò bona in æquales admodum portiones partitione redegit, unam ſibi, cæteras nuptis (quas præfatus ſum) diviſionis parilitate contribuens. Hinc Danorum Sveonumque diſſenſio orta, ac deinde compluribus inimicitiarum incrementis coälita, ad hoc usque tempus veteris odii tenaciſſima perſeverat. Præter hæc Ingritha Vbboni cuidam poſtmodum denupta, Nicolao ex pellice nata proditur. At Margareta non ſolùm divinarum ædium opes latifundiis auxit, ſed & totis viribus ad augendum eorum ſplendorem incubuit; ſacerdotaliſque cultus inopiam exquiſito ornamentorum genere permutavit. Enimvero quò rem divinam ornatiorem efficeret, pallas, laticlavias, cæteráque ſacerdotii inſignia condere, atque ſacrorum uſibus erogare curæ habuit.

Henricus verò Guthskalci ex Siritha filius maternis à Nicolao bonis indignè ſpoliatus, tàm acrem eorum repetitorem agere cœpit, ut Danis infatigabiliter imminens, ipſum intra Sleſvici fines ad tuendam ſalutem ſuam

ſtatione

NICOLAUS.

ftatione & excubiis uti cogeret. Interjectam Albiæ Slefvicoque provinciam cultore vacuefecit. Cujus rei ulcifcendæ gratia Nicolaus excita claffe, Liutcham appellit; Elivo Slefvicenfis præfecturæ viro equeftres obviam fibi copias ductare juffo. Nec dum enim Dani externas obequitando pugnas conficere noverant. Verùm præfecti levitas pecuniæ ab Henrico pactione corrupta, cupidiùs quæftum, quàm imperium intuebatur. Itaq; Nicolaus Sclavicis in campis vacuā equis phalangem explicat. Tunc Sclavi pedites obequitando laffare, quàm cum tota acie manum conferere tutius rati, nunc alas, nunc cornua circumvolando, eademque variè jaculis inceffendo, obliquis hoftem infultibus lacerabant. Procurfu namque in eum directo citâ fugâ referebantur, nec recurfum fegnius quàm impetum edebant; noftrorumque majore mole, quàm pernicitate fibi imminentium ex adverfo congreffum vitantes, rejectis habenis, adverfos premebant, terribilem bello virtutem furtim & quafi infidiarum latrociniis attentantes. Ita laxata debilitataq; Danorum acies, quia rem in plano parum feliciter gefferat, vicini montis editum occupavit, falutem fuam quam armis tueri nequibat, loci præfidio munire cupiens: eoq; potita, verticis beneficio fubjectum hoftem fecura confpexit. Die poftera, ne loci, quàm fuis viribus munitior videretur, ancipitem campi fortunam repetere, quàm certo montium tutamento gaudere maluit. Sed equeftris militiæ fpiritum pedeftris ferre non potuit. Quo evenit, ut amiffum pugnæ decus recuperare nitentes, priftinæ cladis ignominiam pofterâ cumularent. Crediderim hanc pugnæ fortunam ab inftrumentorum magis, quàm animorum inopia profectam, quia dum fortitudinis fpiritus parùm curiofè prima militiæ commoda circumfpexit, non metus fed inertiæ pœnas pependit, fuâq; potius negligentiâ quàm alienis viribus proculcatus occubuit. Haraldus re fortiter gefta adeò graviter affectus proditur, ut gradiendi inops, clypeoq; à fuis exceptus, alienis manibus caftra fequeretur. Canutus quoq; per fummam vulnerum acerbitatem pedum firmitate defectus, promptiffimam militis fidem expertus eft. Qui ne dominus ab hofte interciperetur, periculum ejus fuo difcutere non dubitavit. Sociis namq; de induftria fugere juffis, ipfe corporis fimulatione curfum lentius agens, imminenti fibi Sclavo manus obtulit vinciendas, ejusdemq; propius obequitantis habenas corripiens, lata à fociis ope, equo barbarum fpoliavit. Quo potitus, protinus eo fummam Canuti imbecillitatem adjuvit. Igitur ut callidæ, ita periculofæ fortitudinis felix exitus fuit. Subeunte crepufculo noftri infelicem pugnæ eventum fortiti, reliquias fuas unico repetiti verticis præfidio tuebantur. Cibo quoque & potione defectos præter vulnera ac laffitudinem etiam alimentorum inopia lacerabat. Igitur ad ultimam penè tabem redacti, qvum & pericula undique, & nusquam auxilia circumfpicerent, quippe & Scanienfium tempeftate detinebatur adventus, & Elivus pecunia ab Henrico corruptus, reddita tarditatis ratione, copias ducere fuperfedebat: humanæ opis defperatione ad cœlefte præfidium confugerunt, abfumptæq; fpei fuæ reliquias in Dei, quàm hominum fortitudine reponere maluerunt. Pofterâ verò die, quâ Laurentianæ vigiliæ facra recolebantur, divinam potentiam nullo meliùs, quàm frugalitatis voto propitiandam rati, concione lugubriter habitâ, lucem, quâ vel privatum Laurentii, vel publicum Sanctorum folenne præcurrimus, five quam divinæ paffionis memoriæ dedicare confvevimus, annuo temporum volumine repetitam, ab omni Danica ætate continentiffima jejunii religione excolendam promittunt. Quod votum publicæ neceffitatis exigentiâ nuncupatum, exactiffima pofteritatis cura firmavit, indignum rata ftatam à majoribus continentiam ftomachi impatientiâ atque efcarum aviditate convellere. Diluculo verò noftrorum acies centuriatis globis naves repetere adorfa, Scanienfes nuper claffe advectos obvios habuit. Quorum adventus beneficio recreata, ipfos perinde

ac corpore & viribus integros, ne terga ab equitatu incesserentur, curare jubet. Deinde composito gradum agmine promovens, cum forte limosam objecti lacunaris voraginem trajicere debuisset, neque eam ullo compendii deflexu vitare quivisset, peragrare adorsa, sed mox palustri cœno tenacius implicata, ac desidentis luti illuvie præpedita, confuso transitionis impetu similem fugæ tumultum edebat. Major pars labili paludis mole pessundata, pecorum more ab hostibus trucidabatur. Ita transmeandi avidis improvidâq; & cæcâ festinatione ruentibus impedimentum periculo fuit. Tandem ægrè in littus reditum, discessumq; est. Cumq; Sclavi perinde ac victoriâ freti verbis virium suarum laudem præ se ferentibus, Danicas vituperio insequerentur, & quasi illarum imbecillitati fortitudinis suæ jactantia procacius insultarent, Henricus qui probè nostrorum animos noverat; diversâ se, inquit, hostium robur æstimatione complecti: quippe Regis eorum in equo prævalido exemplum liquêre. Qui si vires suas scisset, omne equitis imperium sperneret. Quas quoniam ignorat, facile insidentis arbitrium patitur. Ita Nicolaum si viribus suis fidem haberet, cuncta prosperè, diffidentem verò nihil feliciter executurum. Post hæc Elivus, quòd patriæ fortunam venditaverit, à Rege perfidiæ damnatus, non solùm præfecturæ beneficio, sed etiam patrimonii rebus ignominiosè exutus, ultimâ inopiâ sordidissimi lucri pœnas persolvit. At Henricus ob superioris pugnæ successum audaciæ incrementis evectus, littorales Danos piraticâ lacessendo, non solum Eidoræ finitima, sed etiam cuncta Slesvico, Valloque, quod Danorum opus vocamus, interjecta vastabat. Ipsam interdum urbem illatis clàm per navigia copiis improvidam aggrediebatur. Itaque post exactum Elivum adhuc finibus illis provisore vacuis, creberrimæ exterorum violentiæ etiam domestica furta accessêre, tantoq; civitas intus quàm foris acerbius urgebatur, quantò ad nocendum occulta manifestis proniora noscuntur. Æque civis ut hostis formidabatur. Quippe Fresonesi cum Holsatijs ac Dytmerschis, impunitatis spe ob præfecturæ vacationem conceptâ, dies latrociniis, noctes furtis emetiebantur, & ubi fastigia nequibant, imas ædium partes ligonibus adorti, cuniculis custodem fallebant. Nec minor æadituorum in asservandis rebus cura flagravit. qEui intra repagulum, ne furtim abstrahi quirent, ferro compediebantur. Ædium excubitores uberioris cautelæ gratia, valvis affixi jacebant. Nec ferarum claustris contenti, etiam fossâ aditus obfirmabant. Itâ grassante latrocinio, quidam ingenuæ stirpis plurimorum paupertatem partarum nequiter opum incrementis abolitam cernens, absque respectu verecundiæ eadem amplecti animum induxit, clarissimamq indolem suam spe lucri incitatam, ex summo nobilitatis fastigio in obscœnissimam atque profundissimam turpitudinis sentinam abjicere non erubuit. Ita sangvinis decore indecenter usus, vires generis ad scelerum licentiam transtulit, & quòd virtutibus nutrimentum esse debuerat, vitiis obtentui fecit. Siquidem nulli facta ejus aperta criminatione insequendi audacia fuit, tantoq; propensior delictis impunitas habebatur, quanto conspectior delinquentis noscebatur autoritas.

Ea tempestate missi à Canuto, qui pecuniam, quam educator ejus depositi nomine conservaverat, in Fioniam è Sialandia transferrent, cum al[illegible]oq; littore æquè distante navigio procul piratas imminere conspicerent, expensam fune crumenam undis occultavêre. Postremò cum se parum potentes remigii animadverterent, fugæ diffidentiâ implicati, rescisso tenaculo, vetustas Regum opes harenis, quàm hostibus relinquere maluerunt. Quam rem Nicolaus in Sialandiam ex Fionia trajiciens tametsi eminus specularetur, periclitantibus præsidio fore nequivit, quòd exiguis & inhabilibus ad remigium navigiis uteretur. Postea cum Canutum jucundum præ se vultum ferentem conspiceret, oris hilaritatem increpans, ob recentem aviti paterniq; æris jacturam, dolere ei admodum expedire dicebat. Ille nihil hac se moveri fortunâ dicebat,

bat, sed ejus beneficio summam liberalitatis occasionem accepisse respondit. Vt enim ante nihil ex paternarum opum cumulo decerpere ausum, ita deinceps accessuras abundè erogaturum. Maximum quippe avaritiæ nutrimentum divitias esse, quas quisquis asservare intenderit, humanitati vacare non possit. Qua voce se pecuniæ, sed eam Regi imperare monstrabat. Cujus rei præcipuum extitit documentum, quod sequitur. Cum ob creberrimas acerrimasq; finitimorum excursationes nemine Slesvicensis præfecturæ beneficium etiàm oblatum recipere audente, Canutus tam periculosum à patruo honorem non opum cupiditate, sed fiducia virtutis expeteret, neque gratis eum impetrare quivisset; venditâ patrimonii parte, formidolosum aliis munus pretio assecutus est; eam demum quæstuosam esse militiam ratus, qua gloriæ & claritatis stipendium potuisset acquiri. Ita Rex extimescendum ignaviæ decus virtuti venale fecit, emptor verò plus lucri in militiæ, quàm opum agitatione reposuit. Principiò siquidem perceptæ potestatis, Henrico per legatos mandat, libenter se cum eo de pace acturum, si primùm & damna Jutiæ emendatione pensata, & spolia ab ipso restituta fuissent. Quibus profectis ipse interim perinde ac responsi præscius, non solùm suorum, sed etiam eorum, quos ex finitimis amicos habebat, manu contractâ, legatorum reditum armis subsequi statuit. Henricus se neq; cùm Danis amicitias gesturum, neq; à maternæ hæreditatis petitione cessaturum respondit. Quo accepto Canutus rursum ad eum legatos mittit, omnem sequestræ pacis communionem publicè rescissuros. Quorum Henricus irrisa legatione, Canutum impatienti sessoris equo persimilem ait; se verò petulantiæ ejus frenos injicere curaturum. His auditis Canutus, ut magno impetu, ita minimo tumultu, noctu iter ingressus, ferriq; & prædæ abstinens, quò minùs adventus ejus provideretur, diluculo ad Henrici munitionem pervenit. Ille tam subitæ irruptionis incautus, nec arma capere, nec se præsidio tueri parat, sed protinus vicinum mœnibus flumen equo attentans, unico aquæ interstitio hostem fefellit, lætatusq; est, quòd salutem suam amni quàm oppido credere maluisset. Quem cum Canutus ulteriore jam ripa potitum aspiceret, an maderet, per ludibrium percontatus est. A quo è contrario, quid ita incederet, interrogatus; venisse se inquit, ut promissa ab eo lora recipiat. Ille minas sibi, quas nuper intenderat, responsi urbanitate exprobratas intelligens, ignominiam joco prosequutus adeo mihi, inquit, calcium viribus obniti videris, ut ne tangi quidem continerive queas. Tunc Canutus priùs castrum, deinde cæteræ regionis culta vastavit. Secundò quoq; novatis copiis omnem Sclaviam strage atq; incendio implicavit: nec solùm patriam hoste, sed etiam hostem robore vacuefecit, adeò ut priùs provocare solitum, ne propriæ quidẽ tutelæ sufficientem relinqueret. Postremò cum totas Henrici vires prudentiâ suâ ac fortitudine debilitasset, sangvinis, quo illũ proximè contingebat, naturâ actus, ut publicè hostem ita privatim amicum egit. Semel namq; dimisso exercitu viginti duntaxat equitibus comitatus, ad locum in quo Henricum diversari didicerat, cursum direxit, præmissis, qui suæ ei salutationis mandata perferrent. Henricus falsò hostẽ sibi blandiri inquiens, protinus, ubinam esset, perquirere instititit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse nuncio attonitus, mensam ad quam fortè prandendi gratia discumbebat, vi manus discutere parat. Tunc legati præsentiam ducis à pace profectam jurantes, conceptum falsò metum affirmationum suarum perseverantia discusserunt. Quibus ut Henricus fidem habuit, fugæ meditationem amoris indicio castigavit. Enimverò tabulæ innixus, suffuso lacrymis ore, infelicem Daniam futuram, dum tali viro caruerit, ajebat; se vero amicitiam ejus syncerâ amodò fide culturum. Hunc nimirum consangvineus amor & suæ infelicitatis oblivisci, & hostis virtutem fateri coëgit, utq; propriæ fortunæ immemorem, ita alienæ laudatorem effecit. Deinde præsentem amplexatus, haud parciùs lacrymas quàm epulum præbuit. Quippe præsentem ejus mansvetudinem quàm præteritas noxas attentius intuens, frequentiæ damnorum unius bene-

beneficii indulgentiam antepofuit. Sed neq; Canutus profectum à pietate mœrorem ingratus excepit. Quinetiam plùs in creanda pace quam fruenda dape voluptatis reponens, & quasi mediatoris partes agere exorsus, Henricum avunculi gratiam expetere jussit, ac demum consensum ejus perseverantiâ admonitionis obtinuit. Siquidem Henricus rem maternam, cujus repetendæ causa adversa Danis arma tulerat, precii pactione interposita, Canuto in possessionem ascripsit, eandemq; Canutus ad Regem conditione quâ acceperat, transtulit, ac deinde receptam ab eo pecuniam Henrico numeravit. A quo etiam postmodum ad convivandum accersitus excipitur, affirmante priori ejus adventui minus quàm decuit impensè servitum. A quo etiam Henricus nuper se vitâ atq; incolumitate donatum judicans, Sclaviam ei jurisjurandi firmitate legavit. Huic accessit, quòd ad gerenda cum Theutonicis bella, quibus præcipuè Sclavia vexabatur, filiorum virtutibus diffidebat, maluitq; maturum fortitudine hæredem circumspecta arbitrii sui libertate consciscere, quàm sub naturali, sed invalido, patrimonium exteris pervadendum relinquere. Hæc offerentem Canutus impietatis sibi notam immerentium liberorum contemptu pariturum affirmat, seq; tam injustis ejus promissis usurum negat. Postremò perseverantissimis Henrici precibus superatur, propositi rationem à natorum socordia mutuantis. A quo etiam Imperatoris gratiâ, quòd Sclavia in ejus beneficio reponi videretur, admodum egêre permonitus, eqvum ei calces auro confixum muneris loco transmisit, donumq; per se habile inusitatis ungularum ornamenti accipienti venerabilius reddidit. Crediderim tunc Imperatorem plus laudis in dantis industria, quàm dono reposuisse, cum primi pretii metallum quò contemptibilius habitum, hoc gloriosius videret oblatum. Absumpto Henrico legatam sibi provinciam nullo refragante possedit.

Interea Haraldus cùm nec domi clarus, nec foris celeber haberetur, virtutis inopiam quæstuum copia levare cupiens, refertum nequitia animum in imam turpitudinis voraginem egit. Ad rapinas & furta mancipiis utebatur. Servorum labores latrociniis applicabat. Satellitum cultui, viciniæ spolia, sumptui, impendebantur armenta. Æstatem piraticâ pariter civibus atque exteris insidiosus exegit. Cæterum quò Roskildiæ damnosiùs immineret, adversam ei munitionem erexit, quam & sordidissimæ clientelæ frequentia complevit. Itaque ruris opima populatus, pari vernarum maleficio civilia lacerabat. Qui clam noctu meritoriis sese tabernis subjicientes, complacitas animo merces impune tollebant: aliis interim districtos hospitum jugulis gladios applicantibus, interitumq; minantibus, nî injuriæ patientiam præbeant. Ea furti violentia summam civitatis opulentiam ad ultimas rei familiaris angustias redegit. Talibus calumniæ stimulis lacessita provincia, accensis indignatione animis, ultrices damnorũ manus Haraldi bonis injicere aggressa, spolia spoliis, rapta raptis ulciscitur. Neque enim sibi aliena corripere, sed propria resumere videbatur. Ipse tutò terras tenere nequiens, consternatæ multitudinis impetum navigio vitavit. Quem Canutus alieni rapacissimum, ac vitiosissimis ubique lucris incumbentem aspiciens, avi persimilem ajebat omnigenis alitum pennis nidum compaginanti, subitò ventorum turbine disiiciendum. Ita Haraldum prædonem omnium effectum omnibus prædam ex se daturum aliorumq; spolia suorum indubitanter periculo luiturum.

At Erico modestum erga populares ingenium erat. Qui cum debitam sibi paternæ rei portionem expeteret, ab Haraldo fratre repellitur, negante adulterio ortum ad hæreditatis communionem pertingere. Ea re, ut par erat, motus, acerrimum bonorum ejus pervasorem agere cœpit, fraternisq; spoliis injurias suas ulcisci probitatis loco duxit. Cæterùm Arnachum rapta congessit, sordido neglectoq; loco splendidas opes complexus. Quem Haraldus noctu ibidem inopinatum adortus, postquam fuga delapsum cognovit, moræ copiâ non suppetente, circa prædam hærere metuens, tecto faces subjecit,

NICOLAVS.

Jecit, refertamq; ſuis opibus ædem flammis abſumere, quàm raptori intactam dimittere maluit. Quo comperto Canutus profectas à contemptu lites compeſcere cupiens, metuensq; ne degenerati patris fulgor in filiis exoleſceret, utriq; Sleſvicum venire diſtrictiùs mandat; ſi ſuperſedeant, parte corporum ſpoliandos minatur. Præſentes deinde fraternè coarguens, curioſâ animi inſpectione æquiſſimam inter eos patrimonii participationem peregit, Ericoq; ac Haraldo in paterna bona eundum judicavit.

Eodem tempore Henrici, Svenonis filii conjunx, mariti convictum ingenti peroſa faſtidio, alienâ veſte ſumptâ, ſuis ſe penatibus intempeſtâ nocte ſubduxit. Apud quam juvenum quidam (ut fama eſt) plurimam obſequio familiaritatem adeptus, callidè effecit, ut ad ſuum eam amorem perduceret. Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam, viriliter cultam, furtivè devexit. Quam vir ejus fortuitis ſubſecutus indiciis, apud Alaburgiam in cultu familiari deprehenſam, amatore delapſo, domum reduxit. Verùm hanc ignominiam à clandeſtino Canuti conſilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis ſuſpicionis motibus inſecutus, inſontem notabat.

Interea Sveticarum partium Rege abſumpto, Gothi ſummam, cujus omne penes Sveones arbitrium erat, Magno deferre auſi, alieni privilegii detrimento, dignitatis ſibi incrementa quærebant. Quorum Sveones autoritate contempta, veterem gentis ſuæ prærogativam in aliquanto obſcurioris populi invidia deponere paſſi non ſunt. Igitur antiquæ dignitatis ſpeciem intuentes, titulum injuſta collatione præreptum, novi Regis electu caſſàrunt. Qui mox à Gothis trucidatus, morte Magno imperium ceſſit. At Magnus incidentem ſibi nuptiarum cupidinem, Polonorum præſidis Bogislavi filiam poſtulando complevit. Quâ ſibi per internuncios deſponſà, mox Sclaviæ excitam paterno imperio claſſem admovit. Rex ejus Vartislavus diutinas cum Danis, Poloniſq; inimicitias geſſerat. Hic Nicolaus urbem Ornam oppugnare adorſus, obſidionem pactione redimere coegit. Inde Julinum navigans, Bogislavum magna manu inſtructum obvium habuit. Cujus copiis auctus, celerem oppidi expugnationem peregit. Deinde relicto victoriæ ſocio allatam filio ſponſam abducit. Vartislavus rem Sclavicam intolerabili vaſtationis onere feſſam conſpiciens, pacem colloquio petit. Quo parùm proſperè habito, pari ſupplicatione apud Strelam diſcedentes aggreditur. Vbi cùm pacis pignoribus fretus, navigium Regis ab ipſo invitatus intrâſſet, maligno ſatellitum inſtinctu, captivi more habitus regredi prohibitus eſt. Quam rem Canutus in concione querelâ proſecutus, magnopere Regem monere cœpit, ne plus alienæ perfidiæ viribus, quàm propriæ indulgeret temperantiæ, nevè hoſtem fidem ſuam ſecutum captione implicans, ut eum libertate, ita ſeipſum perpetuo famæ ſplendore privaret. Fore enim, nî captivum omitteret, ut privatum crimen publicus patriæ rubor exiſteret. Itaq; efficaci perſvaſione uſus, & amicum oppreſſione & dominum infamia liberavit. Quæ tam juſta Canuti ſententia totius concionis ſuffragiis comprobata, magnum alienæ invidiæ irritamentum præbebat. Dimiſſà claſſe nuptialia ſacra apud urbem Ripam agi placuit. Illuc ſiquidem frequens navigijs portus oppidò ſplendidam mercium varietatem importat. Vbi cùm Canutus in veſte Saxonica cæteris cultior progrederetur, Henricus obfuſis invidia oculis alieni cultus ſplendorem ferre nequiens, orta inter ipſos altercatione, latus ejus adverſum gladios oſtro tutum fore negavit. Quem Canutus nihilo magis ovillis ſecurum tergoribus reſpondit: laceſſitum veſtis ſuæ fulgorem urbano ruſticitatis opprobrio ſpecioſius quàm minis aut conviciis ultus. Itaq; exprobratam ſibi externi cultus æmulationem, domeſtici cavillatione proſequi contentus extitit.

NICOLAUS.

Idem poſtmodum Orientis partes piraticâ pervagatus, cùm ſpecioſa domum ſpolia retuliſſet, ideoq; ſe dignitatis incrementa accepturum ſperaret, pro gratia accuſationem expertus eſt, culpatus à Rege, quod in re Svetica prædam egiſſet. Cujus operam valenter editam conſimili probitatis genere æmulatus Magnus, inter cætera trophæorum ſuorum inſignia inuſitati ponderis malleos, quos Ioviales vocabant, apud inſularum quandam priſca virorum religione cultos in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum cauſas uſitatâ rerum ſimilitudine comprehendere, malleos, quibus cœli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat: aptiſſimè tantæ ſonoritatis vim machinarum fabrilium ſpecie imitandam exiſtimans. Magnus vero Chriſtianæ diſciplinæ ſtudio paganam peroſus, & fanum cultu, & Jovem inſignibus ſpoliare ſanctitatis loco habuit. Et adhuc quidem eum Sveones perinde ac cœleſtium ſpoliorum raptorem ſacrilegum autumant. Sed utinam initiis ejus exitus reſpondiſſet.

Verùm pleriſque Magnum ſangvine vel neceſſitudine contingentibus Canuti inviſa felicitas erat. Nihil enim adeò invidiæ faces, quàm parium impar virtus excitat. Sed præcipue æmulum ei Henricum genialis tori contumelia faciebat. Margareta autem benigniſſima conſangvineæ charitatis alitrix, conſilii ſui tranquillitatem concitatis juvenum ingeniis opponebat, ſaluberrimáque diſciplinæ moderatione inſidioſam petulantium rabiem temperabat. Quæ cùm intercutis humoris vitio immodico tibiarum turgore premeretur, neque letiferam morbi rabiem medicamentis levare quiviſſet, ad ultimam penè tabem redacta, Canutum egregiæ indolis fiducia advocat, impenſeque hortatur, patriæ pacem, propinquorumq; concordiam fidei ſuæ beneficio foveat, tutamento ſtabiliat, tantumque ſe in rebus domeſticis gerat, quantum egerat in externis. Adjecit quoque exiſtere, qui regiæ familiæ caritatem odio disjicere niterentur, ſe verò plenis ſalubritatis monitis peſtiferos talium inſtinctus preſſiſſe. Ille Deum ſimplicitatis ſuæ teſtem affirmat ſeq; omne vitæ tempus innocentia ac fide exacturum, periculorũ procellas excipere à quàm infligere malle promittit, odiàque beneficiis repenſurum teſtatur. Illa promiſsionis beneficio delectata, tantæ fidei ſecuram æquo ſe animo obituram aſſeruit. Quæ ut juvenilis invidiæ fluctus viva cohibuit, ita conſumpta laxavit. Nam ab ejus fato juventutis impatientia primam propoſiti ſceleris licentiam mutuata eſt. Sed & Henricus præter communem ſimultatem etiam privata Canutum indignatione peroſus, injectos malignitati ſuæ frenos audaci impietate diſcuſſit. Vbbonem quoq; præfectum & Haquinum filium, quò firmiùs dolum ſtrueret, promptioremque ſceleri aditum conciliaret, inſidiarum participes facit. Hi tres eximium Canuti fulgorem virtutis æmulatione pertæſi, grave mendacii incitamentum adverſum excellentem ejus claritudinem diſtrinxerunt. Itaque ſplendidiſsimum patriæ lumen denſiſsimis tenebris involvere cupientes, nihil eum Regis vitæ temporibúsque deferre, ſed ipſius exitum præpropera ambitione præcurrere, jamque regiam ſibi potentiam arrogare dicebant.

Movit Regem tanti contemptus opinio, denunciataq; concione, Canutum jubet accerſi. Qui cum prior præſtitutum frequentiæ locum adiſſet, ſupervenienti patruo Theutonicæ comitatis more, pallio vacuus obviàm accurrit, equoq; deſcendentem continendæ ſellæ miniſterio veneratus eſt. Tunc Nicolaus fari in concione exorſus, docet Svenonis filios in regni geſtione ætatis præcipue reſpectum egiſſe, ſucceſsionis habitum ætatis ordine diſpenſaſſe, dominandi jus in annorum prærogativa conſtituiſſe, neque minori majorem honore præcurrere licuiſſe. Quamobrem ſeſe ut natu minimum, ita etiam regno poſtremum fraternæ moderationis exemplo nullam fortunæ violentiam intuliſſe, exſpectatorem beneficii ejus non ra-

ptorem

NICOLAVS.

ptorem fuisse, neque ad intempestivum ætati culmen manus præpropera porrexisse cupidine. Canutum verò parum priorum exempla secutum, violato speciosissimæ consvetudinis habitu, regni jus, cum re necdum queat, appellatione præcerpere, singulare nominis insigne scelerius quàm justius occupare, jámque à suis falso Regis titulo censeri non erubescere; consultius acturum si regnandi fortunam non in suorum adulatione, sed in extantis adhuc Regis occasu reponere, maturumq; præstolari decus, quàm intempestivum præripere mallet. His atque consentaneis modis regiæ sibi nuncupationis insigne eripi querebatur.

Tunc exurgens Canutus diu vultum humi intentum habuit, dicendiq; exordium aliquantisper sudore & suspiriis præcucurrit. Tandem & oculos & animum levans, gladiiq; ut mos est, capulo innixus; peccant, inquit, pater, qui moderationem tuam, suprà quod aut majestati, aut ætati debes, exasperant, quiq; pacatissimæ mentis tuæ serenum, mendaciorum procellis incitant, obtrectationum sibilis vexant. Sed onustum mihi valde est, quod integerrimam animi tui temperantiam aliquid ab alienissima tibi iracundia mutuatam, & quasi sinistro rationis ductu trasversam ferri conspicio. Rejice quæso nugarum auctores mendaciter obstrepentes, falsæq; hujus criminationis figmentum respue. Neq; enim injurioso tibi nomine censeri sustineo. Herum me mei, non Regem appellant. Itaque cum à Sclavis dominus salutari consveverim, sinistri tantæ comitatis interpretes alienæ urbanitatis occasione insimulationis materiam aucupantur, ipsiq; venerationis officia negligentes, etiam aliorum justa criminantur obsequia. Ego verò non regnum (ut ajsti) vocabulo usurpo, sed temperata nominis dignitate fastuosum salutationis decus fugio, invidendum honoris fastigium sperno. Ita absque omni majestatis tuæ præjudicio barbara circa me resultat humanitas. Meam verò inter alienos venerationem indignè ferunt, qui & mihi lucem, & fidum lateri tuo militem eripere gestiunt. Hos æque tui usus ac mei capitis hostes judico. Esto vocari me Regem: en filium tuum Magnum nuper apud Gothiam Regii cultus & nominis insignibus potitum comperimus. Mihi quoq; si par apud Sclaviam fortuna favisset, certe binis Regum obsequiis uti jucundum ducere debueras, idemq; tuæ quod meæ fortunæ incrementum existimare. Proprio namque parta negotio, tuo quam alacerrimè subjectarem fastigio, foretq; ut inde servitiorum fructum decerperes, unde alioqui damnorum adversa perferres. Itaq; plus amoris quàm odii in mea fueras felicitate repositurus. Adde quod pro tua ac patriæ incolumitate excubare omni sorte lætius, omni studio speciosius duxi. Ipse an efficaciter militaverim, nosti. Littora, Dani, si placet excolite, æquoribus ædes quantalibet propinquitate jungantur. Ipsi undas cavete à maritimis, ego vos à prædonibus præstabo securos. Et si veri confessorem agere non erubescis, ipse jamptidem Slesvici consistens, salutem tuam adversum Saxonum excursationes jugibus excubiis vallare necesse habuisti. Eò si nunc divertere libitum est, liberas metu noctes exigere poteris. Præterea angustias regni tui sola Daniæ possessione contentas, inusitatis terminorum augmentis explicui. Quos prius infensos habueras, nunc in tributum acti, tuo per me famulantur imperio. Itaque quarum ego rerum sementem jeci, tu fructum absque negoti messuisti. Et quidem impensam ad militem, emolumentum ad Regem redundare par est. Et ne ulterius privatæ militiæ facta prosequar, etiam in publicâ adverso pro te vulnera corpore excepi. Et tamen sic de te meritum, suspicione & querimoniâ causabundus aggrederis, veterisq; militis tui promptissimam fidem & certissimam innocentiam notare deforme non ducis. Hisne ergo operibus merui, ut adversum me æmulationem tuam in concione distringeres? Hæc ne ex labore præmia, ex militia stipendia decerpam, ut cujus beneficentiam sperabam, indignationem experiar? Aliena à te sit ingrati

NICOLAUS.

ingrati hæc animi labes, ut operum meorum beneficiis, invidia atque obtrectatione reſpondeas. Verùm totam hanc inſimulationis vim ab invidia profectam, non tuæ, ſed tuorum malignitati imputandam exiſtimo. At in regni faſtigio collocatus, difficiles accuſatoribus aures præbere convenit. Diu paternum hoc imperium gere, feliciterq; & nominis & regni inſignibus utere. Hæredem tibi, quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego verò in quocunque me fortunæ habitu continuero, nunquam celſitudinem tuam fide vel obſequio colere ſuperſedebo.

Permulſus oratione Rex, placidiorem oris habitum induens, offenſam falſo inſtinctu conceptã in ipſa repente concione depoſuit, execratus eos qui ſimplicitatem ejus ſcurriliter attentaſſent, ſeq; deinceps adverſũ hujusmodi criminationum ſuſurros aures obſeraturũ promittit. Cúmque Henricus omnẽ obtrectationis ſuæ molem prudentiſſima Canuti reſponſione ſubverſam videret, familiaribus Regem minis aggreditur, ſumma illum regni affectatione teneri inquiens, incertámque Magno regni petitionem futuram, ſi populo judice de ſumma ſecum foret controverſiam habiturus. Quippe Canutum cæteræ nobilium turbæ popularium ſuffragiis præferendum. Quamobrem debere patrem ſucceſſionis jus proprio potius quàm alieno mandare judicio, deſtinatumque hæredi locum æmulo vacuefacere, dum filii rebus conſultum eſſe velit. Itaque ſapere eum ſi ſuſpectam Canuti fortunam ferro præcurrere ſtudeat. Hæ voces ſæpius laceſſiti Regis animum ſolicitudinibus implicatum, graviori quàm ante ſuſpicione torſerunt.

Tunc Magnus perinde ac fortunæ ſuæ conſulendi, tollendiq; æmuli, à patre licentiam nactus, accitos qui ſe ſuperius Henrico ſceleſtiſſimi conſilii collegio ſociaverant, jurare coegit, fidum ſe commiſſi ſilentium acturos. Adjectus eſt his Haquinus cognomine & genere Jutus. Neque voci ejus ulla ex parte diffiſum eſt, quanquam Canuti ſororem in matrimonio habere noſceretur. Igitur conjurati diu ſecum taciteq; luſtrantes, quibus periculorum procellis, quove exitii pondere divinum Canuti caput obruerent, peſtiferi conſilii laqueos, humi decubando nectebant, ut ſi rem caſu detegi contigiſſet, nunquam ſtando, ſedendove ſaluti ipſius inſidiatos ſe eſſe tutò jurare quirent, præſidioq; ſitus innocentiæ ſibi munimentum conſciſcerent, ignorantes verborum artificio juramentum edentem, perjurio obnoxium fore. Quorum fucoſa atq; errabunda ſimplicitas, plus criminis in vocis quàm actus impietate repoſuit, non in manuum ſed labiorum temeritate religionis violationem conſtituens. Cum autem Haquinus Jutus cœpti modeſtè ſermonis exitum, Canuti ne ſaluti inſidioſum adverteret, protinus collegio ſe peſtiferæ conſpirationis abrupit, conclaveq. exceſſit, ne latronis potius quàm neceſſarii partes egiſſe videretur. Igitur à conjurationis auctore ne jurisjurandi vinculum perrumperet monitus, neque fautorem conſilii, neque proditorem ſe futurum reſpondit: quanquam ſatius eſſet immerentis periculum indicio præcurrere, quàm ſilentio tolerare. Ut autem Magnus inſidiarum contextum familiaritatis præſidio obſcuraret, cunctamq; ſuſpicionis notam calliditatis acumine vitaret, ante omnia conſultum duxit, ut cum eo, cujus ardentiſſimè cruorem ſitiebat, fictam amicitiæ æqualitatem jurisjurandi pactione confereret, perinde ac religionis pondere propinquitatis vinculum aſtricturus. Et ut cunctam malignitatis notam ſanctitatis ſimulatione præcurreret, nihilq; perfidum aut obſcurum volvere putaretur, iniquiſſimam molitionem ſuam inſidioſa religionis adumbratione contexit. Quippe contractâ apud Sialandiam nobilium frequentiâ, Canutoq; circa divini Natalis ſolenne, convivandi gratiâ, Roskildiam vocato, ſacræ ſibi peregrinationis amorem inceſſiſſe perhibuit. Præterea conjugis ipſum ac liberorum tutorem ordinat, eiq; pleniſſimam rei familiaris ſuæ cuſtodiam mandat. Et fortè tunc Ingiburga conſilii cognitionem

con-

NICOLAUS.

conſciorum indiciis apprehenderat, ſtatimq; virum, ut præparatas capiti ſuo vitaret inſidias, miſſis literis monendum curavit. Ille nuncium non tam à deprehenſionis certitudine, quàm à muliebri pavore profectum exiſtimans, monitionem reſpuit, ſeq; non minus fidei in Magni quàm uxoris præcordiis reponere dixit. Quem ſi fortuna æque ac conjunx conſilio inſtruere voluiſſet, objectos perfidiæ laqueos conſultius vitaſſet, neque credulitatem ſuam alienæ malignitatis hamis implicandam præbuiſſet.

Interea Magnatibus apud Roskildiam, quatuor ſolennium dies continuò feriatis, Canutus ac Magnus, publico jam conventu ſoluto, ſacri temporis reſiduum dividuo peregère contubernio. Eodem fortè tempore quidam Canuto admodum ſangvine conjunctus, in ejus conſpectu diſſidentem ſecum militem fuſte percuſſum interemit, atq; ob id curia abire juſſus, Magnum petivit. Providens autem Magnus, ne per eum ullum conſilii ſui indicium ad Canutum manaret, nocte qua ad deteſtabile carnificis miniſterium peragendum contendit, cæteris ſe ſequi juſſis, ſolum hunc priſtina Canuti familiaritate ſuſpectum comitem recuſavit. Conſilii deinde participes jurejurando obſtrictos fidem facere compulit, ſilentio ſe cuncta recturos. Poſt hæc militem latebra claudit, inſidiasq; circumſpecta locorum obſcuritate diſponit. Mox Canutum apud oppidum Haralſtadium, ab Erico Falſtriæ præfecturæ viro domi exceptum, per conjuratorum quendam genere Saxonem, arte cantorem, ſine arbitris ſibi obvium venire jubet. Occurſius locum apud citimum villæ nemus denunciat. Ille nihil in re doli ſuſpicatus, duobus tantum militaris ordinis viris, totidemq; equiſonibus in comitatum aſſumptis, armis vacuus eqvum petivit, neq; lateri ſuo ferri munimentum adſciſcere curæ habuit. Quem cum è famulis quidam gladio vacuum incedere vetuiſſet, nequaquam ſe in ſalutis tutelam ferro opus habere reſpondit. Tantum enim fiduciæ & pacis in Magni ſocietate repoſuerat, ut in occurſum ejus ne enſe quidem utendum putaret. Monitore verò, nè ferrum omitteret, inſiſtente, ægrè gladium ſumpſit. Tunc cantor, quòd Canutum Saxonici & ritus & nominis amantiſsimum ſciſſet, cautelâ ſenſim inſtruere cupiens, cum jurisiurandi religio, quò minus id ageret, obſtare videretur, quia liquidò nefas ducebat, ſub involucro rem prodere conabatur, integritatem ſuam inter fidum arcani, & pium innocentiæ ſervatorem partitus. Igitur ſpecioſiſsimi carminis contextu notiſsimam Grimildæ erga fratres perfidiam de induſtriam memorare adorſus, famoſæ fraudis exemplo ſimilium ei metum ingenerare tentabat. Sed nullis monitorum ambagibus ſecuritatis ejus columen quaſſare potuit. Tantum quippe fidei in Magni propinquitate repoſitum habebat, ut ſalutem ſuam periclitari, quàm ipſius amicitiam notare mallet. Quem cantor certioribus adhuc indiciis aggredi perſeverans, loricæ, quam ſub veſte geſtabat, ſumma detexit. Sed ne eo quidem ſuſpicionis irritamento refertum fortitudine pectus, ignavia aſtringere valuit. Ita ſolidæ induſtriæ ſatelles fidem ſuam & periurio vacuam, & innocentiâ plenam præſtare voluit. Jamq; Canutus primos ſylvæ aditus ſubibat, cum à Magno occiduum arboris truncum inſidente, falſa oris hilaritate, & fictis oſculorum blandimentis excipitur. Cujus ut aſtrictum amplexibus pectus ferro tectum agnovit, quid ità eo cultu eſſet, perquirere inſtitit. At ille diſſimulandæ fraudis cupidine munimenti rationem referre cupiens, eſſe virum, inquit, vitæ ruſticæ, cujus populari penates vellet. Canutus & rei atrocitatem, & temporis religionem ſanctè æſtimans, [quippè Epiphaniæ ſacra gerebantur,] nè privatâ irâ publicum ſolenne macularet, orabat. Quo, neque ſe ultionem remiſſurum, neq; propoſito ceſſurum jurante, ipſe ſatisfactionis juſta promittere, ſuamq; pro ejus correctione ſponſionem offerre cœpit. Obſtrepentibus deindè, qui inſidiis addicti fuerant, oculos in partem circumferens, quid ſibi militum hæc manus velit, inter-

interrogat. Cui Magnus, jam de regni successione & rerum summa agendum respondit. Tunc Canutus, ut patris ejus majestas diu lætis fortunæ velis prosperum cursum teneat, exoptat. Tempestivam verò talium mentionem incidere negat. Hæc dicentis verticem exiliens Magnus objurgantis more corripuit. Igitur Canutus patente jam dolo manum capulo inserens, vagina ferrum abstrahere conabatur: jamq; gladium mediotenus distrinxerat, cum eum Magnus capitis media diffissum exanimat. Cæteri conjuratorum postratum crebris confodêre cuspidibus. Sangvis ejus terræ redditus salutarem fontis scatebram perpetuis usibus mortalium administrat.

Cujus cæde comperta, Skialmonis filii, quibus multa ad eum ex educationis communione familiaritas erat, petitum illicò Regem, ut ipsum in Roskildensium monumentorum area tumulari patiatur, exorant. Ille loci copiam negare, civitatem tanti mali aspectu exasprandam dicere, eosq; à quibus funebris Canuti pompa duceretur, indignationem suam adversum invisam Magni præsentiam acrius districturos. Quapropter exequias potius seditiosum pugnæ strepitum, quàm pium humanitatis obsequium habituras. Hic mihi pavorem specie, revera odium exhibuisse videtur, curasseq;, ne specioso occisi funere terrior interfectori labes accresceret. Reversi qui Regi supplicaverant, miserandum amici corpus tenui funere Ringstagium extulerunt. Nec divina laborantibus beneficentia defuit. Siquidem locum, in quo, pausantibus gerulis, funebris ejus lectus constiterat, repentino fontis ortu signavit. Aliis quoq; compluribus rerum indiciis ingens sanctitatis ejus splendor eluxit. Facinoris fama, promiscuum patriæ lamentem excivit, omniumq; penates plangore complevit. Populus enim, cùm calamitosum de nece ejus nuncium accepisset, protinus conviviorum, quæ eâ tempestate gerebantur, hilaritate deposita, morem tempori impensum mœrore mutavit, inq; eo lamentando, uterque sexus unius gemebundi amici vocem habuit. Cujus funus publico luctu elatum, quantus ejus amor omnium animis insitus esset, indicio fuit. Itaq; cujus vitam patria charitatis officiis excoluerat, morti quoque testes grati animi lacrymas erogabat; ut Canutum ejulatibus, ita raptorem spiritus ejus validissimis execrationibus insecuta.

Magnus verò ob impiæ cædis eventum profuso in gaudium animo, Roskildiam repetit, regnumq; quasi sublato jam æmulo spei firmitate complexus, erubescendam facinoris fortunam tripudio prosequi deforme non duxit. Quinetiam sanctissimis Canuti vulneribus, quibus plenas pœnitentiæ lacrymas debuerat, voluptate ex facinore concepta, per ludibrium insultare sustinuit. Nè autem sangvis cœlo terraq; egregiè meriti propagine vacuus interiret, hæredem Deus extincto subjecit. Nam octava post hæc luce, Ingiburga Canuti conceptum ex eo marem enixa proditur; cui & materni avi nomen inditur. Tunc Haquinus, quem superius Sunnivâ ortum significavi, cumq; eo Petrus matre Botilda natus, & filii Skialmonis, facinoris atrocitatem gravi querelarum contextu prosequuti, indignam amici necem in popularium ubiq; conciliis deplorabant, adversum iniquissimum percussoris actum vulgi iram erigere cupiendo. Quinetiam tunicam ejus crebris foraminibus absumptam omnium oculis in concione subjiciebant Nec parum luctuosam eorum actionem laceræ vestis irritamentum adjuvit. Quippe compluribus ingentem ultionis cupiditatem tàm fædæ lacerationis spectaculum ingeneravit. Sed & sanctitas Canuti crebris signorum indiciis prodita, ac divinis vulgata miraculis, incredibili cladis ejus conquestoribus adminiculo fuit. Haraldus quoq; interdum declaratam apud Ringstadium concionem, majore regni quàm ultionis affectatione petivit, ibiq; tristissimam fraternæ necis querelam peregit. Ericus vero insularum à Canuto

NICOLAVS.

nuto præfecturâ donatus, ſola vindictæ meditatione ſolicitus æſtuabat. At Nicolaus popularis inimicitiæ metu periculoſum concionis aditum ſuſpicatus, ſuamq; vel filii copiam multitudinis viribus offerre non auſus, Lundenſium Antiſtitis Aſceri conſilium advocat. Quo edoctus, Magno Roskildis relicto, Ringſtadium petit, ſperans ſe per abſentiam filii pacatiorem plebis frequentiam reperturum. Verùm quia habendam in collibus concionem tutò petiturus non videbatur, in oppido acquieſcere, quàm incertam populi fidem diſcrimine ſuo tentare maluit. Cumque Canuti fratres fatum ejus apud concionem pari fuiſſent querimonia proſeqvuti, populus lacrymoſâ eorum actione permotus, tam innocui ſangvinis carnificem publicâ damnatione mulctavit, ſententiamq; ſuam adverſum tam pii ſpiritus oppreſſorem diſtrinxit. In Regem verò priſtinâ adhuc fortunâ venerabilem, tanquam de ejus incertus conſenſu, ſeverius conſulere paſſus non eſt, ne noxam & innocentiam in æquo ponere videretur. Itaq; patriæ parentem, honoris pariter ejus atq; ætatis aſtimatione verecundiùs habitâ, ab hoc animadverſionis genere immunem reliquit. Ortâ tandem de Regis abſentia mentione, ſubitis conſternationis furiis incitatus, laxato concionis ordine, intra ſuos eum penates opprimere geſtiebat, præfatus juſtè Regem ab his adiri, quos prior ipſe petere noluiſſet, præſertim cum præſentiam ſuam concioni, quæ per eum vigere debuerat, in vicinia conſtitutus negaſſet. Quod cum Rex ex his, quos ad cognoſcendas concionis voces direxerat, accepiſſet, Aſcerum emittit, qui reverentiam & nobilitati ſuæ, & ſacerdotio debitam iræ vulgi irrumpentis opponeret. Ille plebis in occurſum contendens, conſpecto Erico, dexteram habenis ejus equo delapſus inſeruit. Quem diu ac multum, ut iram temerè conceptam remitteret, precatus, pro Magni facinore decretam lege correctionem, pro patris ejus innocentia ſtatutam defenſionis juſtitiam promittebat. Quinetiam detracto pileo, conſternatæ multitudini capitis ſui majeſtatem objecit. Tantum autem ejus apud Ericum precatio valuit, ut Regi non modò ſalus, ſed etiam in proximo petendæ concionis licentia deferretur. Quanquam enim populus ardentiſſimo ſtudio in Canuti ultionem ferretur, autoritatem tamen Antiſtitis, quæ inter Danos ampliſsima erat, ante oculos præponens, plus ejus precibus quàm ſuis ſententiis indulgendum putavit. Itaq; Rex concione ſine filio petita, non aliter defenſionem ſibi conciliare permiſſus eſt, quàm ut ſe Magni præſentiam vitaturum, eumq; domo ac patria exceſſurum, nec ante receptam à populo veniam reverſurum juraret. Cæterum ne vulgi iram exaſperaret, dividuum cum eo concilium habuit, internunciis partium mandata geſtantibus. Arbitri ſiquidem Regis, facultatem exilii, quod Magnus apud Gothiam, cujus Rex eſſet, agere poterat, intuentes, conditione utendum monebant, futurum rati, ut interim in omnium animis odii ejus habitus exoleſceret, ipſeq; prolixioris abſentiæ beneficio mitiorem patriæ ſententiam reperiret. Populum quippe exilii ejus miſeratione movendũ, iram quam ſceleri inflixerat, pœnitentiæ remiſſurum ſperabant. Ita pacato popularium motu, Rex Jutiam, Magnus Gothiam, exilii ſpeciem præbiturus, petivit.

Hujus pactionis obtrectatores amici Regis fuêre. Quippe qui Magno occidendi Canutum conſilium dederant, conditionis habitum execrantes, teterrima ſibi ratione Regem conſuluiſſe dicebant, fatiùs affirmantes, ut ipſe rerum ſummam deponeret, quàm unicum filium & in ſpem regni procreatum, ob leves agreſtium minas exilii deformitate damnaſſet. Quamobrem oportere Magnum reverſionis jus paterno potiùs quàm populari arbitrio ſubjectum habere, citiſſimoq; revocationis beneficio patriæ & propinquis, inconſultâ plebis malignitate, reſtitui. His vocibus irritatus Nicolaus, miſſis qui Magnum accerſerent, abdicatam ejus communionem inimica religioni charitate repetiit. Nec penſi duxit cum contemptu perjurii damnatam ſangvinis ſui præſentiam amplexari. Cujus indulgentiæ temeritas procellam Magni diſceſſu pacatam, reditu concitavit. Enimvero

NICOLAUS.

Ericus ac Haraldus Nicolaum, cui eatenus indemnitatem detulerant, utpote voce ſacrilegum, conſilio parricidam, deteſtabili filio damnationis conſortione junxerunt, ſcelere pares pœnâ æquandos exiſtimantes. Neq; enim ulterior jurationi ejus fides habita eſt, qui jam præpropera filii revocatione conſpicuum cunctis perjurium edidiſſet. Verùm ne populus regio ductu vacuus Regem inceſſeret, ſub certis ſignis militare conſtituit, fragiles conatus & propoſiti irritos judicans, quos nulla ducis auſpicia procuraſſent. Itaque Regem ex conſveta potiſſimum familia petiturus, præterito Haraldo, Erico, quòd huic ſtirpi affinis eſſet, & nomen, & regias vires ſuffragiis detulit. Siquidem facilem ex his electionem morum inæqualitas faciebat. Non ſolum enim avaritia Haraldi, ſed etiam libido flagitiis obſita, à regno repelli meruit. Huic conjugalia ſacra ſpernenti, frequens concubinis cubiculum extitit. Quippe matrimonio non contentus, genialem torum pellicum uſu pollutum habuit. Quarum partus ſingulis incunabulis excepti, & in aula liberis matrum officiis educati, triſte nuptæ ſpectaculum fuere. Igitur ob inviſos parentis mores, ſuſpecta quoq; poſteritas erat, nec ſolum præſens patris, ſed etiam futura liberorum metuebatur impietas, quòd filiorum affectus paternis ſoleant ingeniis reſpondere. Ea propter cuncti ab Haraldo oculos avertentes, benignis Ericum animis reſpicere maluerunt. Ipſe verò plus propriæ moderationi quàm alieno favori indulgendum exiſtimans, oblatum à popularibus honorem ſumere recuſavit, ornamentum ejus viribus quærere, regnumq; armis præcurrere cupiens. Igitur & ultioni ſtudendum, & imperio ante partam victoriam abſtinendum putavit. Ac primùm Jutiam imperatæ expeditionis viribus petit. Quem contexta acie procedentem Thoro Riparum Antiſtes compoſitis perfidiæ commentis excepit, ſummam Regis innocentiam prædicans, eumq; jurationis ſuæ tenorem deinceps executurum promittens. Verbis deinde magnam præ ſe excuſationem præferentibus, preces de pace multiplicat. Ericus obſecrantis animum ſimpliciter æſtimans, ſecuritate ex ejus mendacio conceptâ, continuo revocatis aquiliferis, ſubſiſtere copias jubet. Cujus morâ Nicolaus ex ſpeculatoribus cognitâ, profuſos in otium hoſtes nullo negocio fugavit. Ita Dux Antiſtitis commento ludificatus, ſtolidæ credulitatis ſuæ pœnas pependit. Cumq; ob hoc datum ſibi juſtum belli titulum animadverteret, ſed ob rerum anguſtias Regio apud Iſoram nomine inſigniri nequiret, Sialandiam reverſus, ejus Scaniæque ſuffragiis recuſatum prius honorem accepit, omniq; diſſimulatione rejecta, acrius in fratris ultionem erigitur.

Inde literas ad Lotharium facit, amici necem ulciſcatur orat, parricidii à Magno pœnas expetat, eumque in ſocietatem belli tum precibus, tum etiam præmii pactione ſollicitat. Imperator majore potiendi regni, quàm exigendæ ultionis cupiditate perductus, ſecus Jutiæ mœnia gradum Romano militi ſtruxit. Etenim propoſiti ſpem non tam in viribus ſuis, quàm interno dividuæ regionis motu repoſuit. Cui ſe Ericus apud Sleſvicum claſſe obvium dedit. At Magnus utriusq; hoſtis adventum accurata valli munitione præcurrens, validum portis præſidium applicuerat. Interjectis diebus, Nicolaus citeriora valli immenſo Jutorum agmine circumfudit. Cujus tantæ copiæ erant, ut Imperator acie manum cum eo conſerere formidaret. Sed neque claſſe Erici ad copias ſuas in urbem trajiciendas uti præſumeret. Cumque nec aggerem oppugnare, nec militem navigiis mandare tutum duceret, inaniter tempus à ſe teri conſpiciens, pacis conditiones excogitavit, quibus ſpecioſam ſibi ſolvendæ obſidionis rationem conſciſceret. Ericum itaque, cui integerrimam opis ſtabilitatem ſpoponderat, averſatus, pactum cum adverſæ partis principibus habuit, ut obſidioni ipſe parceret, Magnusque Romani Imperii militem ageret. Qui cupidè conditione uſus, ſupplex Lotharium veneratus eſt. Sed inſidias parabat obſequio. Ille ex pacto copias trans Eidoram recepit. Quo accepto, Ericus Cæſarem navigio petitum, per ſummam

Theutonicæ perfidiæ execrationem, exprobratione levitatis inſequitur, futurum affirmans, ut Magnus tali ſe circa ipſum fide gereret, qualem nuper in excolenda Canuti ſocietate præbuerat. Nec vana aſſertio extitit. Imperatore ſiquidem Eidoram remenſo, Adolfum extremos ab eo curare juſſum, Magnus per inſidias adortus, non ſolum copiis ſpoliavit, ſed etiam arma deformiter abjectantem nando fugam capeſſere coëgit. Ericus Imperatoris ope defectum ſe videns, per ſummam animi ægritudinem orientalia repetivit. Supervenìunt legati à Magno Rege Norvagienſium miſſi, majorem Canuti filiam, ſed nondum nuptiis tempeſtivam, ejus conjugio petituri. Quorum legationem Ericus contrahendarum virium ſpe favorabiliter habuit, excepit alacriter, cupiens finitimorum auxilia affinitatis beneficio comparare. Ipſe quoq; bellis otium interpellantibus, adhuc conjugio vacuus, novercam Magni Norvagienſium quondam reginam, utpote dignus hac nuptiarum viciſſitudine, favente ejusdem privigno, ſuſcepit uxorem.

Hybernis itaq; per quietem exactis, recidiva belli tempeſtas efferbuit. Nam Nicolaus occaſivum Daniæ militem contrahebat. Ericus Chriſtierni ſplendidiſſimo inter lutos loco natipromiſſis erectus, Orientis auxilia pugnæ comparat. Is Magni odio à Nicolao deficiens, enixè ſe Erico adfuturum ſpoponderat. Petrus verò Roskildenſium pontifex Ericum corpore, Nicolaum animo comitabatur: metu alterum, alterum charitate complexus. Sed Haraldi favor inter ruborem & odium variè fluctuatus eſt. Ut enim Nicolai caſtra verecundâ pudoris meditatione vitabat, ita fratris prælationem peroſus, militiam ejus invidia detrectabat. Itaque partes ejus, cum duobus ſpectatæ indolis filiis, ſpecie magis quàm benevolentia, proſequebatur. Neq; enim ei parcius adverſum germanum, à quo ſe in regni petitione ſuperatum videbat, quàm in fratris interfectorem odium erat. Interea Chriſtiernus neceſſariorum manu contractâ, acie Regem aggredi ſtatuebat. Cujus Nicolaus non ſolum defectione, ſed etiam hoſtili molitione compertâ, copias, quas adverſum hoſtes contraxerat, inter navalem terreſtremq; partitur exercitum. Quinetiam Chriſtiernum acie excipere parat, Magnum claſſi præfectum Erico obvium deſtinat. Jam verò Ericus ad inſulam, cui Syra nomen, appulerat. Quo ignorato, Magnus, aurâ, quàm eventu, proſperiore, ab Aruſiâ ſolvit, navigiisq; aliis alia præcurrentibus, ſparſa incompoſitaq; claſſe proceſſit. Cujus Ericus adventu præcognito, ſcafa exceptus, nunc ſingulos, nunc univerſos claſſis ſuæ magiſtros, maximeq; Petrum & Haraldum, quorum dubiam ſuſpectamq; fidem habebat, impenſioribus pugnæ hortamentis ſollicitat. Neq; enim repente cum tota Magni claſſe manum conſerere cupiebat, ſed navigia, ut cuiq; celeritas curſum dederat accedentia, ſigillatim nautarum internecione vaſtavit. Quorum Magnus eminus pericula ſpeculatus, confeſtim demiſſo velo, navigium ſuum anchoræ quàm auræ credere præoptavit, disjectamq; pelago claſſem lituo recinente contraxit. Igitur ignavis fugam, fortioribus pugnam apprehendentibus, Ericus cum navium numero præſtaret, arctiſſimo earum contextu hoſtem concluſit, ac veluti claſſe claſſem obſedit, atrocitatemq; pugnæ augebat neceſſitas. Cumq; Jutenſes neq; victoriæ facultatem, neq; fugæ copiam fortunæ ſuæ ſuppetere viderent, duci quàm ſibi conſulere præoptantes, ſalutem ejus propriis ſervavêre periculis. Quippe conſertiſſimæ claſſis cuneum irrumpentes, quia victoriam Magno præſtare non poterant, victo fugam quærebant. Nam eidem myoparonem ingreſſo, veluti quandam elabendi, ſemitam, ſecuris periculorum animis, extruebant. Quo dilapſo nihilominus pugnandi pertinaciam retinentes, aut morte, aut captione finivêre bellum. Cumq; victores ſpoliis devictæ claſsis incumberent, inter egeſtam navigiis prædam, quendam velo implicatum conſpiciunt. Cuj⁹ ex deformitate latebræ formidinē æſtimantes, protinus ob ignaviam eum laqueo conſumpſerunt, uti fœdo mortis genere ſpiritū redderet, quē pugnæ fortiter impendere dubitaſſet Interea Chriſtiernus manu cū Nicolao infeliciter conſertâ, per ingentē ſuorū

 ſtragem

NICOLAUS.

ſtragem capitur, & in oſtii Sleſvicenſis ergaſtulum relegatur. Ericus verò recentis pugnæ ſucceſſu elatus, ſed eorum, quæ circa Chriſtiernum gerebantur, ignarus, potiendæ Jutiæ ſpe mare Lymicum claſſe complevit. Vbi cùm expoſitis incautè copiis, & Chriſtierni fugam & Regis adventationem nuncio didiciſſet, plus amici fortunâ concuſſus quàm propriâ recreatus, recepto milite reverti maturavit. Ex cujus agmine complures tardiùs navigia repetentes, ab imminenti Regis exercitu trucidantur. Hunc eventum ſecutus Haraldus, ad Nicolaum occultis ſe promiſſionibus invitantem defecit. Plus ſiquidem indignationis ex Erici dominatione, quàm iræ ex Canuti internecione conceperat, eiq; frater fratris oppreſſore onuſtior erat. Quinetiam Magnus, ut lætum hoſtilis militiæ incrementum, ita triſtem ſuæ defectum aſpiciens, fraterni commilitii ſocietatem labefactare tentabat. Haraldum itaq; quem Erici partes dubiâ fide ſecutum noverat, promiſſis dignitatis incrementis urgebat. Nam & Haraldus quanquam iram obſequio tegeret, incitatiore odio adverſus Ericum, quàm Erici impugnatorem ardebat. Itaq; non ſolùm ejus arma deſeruit, ſed etiam quò validiorem Nicolao opem impenderet, caſtellum, quod in Roskildenſi ſuburbio molitus fuerat, impenſiore munimento vallavit, invidiam f aternâ prælatione conceptam, perfidiâ defectionis exſatians. Idem cum Ericus magna Sialandenſium manu per obſidionem clauſiſſet, valliq; firmioribus obſtaculis conatus ſuos admodum interpellari videret, à Saxonibus, qui Roskildiæ degebant, tormentorum artificia mutuatus, domeſticas vires externis cumulavit ingeniis. Quippe noſtri rerum adhuc militarium rudes, raro talium uſu callebant. Primum itaq; ſaxum parum vegeto jactu machinamento egeſtum, citraq; valli propinquitatem collapſum, ludibrio caſtrenſibus fuit. Siquidem irriſa tormenti vi, ulteriores ejus impulſus irritos augurabantur. Secundum incitatiùs actum ac mirifico cuidam tecto ſuperne impactum pondere & incuſſu ſuo funditus penetralia transverberavit, ædemq; magno cum fragore colliſit. Quæ domus fundamenti loco lignea tantum baſe ſubnixa, eidemque velut cardini imminens, levi attactu quamlibet in partem circumagi poterat. Quo viſo Haraldus fiduciam quam ex primi jactus defectu conceperat, in ſecundi proceſſu deponere coactus, cùm neque ſe domi obſidionem laturum, neque foris auxilia accepturum ſperaret, noctu maritimâ aggeris parte perfracta, quod ab hoſte negligentiùs obſideretur, equos per prærupta demiſſos, pedes cum ſuis inſequi cœpit. Cumq; totis in caſtris tumultus exoriretur, citato acriùs equo, comitibusq;, ut Haraldo occurreretur, de induſtria vociferari juſſis, non Haraldus, ſed Haraldi inſeqvutor creditus, inter medios perſtrepentium globos facilem fugæ meatum habuit. Itaq; non minùs fictæ fugientium voces, quàm temporis habitus hoſtium exiſtimationem fefelliſſe creduntur. Fuêre tamen ex Theutonibus, qui hunc in ipſo fugæ procurſu, ſagittis à ſe confixum aſſererent. Ita vafri ingenii dux obſidionem arte, periculum calliditate fruſtratus, reperta rate Jutiam petit. Quem Nicolaus perinde ac partibus ſuis in Sialandia propugnantem non ſolum regali beneficentia proſecutus, ſed etiam primis inter amicos honoribus veneratus eſt. Nec tamen ſuſpicione vacua familiaritas fuit. Quippe & repentina fratris deſertio, & ſubitaneus transfugæ notabatur adventus.

Interea Sveones, quòd Magnum domeſticis bellis occupatum audierant, Sverconem quendam mediocri inter Sveones loco natum, Regem conſtituunt, non quòd illum tantopere diligerent, ſed quia externi hominis imperium recuſarent, cervices indigenam ferre ſolitas peregrino duci ſubmittere formidantes. Hic Sverco Vlvildam Noricam, quam Nicolaus in matrimonium emortuâ Margaretâ receperat, amatoriis primo legationibus ſollicitatam, mox viro furtim abſtractam ad ſuum usque connubium perduxit. Cujus coitu pro conjugio uſus, Carolum ex ea, qui & poſt ipſum in Svetia regnabat, ſuſcepit. Per eadem tempora divi Canuti filia jampridem Regi Noricorum deſponſa, per legatos ab eo in Daniam miſſos nuptura deducitur.

Paractis

Peractis hybernis Nicolaus diutinam deficientis à ſe regni ulciſci cupiens injuriam, crebra Juticarum partium claſſe Sialandiam appulit. A quo Ericus apud Weram pontem graviſſimo prælio ſuperatus, cum uxore quondam Norvagiæ Regina, filioq; parvulo Svenone, quem ex pellice procreaverat, neceſſitudinis fiduciâ Magnum petivit, ejusq; humaniſſimam primo hoſpitalitatem, mox dolum atque fallaciam expertus eſt. NICOLAVS.

Interea Nicolaus Haraldi Theutonicorum ſupplicia exigentis precibus inclinatus, Roskildiam irrupit, comprehenſosq; in urbe Germanos incentoris arbitrio mulctandos dimiſit. Quos Haraldus tum quia tormentorum opifices, tum quia de falſa nece ſua gloriantes audierat, extrema narium parte præciſa deformes reddidit, percontatus an Haraldus eorum fuerit jaculis interfectus. Tunc quidam ex his applicatum ori ſuo cultrum aſpiciens, parcendum ſibi, quòd doctus eſſet, aſſeruit. Haraldus hominem literarum peritum exiſtimans, revocato lictore ad epulas perductum, ipſas (ut fieri aſſolet) ſolennium nuncupatione verborum dedicare præcepit. Cui captivus ſuendi ſe non ſacrandi profeſſorem reſpondit. Haraldus hominis acumine delectatus, impunitatem aſtutiæ tribuit, iramq; quam deceptus abjecerat, correctus repetere erubeſcebat, ne errorem ſupplicio emendare videretur.

Per eadem tempora Haraldus Hybernicarum partium oriundus, florentiſſimum Norvagiæ ſtatum veluti fulmen aliquod ac tempeſtas concuſſit. Qui cum ſe Magno Hyberniæ populatore procreatum aſtrueret, affirmationi ſuæ fidem divini examinis argumento præſtare juſſus, ſuper candentes laminas nudatis plantis (nam id ab eo experimentum poſcebatur) inceſſit. Hisdémque nulla ex parte corruptioribus, complures Norvagienſium liquido incolumitatis miraculo, ad aſſertionis ſuæ credulitatem perduxit. Ex cujus gremio omnis Norvagicorum bellorum lues manavit. Interea Nicolaus per inſidias æmulum opprimere ſtatuens, Magnum Noricum in ejus necem mercedis pactione ſollicitat. Ille lucri irritamento latrone corruptior, hoſtisq; ex hoſpite effectus, impenſioris obſequii ſimulatione curam Erici exactiſſimâ ſatellitum cuſtodiâ vallavit, officiisq; fallaciam texit. Ericus verò per Reginam, cujus patruus erat, inſidias obſequio ſubeſſe doctus, amicis, quos in Lalandia habebat, propoſitum Regis cum remedii precatione denunciat. Nec ſegnis Lalandenſibus ad opitulandum animus fuit. Solo quippe navigio Norvagiam petentes, occulto nuncio adventum ſuum Erico ſignificant. Qui quod Norvagienſes ſummam in potionis magnitudine voluptatem habere noverat, applicatam ſibi cuſtodiam temulentiâ ludificandam putabat. Igitur ſtipatorum ſobrietatem crapulæ delectamento adorſus, inſtaurata comeſſatione crebris cuſtodes poculis attentabat. Quibus ut bibendi cupiditatem augeret, irritamentum ebrietatis aleam ſcyphis interſerit. In qua, poſito cum quibusdam pignore, decertans, etiam proſperum teſſerarum jactum inerti luſu de induſtria proſequebatur, uti colluſores fortunâ lucri illectos ad laſciviendi cupiditatem, ludendiq; perſeverantiam incitaret. Poſtremò perinde ac prolixioris vigiliæ tædio fatigatus cubitum exceſſit, ſacerdotemq; exilii ſocium aleæ pro ſe curatorem reliquit. Ille rem ſobriè proſecutus, temperantiam eorum multiplicatis poculis, quantulacunq; reſtabat, ſubvertit, interq; mero ac ſomno ſopitos medium cubandi locum habuit. Interea Ericus perruptâ cubiculi parte, cum clientela ac conjuge, furtivo ad mare diſceſſu pervenit, repertaq; in littore navigia, quò tutius fugam caperet, in ſentinis perforanda curavit. Hæc tractanti ſuccurrit filiolum hoſpitio dormientem fuiſſe relictum: Adeò obliviis animum feſtinatio implicat. Quippe quò occupatius, hoc negligentius humanũ eſſe ingenium conſvevit. Quanquam verò præſtolationi periculum ineſſe non dubitaret, ſangvinis tamen ſui curam deformiter abjicere paſſus non eſt. Miſſis igitur, qui adoleſcentem exciperent, tarditatis moleſtiam eximiâ filii charitate contempſit. Quo

allato

allato in altum proceſſit. Diluculo, quibus Erici cura mandata fuerat, pulſatis hoſpitii foribus, an heſternam adhuc temulentiam non diſcuſſiſſet, interrogant. Nemine verò reſponſum edente, taciturnitatis admiratione crebris idipſum clamoribus proſeqvuntur. Tandem ſilentio attoniti, convulſis ianuis, vacuam hoſpitibus ædem inveniunt. A quibus vafre ſibi illuſum vociferantes, eventum domino trepidi nunciant. Qui protinus petito littore, detractisq; in altum navigiis, fugacem intercipi jubet. Quæ cum vitiatis lateribus undarum plena conſpiceret, ſubducta refici curavit. Iisdemq; rurſum in mare detruſis, ad accelerandam navigationem velo pariter ac remis incubuit. Adeò promiſſum in mortem Erici præmium affectabat. Interea Ericus grandem pelagi partem emenſus, magno hoſtem intervallo præceſſerat, ideoq; facilè ab inſequentibus occupari nequibat. Cumq; Magnus navigationem diutulè geſtam propoſiti irritam animadverteret, revocato remigio domum revertit. Ericus verò fidiſſimam ſibi Lalandiam repetens, intercepti Vbbonis ſuſpendio, quem Nicolaus minorum inſularum præfectum creaverat, clarum reditus ſui indicium dabat. Audito deinde Regem divini Natalis die Lundiæ feriari debere, adventum ejus, petitâ Scaniâ præcucurrit, totamque regii apparatus impenſam præripuit. Quod audiens in Sialandia Rex, alimentis publica adminſtratione contractis procedere ſuperſedit. Æſtate verò, præter Scanicam, omni Danicâ claſſe contracta, ad Fotam ſinum appulit, pedeſtremq; propter littus aciem ſtatuit. Quæ cum centuriatis parumper ordinibus conſtitiſſet, adventante Erico excitum equorum ungulis pulverem in ſpeciem nebulæ eminus exhalare conſpiciens, paulatim ad naves gradum retulit. Sed inter eundum adventantis equitatus fragore perculſa, inceſſum ad fugam convertit. Quam ſuperveniens Ericus, fortunâ non prælio ſuperatam, impunè cecidit, incruentamq; Deo parricidium vindicante, victoriam habuit. Magnus cum aliquanta fortium manu cedere veritus, cæteris terga obvertentibus, adverſo hoſtem corpore repellebat. Quippe cum fugam parum liberam cerneret, animoſum ſibi conſciſcere exitum, mortemq; ſuam pugnando clariorem efficere egregium duxit. Quinetiam ne priſtinum fortitudinis ſuæ ſplendorem obtereret, fatum quàm fugam amplecti maluit. Poſtremò ut inſigni pugnâ, ita multa adverſariorum ſtrage edita, ſuper proſtratorum à ſe cadaverum ſtruem unà cum petro Pontifice Roskildenſi conſumptus occubuit. Quem ut fati comitem, ita tumuli quoq; conſortem habuit. Nicolaus admoto ſibi per villicum equo, navem petivit. Major fugientium pars comprehenſa per foros navigia conſcendere cupiens ingenti quadam mole merſabat. Igitur qui primi introrſum evaſerant, tardiorum manus navigiis inſertas absque ſocietatis reſpectu ferro truncantes, ferociores in ſuos quàm in hoſtes fuere. Calamitoſa nimirum illa facies erat, cum pendulis navigia brachiis amplectentes, hinc hoſtis vrgeret, inde civis repelleret. Quo experimento quantum quisque ſalutem ſuam alienæ præferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulantium voces, quæ ſpiritum amicorum proprio chariorem aſtruere non erubeſcunt. Crediderim hanc victoriam humanis parum viribus partam, ſed Deo piiſſimi viri interitum ulciſcente conceſſam. Neq; bellum aliud crebriorem Pontificum cruorem abſumpſit. Quippe Petrus Roskildenſis, & Henricus Sveticarum partium Pontifex, omnesq; Jutiæ, præter unum, Antiſtites hoc prælio oppreſſi traduntur. In cujus apparatu Magnus Saxonis filius, Erici miles, ſingulare fidei ſpecimen edidit. Nam cum Nicolaus maritima Sialandiæ loca, ne quis ad Ericum tranſiret, à militibus obſervari juſſiſſet, per Steffnenſis promontorii prærupta à ſatellitibus fune demiſſus, noctu ſcafam conſcendit, eaq; Scaniam petens, gratam Erico opem attulit. Poſt hæc Magnus Noricus nudati conſilii ſui conjugem arguens, rejectam à ſe Erico remiſit, dignam repudio ratus, quæ conjugali charitati conſangvineum prætuliſſet affectum. In cujus contemptum temerata matrimonii religione ſeipſum nuptiis ſpoliare

triſte

NICOLAVS.

triste non duxit. At Nicolaus fugâ in Jutiam elapsus, & tanquam ad fortunæ ludibrium reservatus, æstimato pariter & orbitatis suæ, & ætat s habitu, non ut sibi successorem, sed ut æmulo hostem relinqueret, Haraldum regni post se declarat hæredem. Deinde Slesvicenses ob Magni jampridem facinus infensos ad habitum pacatæ mentis reducere cupiens, de componenda secum pace sollicitat, eosdemq; & ætatis suæ & fortunæ miserationem acturos existimans, sumendorum obsidum gratia oppidum intrare constituit. Rursum cum caput suum inexploratæ fidei civibus objicere dubitaret, Bojonis cujusdam summam inter oppidanos autoritatem gerentis hortatum secutus, salutem simul cum suspicione deposuit. Portas siquidem de industria patefactas ingressus, ut pium cleri, ita ferocem plebis occursum reppérit. In excipiendo namq; eo dividuum civitas animum habuit. Clericis quippe eum sacræ processionis officio venerantibus, cætera vici pars ut hostem excepit. Qui cum inter plateas adversis sibi signis obviam ii i conspiceret, amicis, ut in ædem Petri confugeret, exhortantibus, aulam petivit. Et ne cruenta corrixatione divini fœdarentur penates, regia sese quàm templo tueri maluit, paterno in lare quietius obiturum præfatus. Nec defuit militibus prompta mens ad ejus salutem suis cladibus defendendam. Diu siquidem intactum eum animosis corporum suorum objectibus servaverunt. Neq; triste duxerunt pro tuenda illius incolumitate, suam ultimis implicare periculis. Quorum Slesvicenses primùm sangvine profuso, ad ultimum & Regium absumpserunt.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMITERTII FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANICÆ LIBER DECIMUS QVARTUS.

LXX. ERICVS III. EMVND. Libri XIV. Sectio Prima



Nterea Ericus destinatâ in Jutiam classe, cùm ad Syram insulam appulisset, nuncium de Regis oppressione suscepit. Et fortè in ea rerum colluvione Ericus ac Bero natu inter Haraldi filios primi, deserto patre, fidelius se quàm felicius Erico junxêre. Iidem noctu clandestina patr s legatione petiti, silenter accepta gesserunt. At Ericus nihilominus legationis indicium nactus, experiendæ eorum fidei gratia aliquamdiu ignorantiæ simulatione silentium egit. Quibus secretum paternum tegere perseverantibus, cum se nullam ex eis arcani cognitionem suscepturum putaret, desperato voluntariæ confessionis indicio, vocatos in medium vehementi perfidiæ exprobratione pulsabat, quod rem à patre mandatam parum lucidè pertractassent. Interrogati quoq; quam ad eos pater legationem habuerit; consultos se, quid agere eum potissimum expediret, ut ad Norvagiam exularet, respondisse dicebant; ideoq́ non ante consilium fateri voluisse, quàm ei à consultore obtemperatum agnoscerent. Quorum affirmatio quanquam vera esset, fidem non habuit, quod invita potius quàm ultronea videretur. Igitur eorum experiri Ericus asserta cupiens, ambos arctissimâ apud castrum Slesvicense custodia asservari præcepit, uti veritatis cognitione suscepta, aut innocentiæ præmium, aut reatui pœnam referret. Cui Postmodum idem fortè castellum intranti, memorati juvenes compeditis semet incessibus obtulerunt, supplicesq; ejus genibus advoluti, prætentis innocentiæ meritis, captionis

ERICVS.III Emund.

remedia flagitabant. Quorum Ericus ut fortunæ misertus, ita fidei gratulatus; (quippe fuga patris filiorum affirmationem adjuverat,) sicut erat mero percalefactus, & calamitati lacrymas dedit, & veracitati salutem promisit. Quod cum fortè Christiernus ex aulicis cognovisset, antelucano tempore petenti sacrarium Erico obvius factus, hesternæ eum temulentiæ lascivia concitatum intemperatè munificum extitisse ridebat, quòd Daniam hosti dono dare sustinuisset. Rationem quoq; dicti lucidiore sententia persecutus, Fore, inquit ut Haraldi filiis major vinculorum suorum quàm absolutionis respectus incesseret, odium liberatori pro gratia relaturis. Quid enim aliud Ericum eorum saluti parcentem agere, quàm Haraldo robustorum juvenum auxilia reservare? His vocibus inclinatus Ericus, à promisso suo quàm ab amici consilio recedere, maluit, profectamq; à crapula indulgentiam sobria animadversione cassavit. Huic clementiæ studium in crudelitatis exhortatione deponere rubori non fuit. Itaq; quorum spes ad vitam intenderat, salus aquis consumpta est.

Eodem tempore Norvagiæ primoribus Magnum Haraldo, qui æquè Rege genitus esset, dimidium regni cedere postulantibus, eoq; hominem ignotis ortum parentibus admittere recusante, in agro Fridlevino ferro certatum est. Interea Haraldus repetita Iutia, Vrnicæ concionis suffragiis Rex est declaratus. Quo comperto Ericus navigiis glacietenus (nam gelu undam duraverat) in altum usq; petractis, Iutiam tacitè petivit, Haraldumq; apud Scypetorp vicum noctu cum superstitibus filiis interceptum, diluculo conclavi extractum, absq; respectu fraternitatis capitali supplicio affecit. Ex quibus Olavus clausum armis cubiculum videns, mutata cum fœminis veste, salutarem inter hostes egressum habuit. Ea tempestate Heraldus Norvagia pulsus, ut ab Erico aliquid virium contraheret, in Daniam pervehitur. Quem Ericus ob relictum ab ejus æmulo matrimonium supplicem recepit, oblatumq; sibi speciosum pugnæ titulum gavisus, auxiliis eum prosequi statuit. Haraldus autem, excepta liberalitate, nullam animi ferè dotem adeptus crebra corporis virtute pollebat. Cujus viribus fretus apud Helsyngam oppidum pignore cum Erico posito, an cum lectissimis ejus equis cursu contendere potuisset, duobus in certamen admissis, utroq; metam prior tenuit. Geminis siquidem inter currendum bacillis innixus, crebris corpus saltibus concitabat. Aliud quoq; inusitatæ agilitatis spectaculum edere consueverat. Sæpe etenim inter navigandum puppi exiliens, in proram per exerta remorum capita decucurrit, indeq; cursu in aliud navigii latus reflexo, per reliquos remorum ordines locum quo excesserat, repetivit. Qui si parem animi virtutem à natura traxisset, nequaquam se inter amplexus pellicis æmulo obruendum dedisset. Huic Ericus tametsi opitulari vellet, Sclavis domesticam pacem interpellantibus, animum opere comitari nequivit.

Igitur omissis amici rebus, propriis curam injecit, contractâq; adversum Rugiam classe, quò gnavius bella conficeret, maritimæ Danorum expeditioni primus equos adjecit, quaternos singulis navigiis mandans: eumq; morem diligens posteritatis cura servavit. Classis eo numero digesta, mille & centum navigiis frequens reperta est. Quibus Dani ad Rugiam appulsi, urbem Archom adversum se valido præsidio firmatam inveniunt. Quam ne finitimorum auxiliis juvari sinerent, tractum, qui Archonensium fines propemodùm Rugiâ abscissos cum continenti committit, ligonibus concisum in vallum opacæ admodum altitudinis redegerunt. Tuitio ejus Hallandensibus credita, iisdemq; Petro parere jussum. Quos Rugiani quæsito pervada transitu, noctu inopinatos adorti, compluribus cæsis, à cætero repelluntur exercitu. Igitur Archonenses cum nec vires conferendi belli haberent, neq; locum ad contrahenda auxilia suppetere cernerent, necessitate victi, salutem & in Christiana sacra transitionem pacti, statuâ, quam ve-

nera

ERICVS III Emund

nerabantur, retentâ, Danis se tradunt. Erat enim simulacrum urbi præcipua civium religione cultum, crebrisq; finitimorum officiis celebratum, sed falso sacri Viti vocabulo insignitum. Quo asservato oppidani veterem sacrorum morem penitus abrogari passi non sunt. Primùm itaq; solenni ritu prolui jussi, stagnum majore pellendæ sitis, quàm initiandæ religionis ardore petentes, sub specie sacrorum fessa obsidione corpora refecerunt. Datur Archonensibus pariter rerum divinarum Antistes, qui & eis cultioris vitæ formam perscriberet, & novæ religionis rudimenta contraderet. Sed post abscessum Erici, cum antistite pulsa religio. Siquidem Archonenses abjecta obsidum charitate, pristinum statuæ cultum repetentes, qua fide divinum susceperunt, prodiderunt.

Post hæc Ericus ordinatis in Dania rebus, amici curam importunitate omissam, accepta rerum tranquillitate, resumpsit, juvandiq; gratia ejus urbem Alloam Magno devotam primò diripuit, mox igni subvertit. Interjecto anno, Haraldo eidem opem iterato poscenti, universam Daniæ classem pro supplemento transmisit. Collato bello, viribus Magnus inferior capitur. Quem Haraldus vita frui permissum, oculis ac genitalibus carere præcepit, ne aut luminum voluptate regnum appeteret, aut Veneris usu ultricem sui sobolem procrearet. Cœcatus igitur castratusq; cum interrogaretur, quem ex suis pœnam secum oculorum subire vellet, paucos ea re delectari respondit. Tunc quidam & forma ei simillimus, & militiam ejus singulari fide complexus, ne ex tanta clientela deesset, qui cum domino compati vellet, ultrò se supplicio obtulit, præfatus ut videndi simillimum, ita luminibus orbato futurum. Qui qvum virtute venerationem meruerit, apud improbos pœnam persensit. Magnus verò non tam animi virtute, quàm corporis debilitate continentiæ religionem amplexus, de sceptrato cucullatus evasit.

Interea Ericus quæsitam armis pacem justitiæ ornamentis excolere cupiens, conditas à majoribus leges, ac tunc penè ingenti bellorum tempestate subversas, ad pristini vigoris habitum revocavit, utq; fortitudine fuerat, ita justitia insignis apparuit. Irrogatas minoribus injurias superiorum suppliciis pensabat, nihilq; familiaritati aut necessitudini parcens, aut ferro, aut laqueo inconsultam majorum avaritiam castigabat. Quo studio & principum odia, & plebis obsequia contraxit, evenitq; ut & potentibus formidolosus, & popularibus percarus existeret. Idem rerum à se gestarum virtutem tantis laudibus prosequi consveverat, ut veri interdum fidem excederet. Semel quoq; Erici salus satellitis ejus somnio servata proditur. Nam cum ex freto Slesvicensi Sialandiam petere statuisset, quidam nautarum per quietem existimavit, per inculta montium juga lascivo admodum equo se provehi, eoq; cursum citante inter vallium opaca præcipitatum crebris noctuarum ungvibus laniari. Quod cùm manè per jocum sodalibus retulisset, Ericus ea visione veluti periculi præmonitus, ne eum navigationis comitem haberet, in aliud se navigium contulit, eoq; tutus sociis naufragio pereuntibus permansit, lætatusq; est quod salutem suam alienæ rati, quàm propriæ credere maluisset.

Fortè autem inter ipsum, Roskildensemq; Pontificem Eskillum inimicitiæ primùm, mox seditiones adolevêre. Qua in re Antistes Petri Botildæ filii collegium nactus, autoritate, quam primam inter Sialandenses habebat, in Regis eos odium concitat, viribusq; publicæ consternationis adjutus Sialandiæ eum terminis pellit. Quo exacto provincialem populum in societatem factionis sub titulo libertatis adscisit, à suspectis obsides petit. Solos verò Skialmonis filios seditionis consortium detrectantes ad populare concilium evocat, & ni statuta die obsides tradant, bonis carituros minatur. Illi vero ad concionem pervecti nec minis victi, nec bonorum pœna mul-

ctati

ERICVS IV. Lam.

ctati, solidum tenuêre propositum. Sed ut ad eos impunitas redundavit, ita ad Eskillum pœna concessit. Rege enim cum Jutica classe reverso, patris ac patrui interventu usus, vicena auri talenta mulctæ nomine persolvit. Petrus verò fatis suis ultionem præcurrentibus, pœnam, quæ à Rege parabatur, effugit. Per eadem tempora decedente Ascero Lundensi, de novi Antistitis suffectione dividuum Regis ac populi suffragium fuit. Siquidem Scanienses ob egregia Asceri merita Eskillum arctissima ei consangvinitate junctum, nè pontificium à familia discederet, suffragijs amplectuntur. Rex verò rubore fugationis ammonitus, neq; suorum in Eskillo dedecorum oblitus, Rikonem Slesvicensem, qui nuper Alberto successerat, quòd in potiendo regno familiari ejus opera usus fuerat, eorum arbitrio præferebat. Nec tamen hæc vota palàm ad litem & controversiam progressa fuerant, Scanis metu sententiam occultantibus. Eodem tempore Plogus quidam claro inter Jutos loco natus, tametsi Regis militiam profiteretur, latentes capiti ejus insidias comparabat. Ad quem Ripam veniens, militiæ titulo stipendium postulabat. Quo recepto, datum sibi cladis ejus præmium reputabat. Et fortè Ericus inter quosdam populares acrius diffidentes regali judicatione componere rogatus, publicâ id concione exequi statuebat. In qua qvum Plogus cuidam ex plebe de se querenti satisfacere juberetur, dicendi simulatione facta, non sine lancea progressus, auditum sibi præberi petivit. Stabat autem & Rex hastæ innixus, turbantiq; silentium populo manu, ne obstreperet, innuebat. Quem Plogus loricam veste tectam gerere existimatum diu curiosis speculatus oculis, ut inermem deprehendit, lancea transverberavit. Et ne timidius dicere quàm facere videretur, Regem à se postratum vociferans, cæteros ad militum internecionem hortatur. Aulicis itaq; passim metu dilabentibus, Ericus Haquini filius, cui ex patientia, Agni cognomen obvenit, egregium fortitudinis exemplum præbuit. Diu siquidem exanime Regis corpus gladio potexit, sociisq; in fugam lapsis, solus ex tot commilitonibus intrepidum mentis habitum tenuit, dignus ut ei in regnum successor fieret, pro quo etiam extincto pugnam gerere perstitisset.

LXXI, ERICVS IV. Lam.

Jamq; vacantem Daniæ possessionem nemo sangvinis virtutisve fiducia aut petere aut rapere præsumebat. Quippe Sveno Erici, Canutus Magni, & Waldemarus Canuti filius nondum regno tempestivi fuere. Christiernus verò Waldemarum paterno, cujus ultionem adjuverat, regno dignissimum prædicabat. Quem honorem mater multis & gravibus periculis obsitum, ac vix quidem adultis gestabilem, perniciosum parvulo futurum advertens, poscenti puerum Christierno tradere recusavit, majoribus id munus deberi præfata. Postremò pertinaciùs insistentem jurejurando obstringit, in Regem eum eligi non passurum. Quo Christiernus ad populum & concionem usq; perlato, patris ejus beneficia memorat, ut domi leges & jura stabilierit, ut foris hostem represserit, ut furtis rapinisq; patriam vacuefecerit, ut Daniam penè exhaustam & exangvem Sclaviæ magistram reddiderit, ut etiam unicuiq; per vim amissa ad integrum restituerit, utq; cunctis his operibus sangvini suo regnum deferri meruerit. Verùm cùm filius ejus nondum maturos imperio annos acceperit, neque Danis sub auspiciis puerilibus rem gerere militarem expediat, virum debere circumspici, qui usq; ad provectam pupilli ætatem tutorio regnum nomine procuraret. In quod munus aptius neminem quàm Ericum superioris Erici ex filia nepotem, quod audacia ac pietate præstaret, maternumq; genus ex Regibus duceret, adsciscì posse, adulto rerum summam pupillo cessuram. Ita Erico & populi favor, & pueri majestas vires regias dedit. Hic præter solam animi fortitudinem nihil à natura dotis acceperat, sicut prudentia vacuus, ita parùm amœnus eloquio. Cæterum adeò salutis suæ prodigus

esse

ERICVS IV. Lam.

esse consveverat, ut bellum commissurus, ne singulariter in hostem procurreret, arctius à suis observari soleret. Tunc Eskillus cognito Regem apud Jutiam decessisse, repentè, in Scaniam majoris sacerdotii affectatione pervehitur. Ericus verò infectum antecessoris propositum circà Rikonem explere cupiens, pontificalis ei dignitatis incrementa tribuere gestiebat. Scanienses autem ultima quæque perpeti, quàm pontificium in novam transferre familiam præoptantes, bellum adversum Regem decernunt. Quo ille cognito, ne multorum inimicitias unius viri familiaritate contraheret, proposito suo cupidè cessit, Eskilloq; sedem mutare permisso Rikonem Sialandiæ præsulem mediantibus cleri suffragiis, creat. Interea Olavus Haraldi filius Norvagiâ reversus, patrimonium suum inter bella civilia à patruo occupatum hæreditatis titulo reposcit. Cujus petitioni Ericus illam antiquitatis legem opposuit, qua reis patriæ bonorum pœna decernitur. Patrem siquidem ejus peregrino milite adversum patriam usum, decretam hac lege sententiam incurrisse. Igitur Olavus perinde ac justum belli titulum acceptisset, cupidiùs oblatam seditionis occasionem amplectitur. Siquidem acceptam repulsæ contumeliam ad novarum rerum licentiam transtulit, deq; privati patrimonii repetitore totius regni inhiator evasit. Verùm dissimulato odio, per insidias Regem opprimere statuit. Quem in Arna Lundensi hospitio diversantem noctu adortus, primum à vigilibus clandestinum ejus adventum speculatis excipitur. Qui mox reflexis equis sepultos somno milites clamore eminùs in arma concitant, primiq; portas tueri parant. Auxiliis deinde supervenientium sociorum adjuti, hostilem repulêre conatum. Olavus perinde ac suo proposito victus in Svetiam contendit, sed mox Erico Scaniâ excedente revertit, concionemq; in valle Arnensi sub edicto contractam liberioris vitæ promissis aggressus, regium sibi nomē illecto popularium favore conscivit. Quod indignè ferens Eskillus, bellum ei Lundensi manu cupidiùs quàm prosperiùs infert. A quo superatus primum mox in urbe, ad quam ex prælio confugerat, obsessus, postremò necessitate victus, obsidibus datis, fideq; sub sacramento promissâ, salutem paciscitur. Sed postmodum ex Olavi discessu competentem fugæ copiam nactus, Erici charitatem, & obsidum saluti, & jurisjurandi religioni speciosa temeritate præposuit: neq; nefas duxit extortum sacramenti vinculum voluntariæ amicitiæ cultu convellere. Cujus affectum atq; constantiam Rex ad se in Sialandiam venientis amplissimi ruris vicorumq; complurium datione pensavit. Verùm Scania impensiùs Olavum fovente, ipse veluti in Antistitis fuga per absentiam victus, reparandæ fortunæ gratiâ ad littus more gentis Landora appellatum, expeditionis nomine crebra classe pervehitur. Cujus loci suspectam admodum fortunam habebat, fabulosæ cujusdam opinionis credulus, qua Reges id littus aggressi in annum duraturi negantur. Sed dum per præsentiam fata metuit, absens victoriâ caruit. Siquidem tellure perinde ac fatali malo abstinens, neque ferri, sed ruris violentiam in metu reponens, copias in aciem dirigit, easq; Eskillo proferendas committit. Qui pontificalium sacrorum quàm rei militaris peritior, persimilem priori fortunam expertus, triste Regi spectaculum fuit. Cujus mali intuitu discere Ericus moneriq; poterat, plus viribus suis duces, quàm fœmineis debere figmentis. Quibus superstitionum laqueis, quóve credulitatis errore animum tunc ejus obsessum putemus, cùm ipse qui aliàs adeò manu strenuus existere consveverat, ut ne temerè in hostem se mitteret, à militibus contineri necesse haberet, tunc veluti metu pugnam detrectans, in vicino se per absentiam superari conspiceret? Qua victoriâ Olavus, veluti ipsum jam Ericum delêsset, supra modum erectus, pontificales opes æque ac regias absque respectu religionis invadit, & in contumeliam Eskilli, à quo bis se provocatum meminerat, cuidam ejusdem nominis sacerdoti ponti-

ERICUS IV. Lam.

pontificii gestionem assignat. Deinde tanquam universas æmuli vires superiore prælio contudisset, omnibus corporum munimentis apud Lundiam relictis, alias locorum & metu & armis vacuus proficiscitur. Quo accepto, Rex contractis undique levibus, & quæ fors obtulerat, navigiis, noctu è Sialandia trajecit exercitum, amicis è Scania navigationi suæ ductum eminus scintillarum silicibus excussarum splendore præbentibus, fortissimos quatuor Olavianæ militiæ viros domi interceptos, aquis obruendos curavit. Adulterinum Pontificem à veri sacerdotii sacramentis exutum, suspendio finivit. Arma deinde hostium gratam militibus prædam occupavit. His denique usus, Olavum apud Glumstorp vicum conserto prælio superavit. Qui in Gothiam confugiens, interjectis diebus per Blekingiam revertit, itemque ab Erico fugatus, cum ad montium angustias pervenisset, eorum præsidio fretus proximè insequentes delevit. Partem quoque exercitus in hostium terga trajecit, eaque manu propemodum Lundenses absumpsit. Super hæc omnia fugam capessit. Deinde veluti rebus in Scania parum feliciter provenientibus bellum in Sialandiam transfert, fortunam loco mutare cupiens. Vbi ab incolis Rikonis ductum secutis, apud Bythingam amnem bello victus in Hallandiam excurrit. Ex qua rursum Sialandiam petens, cum ex agrestibus antistitem in vico Ramløsa moram habere cognosceret, noctu tacitus in vicinia mansit. De cujus cubiculo certior per matutinum ejus officium factus, ostio militem invehi jubet. Ad cujus tuitionem procurrentes cubicularii in limine trucidantur. Antistes ipse extremæ necessitatis periculis obsessum se videns, religione saluti postposita, cervicem scuto subjecit, aditùque hostem insigni pugna prohibuit: clericis interim qui & epistolarum ejus & annuli curam habebant, convulsas penè januas admoto pulvinorum cumulo reprimentibus. Igitur ædem Olavus, quia armis non poterat, flammis attentabat. At pontifex ense quàm igni consumi speciosius ratus conferendi cum Olavo sermonis pacem efflagitat, benignaq; ejus promissione firmatus, exserto foribus capite trucidatur. Igitur Olavus ultionem parricidio consecutus cupidè in littus decurrit, utq; navigia tacitus deseruit, ita concitus eadem repetivit, ante fuga & navigatione usus, quàm Rex nuncium facti, qui tunc in vicinia morabatur, acciperet. Quo cognito Romanus Antistes acerbissimâ adversus eum execratione usus, cæteris per Europam pontificibus similiter in ipsum pronunciandi detulit potestatem. Mandatum quoq; ad universos Jutiæ pontifices dedit, ut sententias adversum sacrilegam ejus impietatem debita animadversione distringendas curarent, indignum usu sacrorum existimans, qui celebrem eorum ministrum oppresserit. Ericus verò comperto Olavum Hallandiam petere, festinatò post eum pervehitur. Cujus adventu Olavus apud Aristadium nunciato, vicini pontis beneficio fugæ consuluit, eoq; post tergum abrupto, in proxima ripa tutus consedit. Pauci ex militibus ejus, quibus ob virtutem aut corporem fuga tardior erat, à supervenientibus occupati funduntur. Tunc Ingimarus quidam vetus Erici miles, æmulum ejus non bellorum impendio, sed levi insidiarum momento tollendum ratus, illectusq; sive præmii spe, sive gloriæ cupidine, transfugæ titulo Olavum petivit, eumq; transitionis simulatione secutus, tandem in publico pergentem equi pernicitate fretus, telo trajicere destinavit: complessetq; votum, ni Olavus repente equo delapsus, imminens jaculum industria corporis declinatione vitâsset. Deinde citatum acriùs eqvum, dum incautiùs fugæ compendium quærit, in palustre cœnum præcipitem agit, ejusq; voraginibus implicatus, opprimitur, proposito parum respondente fortuna.

Post hæc Ericus nuptiarum solicitatus affectu, Bremorum Antistitis Hartvvici germanam, uxorem duxit, natu quidem nobilem, sed non tam pudicitiâ, quàm parentela conspicuam. Cujus instinctu vetera regum latifundia

ERICUS III. Lam.

fundia in eos maximè, quorum forti opera adversus Olavum usus fuerat, dono contulit, neque regiis opibus, quò minus susceptæ pro se pericula repensaret, pepercit: quasi ad hoc tantum eas recepisset, ut in alios largitione transfunderet, totasq; stipendii loco militibus erogaret. Postremò æmulum apud Thiutam amnem cum majore copiarum parte bello delevit. Verùm non eâdem virtute peregrina ac domestica bella confecit. Expeditiones enim, quas adversum Sclavos ductabat, non tam timori eis quàm ludibrio fuêre. Adeò enim apud eum inertia omnia solutaq; fuere, ut ne à viro quidem edita putarentur. Infimi cujusq; in solvenda militia arbitrium sequebatur. Sæpe lixarum redeundum vociferantium clamorem secutus, classem dimisit. Ob cujus mollitiem animata Barbarorum atrocitas, non solum eum foris pervagantem contempsit, sed etiam domi consistentem invasit. Qui cum in Fioniam fortè è Sialandia navigatione contenderet, piratas post tergum imminere conspiciens, avidè petito littore, armamentisq; omnibus in prædam relictis, non sine rubore & metu navigio cessit. Interjectis annis, cùm apud Sialandiam febri se implicatum sentiret, Fioniam usque, cujus erat oriundus, concessit, spiritum, ubi acceperat, redditurus. Illic desperato languoris remedio, quia corpori non poterat, spiritui consulere cupiens, regiam vestem cucullâ permutat, vocataq militum cohorte palàm regno renunciat. Creditum enim est, & à sacrorum peritis traditum, nihil abolendis piaculis pœnitentiæ religione valentiùs reperiri. Tunc Elivus à vico Wisingo, qui & ipse ægro cum aliis assidebat, cunctos de creando Rege circumspectis esse suffragiis jubet, utpote præsenti jam militia liberos. Quæ vox vitam Regis, quantulacunque restabat, absumpsit, ægre ferentis adhuc vivo sibi successorem inquiri.

Defuncto Erico ambiguum plebis de regno suffragium fuit. Quippe Canutus in Jutia, Sveno apud Sialandiam, Magni alter, alter superioris Erici filius, ingenti ambitu regnum petebant. Siquidem hunc paterna, illum avita merita venerabilem faciebant. Svenone itaq; Sialandensium suffragia ambiente, ac plerisq; petitionem ejus favorabiliter accipientibus, Olavus cognomine Balbus prisci moris æmulatione permotus, cunctos qui regium ei nomen tribuerent, ipsumq; si reciperet, execratus, adduci se posse negabat, ut in hanc vocem inconsultâ patriæ majestate procurreret, aut regium honorem privato præter publicum regni consensum deferret. Siquidem electionis locum Sialandiam esse, jus verò penes popularis arbitrii cõmunitatẽ consistere memorabat. Hæsitantibus cunctis, atq; à sententia aliquantulũ cedentibus, Steno quidam, spreto veterum ritu Svenonem occultis à se promissis aggressum, Regio primus nomine censuit. Majoremq; concionis partem ad similem vocis ausum induxit. Itaq; sententiam ejus prosecutum vulgus, quod arbitrio suo paulò ante permittere verebatur: pari mox suffragio comprobabat. Eodem quoq; autore populus Sialandensis creatum à se Regem finitimorum consensu fulciri cupiens, Jacobo Colonis filio, singularis facundiæ viro, legationem compositam & subornatam committit, qui Scanienses adulatione dignitatis ad societatem electionis impelleret. Idem Svenoni comes in Scaniam datus, accepta dicendi copia, docet noluisse Sialandos quicquam super regio delectu sententiis suis præter Scanicum arrogare consensum, sed hunc sequi in cunctis quàm præcurrere malle, sine eo nihil magnæ rei executuros. Verùm Svenonis insitam animis charitatem habere, eumq; sibi in Regem, dũmodò Scanica allubescant suffragia, exoptare, quem præter propriæ indolis claritatem, etiam patris aviq; merita commendarent. Meminisse deindè monet, ut soli cæteras Danorũ vires obtriverint, ut patri ejus ad extremam penè desperationẽ redacto, nihilq; præter interitum præstolanti imperium dederint: obsecratq; humanitate, quâ illũ exceperant, filium prosequantur. Ita Sialandensium affectum indicans, sed factum reticens, omniũ

LXXIII. SVENO CANUTUS V.

Svenoni ſuffragia conciliavit, quos ad hunc favorem non ſolùm Sialandenſium legatio, ſed etiam propriæ eorum virtutis memoria concitabat. Canutus quoq; eodem à Jutis honore provehitur, indignantibus Svenonem temeraria geminæ concionis audacia Regium occupaſſe vocabulum. Inde Sialandiam, potiendæ ejus libidine, iiſdem fretus, accedit. Pòſt hæc Maximum Pontificem Eskillum, eundemq́; Svenonianæ partis fautorem occultis ad defectionem promiſſis impellit. Quibus incenſus Antiſtes Canuto per internuntios mandat, claſſe Scaniam petat, ſeq; belli ſocium pollicetur. Ut autem occaſionem ſibi tranſitionis conſciſceret, ac lubricum fidei ſuæ rationabilis cauſæ titulo coloraret, acceptas à Svenone injurias fingit, & quaſi cum eo controverſiam initurus, contractis colloquii ſimulatione militibus, Lundiam quæ & Svenonem habebat, petivit. Ubi dum compoſitionis negocia falsò geruntur, Canutum ex iis, quos ad ſpeculandum ejus adventum præmiſerat, adeſſe cognoſcit. Nec colloquium ſolvere moratus, ignotum cæteris conſilium ſuum eadem hora repente detexit. Siquidem elatis ſignis, præcipiti in littus equitatu contendit. Cujus adventum Canutus navigatione præcurrens, littori copias mandare noluit, ſed in altum navigia rejiciens damnatâ promiſſoris fide, Sialandiam revertit. Ita præſens conſilium, non cedentibus ex ſententiâ rebus, fortuna deluſit. Sveno verò properantem ab urbe Pontificem ſubſecutus, revertentem bello ſuperat, captumq́; quia publica cuſtodia non ſuppetebat, in excelſam Laurentianæ ædis partem attollit, eiq; templum ergaſtulum fecit. Eapropter execrationis (quæ ſuprema Pontificum ultio eſt) cenſuram metuens, non ſolùm eum captione eruit, ſed etiam agreſti vico, magnâq́; Boringiæ Inſulæ parte, quò ſinceriorem ejus favorem impetraret, donavit. Pòſt hæc ſine ipſo, apud Slangetorp ruralem Sialandiæ villam, bellum cum æmulo facit, eumq́; cruentiſſimo prælio ſuperatum inſulâ pellit. Victor in Scaniam redit, Canutus in Jutiam refugus ceſſit.

Per eadem tempora Romanus Antiſtes Barbaricæ tempeſtatis procella rem divinam penè obrutam everſamq; conſpiciens, datis per Europam epiſtolis, univerſos Chriſtianæ credulitatis hoſtes ab ejus cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem Catholicorum provinciæ confinem ſibi Barbariem inceſſere jubebantur. Ne ergò Dani privatæ militiæ rebus, publicæ religionis officia detrectarent, ſumptis ſacræ peregrinationis inſignibus, imperium amplectuntur. Igitur Canutus ac Sveno invicem obſidibus datis, depoſitisq́; inimicitiarum exercitiis, rei melius gerendæ gratia pacem pro tempore ſtatuunt, revocatumq; à ſuis viſceribus ferrum, ad ſacrorum vindictam convertunt. Diſcordiam itaq; à Regni æmulatione profectam ſociæ expeditionis fœdere caſtigantes, junctis viribus Sclaviam petunt, Germanis ex condicto diverſam ejus invadentibus plagam. Juti Canuto duce, Hethbyenſes Svenone, hoſtilem occupant portum. Superveniunt extremi Sialandenſes ac Scani, prioremq́; claſſem, prout cuiq; locus patebat, ſua circumincludunt. Occurrunt in littore Saxones, & ipſi vindicandæ religionis cupientiſſimi, militiæ ſocii Danis futuri. Mox Dobinum inſigne piratica oppidum, ab utroq; circumſidetur exercitu, omni Danicâ multitudine, præter paucos claſſis cuſtodes, navigia relinquente. Quorum raritate cognitâ Rugiani primam obſeſſis opem, inimicæ claſſis oppreſſione, porrigere ſtatuunt. Mox Scanos, quos ordo proximos offerebat, adorti, fermè omnes fuderunt: Jutis jucundam eorum cladem ducentibus, neq; ſocios computantibus, quos duce à ſe diverſos noverant. Sed & forenſis nondum pugnæ memoria exoleverat, & recens partium odium æſtuabat. Adeò quos privatæ iræ agitant, publica nunquam communio fœderat. Aſcerus verò Roskildenſis, qui claſſis à Rege curam acceperat, ſuo repente navigio per ignaviam cedens, mercatorium, cymbâ advectus, conſcendit, eoq; latebram nactus, quos ſpecioſo pugnæ exemplo ad fortitudinem incitare debuerat, deformis fugæ ſpectaculo territabat. Primum

autem

autem Scani, ne timidioribus fuga ſuppeteret, communibus vinculis arctiùs naves in claſſem ſociant, mox victi nexus induſtriè procuratos fortuitis ruptionibus lacerant, parsq; ferro periit, pars necem ſibi inter undas præcipitiò maturavit. Cumq; Rugiani complures ob magnitudinem naves captu difficiles animadverterent, multitudinis ſpecie metum eis ingerere cupientes, claſſem ſuam adductis cæſorum navigiis duplicant, eademq; perinde ac remigum plena tentoriis inſtruunt, vacuitatem umbraculis obſcurantes. Uſi ſunt & alio non minore mentiendæ claſſis ingenio. Noctibus enim tacitâ navigatione in altum pergentes, diluculo referuntur imaginem recentis claſſis, & ſupervenientium auxiliorum effigiem præbituri. Sed crebrò id agentium fruſtrà calliditas fuit. Interea Danis obſidionem urgentibus, eorum claſſis piratico bello nunciatur oppreſſa. Hac famâ revocati, correptis navium reliquiis, Rugianos reſiſtere formidantes, portu propellunt, ſociorumq; ſtragem fugâ hoſtium ulciſcuntur, ob interfectorum cadavera parùm adhuc navigabili ponto. Svenoni verò, navi, quâ venerat, ſpoliato, ſuam cedere Canutus liburnicam voluit. Sed ſuſpecta æmuli humanitas erat, oblatumq; notabatur obſequium. Nam cùm ejus partes incolumes, ſuasq; propemodum exhauſtas videret, alieno navigio reditum experiri fiſus non eſt. Sleſvicum devectus, interjecto tempore, prior Canuto Sialandiam occupat, Roskildiamq; mœnium inopem, receptaculi gratiâ, vallo foſſaq; complectitur. Cujus cuſtodiâ Ebboni mandatâ, in Scaniam pergit. Canutus verò Scanienſium damnis benignè ſecum à fortuna actum exiſtimans, eamq; tantum ſibi virium addidiſſe, quantum æmulo dempſiſſet reputans, ne res ejus proximâ clade corruptas, otio recreari permitteret, Sialandiam tem ſibi quàm hoſti dividuâ ope familiarem, Jutis præcipuè fretus ingreditur, ei potiſſimum ceſſuram ratus, à quo primum occupata fuiſſet. Ubi comperto Roskildiam deſciviſſe, portasq; ſibi, Ebbone filio Skialmonis autore, clauſiſſe, Sunonem quendam ſola loquacitate inſignem, nec tam conſilio gnarum quàm amœnum eloquio, qui eam ad deditionem hortaretur præmittit. Is cùm ad oppidum perveniſſet, primùm ante vallum laſcivè & diſcurſim obequitans, mox compoſiti volubilitate ſermonis propugnaculis inſiſtentes aggreſſus, legationis mandata facundiùs quàm feliciùs explicabat. Quem Ebbo de induſtria blandis ac mitibus verbis excipiens, emiſſis deditionis ſimulatione juvenibus prendendum curavit. Quorum unus paulatim ei propior factus, jus fræni violentiùs occupat, cæterisq; eqvum à tergo pulſantibus captum civibus legatum adducit. Is primò compedum pœna coërcitus, poſtmodum ſuperveniente Svenone luminibus ſpoliatus improvidæ exhortationis pœnas pependit. Hæc audiens Canutus potiendæ urbis diffidentiâ, in Jutiam revertit, utq; rerum commoditas affuit, Sialandiam ſpe reparandæ fortunæ, parte, quâ maris anfractibus interluitur, inopinatam intravit, improvidam quoq; Roskildiam capit, & penates Ebbonis ad Svenonem elapſi incendio diruit. Unde ne impenſarum inopia arctatus diſcederet, publico ſtipendio alimentorum ei ſubſidia decernuntur. Par Scanienſibus circa Svenonem affectus inceſſerat. Ne enim labente ſumptu veluti ciborum penuria afflictus arma deſerere cogeretur, publicæ eum collationis commeatibus proſequuntur. Tanta inter partes virtutis & gloriæ æmulatio fuit. Interea nobiliſſimi Jutorum, & in rebus bellicis ſingulari militiæ laude conſpicui, duabus Svenonem liburnicis petiverunt. Quorum viribus ſuccinctus, aſſumpto Eskillo, manum in Sialandiam trajecit, ac prope Thorſtam vicum bello cum Canuto concurrit. Ubi inclinata ſuorum acie timidiorum fugam ſecutus, fortiorum victoriâ revocatur, & dum vinci credidit, victor repentinus evaſit. Canutũ verò ſui, ſive quòd tenerâ adhuc ętate eſſet, ſive quia belli eũ implicare periculis nollent, in aciem deſcendere paſſi non ſunt, pro duce pugnæ ſpectatorẽ effectũ. Interjectis diebus, Waldemarus divi Canuti filius, armis tunc primũ per ætatem matur⁹, ſed

SVENO III. CANVTVS V.

paterna in Canuto merita perosus, Svenoni se jungit, in ejus castris militiæ tirocinium habiturus. Cujus favor plurimum Svenoni virium conciliavit. A quo paternæ præfecturæ dignitate donatus, Canutum quendam Henrici filium sub Canuto Magni filio ejusdem beneficii titulis inhiantem, crebra belli congressione perdomuit. Nec minor ipsis mediocris rei, quàm Regibus summæ æmulatio erat. Semper autem ad Waldemarum victoria redundavit. Erat autem Canutus insignis facundiâ, sed moribus effusissimus. Sveno & fortunæ favore, & virium incrementis accinctus in Fioniam excedit, mox æmulum apud Jutiam persecuturus. Ubi ab exule quodam Ethlero solicitatus bellum in Holsatios parat, abundè minora ad trajiciendum navigia promittente. Incolæ siquidem, quò transitus impeditior foret, pontem convulserant. Venientibus Eydoram, promissoris incuria binas tantum naviculas exhibuerat: quarum altera Sveno suos præcedere cupiens, saniore militum sententia revocatur, rogatus propositum hostium alienâ trajectione prænoscere, neq; propriis rem periculis explorare. Siquidem haud procul eis latebram esse, partem copiarum, quantam à se superandam crediderint, irrupturis. Nec falsa prædictio fuit. Holsatii quippe vicinis se saltibus occultantes, patienter primorum aditum præstolantur: transvectisq; quos à se capi posse confiderent, procursu facto, omnes aut neci aut captioni subjiciunt. Quanquam Danis in propulsando periculo animus non deesset, utpote qui nec fugere possent, & in Regis oculis pugnam edere necesse haberent. Ita nostros ad virtutem capessendam & salutis desperatio, & præsens ducis incitabat aspectus. Quorum periculis exturbati scafarum magistri, circa palos medio amne defixos hærebant, neque residuos transvehere, neque translatos referre ausi. Itaque nec Regi ad procedendum, nec victis ad resiliendum opi fuere. Interea Canutus sumptuosis militiæ impensis oneratus, nec minorem Occidentis humanitatem invenit, quàm Orientis nuper expertus fuerat. Siquidem agrestium placidè tractatorum stipendia contraxit, tali Jutorum beneficio usus, quale pridem apud Sialandios acceperat. Hujus Sveno congressu vitato, Scaniam revisit exiguis militiæ reliquijs integram æmuli manum attentare formidans. Interjecto tempore, receptis pretio captivis, securus Jutiam adiri constituit. Peragranti Fioniam Ebbonis è vita nunciatur excessus. Cujus fato dejectus, relatis in Sialandiam copiis præsens belli propositum deserit, militemq; plangere quàm æmulum incessere maluit. Adeò enim familiariter eo usus, ut nihil in foro, nihil in castris, absque ipsius administratione curaret, inque privatis ac publicis negotijs prorsus ex ejus arbitrio sententiaq; penderet. At ubi recens funeris mœror exolevit, bellum novaturus per Fioniam in Jutiam decurrens, Wibergenses regiorum vectigalium immunitatem pactos, ad bella pro se suscipienda perduxit. Huc Canutus magnis Orientis viribus succinctus advehitur, victor haud dubiè futurus, nî svadentibus amicis equestrem militiam pedestri mutasset. Siquidem optimates ejus superiorum bellorum admoniti, quibus rem infeliciter equitando gessere, ne fugæ facultas ignavos abriperet, necessitatem sibi inferre tentantes, equorum adminicula submovenda duxerunt. Canutum cum paucis equitibus peditum medium faciunt belli merita æstimaturum. Nec aliàs Sveno rebus suis impensiùs diffidebat. Ut autem hostes ultro militiæ expedimentis exui vidit, summa spe extremam desperationem mutavit. Neq; enim ignorabat equitatu vacuos lentam & ignobilem militiam edituros, plusq; sibi præsidii demere quàm duramenti consciscere. Et ne ei similis manus deesse videretur, Wibergenses utpotè rei equestris ignaros, pedestri prælio militare præcepit, nonnullos inter sagittarios & funditores dispertit. His levia tormenta saxaq; jactilia pro armis fuere. Proxime eis ab utroq; latere equites jungit, mox hostium terga pressuros. Committendi taliter prælii præcipuus autor ei Waldemarus extabat, corpus annis tenerum, animum industria prævalidum habens. Is siquidem pedites peditibus oppo-

SVENO III. CANVTVS V.

opponendos, latera autem & terga ab equitibus incessenda docuerat. Canutus dupliciter instructi hostis consilium ex apparatu cognoscens, opportunitatem insidiis negare disposuit. Quibus ut copiam demeret, neque suos à tergo circumveniri pateretur, opus impetu ratus, totam manum in confertissimos pedites inducit, eosque passim & variè resistentes penè omnes oppressit. Nec ea tamen virtute periculum propulit. Quippe Sveno utrinque ex latere adversarios, partito equitatu circumvolat, deturbatisque equis, quos retrò aciem, fugæ metu, locaverat, ancipiti incursu conclusos exagitabat. Quod ubi videt Canutus transversis aciem principiis instruit, revocatamq; à peditibus pugnam, ad equites transtulit. Quippe à tergo instantibus ora advertere necesse habuit. Sveno verò cum & armis diffideret, & equorum pericula formidaret, transversis eos præliis fatigare, non manum cum eis acie conserere, non pugnandi copiam facere, sed incerto Marte ludificatos, æstu ac lassitudine superandos curabat: eos gravissimè adortus qui communi acie longius excedentes, audaciùs semet propulsandis objecêre periculis. Variis igitur irruptionibus lacessiti, crebroq; impetu & obliquis concursibus lacerati, tandem virium inopia ad tantam corporis lassitudinem pervenerunt, ut præter communem belligerandi morem in ipso certaminis ardore sessione pausarent. Cumq; nec ad fugam, nec ad pugnam vis ulla suppeteret, dum solicitè salutis præsidia circumspiciunt, oppidum cujus paulò antè incolas fuderant, composita acie paulatim accedere tutissimum ducunt, subsidii loco hostium tectis usuri. Eò igitur servatis ordinibus incessum emovent, procuratis qui à tergo curarent, hostemq; retrogradi pellerent. Tanta plerumq; necessitatis fiducia est.

Tunc Barcho quidam promptissimus Svenonis miles ab adversariis undique circumventus, innumeram manum admirabili solus virtute sustinuit. Tandem obfusis sudore oculis, pulso clypeo ambas bipenni manus inserere, promiscuè cædem facere, hostes ac socios juxtà ferire, nulli propiùs instanti parcere. Quo viso Waldemarus, cui multa secum ex veteri convictu familiaritas erat, memoria priscæ charitatis, evectus equo ocius advolat, extremis amici rebus adesse cupiens. Quem Barcho adversarium ratus, relata bipenni instantem appetit. Sed Waldemarus prærepto eo ictum ocyor antevenit. Manubrio solo scapulæ ejus vehementer impacto ferrum excidit. Vix hominem inter tot arma, tot hostes obnixius contranitentem servare potuit. Diu tandem obluctatum abducit, invitumq; saluti restituit. Qui postquam se ab amicissimo salutari captione pertrahi videt, libenter quidem ejus opem excipere dixit, sed non ita uti hac velle, ut captivorum more clunes equi sequendo, fœdum de sespectaculum faciat.

Verùm ex parte Canuti alii confestim fugam facere, pars oppido latebram quærere, nonnulli per medias ejus plateas erumpere: Canutus ipse per angustissimas vici partes, equo vectus eripitur. Occupati, qui in vicum profugerant, & in unam ædium captivi traduntur. Ad quos introgresso Rege, Helias Ripensis Antistes, circumspectis omnibus, hortulanum Regi æmulandum ajebat, qui utilibus herbis incrementa conciliat, noxiis locum vacuefacit. Quod dictum specie horridum, si quis altius mente perspiciat, summâ industriâ procuratum fateatur necesse est. Abcisè enim rem, sed copiosè disseruit. Cui si Sveno obsecutus fuisset, profectò omnem æmuli fiduciam sepelisset. Qui licet injuriarum nomine vindictam à captis exigere potuisset, ad mitiorem tamen sententiam ingenita sibi pietate deflexus, plerisq; redimendi copiam fecit, aliosq; sacramento, alios sponsione in fidem acceptos, morte mulctare passus non est. Ex quibus binos duntaxat peculiaribus flagitiis obsitos, alterum quia tetram latrociniis vitam egerat, alterum quod optimè de se merentem virum per insidias dormientem oppresserat, capite pœnas solvere jussit: in neutro belli, in utroq; sceleris negocium puniens.

SVENO III. CANVTVS VI. profugus.

Complures ex ſuperioribus tributæ ſibi ſalutis immemores, acceptum ab hoſte beneficium repetitâ Canuti militiâ neglexerunt, eisq; priſtina fides recenti charior erat.

At Canutus ab Alaburgo Liuthuſium petens, apud vitricum Sverconem exul aliquandiu demoratus eſt. Huic ſiquidem, occiſo Magno, Canuti mater conjugio obvenit. Tunc verò laceræ Danorum res disjectæq; fuêre, cùm interius ſociali bello flagrante, exterius piratica peſtis ingrueret. Cujus propulſandæ cauſa, Sveno toti Sclaviæ bellum crebrius quàm proſperiùs inferebat. Neque enim tanta illi in præliis perſeverantia, quantus furor atque impetus fuit. Nam cum receptui conſulere debebat, tam avidè littus repetere conſvevit, ut par fugæ reductio videretur. Neque ſuorum ei res curæ fuêre, dummodò prior ipſe navigium rapuiſſet. Quæ Regis ignavia tantam Sclavis audaciam dedit, ut crebro copias ejus revertentes opprimerent. Ipſe quoque Wibergam adhuc munimenti expertem, quo tutiori ſibi receptaculo foret, terreis mœnibus clauſit, magnisq; eam ſtipendiis inſtruxit. At Canutus apud Svetiam primùm vitrico optatus, mox onuſtus haberi cœpit, ita ut pro comparandis alimentis, quicquid illic prædiorum poſſederat, venditaret. Neq; enim ulla gens exules aut promptius recipit, aut facilius reſpuit. Sed & filius Sverconis Joannes, ut plurimùm ſtrenuus, ita parum facetus, irriſorio carmine fugam ejus præliaq; retexuit, & quaſi cantilenæ ſpecie pudibundi hominis verecundiam laceſſivit. Ut enim hoſpitem rubore & contemptu perfunderet, fortunam ipſius ludibrio laceſſere cœpit, aſperſisq; jocis, & ignominioſo verborum genere, ignaviam ei belliquè triſtes exprobrabat eventus. His Canutus opprobriis irritatus, navigio commeatuq; empto, plurimum in avunculi & materna fiſus neceſſitudine, Poloniam profugit. Quem illi maternæ rei nomine regni conſortionem appetere rati, cæteris in locis admiſſum, munimentis excipere non paſſi ſunt. Ad ultimum eum nè placidâ ſatis fronte conſpiciunt, inſontem notantes, cum propinquo charitatem deberent. Augebat hunc metum recens majoris eorum fratris depulſio. Itaq; receptus quidem, ſed nullam, ut dixi, urbium intrare permiſſus, ad præfectum Saxoniæ Henricum pervehitur. Apud quem minorem ſpe ſua fortunam expertus, Hamburgenſem antiſtitem Hartvicum accedit, jampridem Danis juriſdictioni ſuæ exemptis infenſum. A quo humaniſſimè habitus, belliq; tandem ſubſidia mutuatus, domeſticorum militum fidem, tacita legatione pertentat. Reſponſum eſt, omnes ad eum ocyſſimè tranſituros, datamq; Svenoni fidem, priſtinâ mutaturos. Qua promiſſione ſecurior factus, peregrinâ manu Jutiam intrat. Sed & ſuis nec humanitas Svenonis, nec obſidum charitas, nec perjurii reſpectus, quo minus ad eum ſigna referrent, obſtaculo fuit. At Sveno ubi de ejus adventu cognovit, virium diffidentiâ, apud Wibergam recentibus à ſe munimentis excultam, obſidionem ferre conſtituit. Ubi ad ſuſtentandam ſumptuum neceſſitatem, bona eorum, qui ad Canutum conceſſerant, rapinis exhaurit, prædatuq; ſtipendia contrahit.

At Canutus ex proximæ pugnæ eventu, urbem oppugnare diffiſus, formidatâ locorum fortuna, procul mœnibus caſtra conſtituit, opperiri volens, quoad æmulus, protelatis diebus, alimentorum egeſtate vexatus, aut turpiter fugam, aut temerè bellum arriperet. Ea Canuti ſpes Svenoni victoriæ fuit. Eodem tempore Bruno quidam, qui & Canutum ipſe è Saxonia ſecutus fuerat, ſive Svenonis inſtinctu corruptus, cum quo vetuſta ſibi ſocietas erat, ſive delati belli tædio ſatiatus, impetrata utcunque licentia, cum aliquot Ripam ſeceſſit. Sveno verò cum rem familiarem magnis in urbe ſumptibus exhauſiſſet, neque trahendi diutius belli materiam circumſpiceret, audendum aliquid cum periculo ratus, noctu magnis itineribus tacitus ad hoſtium caſtra contendit, eosq; mane divina curantes, improvidos irrumpit. Quibus repentino metu perculſis, ut cuiq; animus erat, aliis fugam, aliis arma capere

SVENO III. CANVTVS V. victim.

sapere negotium fuit. Medius horum interfluebat rivus occultis voraginibus frequens, sed uno duntaxat vado meabilis, quod Svenonianis incognitum, Canuticis notum prior loci inspectio fecerat. Exiguus idem & obscurus olim, nunc belli inclytus fama. Igitur qui irruperant, ignorantiâ loci, invias rivi partes aggressi, præcipitatis equis improvidi impetus pœnas dedere. Experti periculum eimnus instant, fundisque ac jaculis provocant congressum, prohibente lacunâ. Tunc Saxones ostentandæ virtutis avidi, ne rebus locus officeret, equis vadum insiliunt. Waldemarus postquam id loci equitabile videt, tanquam hostes transitu prohibiturus, eò frena convertit, adversoq́; cum eis equo concurrens, impactam uni lanceam ingenuo militandi more perfregit. Sed contra in ipso gurgite ita quaternis simul hastis excipitur, ut eqvus in clunes consideret, ipse tamen ob egregiam equitandi peritiam sella pelli nequiret. Quin tam inter frontem galeamque defixam, adacto capulo collisam avulsit. His malis liber, arrepto equo cum paucis vadum superat, & ne secuturis angustias faceret, procul rivo secedit, ibiq; facta acie pugnam capessit. Quinetiam totam hostium turbam, quoad omnis sociorum permeasset exercitus, parva manu sustinuit, Svenoniq; certissimus autor victoriæ fuit. Quo opem ferente, Canuti partes fugam fecêre. Grandem quippe ex superioribus præliis metum hauserant, eorumq; memoriam abjicere nequeuntes, ægris semper infractisq; animis erant. Adeo enim Canuticorum animos res adversæ corruperant, ut majore fortitudinis parte defecti, perseveranter hostem ferre nequirent, nimioq́; timoris captu hebetatis animis, faciles semper in fugam existerent. Saxones verò, quibus agitatio militaris familiarior erat, equestri exercitatione usi, crebro equorum rejectu victoribus insultabant, ita fugam moderantes, ut eam non sine ordine & regimine dirigere viderentur. Promtissimus horum Folradus eo prælio cadit, neq; captorem reperire quivit, quanquam obrutus prendi se plurimum precaretur. Cæteri interdiu malè fugientes oppido noctu manserunt, ubi à fugæ persecutoribus intercepti, hospitio necantur. Condixerant enim victores nemini parcere devictorum, tum Saxonum odio, tum quia proximo bello captos & à se redimendi potestate donatos, denuo hostes experti fuissent. Canuto Saxonia refugio fuit. De cujus fuga Ripenses, uti acta erat, ab intermeantibus edocti, quo plus victori placerent, confestim Brunonem capiunt, Svenonis, in brevi, judicio præsentandum. Quem Sveno oblatum aliquandiu familiarius habuit, mox donatum abire permittit. Quæ res ei apud conterraneos suspicioni primum, mox cladi atq; exitio fuit. Fuere enim interfectorum propinqui, qui crederent, eum pecuniâ à Svenone corruptum, sociorum salutem iniquissimo subvertisse consilio: declinati belli argumento doli conjecturam trahentes, neq; aliud beneficentiam Regis, quam fraudis præmium extitisse putantes. Cui cum de perfidia diem dixissent, omnemq́; accusationis suæ vim validissima ejus defensione elusam viderent, invictum foro insidiis occupant.

Sveno perinde ac privatis periculis liber, ad publica propulsanda animum induxit. Locis marinis natura munitis, complura agrestium præsidia condidit. Bina castra, alterum in Fionia, in Sialandia alterum propter fretum molitur. Quæ piratis timori, incolis verò receptui forent. Sed à Sclavis utrumq; convulsum proditur. Bellum cum ipsis magna apud Fioniam virtute gessit. Quorum copias ita cæcidit, ut plerisq; militum palmas ferro prærosas habentibus, media digitorum caro crudesceret.

Eo tempore propter incursus, qui à maritimis crebri prædonibus edebantur, apud Roskildiam, Wethemanno autore, piratica cœpit: cujus hæc disciplina, hi mores fuere. Navigia piratæ magis idonea sibi visa, absq; possessoris permissu assumendi potestatem habebant, octava acquisitorum parte

SVENO III. CANVTVS VI. profugus.

naulum daturi. Navigationem orsuri, apud sacerdotes præteritæ vitæ piacula deplorabant, eorumq; religiosa animadversione puniti, perinde ac statim decessuri, divina altaris libamenta sumebant, cuncta prosperius cessura rati, si ritè Deum ante bella placâssent. Parvo viatico sumpto, onera & impedimenta vitabant, armatura ac cibo simpliciter contenti, nihilq; quod navigationem moraretur, amplexi. Multæ illis vigiliæ, multaq; parsimonia erat. Remorum manubriis considendo innixi, somnum carpebant. Quoties propter littora illis navigatio erat, eadem antè speculatoribus perlustranda mandabant, ne quid incompertum fortè vel improvisum occurreret. Insulas, ad quas vento afflarentur, petebant, missis qui loca procellis aversa percurrerent, quòd peregrina classis tranquillis soleat portubus delectari. Crebrum eis cum hoste certamen, sed ubiq; facilis, ac penè incruenta victoria fuit. Prædam ex æquo partiebantur, nec major gubernatoris portio, quàm privati remigis erat. Christianos, quos expugnatâ classe captivos repererant, amictu donatos ad propria dimittebant: tanta eis in conterraneos humanitas erat. Octogenas & binas piraticas puppes variè & vicissim cepêre, nunquam ipsi classem viginti duabus frequentiorem habentes. Stipendiis defecti, impensas à civibus contrahebant, præmii loco prædæ dimidium recepturis. Hic piraticæ cultus, ut dixi, Roskildiæ cœptus, ab urbis gremio etiam ad agrestes manavit, ab omni ferme Sialandiæ parte subsidia mutuatus. Enimvero angustus primùm ac tenuis, magna brevi incrementa contraxit. Sed neq; ante redditam terris pacem ulla ex parte remissior fuit.

Interea Canutus Frisiam minorem, quæ & ipsa Danicarum est partium, cum paucis exilii comitibus petit. Dives agri provincia est, pecoribus opulens. Cæterùm confinis Oceano patet humilis, ita ut ejus interdum æstibus eluatur. Qui ne irrumpant, vallo littus omne præcingitur: quod si fortè perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt. Neque enim illic locus natu a alius alio editior extat. Plerumq; agros ab imo convulsos aliò loci trajiciunt, locum eorum occupante lacunâ, in quorum consederint præsidiis, possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat, torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme continuò celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis, unde & in qua rerum parte locanda fuerit, penè ambiguum natura fecit, cum alia anni parte navigationis patiens, alia aratri capax existat. Incolæ ejus natura feroces, corporibus agiles, anxiam & gravem armaturam contemnunt, ancilibus utuntur, missilibus dimicant. Agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt. Penates in editum subjecto glebarum acervo provehunt. Hos à Frisonum gente conditos, nominis & lingvæ societas testimonio est. Quibus novas quærentibus sedes, ea fortè tellus obvenit, quam palustrem primum ac humidam longo duravêre cultu. Administratio deinde provinciæ sub nostris Regibus esse cœpit. A qua Canutus cum fortè præsidium implorasset, prompto omnium favore suscipitur, pollicitus se eis aliquid de consvetæ pensionis onere laxaturum. Avidi promissionis Frisi, intuitu exilis præmii, immani se negotio onerant. Ac primum mœnia propter Mildam fluvium, quis eum recipiant, condunt. Tantulo stipendio ingens militia stetit. Sveno reditus ejus opinione accepta, Jutis in equitatum digestis à Sialandis & Scanis classem adsciscit. Ex qua nonnullas naves Slesvici subductas ad Eidoram usque solotenus pertrahendas curavit, ne ea pars hostibus elapsui foret. Quæ res ei impendio magis quàm usui fuit. Inde cum copiis ad recens oppidum pergit. Id inter paludes amnemq; situm natura quàm opere munitius erat. A latere ei Milda fluvius fuit angustis alveis, sed placide manantibus aquis. Quod quia Rex ob angustias exercitu circumvenire non poterat, locis ex copia idoneis castra defigit. Deinde cæsis virgultis,

quæ nemus proximum offerebat, ad peragrandas paludes constramenta fieri jubet, quibus cum opportunum foret, velut pontibus uterentur. Interea quidam ex Frisica juventute, sive moræ impatientes, sive vegetioribus animis virtutis jactandæ cupidi, provocandi gratia, rivum, qui inter castra medius erat, consueta arte transiliunt, vagumq; eminus hostem incessunt. Nec lacessentibus obvii defuerunt. Complures ex utroque agmine huic se certamini ingerunt, suorum quique pericula propulsuri, neutris communis fortunæ negotium patienter inspectare valentibus. Itaque paulatim crescente pugna, adeò omnium huc animi confluxerunt, ut ex eo belli præsultu, totius victoriæ summa pendere videretur. Quo viso, filius Thorstani Petrus, omnium Regis arcanorum particeps, non ignarus Frisicæ temeritatis, confestim armari exercitum, præstolariq; castris paratum jubet. Hujus rei inscii Frisones, tota amnem manu repente transvolant, rati sine paratu Regem in castris esse. Ita audacius quàm prudentius omnis eorum irrupit exercitus, inopinatum hostem opprimere avidus. Sed Svenonianis non segnius occursantibus, ad notas sibi refugere paludes. Quas mox equites factorum à se pontium stramentis usi facilè superant, translatique fugam acerrimè persequuntur. Aliud quoque ferro sibi compendium struunt. Nam tanta in fugientes strages exercita est, ut constratis cadaveribus, amnis mox à victoribus permeari potuerit. Fusis Frisonibus, Canutus cum paucis exilii sociis eque elabitur. Reliquis fugæ expertibus oppidum receptui fuit. Cui Sveno Canutum inesse ratus, obsessos quàm poterat infensus aggreditur, sperans obtentione ejus totius belli finem futurum. Saucios integris mutat, fessis requietos succedere jubet, diurno prælio nocturnum sociat, omniq; instantia curat, nè lassis quies remedio fiat. Addebat obsessis animum recens captivorum occisio, nec cuiquam à victore toties læso venia sperabatur. Contrà Rex si pugnam remitteret, neque mox oppido potiretur, Fresos auxilio obsessis futuros timebat, ideoq; perseverantiore prælio opus ducebat. Sic metus utrinque pugnandi pertinaciam fecerat. Nec interdiu dimicasse contenti, noctem quoque bello contribuunt. Tunc verò anceps prælium erat. Cùm fortè Waldemarus clamore cominus orto, Fresos instare ratus, in partem, qua strepitus exaudiebatur, cum signis accurrit, sociosq; perquàm strenuè repugnantes, errore noctis elusus oppressit. Ita fortissimi animi dux temporis habitu circumventus, quibus opem ferre decreverat, cladem atque exitium irrogavit. Oppidani assiduis plagis & continua lassitudine exhausti, nullumq; pugnæ supplementum habentes, cum nec vires, nec vulnera ullo momenti spatio recreare quivissent, desperatis rebus dedidère se Regi. Cujus fidem atq; clementiam, ultrà ac rati fuerant, experti sunt. Tùm verò Rex & in Plogo, qui Ericum occiderat, singulare pietatis specimen dedit. Neq; enim à patris interfectore pœnas exigere voluit, plus deditionis moribus, quàm ultionis aculeis debiturus. Cæteros quoque nec morte nec captione mulctatos absque redemptione dimittit, præfatus se eorum obsequia ac odia juxtà æstimaturum. Nihil enim iis prosperè cessurum, qui toties mobili fide & sacramento fuissent. Dimissi cum duce exilium amplectuntur. Id enim gratiæ apud suos Kanutus habebat, ut nulli unquam fortuna ejus fastidio esset. At Fresones mulctæ nomine duo milia librarum Regi cum obsidibus pendunt. Post hæc sive rubore fugæ, sive naturæ stoliditate compuncti, Waldemarum obsecrant, precetur Regem, bellum cum eis hac lege iteret, ut victor æquam priori summam recipiat: victus, ex veteri pensione, quantum Canutus spoponderat, remittat. Ille precantium temeritatem incertosq; pugnæ eventus solertiùs æstimans, extremæ dementiæ voces consilii sui salubritate cohibuit, perquam stultum affirmando victos à victore noxias belli conditiones expetere. Interea Canutus apud Germaniam Fridericum Romano recenter Imperio functum auxilii imploratione sollicitat, promittens se patriæ procurationem in ejus bene-

SVENO III. CANUTUS V. Victus.

beneficio repositurum. Imperator, cui & summa naturæ calliditas, & maxima proferendi imperii cupiditas esset, tantùm alieni in ditionem suam redigere avidus, Svenonem veteris amicitiæ & commilitii monitum, promisso honoris incremento ad colloquendum sibi simulatione charitatis invitat, eximiam sibi visendi ejus cupidinem incessisse significans, sed Romanæ Majestatis amplitudinem, quò minus eum accedat, obsistere. Quippe Sveno adolescentiæ tempore militaris rei perdiscendæ gratiâ, Conradi Cæsaris clientelam ingressus, cum Friderico adhuc privatæ fortunæ, quem & ætate & ingenio æquabat, diu sodalitatis officia gesserat. Itaque non quòd fallacissimi hominis commentis crederet, aut æmulo asylum demere vellet, sed ut sola se Germanis fama cognitum etiam spectandum subjiceret, præsentemq; famæ suæ miratoribus exhiberet, cultiore pompa instructus mandatum exequitur. Nec parum gloriæ apud curiam magnificentia clientelæ & apparatus ostentatione contraxit, totiusq; in se Germaniæ oculos ob virtutis admirationem convertit. Mersburgum oppidum Theutonicæ nobilitatis frequentiâ completum ingressus, ab Imperatore primùm veneranter habitus, mox vario accusationis genere vexatus, disparem promissis fidem expertus est. Cui demum conditiones hujuscemodi proferuntur, ut Imperatoris ipse, ejus verò Canutus, renunciatâ regni affectatione, militem ageret, beneficii jure Sialandiam recepturus. Alioqui Imperatoris vires Canuto obtentui fore, expeditamq; cum eo manum in Daniam esse mittendam, quæ vel Svenonis præcurreret reditum, vel confestim impugnaret adventum. Sveno in re tam anxia, aut periclitandum sibi, aut parendum fore cognoscens, simulatâ assensione, paterna bona, quibus in Sialandia abundabat, tanquam peculiaria à conditionis tenore sublegit, ne violandæ pactionis omnis domi deesset occasio. Quod quia Germanico juri familiare erat, admissu facile fuit. In hoc Canutus pacti parum credulus, Waldemarum, qui cum Svenone aderat, sponsorem efflagitat, fidem ejus integritatemq; tutissimum rerum suarum pignus existimans. Neque enim alium ex regio comitatu, pari constantiâ pro capite suo excubiturum putavit. Ille Svenonianæ perfidiæ conscius, cum vanam ac lubricam compositionis fidem adverteret, ne alienam in se labem recidere pateretur, sponsionem pertinaciùs abnuit. Tandem Rege compellente, vix atque ægrè vadimonium dixit, præfatus se, si Sveno pactum perrumperet, Canuti partibus accessurum. Probatâ utrinque conditione discessum est. Reversus in regnum Sveno, deq; æmulo comitem nactus, remissis è vestigio litteris, fidem Cæsaris apertâ fraudis exprobratione damnavit, initasq; cum eo pactiones, obsequii negatione subvertit, in eas se conditiones fallaciter adductum affirmans, in quas Danicorum adhuc Regum nemo concesserit. Præterea Canuto justa petenti, provinciali duntaxat administratione concessâ, regios penates à cætera se conditione secrevisse dicebat. Fraudatus pacto Canutus, vadem sollicitat. Qui quum Regem deserere, vel sponsionem corrumpere, æquè fœdum putaret, utrobique famæ periculum contemplatus, mutare pactum quàm evertere maluit, statuens ut quum Rex Sialandiam commeatui suo necessariam duceret, aliud pro ea Canuto stipendium assignaret, nec fructu parcius, nec spatio contractius, nec honore defectius. Assensus conditioni Rex, tripertitam Canuto præfecturam constituit, eique in Jutia, Sialandia, ac Scania, peculiare beneficium tradit, intercisam loco dominationem minùs solidæ potestatis gesturam existimans. Hujus rei Canutus Waldemarum denuo prædem exposcit. Quem velut antea repugnantem Sveno condendi fœderis avidus, sponsionem iterare coegit, negans si pacto obviam isset, ejus Canutive defectionem ægrè laturum. Hoc fretus pignore Canutus, cupidè conditionibus fruitur.

Igitur Sveno perindè ac bellorum metu solutus, in superbiam lapsus, patrios

SVENO III. CANVTVS V. Reconciliatus.

patrios mores, quòd parùm sibi viderentur exculti, tanquam agrestes & inconditos, petita à finitimis urbanitate mutavit: spretoq; Danico ritu Germanicum æmulatus est. Nam & cultum Saxonicum sumpsit, & ne eo invidiosius uteretur, militum studia ad similem vestis usum adduxit, rustici moris tædio, comptioris famulitii grege palatium instruens. Quinetiam epulandi rusticitate depulsa, externas mensis comitates adscivit, comessationumq; ritus cultiore ministerio gerendos instituit. Nec solum cultum novavit, sed etiam edendi bibendiq; facetias tradidit. Idem studii in novanda clientela, asciscendisq; satellitibus gessit. Honores quippe nobilibus demptos, histrionibus deferebat: magnisq; & illustribus viris à latere suo sepositis, in eorum locum turpium & effœminatorum familiam subrogabat, ut abjectu majorum, minorumq; provectu, prorsus eximias potentiæ suæ vires ostenderet, ditatiq; fortunam suam beneficio Regis, non generis imputarent. Nec insolentiæ ejus avaritia defuit. Siquidem lucrosa sibi illorum fata, quorum bona auxisset, constituit, pupillorumque, parentibus emortuis, expilator evasit. Neque nefas duxit eorum liberos egestati subjicere, quorum operâ regni opes ipse susceperit. Ipsos quoq; milites prius à se locupletatos, ad vilem paupertatis statum beneficii sui pœnitentia adductus rejecit. Quinetiam ingentis clientelæ voracitate compulsus, provincialia ministeria, impensasq; ab agrestibus arctiùs exigere cœpit. Itaque dum militum luxui consulit, plebis favorem amittit. Præterea controversiarum jura eatenus sacramenti religione subnixa, ad palæstras & palmas athleticas relegavit, judiciumq; rationis speculationi debitum, in sola corporum exercitatione constituit. Et ne quid fastui deesset, in communibus suggestis concionari fastigio suo indignum ducebat. Quam ob rem æqua vulgarium alloquia contemnendo, editioribus locis occupatis, suppositæ plebi supernè jus dicere consvevit. Crebræ quoque ei cum Lundensi pontifice simultates, majore fructu quàm jactura fuere.

Ea tempestate Carolo Hallandiæ præside provinciam egresso, conjugem ejus, sororemq; viduam Sverconis filius Joannes, excellentis earum pulchritudinis opinione corruptus, ad libidinis commercium raptas in Sveciam usque devexit. Quibus tam contumeliosè usus proditur, ut eas in stupri vices noctibus evocaret alternis, ingenuæ pudicitiæ fœminas, obscœnissima fœditate proculcans: neque aut hujus matronalem torum, aut illius cœlibem castimoniam, quò minùs voluptatum suarum ignibus indulgeret, reveritus. Ad ultimum patre & populo tantæ temeritatis facinus execrante, utramque remisit. Quod flagitium Sveno perinde ac commune probrum in omne Sveonum Regnum ulcisci statuit, publicum ruborem communibus armis submovendum existimans. Sed nuptiarum apparatu præventus, quippè Saxonum satrapæ Conradi filiam nuper desponsam uxorem ducturus erat, propior privatæ copulæ, quàm publicæ vindictæ militiam retentabat. Per hanc Svenonem in peregrinos ritus adductum falsa plebis opinio referebat, ejusq; super consvetudinum novitate consilium accusabat.

Per eadem tempora Nicolaus urbis Romæ Cardinalis Britannicum permensus Oceanum, Norvagiam Lundensium adhuc ditioni parentem, immunitate concessa, Maximi Pontificatus titulis insignivit. Quod in Svetia quoque legationis potestate peragere cupiens, Sveonibus & Gothis de urbe, & persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negavit, rudemque adhuc religionis barbariem summo sacrorum honore dignatus non est. Verùm inspecto temporis habitu, cùm per Oceanum reverti hibernæ navigationis metu in periculis duceret, Daniam reditui suo percommodam arbitratus, offensam ejus ex Norvagiæ promotione contractam, beneficii delinimento sedare constituit. Eskillum igitur

mani-

Sveno III. Canutus V

Reconciliatus.

mandatis aggressus, plus novæ dignitatis, quàm veteris amiserit, recepturum promittit, definiens se ereptæ Norvagiæ damna, Svetici primatus munere pensaturum. Rapuit promissum Eskillus cupideq́ue legati copiam flagitat. Qui veniens apud ipsum futurum Svetici sacerdotii insigne deposuit, dandum ei, in quem concors Sveonum Gothorúmque suffragium convenisset. Statuit quoque, ut quicunque Maximi Sveonum Pontifices creandi essent, pallio à curia dato, per Lundensem insignirentur Antistitem, eamq́ue sedem perpetuò venerarentur obsequio. In hoc privilegio dato confirmationem à curia adsciscendam promittit: quod effectu perfacile fuit. Siquidem Romam reversus, decedente Eugenio, Maximus Pontifex subrogatus est, peregitque publicæ religionis præsul, quod privatæ legationis minister annuerat. Qui mos usurpatione posterorum firmatus, sub hoc usque tempus, antiqui tenoris observatione perfruitur. His peractis Nicolaus nondum Dania egressus, Svenonem Svetica meditabundum bella, Romana industriâ à proposito revocare conatus, locorum difficilium, inopis regni, infructuosæ victoriæ habitum prætendebat. Siquidem ejus militiæ negotium ingens, fructus exiguos fore, priusq; ei cum vastis & immanibus scopulis, quàm cum hoste certandum. Quo victo nihil præter ignobilem prædam, & sordida spolia victoribus occupandum. Postremò cum stolidam Regis perseverantiam consilii sui sapientiâ superare nequiret, inertiam ejus facetissimè cavillatus est. Nam araneam eum æmulari dicebat, quæ telarum figmentis cum discrimine vitæ, & viscerum suorum egestione consertis, quid nisi scarabeos putres & vilia prenderet animalia? Cujus exempli evidentia araneæ Regem, militiam telæ, victoriam venatui conferebat. Ita avidum ducem, exiguæ rei cupiditate seipsum viribus exinanientem, inutili bello delectari monstrabat. Cujus Sveno dignitatem potiùs quàm monitum veneratus, abeuntemq́ue eum ad regni fines usq; commeatibus prosecutus, destinati olim belli studium animo revocavit: quippe quem magis potiendæ Sveciæ cupido, quàm aut injuriæ dolor, aut pudoris irritamentum accenderat. Maximam siquidem invadendæ ejus opportunitatem, tum ob senium imbelliamq; Sverconis, tum ob factiones inter eundem & plebem recenter ortas (nam Joannem agrestes concionantem occiderant) arbitrabatur. Spe quoq; tam rata victoriam complectebatur, ut ante militiæ exordium inter milites suos Sveticarum jura provinciarum, tanquam belli præmia partiretur. Duo quoque ex proceribus ejus ad opinionem unius Sveticæ virginis libidinis æmulatione correpti, magnis inter se jurgiis diffidere cœperunt. Cujus nuptias Rex in beneficio suo reponere par æstimans, capta Svetia fortiori connubium pollicetur. Quo promisso libidinis æmulis magnum virtutis certamen ingessit. Tanta apud Danos fruendæ Svetiæ fiducia fuit. Interea Sverco belli metu crebras ad eum de pace legationes direxit; sed nullis conditionibus ad eam impetrandam assurgere valuit. Igitur frustra fatigari se videns, non se prælio offerre, non arma, non expeditionem parare, sed ignotos locorum recessus quærere, summamq; belli Sveonibus credere. Ut autem Sveno difficillimorum itinerum evitaret anfractus, instrumentum belli hyemis expectatione suspendit, ab astrictis glacie paludibus profectionis compendium petiturus. Hyberni itaque temporis beneficium nactus, expeditiora legit itinera, rapinisq; & incendio Finniam prædabundus aggreditur. Occurrunt indigenæ supplices, patriam seq; dedentes: nec sic se subjecisse contenti, etiam commeatibus præbitis, hospitalitatis eum obsequiis prosequuntur. Post hæc Werendiam intrat. Ubi ab incolis neq; Marte neq; deditione exceptus, omnia igne ferroq; pervadit, viris ac fœminis passim solitudinum inaccessa petentibus. Sed & præaltæ nivium moles totis fermè campis incesserant, frigorisq; tanta vis erat, ut uberibus admoti infantes, algore

hebe-

hebeſcatis membris inter ipſa lactis alimenta decederent, matreſq; ſimili fato propinquæ, extincta pignora moribundis complexibus attrectarent. Dani quoque eâdem aëris inclementiâ afflicti, non in caſtris noctes exigere, non militares excubias obſervare, pars foco ſibi, pars tecto conſulere, aëris non armorum ſæviciam in metu reponere, cuncti plus cœlum quàm hoſtem cavere. Werendenſes autem, quoad Regis gratiam paciſcerentur, iter intercipere cupientes, cæſis nemoribus, truncarum arborum coagmentis, faucium, quas permeaturus eſſet, anguſta præcludunt. Tantis ſiquidem circumjacentium rupium anfractibus claudebantur, ut abſque ingenti diſpendio à latere præteriri nequirent. Quorum auſu Rex inter cœnitandum accepto, moræ omnis impatiens, diſcuſſis menſis, eqvum involat, militibusq; adeſſe juſſis, ad rupem concitus fertur, indigne ferens cœptorum ſuorum curſum vilibus agreſtium obſtaculis retardari. Rogatus à Nicolao quodam iræ parcere, incertamque admodum rem curioſius explorare, interpellanti ſe, uxoratum quemque timidiſſimum eſſe reſpondit, ad ejus nuptias alludens, qui ductâ conjuge, poſtridiè militiam ingreſſus fuerat. Ille ob contumelioſam monitorum ſuorum repulſam ira percitus, facturum ſe brevi, quod Sveno non audeat, ſubintexuit: exprobratamq; ſibi ignominiam, invicem in eum rejecto meticuloſitatis opprobrio vindicavit. Quæ vox ab iracundia profecta, celerem ipſius obitum ominata eſt. Ubi ventum ad fauces, delapſi equis milites, quanquam tenui armatura eſſent, quod eis feſtinationis ardor periculorum contemptum ingeſſerat, arboream ſtruem oppugnare cœperunt, indigenis, qui ad eam defendendam convenerant, ingenti pacem clamore poſcentibus. Tunc Nicolaus acceptam à Rege contumeliam conſpicuæ probitatis operibus demere cupidus, nè magis uxorius, quàm ſtrenuus videretur, dum conſerta truncorum robora, obſtinato ad pericula gradu, ſuperare conatur, ab agreſtibus, è ſtrue, tanquam ex muro, propugnantibus, caput haſtâ trajectus opprimitur. Similis aliorum conatus ſaxis ſudibusq; repellitur. Sveno propinquitate noctis, impetusq; præproperi pœnitentia revocatus, ſigno receptui dato, propè aggerem caſtra conſtituit, luce poſtera majore vi ac paratu prælium exeqvuturus. Verum hoſtibus noctu ſibi diffugio conſulentibus, manè vacuum propugnatoribus iter nullo negocio ſuperavit. Werendos deinde reſiſtendi fiducia defectos, in fidem accepit. Igitur cum pleraque ſibi ex voluntate reſpondere cognoſceret, felicibus fortunæ experimentis evectus, in omnem ſe Svetiam effundere ſtatuit. Sed nimietas frigoris equorumq; ex aſperitate itinerum inopiaq; pabuli coörta debilitas, proceſſum negabant. Tunc qui ex equitibus ad pedites redacti fuerant, commilitonum equos ſuis oneribus inſtravere, eosque præ ſe onuſtos agentes, ignaro Rege, domum dilabebantur. Qui tandem furtivum militiæ diſceſſum expertus, clandeſtinam ejus elapſionem data revertendi licentia præcurrit, ſtatimque compendiariâ ad Scaniam viâ curſum reflexit. Igitur Carolus cum Canuto fratre receptorum obſidum fiduciâ ſpem liberæ tutæque reverſionis præſumens, cum Hallandiæ propemodum confiniis acceſſiſſet, à Finnenſibus inſidias hoſpitalitate tegentibus convivio exceptus, majorem noctis partem commeſſationibus extraxit. Temulentia gravis in horreum annona vacuum, pariter ſe & comites ſobrietate exutos cubitum recepit. Quibus altiore ſomno ſpirantibus, Finnenſes foris valuas obicibus obſerantes, igni ſparſere tectum. Jamque major ejus conflagraverat pars, priúſque ædes in cinerem propè collapſa fuerat, quàm preſſos mero ſenſus vis ardoris expugnaret. Poſtremò propiore flammarum fervore correpti, dum nudi valvis erumpere geſtiunt, forinſecus eas occluſas cognoſcunt. Urgebat intus incendium, foris hoſtis vetabat egreſſum. Sed præſens pœna ſequentis metum levabat, inſtantisque mali periculum fu-

SVENO III. CANVTVS V.

turo tristius ducebatur. Quo evenit ut Dani ferro quàm flammis opprimi præoptantes, validius connisi præjecta foribus claustra convellerent, utq; unum periculorum effugerent, in aliud ruere non dubitarent. Egregiæ indolis pueri, quos sibi in clientelam Carolus respectu propinquitatis adsciverat, absque ætatis miseratione sub Nyssæ amnis glaciem nudatis corporibus barbarorum ludibrio mersi, in eodem alveo fatum ac tumulum recepere. Ita paucorum agrestium fraude maximæ expeditionis labor exinanitus est.

Interjecto tempore, plebs Scanica à principibus dissidens, concione lecta in Arnam vallem armata successit. Quoties enim in ea provincia intolerabilia vulgi onera ducebantur, publica vi injuriis occurrebatur. Adeò cum intolerabilis plebis servitus ducitur, publicis armis libertas expetitur. Veritus ergò Rex, nè is tumultus ad graviores regni motus progrederetur, coërcendi ejus gratia ad Scaniam è Sialandia trajiciens, militaris manus fiducia agrestium concionem accessit. Inermis ipse equitibus utebatur armatis, ut vim metuere potius quàm struere videretur. Cedente de industria vulgo, coronam ingressus multis & gravibus querimoniis exceptus est: sed obstrepente multitudinis clamore, defensionis potestatem dicendivè copiam impetrare nequivit: flagitandi silentii gratia dextram vulgo obtendens crebros lapidum jactus excepit. Adeò consternationis furor in contemptum majestatis exarserat. Tunc Toko matre Sygne ortus, vir natu & facundia juxtà nobilis, primaque Regis amicitia præditus, in medium vulgi se proripit, obtentaque omnium taciturnitate, imperitum concionis fragorem doctæ vocis autoritate compressit: ita suam temperans actionem, ut & præfectorum partes dissimulanter protegeret, & manifestum patrocinium impertiret. Reversis ad propria agrestibus, Rex tantæ contumeliæ deformitatem summa indignationis molestia prosecutus, complures Scaniæ vicos exussit, eamq; fermè totam perinde ac majestatis ream, rapinæ subjecit. Ipsos consternationis autores spiritu, vel bonis privavit, factiosos paupertate aut morte mulctandos judicans. Nec Tokonem, cujus salutari eloquio usus fuerat, tametsi linguæ ejus beneficio vulgi iram vitasset, mulctæ expertem reliquit, plebem adversum se occulto ejus consilio concitatam affirmans. Ita sævissimis iracundiæ furiis provocatus, odia ac familiaritates juxtà pensabat. Ea Svenonis irruptio Canuto novandarum rerum spem fiduciamq; restituit. Sed hunc ausum præcipuè Svenonis ac Waldemari concordia castigabat. Nam quantum Regis odium, tantam ducis apud omnes gratiam intuebatur, alteriusq; flagitia, alterius virtute redimi denotabat. Arbitri quoque Canuti prius sodalem Regi quàm otium eripiendum rati, ejus cum Waldemaro concordiam connubii affinitate componendam duxerunt. Cujus efficiendi gratia uterinam Canuti sororem Sophiam, apud Waldemarum eximia pulchritudinis laude de industria prosequebantur. Sed Waldemarus, quò minus ad hanc copulam intenderet, inopiam virginis obstare dicebat, quòd patre Ruteno procreata, nullorum in Dania bonorum hæres existeret. Quanquam enim svasoribus tacitè pareret, plus se tamen paupertatem puellæ fugere, quàm speciem admirari fingebat. Igitur à Canuto totius patrimonii sui parte tertia sponsalium loco promissa, puellam despondet, eamq; matronæ cuidam Botildæ adusq; maturam toro ætatem educandam committit. Quam ob rem neglectum sangvinis vinculum, ac diu funestis odiis laceratum, tanta animorum integritate refectum est, ut nulla veterum inimicitiarum macula, quas vel ipsi vel eorum parentes gessissent, novæ societatis habitum infuscaret. Quorum amicitia quo invicem purior, hoc Regi suspectior extitit. Sed eos & tacitè cavit, & palàm offendere metuit, quod maximam à se virium partem cum Waldemaro migrasse cognosceret, cujus fortunæ suam incumbere non dubitasset. Itaq; licet am-

borum

borum fidem notaret, ſuſpicionem tamen, nè odium proderet, obſcuravit. Illi regiæ diſſimulationis haud inſcii, accepta commeandi licentia, quaſi bona ſua apud Svetiam inviſitaturi, Regem ejus Sverconem accedunt. Re autem verâ Canuto Sverconis filiæ poſtulandæ negotium fuit. Quorum præſentiam Sverco tanta affectione amplexatus eſt, ut præteritis liberis, futuræ affinitatis ſpe hæredes eos nuncupare proponeret. Quod votum ei ſive filiorum inertia, ſive excellentis proci nobilitas inſeminabat. Reverſi itaque hoc inviſiores Regi, quò hoſti concordiâ junctiores fuere. Canuto deinde in Jutiam digreſſo, Waldemaro verò Ringſtadium inviſente, Sveno poſt eum contentius pergit, conventumq; diu perfidiæ & proditionis probris everberat. Neganti, confictas à ſe literas tradit tanquam ab amicis porrectas, ſed titulo de induſtria vacantes, quæ ejus ac Canuti initam cum Sverconе concordiam nunciarent. Quo commento Waldemarus, quanquam iræ parciſſimus eſſet, ſuprà modum accenſus, linguam nimio indignationis hauſtu repletam in contumeliam arguentis effundere non dubitavit: perfidiæ quoque in eum exprobratione rejecta, non jam redargutione, ſed convitio agebat, egregios operum ſuorum labores nugaci mendaciorum objectu penſari vociferans. Adeoq; Regem reſponſi ſui libertate promoverat, ut tentus ab eo eſſet, niſi milites operam ſuam in ejus captionem negaſſent, quorum favor impenſius ipſum, quàm Regem, excoleret. Quàm injuriam poſtea apud Jutiam querimoniâ proſecutus, graves Regi inimicitias peperit. Inde cum Canuto magna totius Jutiæ claſſe in Sialandiam receſſit, non quòd bellum Regi inferre proponeret, ſed ut novis conditionibus tutiorem ejus circa ſe fidem efficeret. Quo apud Sundby maritimum vicum cum armatis obvio, diali colloquio de concordia actum. Compoſitâ pace, Rex concubiâ nocte Roskildiam revertit.

Interea Sclavorum expeditio ad Orientales Sialandiæ partes inuſitatæ multitudinis claſſe nunciatur ingreſſa. Qui quoniam rus antè vaſtarent, cuncta prædæ vacua prætergreſſi, inopinatam aggredi Roskildiam ſtatuunt. Igitur ne fumi indicio proderentur, incendio penitus abſtinebant. Accedebat eorum audaciæ, quod ex ſpeculatoribus otioſam urbem, Regemq; procul ex ea profectum acceperant. Quo nuntio inſtructi, intacto rure, eam contentius petebant. Ex quibus nonnulli pernicioribus equis ſuburbium propè liminaq; civitatis acceſſerant. Rex ipſe dum nocturnam vigiliam ſopore avidius redimit, ſero paratu tanti diſcriminis nuncium excipiebat. Primus ex Danis Radulphus equeſtris militiæ apprimè peritus, promptioris equi beneficio in hoſtem occurrit. Sed cum ſolitarius eſſet, nunc evitando hoſtes, nunc perſequendo, opem ab exercitio mutuatus eſt. Quoties inculta camporum offenderat, ob armaturæ molem ægrius fugam conficiebat. Nam Sclavos ſimili pondere vacuos liberior equorum pernicitas adjuvabat. Quo viſo, plus viribus equi quàm velocitati confiſus, curſum ad cultiores agros de induſtria dirigere cœpit. Igitur caballi, quibus vires parùm ſuppeterent, officiente ſtipulâ, præſtantem robore eqvum imitari non poterant. Ita dum agilitatis equinæ certamen ad virium conamen tranſtulit, ab inſtantibus occupari nequivit. Quippe denſior ſeges plus vilium jumentorum, quàm robuſti animalis curſum debilitavit. Interrogatus quis eſſet? mercatorem, reſpondit. Percontantibus, quaſnam merces haberet? reſpondit, arma, quibus equos commutare ſoleret. Sed & eum quem inſideret, hoc ſibi mercimonio obveniſſe ſubjunxit. Regem quoque Roskildiæ eſſe, rogatus aſſeruit. Illis eum neceſſarios ſuos allocuturum urbe nuper exceſſiſſe dicentibus, egreſſum quidem eum, ſed reverſum aſtruxit. Quod quia cum ſpeculatorum affirmatione non conveniebat, in mendaciis duxerunt. Idcirco autem Radulphus circa Regis ſtatum veris utendum putavit, quod ſi qua à ſe veraciter ederentur, contrario modo ho-

stibus credidit existimanda. Interea Regii equites, ut quisque apparatu velox ac manu strenuus erat, Radulpho admixti, in unam cohortem se receperant, incursaturi ilicò hostem, nî Radulphus, intuitu paucitatis, auxilia sociorum expectanda duxisset. Tantam eis victoriæ certitudinem assidua bellorum felicitas suggerebat. Contrà Sclavi revocatos à præda socios in aciem corrogant. Radulphus ubi primum excitati pulveris indicio Regem affore deprehendit, supervenientis auxilii fiduciâ prælium facit. Cedentibus Sclavis cum pedites necarentur, equites seorsum in globum contracti, priùs velut ex consulto terga vertebant, mox imminentem à tergo Regem, equitum ejus paucitate conspecta, conversi fugarunt. Quos Radulphus, intermissâ peditum strage, cum suis adortus, in veram & præcipitem fugam coëgit. Sed ab iisdem longius insectandis, quòd equis præstarent, revocatus, admixta Regiâ cohorte, ferrum ad pedites retulit. Fugientibus tanta adhuc prædandi cupiditas inerat, ut occisorum arietum corporibus pellem cursitando detraherent. Quantum in illorum pectoribus avaritiæ clausum putemus, qui inter extrema pericula, abjectis armis, ignobilem prædam & vilia fugæ impedimenta, quò melius sibi consulerent, deserere passi non sunt? Paucissimi ex eis in littus elapsi, per lubricum pelagi nando navigia petiverunt. Nonnulli fuga cupidius initâ, cæco metu undas aggressi, passim exanimati sunt, præcipitato in mare spiritu, quem ab hoste servare studuerant. Interea Sclavorum equites velut ex abdito provolantes, victoriam Regi è manibus per insidias eripere conabantur. Igitur Dani, dum ad finem pugnæ perventum autumant, prælium iterant. Quorum virtute victi Sclavi, fugâ avidius sumptâ, adeò salutem suam ferro subtrahere gestiebant, ut per maritimæ rupis ardua, semet cum equis, effœminato pavore, præcipitantes, vitam finirent, & inter scopulos spiritum deformi corporum ruinâ deponerent, quem audacter in acie profundere dubitassent. Abducendis igitur navigiis ob ingentem nautarũ stragem, ægrè remigia suppetebant.

Iisdem temporibus, effusis piraticæ habenis, à Wandalicis finibus Eidoram usque, omnes per Orientem vici incolis vidui, ruraq; culturæ expertia jacuère. Sialandia ab ortu & meridie, marcida situs vastitate torpebat. Siquidem agrestium inops patriæ loco prædonibus fuit. Fioniæ nihil residuum præter paucos incolas piratica fecerat. Falstria spacio quàm virtute contractior, incolarum fortitudine parvitatis damna pensabat. Quippe tributarii ignara jugi, aut pacto hostem, aut viribus submovebat. At Lalandia, tametsi Falstriæ granditate præstaret, pacem tamen pensione petebat. Cætera vastitas occupârat. Itaq; non armis, non urbibus confisum, anfractus æquorum, quò minus piratas admitterent, prælongis palis ac sudibus obstruebantur. Advertens igitur Rex nutantes patriæ res, & jam penè collapsas, se propriis viribus à piratica vindicare nequire, Henrici Ducis, cujus insignes ea tempestate vires fuère, adversum Sclavos opem pecuniis promerendam putavit. Cui mille quingentas argenti libras mercedis nomine pollicitus, publicâ collatione summam explevit. At Henricus, cujus venalis magis quàm utilis amicitia esset, pecuniam assecutus, vel quia noluit, vel quia nequivit, parùm stabiliter in promisso se gessit. Ita Rex non accepta pace, dum patriæ rebus consulere quærit, miseriam ejus dedecore cumulavit. Quæ res adversum eum popularium iram acriùs distrinxit, deforme ducentium pacem censu non armis exquiri, communemq; patriam Regis vitio esse deceptam.

Igitur Sveno desperatis malorum remediis, à piraticis periculis propulsandis ad cives usque cavendos curam retorsit. Renovatisq; suspicionibus, Waldemarum occupare animum intendit, tanquam altero sibi onustorum sublato, facilius reliqvum aggressurus. Quod insidiis quàm bello commodius gerendum ratus, perinde ac conjugis dotem exquisiturus, ad

socerum

SVENO III. CANUTUS V.

ſocerum iter inſtaurat, interque delectos comites Waldemarum profectionis ſequacem adſciſcit: quia domi eum tutò relicturus non videbatur, in carcerem Conrado ſervandum tradere cupiens. Quem dolum Waldemarus amicorum ſibi complurium literis indicatum, venienti Sleſvicum Regi, memoratis, quæ pro eo fideliter ac ſtrenuè geſſerat, cum exprobratione perfidiæ palàm objecit. Neganti in eum à ſe crudeliter eſſe conſultum, ſuſceptos apices abſciſſis indicum vocabulis oſtendit. Meminiſſe deinde monet, ut præcipuam ei bellicoſorum manum conciliaverit, ut corpore adverſo diras pro eo plagas acceperit, ut ſecum majorem ſemper victoriæ partem traxerit; egregiisque meritis ſuis gratiæ loco dolum ac fallaciam erogari conqueritur. Comitatum nihilominus pollicetur, præfatus ſciturum eum peractâ fraude; nequitiam ſibi non aſtum effectui fuiſſe. Contrà Sveno ſuſpicionem levare ſumma diſſimulatione tentabat. Neque enim ad deponendam perfidiam, tantæ fidei meritis adduci poterat. Irrevocabilis itaque propoſiti pertinaciâ Stadium advectus, à præſule Bremorum Hartvico domo ſuſcipitur. A quo cùm ulterioris viæ ducem expoſceret, non impetrato, Waldemarum, quem ei perfamiliarem ſciebat, preces iterare compellit. Quo Pontifex clàm vocato Regii conſilii commentum aperit, confeſſus ſe de induſtria negare, quod ei perniciosum adverteret. Ut autem Regi ſatisfacere videretur, diſſimulata poteſtate, ductum ab Henrico, quòd potentia ac dignitate præſtaret; commonet expetendum, verùm has preces ſuo Svenonisque; & Waldemari nuncio committendas. Quibus Henricus auditis, cùm & Regis dolum calleret, & Waldemaro conſulere vellet, quòd à ſocero commodius accipere poſſet, fruſtra Svenonem à ſe flagitare reſpondit. Abductum deindè Waldemari legatum, quàm noxia mittenti precetur; edocet, ipſumq; ni redeat; apud Conradum extrema paſſurum denunciat. Igitur Svenonis nuncius, collegarum utroque dimiſſo, Conradum accedens, nunciat ſuſpectos Regem habere propinquos, quos pridem inimicitias exercentes; connubii recentis affinitas concordes effecerit. E quibus unum ei fraudulenter accitum in comitatum ceſſiſſe; quem apud ipſum novarum rerum metu, vinctum haberi cupiat. Præterea procedendi gratia, profectionis ei debere præſtari ductorem. Quærente Conrado, quo pacto Regem æmulus comitaretur, fidem ejus ſecutum aſſeruit. Tunc Conradus Svenonis conſilium execratus, dedecere ſenem ſe, inquit, quod juvenis fugiſſet, admittere. Nempe deforme vetulo eſſe, de integritatis duce perfidiæ fautorem evadere; notamque quàm eatenus caverit, ſub ultimum tempus ſibi conſciſcere. Malle igitur ſe generum, filiamque cum nepote ex eâ ſuſcepto cruci ſuffixos videre, quàm fidei & ſynceritatis opinionem tot annis ſervatam, extremæ ætatis infamiâ corrumpere, alienæque fraudis propoſitum impiiſſimi favoris proſequi nutrimento. Tùm demum affuturum ſe, ſubſidiaque laturum, ſi gener, omiſsâ fraude, palàm, quos metuat, impetat. Ad hujus vocis nuncium; Sveno rubore perfuſus, ulterioris viæ tutatore negato; in regnum revertitur.

Brevi morarum proceſſu, Canuto & Waldemaro Wibergi moram habentibus, occulto trajectu in Fioniam è Sialandia acceſſit, confiſus inopinatos prendi poſſe. Detecto dolo mandat utrique, allocutum ſe eos, non occupatum veniſſe: ſuſpiciones deponant, quas falsò conceperint. Illi indiciis dolum præcurrentibus, ejus de ſe propoſitum ſpeculati, nihilq; jam bonæ ſpei ex Regis promiſſu capientes; Jutorum ſuffragiis, Regium ſibi nomen conſciſcunt. Tunc Rex apud Othenas (nam eò fortè loci diverterat) contractis in regiam militibus, nunc ſingulos, nunc univerſos arctiùs percontari cœpit, qua fide præſens bellum ingredi vellent. Reſpondentibus, alacriter; non contentus ſimplicitate promiſſi, ſacramento fidem efflagitat. Illatis ſacris, Suno, ſive vetuſtâ Waldemari charitate; ſive privato injuriarum dolore per-

LXXIV. *VValdemarus cum Canuto.*

motus, regiâ ſolus excedit. Emiſſi, qui eum revocarent, cauſam tam ſubitæ egreſſionis efflagitant. Rogatus, regredi ob paternæ villæ ereptionem conqueritur. Rex reſtitutionem promittit. Suno, ſeram hanc juſtitiam inquiens, in adverſis uſurum ſe negat, quo in proſperis fraudatus fuerit. Quam ob rem potioris partis amplexu ſolitariam tranſitionem non veritus, ab injurioſo ſibi Rege ſalutari conſilio deſcivit. Itaque juſtum defectionis titulum ſecutus, Waldemarum avitæ paternæq; familiaritatis reſpectu transfugio petivit. Cumq; Sveno roboratâ ſuorum fide in Sialandiam rediiſſet, conſequenter ab æmulis Jutorum claſſem mutuatis, impetitur. Qui tunc forte Roskildiæ ſitus, Eskillum ſæpe dictum Antiſtitem, præſidiaq; Scanorum accerſit. Quibus præſentatis, Petrum, cui pater Thorſtanus erat, omnium conſiliorum ſuorum arbitrum, qualiter rebus conſulendum eſſet, interrogat. Is, conſultantem olim Regem qualiter tutò regnare poſſet, juſſiſſe fertur, ut aut equeſtrem plebejumq; ordinem, quò ſe tutius adverſum æmulos gereret, beneficiis impenſioribus coleret, aut ab iis ſaltem ad propinquos placendi ſtudium transferret, eosque, ſolâ contentus ſpecie, re vera Reges exiſtere pateretur. Si neutrum egiſſet, haud dubium, quin brevem regni uſum habiturus eſſet, edocuit. Rex verò neque ſalubritatem conſilii, neque ſapientiam reſponſi debitâ animi ſententiâ proſecutus, utiliſſimos monitus deliramentorum loco habuit. Enimvero obfuſum iracundia animum, ſalutaris æſtimatio ſubire nequivit. Concepti itaque furoris impatiens, quoad unum ſibi ſcutum ſuppeteret, id ſe Petro oppoſiturum juravit. Tum Petrus, meum ſemper, inquit, pro te clypeum geſſi, ſed vereor nè citò cunctis ſcutorum tuorum copiis opus habiturus ſis. Quod Rex avarè dictum exiſtimans, percontatur num adhuc ſatur eſſet. Reſpondit ſaturum ſe; ſed vereri ne ſatietatem parum ſalubris digeries ſequeretur. Tunc quoque, quid facto opus eſſet, rogatus, in Scaniam migrandum edocet: tutiores illic vires, in Sialandiâ pauciores amicos quàm hoſtes eſſe. Præterea Jutos haud facilè inſecuturos, forenſis adhuc pugnæ memoriâ trepidos. Sin autem in Scaniam prævenerint, gentis adverſum eum auxilia contracturos: quàm ſi petere ſuperſediſſet, ad æmulos defecturam non dubitaret. Quem Sveno ſecus æſtimaturum inquit, niſi Waldemarum, cujus concubinarii filii pædagogum ageret, penatibus ſuis parſurum ſperaret. Aliorum vero bonis, ſi patriam hoſti ceſſiſſent, nullum peculiaris amicitiæ beneficium præſidio futurum. Ita alieno conſilio ſpreto, proprium amplexatus, Roskildiæ hoſtem opperiri conſtituit. Rareſcentibus alimentis, regios vicos complures comparandi ſumptus gratia venditabat. Tandem multi ruris abſumpto precio, cum exercitum nimiis impenſis oneroſum dimiſſurus videretur, Eskillus defectionem providens, artem excogitavit, qua periculum ad fructum converteret. Primum enim ampla defectionis præmia ab adverſariis occultè paciſcitur. Mox cum conterraneis Regem accedens, alimentorum inopiam queritur: dimittat precatur, quos paſcere nequeat: præſertim pietatis ac neceſſitudinis jura violaturos, ſi in cives ac propinquos ex adverſo contractos pugnatum iſſent. His dictis tanquam defenſionis ratione reddita, cum cohorte Scanica regiâ excedit, ſubjungente Svenone, dignum eum, qui defectionis pœnas capite lueret. Sed hunc Regis furorem ſanior arbitrorum ſententia propulit, imminentis belli auſpicia ſcelere, & ſacrilegio prohibentium eſſe ſumenda. Jamq; Rex majore exercitus parte delapsâ, fugam meditans, cum reliqviis copiarum Falſtriam verſus contentiùs pergit, ignorantibus etiam arbitris, quo propoſito tàm remotas ab urbe partes accederet. Quem ubi de fuga cogitare compertum milites habuêre, nè ſine prælio vinceretur, orantes, victoriam, ſi redeat, ſpondent. Præterea ſcire jubent, eos ſibi milites eſſe, qui crebrò parvâ manu ingentes hoſtium copias ſuperaverint, neque paucitatem vereri debe-

SVENO III. CANVTUS V. VVALDEMARUS I.

debere, quàm toties in suis victricem aspexerit. Quinetiam ultimi dedecoris esse, fortunam suam antè fugæ quàm bello permittere, eosque, qui vinci possent, ultrò victores efficere, alieno metu quàm suis viribus fortiores. Monent deindè, nè ex strenuo Rege timidus militum desertor evadat, nè unius fugæ dedecore tot victorias suas maculare sustineat. Cujus perseverantiam à proposito reflectere nequeuntes, amaris eum conviciis inseqvuntur. Nec deformitatem ei peregrinationis exprobrasse contenti, etiam contumeliæ damnationem junxerunt. Deinde mutua semet adhortatione firmantes, bello hostibus occurrere statuunt. Fore enim ut eorum multitudo passim ac dissolutè instandi cupiditate procurrens, sparsum militiæ genus sequendo, facilè à paucis intercipi posset. Præterea arma sibi & equos suppetere, nihilq; tot viris in unius meticulosi ducis absentia nocuisse fortunam. Ita sibi fortitudinis robur ingenerantes, regii dedecoris notam militari spiritu redimere gestiebant. Diu itaq; exspectato hoste, nec viso, Petrus solvendum agmen, salutiq; consulendum admonuit, perquam stultum affirmans prælium absque duce capessi. Quippe Juti Svenonem de industria cessisse rati, insidiarum metu tardiùs incedendum duxerunt. Tunc Sialandenses, quòd indigenæ essent, cæteros commilitionum ductu ac commeatibus prosequebantur, nec cuiquam ex tanto grege perniciosus ad patriam reditus extitit. Sed eorum postmodum plerisq; paci transitio fuit. Nam & fides Regibus data, & amicitia pariter obsequio quæsita. Vulf & Thorbiornus spectatæ in Regem fidei, cum hoc veniæ genus in probris ducerent, domi suæ comprehensi, Sverconiq; Regi in custodiam traditi, exilio capita quàm hosti dedere maluerunt. Horum siquidem excellentis constantiæ animus, plus gloriæ in vinculis, quàm libertatis in defectione constituit. At Sveno continuato apud socerum exilio triennium emensus, ipso defuncto, Saxonum Satrapæ Henrico datis vadibus pecuniam pollicetur ingentem, si regno per eum restitui posset. Pactus præmium Dux, cum ad aggerem, quàm Danorum structuram appellant, summis viribus pervenisset, transitu per eum, qui portæ præerat, pecunia corruptum, obtento, obsidione censum à Slesvicensibus extudit. Tunc Hartvicus Bremorum Pontifex, qui & ipse post Henricum expeditionis autor extiterat, meruisse eum, inquit, qui portam patefecerit, cum pecunia simul, quàm pactus esset, suspendi, quatenus ad horrorem consimilis facti in eodem laqueo proditor, & proditionis præmium conspicerentur. Illic Sveno peregrinam classem prædatus, direptas Rutenorum merces stipendii loco militibus erogavit. Quo facto non solum advenarum in posterum frequentiam deturbavit, sed etiam splendidam mercimoniis urbem ad tenuem angustumq; vicum redegit. Saxones desertum ab incolis rus nullo resistente permensi, hoc longiùs, quo licentiùs, ruebant. Nam australes Juti paucitatis suæ metu, in Septentrionalem partem, quæ multitudine præstabat, elapsi, sub specie fugæ bellum parabant. Et qui prius auxilia Svenoni spoponderant, alienorum viribus succincto succursum negabant, ne peregrinam manum adversùm patriam juvisse viderentur.

Libri XIV. Sectio Secunda.

Eâdem ferè tempestate Sverconem Regem, servus, qui cubiculo ejus præerat, noctu dormientem occiderat. Quod scelus divinitas haud segniùs quàm justiùs ulta est. Nam parvo post tempore, Magnus, qui, occultâ regnandi cupiditate, servo peragendi facinoris autor extiterat, in eo conflictu, quo filium Sverconis Carolum, quem patre spoliaverat, regno etiam exuere gestiebat, sceleratæ machinationis pœnas morte persolvit. Ea res Canutum, solandæ matris gratiâ, Svetiæ superiora petere coëgit. Interea Waldemarus apud Sialandiam Theutonici motus opinione suscepta, ad Jutiam concitus tendit, remisso coævo atque collacteo suo Absalone, qui revertentis à Svetia Canuti post se maturaret adventum. Tantùm autem

ejus apud Jutos præſentia valuit,ut & fortibus fiduciam afferret, & ignavia torpentes ad bellum pro patria ſuſcipiendum erigeret. Idem Henricum, nobilem inter Saxones virum, cum quo jampridem affinitatem, datâ ei in matrimonium cognatâ,junxerat,per internuncios occultius obſecrat,uti veteris amicitiæ cauſa ad procedendum ſocios incitet, ducisq; reditum modis omnibus interpellet, brevi ſe cum exercitu ſuperventurum denuncians. Tantam illi fiduciam & numerus militum, & alacritas dabat. Hujus tumultus nuncio Canutus è Svetia revocatus, cum delectis Sialandiam intrat, extemplo Jutiam petiturus. Sed cum coortæ tempeſtatis magnitudine tranſitu prohiberetur, afflicti morâ milites, Waldemarum pacem cum hoſtibus pepigiſſe, idq; ſe per agreſtium quendam recenti nuncio cognoviſſe fingebant. Hoc famæ commento Canutus audito, ingrati animi labem exprobrat parum honeſtum de eo ſermonem habentibus; qui ſuum communi periculo caput objecerit: hortaturq; ſi dignis eum laudibus proſequi nolint,ſaltem linguas ab indigna ipſius obtrectatione cohibeant. Hesbernus ſolus,Skialmonis Candidi ex filio nepos, idemq; Waldemaro ob pueritiæ & educationis ſocietatem percharus,transfretare ſe velle dixit,quæ apud Jutiam gererentur, Canuto renuntiaturum. Igitur ut ſtrenuam,ita periculoſam navigationem feliciter emenſus, & quaſi cum ipſa rerum natura luctatus, ſævientium elementorum rabiem incredibili remorum certamine ſuperavit. Nuntiatur interea Saxonibus totius Jutiæ vires ad Waldemarum coiſſe, tantaq; hoſtes manu eſſe, ut ſine periculo & clade excipi nequeant. Hac Dux famâ attonitus, Henricum, quem apud Waldemarum affinitatis jure magnæ familiaritatis locum habere noverat, ubinam regulus ejus degeret,ſimulato joco perquirere inſtitit. Quo latebras eum ac ſolitudines circumſpicere reſpondente, Dux eludi ſe ſentiens, à ficta & ludicra ad ſeriam & ſollicitam interrogationem convertitur. Repugnantem illum, commiſſaq; tegere perſeverantem, per debitam Romano Imperio fidem orat obteſtaturque, ut quæ ab hoſte parari ſciat, indicio præcurrat: neque quod civibus pernicioſum advertat, ſilentio contegat. Hac Henricus adjuratione permotus,verum eſſe quod rumor docuiſſet,aſſeruit. Bellum ſiquidem præ manibus eſſe,quale prius experti non fuerint, ſuperſtitesq; recordationem ejus perpetuo narratu proſecuturos. Formidoloſa cunctis Henrici affirmatio fuit. Idem, an hoſtes exſpectandi eſſent, conſultus, omnium animos ad prælium virili exhortatione provexit. Ita fidem ſuam inter amici preces & ducis imperium partitus,ut nec hujus mandatum negligeret, nec illius ſalutem ſilentio falleret. Quam ſententiam publico metu refutante,cupidus reverſionis exercitus, occaſionem à tempore mutuatus eſt. Ne enim ob piſcium raritatem, Veris, quod imminebat, ſtatum, ſolenneq. jejunium ſolveret, remeandi ſibi neceſſitatem impoſuit: omnique ſimulatione competentium alimentorum cauſabatur inopiam, ignaviæ ſtudium religionis nomine colorando. Quod quidem in eorum abſceſſu luce clarius fuit. Iter enim quod ſemeſtri ſpacio venientes confecerant, triduo remenſi ſunt, multa poſt ſe onera, multaq; impedimenta,nimiâ feſtinationis cupidine, relinquentes. Tunc reverſus Hesbernus Canuti exſpectationem ſummis ambiguitatis curis implicitam, certo rerum nuntio abſolvit Parvo poſt tempore, vi Sclavicâ, tanta apud Fioniam clades incidit,ut ſi ſecundam huic ſimilem accepiſſet, cultu vacua manſiſſet, reſq; ejus non afflictæ modo,verum etiam perditæ fuiſſent. At Sveno non contentus ſemel Saxonibus ſupplicaſſe,iterato ad Henricum decurrit,perq; Sclavos ejus ditioni parentes in patriam ſe pervehi laborabat. Quorum claſſe tranſlatus in Fioniam, lætis civibus, ad urbem Othenas ſe contulit,ſalutem ſuam adverſum innumeros paucorum præſidio defenſurus. Sed & pax immunitasq; per Sclavos ejus fautoribus promiſſa. Igitur ſive impetrandæ pacis, ſive

SVENO III. CANVTVS V. VVALDEMARUS I.

sive amplectendæ majestatis intuitu, tanta tuendi colendiq; ejus apud insulanos cura flagravit, ut passim ad ipsius præsidium virorum fœminarumq; turba concurreret, egregium reputantium, adversum eos, qui rerum summâ potirentur, infractam Regis reparare fortunam. Ad hanc labefactandam cum Canuto Waldemarus, adversum Fioniam, terrâ marique, cæteras regni copias contraxere. Quarum multitudine facilè Fioniensium paucitatem oppressissent, nisi Waldemarus, miseratione reliquiarum, afflictis insulæ rebus parcendum putasset, ne post novæ cladis calamitatem populi residuum exhauriendo, plus patriæ quàm hosti nocuisse videretur. Itaque æmulum cum pernicie tolerare, quàm debile patriæ membrum quassare, satius ratus, expeditionem ad consilium transtulit. Nam autore eo res in colloquium versæ, condictumq; ut Sveno cum adscripta sibi clientela Landiam concederet, ibique propemodum solitarius degeret, quoad inter ipsum & duces de pace plenius conveniret. Die postero Othenas lavandi gratia repetens, Canuto ob insidiarum metum balnea communicare non auso, à Svenone ejus amicitiam ambiente, elatis obviam sacris, religione processionis excipitur. In Albani deinde ædem ab ipso perducitur, arbitrorum nemine præter Absalonem admisso. Tùm Sveno intra sacellum residens, sinistra mihi, inquit, jampridem, Waldemare, fortuna, consortium tuæ familiaritatis invidit, quanquam & animum benè de te semper gesserim, & à patris tui interfectore meus non solum ultionem exegerit, sed etiam suscepto adversum patruum bello, salutem tuam inter parricidales manus, sine cujusquam præsidio, constitutam, plenis pietatis armis ab exitio vendicaverit. Post quem Ericus Junior, ne parentis mei, cui diutius militaverat, cœptum excidere pateretur, ut regni, ita tui quoque curam arripuit. Tertius ego pueritiæ tuæ propugnator accessi. Nec meâ parcius, quàm priorum operâ servatum te scito. Pro capite tuo nondum in ætatem producto, adversum hunc, cujus fidem nunc societatemq; exoscularis, arma suscepi. Quæ nisi felicius auspicatus fuissem, filio Magni immerens pœnas luisses. Qui nisi me tertium extimesceret, haudquaquam te secundum pateretur. Dum vivo, vitam tibi adversus ejus insidias prorogo. Extinctus ut meum, ita tuum, quoq; diem finio. Igitur eo tutius ad opem tuam decurrerim, quo plus eam beneficio meo debere cognoverim. Et nunc charitatis tuæ fiducia, arbitrum te pacis in me faciendæ constituo. Contentus ero quâ me cunq; sorte donaveris, tantum apud exteros calamitatis perpessus, ut privatus aut egens intra patriæ fines degere, quàm exul denuò censeri malim. Arbitror quoque, ut cùm singula justius æstimaveris, inter probra ducturus sis, potius parentis tui interfectore quàm ultore procreatum, excolere. Hæc & similia replicantem Waldemarus interpellare non dubitans, frustra meam, inquit, Canutiq; concordiam cassare pergis, cum & ipse paternæ culpæ affinis non fuerit, & mihi in ejus expiationem olim justa persolverit. Quod autem ulterius tibi militare non tuli, non meæ levitatis, sed tuæ perfidiæ crimen reputa. Nonne olim me peregrinationis tuæ comitem in carcerem socero necandum tradere statuisti? At qui nisi pravitatem tuam ejus honestas vicisset, inter vincula moriturus abieram. Quoties meam, quoties Canuti salutem per insidias attentatam, fraudulentis consilii nisibus obruere voluisti? Qualiter autem pares ferre poteris, quos milites habere passus non es? Verùm ne cum reprehensione propinqvum avertere videar, res tuas adversum caput meum restaurare tentabo, plus miseratione fortunæ tuæ, quàm credulitate promissionis inductus. Quam humanitatem cum scelere & fallacia repensaveris, simplicitatem nostram artibus tuis circumventam ne existimes, sed potius fidem, pietatemque periculis locum dedisse. Tunc Sveno verbis in simulationem compositis perfidè se acturum negare, syncerâ fide eorum amicitiam expetiturum promittere, præsertim cum

nec

nec ſibi nec liberis conſulturus videatur. Eo enim ſe morbo eſſe, ut annum vix conficere queat. Præterea ſine filiis eſſe, quibus regnum parare debeat. Quid igitur niſi culpam & ignominiam perfidiâ quæſiturum? Malle itaque quantumvis triſtes fortunas excipere, quàm maximo famæ dehoneſtamento ſceleratam ſui memoriam per totum terrarum orbem disjicere, brevesq; regni fructus æterna famæ turpitudine comparare. Dimiſſo Waldemaro, Lalandiam ipſe conceſſit: ubi paucitate ſatellitum non contentus, novos quotidiè ſtipatores adſcivit, clientelæq; grandibus incrementis auctus, colloquii diem hoc tutior, quò fortior, opperiebatur, tanquam pacem cum æmulis ex pari facturus. Tempore prænominato, Canutus & Waldemarus cum omni Danica nobilitate Lalandiam advehuntur. Tunc Waldemarus, quòd Svenonem familiarius frequentare ſoleret, cum paucis ad eum viſitandum contendit, Canuto fidem perpetua ſuſpicione damnante. Cum quo Sveno Canutum pariter adeſſe ratus, ſubornat ex ſuis qui jurgantium more rem in ſtrepitum ſeditionemq; converterent, æmulosq; pariter ferro violarent. Quem ubi ſine ſocio venire conſpexit conſilium revocavit, parùm proficuam alterius ſine altero oppreſſionem exiſtimans. Waldemarus cognitis inſidiis, ſed diſſimulatis, multâ Svenonis adulatione vexatus, cum ab eo, die poſtero, ad familiare colloquium expeteretur, non aliter annuit, quàm ut uterq; ſolitarius adeſſet. Eo namq; corporis habitu erat, ut cum nemine viritim congredi dubitaret. Militibus itaque procul abeſſe juſſis, invicem collocuti, proximo die concilium advocant. Tunc Sveno ſive cognationis fiducia, ſive tegendæ fraudis ſtudio, Canuto conſentiente, Waldemaro compoſitionis arbitrium tradit, probaturum ſe, quæcunq, per ipſum taxarentur, affirmans. Igitur Waldemarus ipſis ſibiq; Regii nominis uſurpatione decreta, trifariam totius regni orbem partitus, Jutiæ magnitudinem non minus incolarum multitudine, quàm ſpaciis abundantem, in unam portionem ſecrevit: in altera Sialandiam ac Fioniam: in tertia Scaniam cum attinentibus provinciis locavit. Cumq; penes ipſum ut partitionis, ita optionis quoque poteſtas exiſteret, primam ſibi, ſecundam Svenoni indulſit: priorq; Jutiam ipſe delegit. Tunc Sveno, cui poſt ipſum optio debebatur, ne medium inter æmulos locum acciperet, Scaniam popoſcit. Ita minores inſulæ duorum electione præteritæ, Canuto ceſſere. Fides pacti ſacramento componitur, ut religionis metu perfidia pelleretur. Deinde manus ad cœlum tenduntur, autor rerum in cautionem vocatur. Nec contenti concordiæ pignus humanis ſtabilire conſiliis, Deum ſimul & pactionis præſidem, & temerationis ultorem efflagitant. Pontifices quoque cenſuræ ſuæ partibus interſertis, iis, qui pactum rupiſſent, execrationis ſententiam intentabant. Præterea condictum, delatores mutuò prodi debere, ne mendaciorum obſcuritate ſynceritatis habitus corrumperetur, concordiæq; quaſſaretur integritas. His ita compoſitis, Canutus in Sialandiam, cujus jam poſſeſſionem adeptus fuerat, Waldemaro comitante, præcedit, Svenonem brevi ſubſecuturum hoſpitio ſuſcipere cupiens. Quem poſtridiè Ringſtadio ſuſceptum expertus, dum in ejus occurſum bonæ fidei ſtudio pergeret, Ringſtadicæ religionis prælatum cum Radulpho eqvite Theutonico obvium habuit, affirmantem, nunciatum fuiſſe, Svenonem cum armatorum multitudine venire. Hauſit ergo cum ſuſpicione cautelam, argumentoq; perfidiæ ſumpto, concionem, quæ eo fortè die magnâ popularium frequentiâ gerebatur, declinato Svenone, petivit. Waldemarus verò, apud quem fides ſuſpitioni præponderabat, pacti fiduciâ, Svenonem conſtantius quàm cautius petebat. Stabant milites Regis gregatim armati, Canutum & Waldemarum, dummodo pariter affuiſſent, necare juſſi. Comperta alterius abſentiâ, Sveno, revocatis ſatellitibus, multa venientem gratulatione proſequitur. Percunctantem illum, cur nullo diſcrimine impendente

SVENO III. CANUTUS V. VVALDEMARUS I.

pendente comitibus uteretur armatis, quid rumoris acceperit, edocet. A quo compluribus perfidiæ probris laceratus, consilium propositumq; suum summa animi dissimulatione suppressit. Roskildiam deinde, Canuto, cui illic hospitalitatis jus erat, invitante, procedens, nocte per ludos & commessationem exactâ, diluculo Thorberni vicum, haud procul urbe situm, cum paucis petivit, perinde ac parvulæ filiæ, quæ illic educabatur, cernendæ charitate perductus. Ferunt tunc uxorem Thorberni dixisse, mirari se eum in hanc conditionis vilitatem adductum, ut quod totum gesserat, ejus tertia parte contentus habere sustineat. Quod dictum ab indignatione profectum, Svenoni ingens irritamentum facinoris fuit. Vespera appetente mittuntur à Canuto, qui cœnatum eum accerserent. Quos Thorbernus perquam jucundè excipiens, cum super Regis mora rogaretur, debilitatem capitis ex balnearum fumo & vapore contractam, tarditatis ejus causam astruxit. Sveno verò cum expectationis suæ excusationem afferre vellet, cum filia admodum parvula infantilibus blandimentis jocatum se dixit. Discors causæ redditio percontatoribus notabilis fuit. Quorum hortatu urbem repetens, inter consortes, quasi per ætatem honoratior, medio sedendi loco receptus est. Mensis post epulas amotis, cùm minutioribus poculis passim & variè discurrentibus convivii hilaritas augeretur, calculorum ludum poposcit, gloriatus se ejus apprimè peritum, quod exul hoc maximè jucunditatis genere delectari consveverit. Quod dictum jactantiæ simile, re vera acerba calamitatis recordatio fuit. Sed tabulato non suppetente, ne lusui quidem vacatum est. Inter cætera cantor Germanicus fugam Svenonis, exiliumq; cantilenâ complexus, varias ei contumelias formatis in carmen conviciis objectabat. Quem ob hoc acrius à convivis increpitum, Sveno dissimulatâ molestiâ fortunas suas liberius recinere jubet, perquàm libenter se post ærumnas, malorum meminisse confessus. Crepusculo appetente, illatisq; ex more luminibus, miles Svenonis Thetlevus, qui paulò antè convivio egressus fuerat, reversus in regiam, occasionem edendi facinoris oculis animoq; tacitus perlustrabat. Cumq; paulisper attonito stupentique similis constitisset, Canutus eum propasso in terram amiculo sedere sibi proximum jubet. Ille tantæ ejus dignationi gratias habens, æde excedit, evestigioq; regressus exiguo capitis motu Svenonem accersit. Quem signi tàm latentis ignarum, Canutus à Thetlevo vocatum edocet. Cui cum Thetlevus exsurgenti paululum insusurrasset, quotquot Svenoniarum partium affuere, eis in colloquium admixti, collatis in orbem capitibus, nemini remotiorum exaudienda tractabant. Tunc Canutus perindè ac insidiarum præscius, Waldemarum brachiis attrectatum osculo petivit. Causam blandimenti, cum minimè sic se aliàs gerere consveverit, ab eo, cui osculum tulerat, interrogatus, suppressit. Interea Sveno relictis in æde militibus, per posticum in conclave divertit, præeunte puero luminis gerulo. Mox in Canutum & Waldemarum à subornatis ferrum distringitur. Sed Waldemarus ocyus sede exiliens, manum amiculo obvolutam non solum applicatis capiti suo gladiis objecit, sed etiam Thetlevum acrius in se ruentem pectoris impulsu humi præcipitavit. Cum quo pariter & ipse collapsus, femur quàm gravissimè sauciatus est. At ubi primum pedibus se excepit, recepti vulneris immemor, dum perruptis obstantium globis, foribus exiliret, quidam obscuro loco obvius, arrepta cinguli ipsius pensilia, retentare eum conatus, abrupit. Interea aliis (ne noctis errore facinus impediretur) fenestras reserantibus, Thetlevus humo resiliens, Canutum dexteram gladio obtendentem à fronte confodit. Excipit semianimem Absalon, Waldemarum esse ratus, fluidumq; cruore caput manibus ac sinu complexus, inter ipsos armorum strepitus salutem suam, quàm Regis curam negligere præoptabat, reliquiis spiritus adhuc in ejus pectore palpitantibus.

Tan-

Tandem Canutum à ſe teneri cultus indicio expertus, permixtum mœrori gaudium habuit. Dobicus vir primâ audaciâ, dum Regis necem in autores vindicare conatur, occiditur. Itaque noctis obſcuro neminem diſcerni patiente, in eos, qui valvas propius acceſſiſſent, ſtricto ferro proruebatur; quia tenebrarum acceſſio, hoſtes, an commilitones adeſſent, incertos fecerat. Igitur Conſtantinus, qui primò inter Canuti neceſſarios loco fuerat, nè exitu prohiberetur, Abſalonem, in cujus jam gremio complexuq; Canutus ſpiritum depoſuerat, ad unum oſtiorum accedere, quò tutior ſibi in reliqvum procurſus pateret, tacitè poſtulabat: parenteq; eo ſeorſum elapſus, ab iis qui foris verſabantur exceptus, opprimitur. Abſalon verò promptior ejus petitioni quàm ſuæ ſaluti, Canuti corpore reverenter amoto, ſecurus periculorum in armatos progreditur, crebrasq; eorum interrogationes confeſſione ſui nominis abſolvere dignatus non eſt. Itaque conſtantiâ taciturnitatis adjutus, ſalutarem inter hoſtes egreſſum habuit. Cui Radulphus medio ponte obvius, tam tetri facinoris non autores modò ſed etiam conſcios execrabatur, ab ejus ſe culpa alieniſſimum proteſtatus. Hunc Petrus cognomine Thema magno ſecutus impetu, per ludibrium Abſaloni comminando diſceſſit. At ille ad auſtralem atrii portam, quo Trinitatis ædes ambitur, progreſſus, infeſto ſatellitum occurſu præripitur. Cujus caput gladiorum multitudine circumfuſum, quidam fortè cum aliis ſuperveniens, non ſolum ferri, corporisq; ſui pio vindicavit objectu, ſed etiam quendam à pectore eum confodere geſtientem, pœnas ſibi, ſi non deſiſteret, daturum minatus, ſalutare ei diffugium conciliavit. Abſalon quoq; tempeſtiva corporis declinatione percuſſorem evitans, tunicâ, quâ latus ejus proximè tegebatur, telum excepit. Ita ne Danicæ reparationis ſpes penitus elaberetur, futurum patriæ columen fortuna ſervavit. Inde digreſſus cum in Ramſvicum nocturno itinere perveniſſet, attonitum ſolitario ejus adventu villicum, nunciatis, quæ Roskildiæ inciderant, penè exanimem reddidit. A quo vegetiore equo donatus primùm ſororem, quàm Petrus quidam in matrimonio habebat, deindè matrem petivit. Quæ cum ex eo Canutum occiſum, Waldemarum verò graviter affectum cognoſſet, plus mœroris ex eorum clade, quàm ex filii incolumitate voluptatis contraxit. Interea Waldemarus duos duntaxat è ſuis caſu comites aſſecutus, greſſum femoris debilitate negatum, vitæ cupiditate provexit. Igitur incedendi uſum vulnere debilitatum à neceſſitatis violentia mutuatus eſt. Adeò corporis dolores animi metus extenuat. Deinde ſequacium ope equo impoſitus, in eum fortè vicum caſu ductante pervenit, ad quem fortunæ ejus nuncius Abſalon paulò antè præceſſerat. Quem poſtquam ex villico recenter ad matrem diſceſſiſſe cognovit, præviis locorum peritis, poſt eum contendit. Adeò corpoream ipſius debilitatem, duratrix infirmitatis humanæ neceſſitas confortabat. Illic procurato vulnere, femoreq; faſcia circumligato, noctis reliquias exegit. Diluculo Sveno collectis civibus, nocturnis æmulorum inſidiis appetitum ſe queri, amiculum quod de induſtria confoderat, oſtendere, Canutum & Waldemarum hoſpitalitatis violatores, perjuros, latrones, parricidas appellare, gratias Deo replicare, quod amborum facinus alterius nece propulerit, auxilia adverſum ſuperſtitem implorare. Aſſertis ejus, quia fraus in propatulo fuerat, fides delata non eſt. Deinde ne Waldemaro maritimæ fugæ locus ſuppeteret, totius inſulæ navigiis confodi juſſis, ſolitudines quoque quibus eum irrepſiſſe crediderat, exquiſitius indagandas curabat. Igitur Waldemarus tribus duntaxat comitibus fretus, non per abdita nemorum, aut inacceſſa paludum, ſed per tenues admodum ſaltus errabat, tutiora ratus loca, quæ minùs hoſti ſuſpecta fuiſſent. Hesbernus quoq; cum aliquot procul in planiciem mittitur, qui ſe patentioribus interdum campis, Waldemarum ſimulaturus, oſtenderet.

Com-

VVALDEMARUS I.

Complures quoque, duce eo, variis in locis multitudinem suam, regiæ transitionis simulatione, conspiciendam præbebant. Cumq; demum Jutiam accedi placuisset, familiaris ei faber navigium, quo in eam trajiceretur, reficere jussus, metuens ne Svenoni pœnas daret, operam suam sub specie coactionis extorquendam perdocuit. Igitur Hesbernus officinam ejus agrestium frequentiâ completam ingressus, imprimis eum fictæ precis commento solicitat. Refectionem abnuenti, injicit manus, nexumque deducit; abstractus artificium præbuit. Itaq; sub injuriæ simulatione & amico utiliter paruit, & apud Svenonem sibi impunitatem salubriter conciliavit. Tunc armamentis commeatibusq; per Hesbernum exhibitis, Waldemarus noctu cum suis navigationem orsus, coorta subitò tempestate, inusitatam maris sævitiam expertus est. Ipsis quoque militibus immanium undarum aspergine prolutis, tantùm algoris incessit, ut singulis corporis partibus hebetatis, ne velum quidem ad navigationem commodum circumferre potuerint. Præterea tanta nimbi vis antennam impulit, ut inter undas effracta decideret, nec minus imbrium quàm fluctuum moles navigium onerabat. Gubernator omnia freto permittens, abjecto regimine, quò proram deflecteret ignarus, solum venti imperium exspectabat. Aër quoque crebris internitentium fulminum ignibus micans, ingenti nubium fragore concrepuit. Tandem per summam nimborum rabiem insulæ cuidam errore navigationis appulsi, detractum undis navigium, quod ancorâ retentare nequiret, circumstantium arborum ramis in foros detortis, quò minus lapsum collideretur, tenaciùs astrinxerunt. Eadem nox Sclavos ad Hallandiam mille quingentarum navium classe appulsos, naufragio obruit. E quibus quotquot vivi in littus evaserant, ferro periclitati sunt.

Diluculo Waldemarus administrato per Hesbernum viatico, militibus abundè firmatis, secundo mari in Jutiam pervenit. Vibergum progressus, Svenonisq; dolum pro concione causatus, omnium animos ad mœstitiam lachrymosa fortunæ suæ narratione deflexit. Cujus assertioni non minus miserationis quàm fidei, vulneris præsentia conciliavit. Itaque nescias miserior plaga an felicior fuerit. At Sveno fugæ ejus opinione accepta, refectis navibus, quas antè quassaverat expeditionem in Jutiam parat. Tunc mater Absalonis & soror, egregium virilis industriæ facinus edidêre. Siquidem ut Regis transitum morarentur, navigia, quibus trajicere destinabat, nocturno tempore dissecanda curarunt. Quarum Sveno refectioni diutiùs immoratus, cum redintegratis omnibus in Fioniam pervenisset, Waldemarus ociùs æmulo occurrendum existimans, primis eum Jutiæ liminibus prohibere constituit. Quo cognito in Sialandiam se contulit, ejusq; & Scaniæ populo per edictum contracto, privatis armis publica miscet auxilia. Interea Waldemarus incertum belli suspicatus eventum, repetito Vibergo, nuptias agit, tum ut eos faciliùs sibi, qui Canuto militaverant, adsciscere, tum nè pulcherrimæ sponsæ castitatem hostibus fortè delibandam servaret. Deinde expeditione coite jussâ Randrusium petit, Sialandiam, quod Svenoni receptaculo esset, armis attentare constituens. Ex Svenonis quoq; militia complures ob immane eum scelus perosi, Waldemaro se jungunt, tanti facinoris reatum, auxiliorum fomentis prosequi nefas ducentes. At Sveno qui bellum inferre quàm excipere speciosius duceret, magnitudinem animi sui intra unius insulæ fines concludere nequiens, navigiis è Fionia Sialandiaque petitis, ad Jutiam appulit, iisdemque intra Diursaa fluminis alveum recipi jussis, cum promptissimis equitum, sub dubiâ oppidanorum fide, Vibergum concessit. Quod cùm Waldemarus per transfugarum quendam expertus fuisset, auxiliaribus, quâ poterat celeritate, contractis, ad exturbandam hostium classem, Saxonem & Jurisium cum navalibus copiis mittit.

Quorum autoritatibus moti Sialandenses, navigatione reflexa, plus propinquorum monitis quàm Regis imperio tribuendum putarunt, ejusq; desertores, quàm horum hostes existere maluerunt. Verùm Fionenses, apud quos plus Regis quàm privatorum respectus valuit, spreti monitus pœnas vapulando luere, pulsatique dedére fugam, quam sospites abnuerunt. Nec quicquam Sveno malorum ægriùs tulit. Post hæc, Hesbernus hostium consilia cognoscere jussus, cum prope Wibergum susceptæ speculationis gratia pervenisset, Svenonis Randrusium petentis obvium contemplatur exercitum. Igitur ne res diligentiùs quàm fortiùs explorare videretur, præcedentium quosdam effusiùs obequitantes, hasta validiùs appetitos militari virtute prostravit. Quorum equis potitus, comitum ope per devium abstrahendos curavit. Tunc Svenoniani propinquas hostium copias arbitrantes, armatura properè sumpta, lectissimisq; equorum conscensis, bello se præparant. At postquam inæqualia loca permensis prospectum planicies dedit, solum contuentes Hesbernum, post eum promptissimos dirigunt. Quibus ille volucri fisus equo, tanto semet intervallo surripuit, ut interdum quieti descendendo consuleret. Cumq; insecutores frustrà se ejus occupationi inhiasse conspicerent, alloquium ipsius sub fidei promissione eminus vociferando deposcunt. Negat eorum se colloquia suscepturum Hesbernus, quod lubrica fide serotinis esse temporibus consveverint, facetissime eis perfidiam, quam recenter Roskildiæ patrarant, objectans. Ex quibus Petrum duntaxat, cognomine Thema, antiquæ societatis fiducia accepta fide, propius accedere passus, cum super Waldemaro pluribus rogaretur, reliqui inter se equis de industria concurrentes, insidias ei sub exercitationis simulatione tendebant. Tunc Petrum Hesbernus, quid animi sociis esset, advertere postulat. Ille fidem suam commilitonum perfidia quassandam veritus, obversa hasta confixurum se, qui in Hesbernum irruisset, exclamat. Quorum fraudem Hesbernus per angustos diverticuli recessus, præpropere pontis cujusdam transitu præcucurrit, intentasq; lateri hastas cuspidis suæ frustrabatur objectu. Cumq; eos identidem dignis perfidiæ conviciis affecisset, procul inde discedens obvios fortè commilitones de hostium insecutione edoctos, propinquis viæ fruticibus occultavit, ac protinus ipse equo dissiluit. Qui vero in ejus captionem intenderant, nondum hac spe deposita, cursum dirigere perseverabant. Quibus ille procul conspectis eqvum insilit, ejusque latera crebris de industria verberibus attundendo, ficto cursum labore confecit. Igitur insequentes conceptam intercipiendi ejus spem majori conamine prosequentes, acriùs equos urgere cœperunt, haud dubie ab hostibus capiendi, nisi insidiantium quidam expectationis impatiens, per nimiam occursandi cupidinem ociùs latebris erupisset. Itaque ex unius procursu datum sibi insidiarum indicium existimantes, ad socios impigrè relabebantur, aliena impatientia quàm sua providentia feliciores. Ita Hesbernus nisi sociorum imprudentia vetuisset, calliditate perfidiam ultus fuisset. Per quem Waldemarus hostes imminere comperiens, nondum se committendi belli viribus abundare confisus, junctum vico pontem, ne eis pervius foret, partim discindi jubet. Itaque & tutum militi munimentum, & opportunum contrahendis viribus spatium ab amne mutuatus est. Cumque nec Svenoni transeundi facultas, nec Waldemaro obviandi voluntas suppeteret, promptissimi tamen juvenum, reliquiis pontis præter imperium occupatis, jaculis missilibusq; certantes magna fortitudinis experimenta dedere. Quippe quia congressionem locus negabat, ad aliquanto mitius pugnæ genus juvenilium animorum lascivia decurrebat. Waldemarus tandem gerendi fiduciam belli quotidianis copiarum incrementis adeptus, amne aliàs superato

perato

perato hoſtem appetere ſtatuit. Nocte verò, quàm belli inſecutus eſt dies, frænatos ſtare equos, paſtuq́; penitus arceri præcepit, ne ſatietate graves, curſu hebetes forent. At Sveno caſtris ſata complexus ex ipſa agrorum ubertate abundè equos refici jubet, ignarus ſtomachi ſarcinam curſui impedimento futuram. Cumq́; Waldemarus exercitu in aciem digeſto procederet, cohortem armis ſignisq́ fulgentem è latere conſpicatur. Quam primo hoſtilem ratus, ex ſpeculatoribus cognoſcit ſocios eſſe, quos metuat. Quibus in aciem receptis fidentius in hoſtem tendebat. Adeò quippe copiis creverat, ut nè à decimâ quidem exercitus parte, ſignorum ordines proſpici potuiſſent. Tunc quibus à Svenone commiſſa ſpeculatio fuerat, reverſi, immodicas hoſtium vires edocent, fatigandam ante multitudinem, quàm ſuſtinendam eſſe. Fore enim ut multum ex ejus numero copiisq́; dies detraheret. Cujus conſilii ſalubritatem Svenoni admodum gratam Achonis cujusdam Chriſtierno procreati temeritas reppulit. Siquidem aut pugnaturum Regem, aut à militibus deſerendum eſſe dicebat: quippe qui ita ſibi conſulere nolint, ut rem familiarem proprio ſpiritu chariorem hoſti impune potiendam relinquere cupiant. Ad hæc memorem eſſe jubet, quoties exigua manus ingens victoriæ decus acceperit. Itaque ſi animos ſuorum non numerum metiri velit, plus fiduciæ ex eorum paucitate, quàm metus ex hoſtium multitudine concipiendum fuiſſe. Præterea aciem contemni potius quàm metui debere, quam non militum robur, ſed vulgus inerme conſtruxerit. Hac exhortatione Regem ſalutari conſilio depulſum, pernicioſo parere coëgit. Ex parte Waldemari juventus ferrugineis ſuccincta tunicis, dextrum aciei latus confecerat. Quam Svenonici ob eximiam ferri ſimilitudinem vario loricarum genere exculatam rati, in eam cohortem exercitus ſui cuneum diſtrinxerunt. At ubi ſpecie deceptos ſe vident, ab his ad Regiam phalangem inſultum transferunt. Illud quoq; memoratu dignum, quod Waldemari exercitum tàm crebri corvorum greges intervolaſſe produntur, ut complures ſe erectis militum haſtis feriendos objicerent. Medius acies interequitabat cantor, qui parricidalem Svenonis perfidiam famoſo carmine proſequendo, Waldemari milites per ſummam vindictæ exhortationem in bellum accenderet. Congreſſuris ſepes frugum ambitrix obſtabat, quam neutro equitatu propter palorum eminentia acumina tranſcendere præſumente, Waldemari pedites disjicere aggreſſi, pugnæ principium ediderunt. Qua Svenonici levi negotio victi, ægrè fugam moliebantur. Quippe equi nocturno adhuc pabulo onuſti perſeveranter curſum intendere non valebant, quod ſaturitatis moles citam eis laſſitudinem ingerebat. Primipilus ipſe & equo in hoſtem converſus, ſparſosq́; fuga ſocios ad pugnam capeſſendam hortatus, tandem circumſpectis nuſquam auxiliis, ſignum humi defixum ſiniſtrâ complexus, dextrâ propius accedentes obtruncat. Ad ultimum memorabili pugnâ editâ, circumfuſæ multitudinis viribus laceſſitus obruitur. Sveno cum paucis ad paluſtria fortè fugâ perveniens, cum luto deſidente equi veſtigia mergerentur, pedes iter arripere conabatur. Sed ne ſic quidem cœno onus ferente, etiam arma depoſuit. Poſtremo quanquam ſuorum humeris anniteretur, ſupremâ victus laſſitudine comitibus aufugere juſſis, in arboris unius radice conſedit. Adeò quippe eum vires defecerant, ut ne gradum quidem alieno ſubnixum adminiculo proferre potuerit. A quo quidam ſuorum per ignaviam diſcedere omni fato triſtius ratus, ab agreſtibus indagandæ prædæ gratia ſupervenientibus, ante pedes Regis appetitus, occubuit. A quibus & Sveno captus, cum quis eſſet interrogaretur, Regis ſcribam profitebatur. Agnitus tandem, equoq́; ob reverentiam majeſtatis impoſitus, ſive metus, ſive ſpei inſtinctu Waldemaro ſe præſentari poſcebat. Hæc orantis caput agre-

VVALDEMARUS I.

agrestium quidam subitò advolans securi præcidit. Corpus ejus nullis funeris impensis honoratum, ignobili sepulturæ popularium cura mandavit. Ulvonem bello captum, Wibergique custodiæ traditum, Hesberno duntaxat, quò minus puniretur, obstante, capitali supplicio Canuti milites affecêre, sanguine ejus ducis sui manibus parentandum putantes. Prensus quoque Thetlevus cum ad eculeum abstraheretur, primo culpam apud captores excusare pergebat. Postremò cum sine effectu preces esse cognosceret, adeò effœminatè se gessit, ut virum exuere visus ne lachrymis quidem abstineret aut planctu, muliebremq; animum virili corpore clausum confiteretur. Itaque prius dedecore, deinde morte multatus, geminam interfecti à se principis Manibus pœnam persolvit. Magnus verò posterioris Erici ex pellice filius, qui & ipse Svenoniani nominis acrior quàm justior defensor exciterat, cum captus ultima se passurum arbitraretur, supra vota propitiam victoris clementiam expertus est. Quem Waldemarus sibi à captoribus præsentatum, sub respectu cognationis non spiritu modo, sed etiam honoris ac potestatis incrementis donavit. Cumq; abundè esset impunitatem tribuisse, etiam liberalitatem adjecit: ne districtum ultorem agendo, plus iræ quàm necessitudini indulsisse videretur. Itaque tametsi injuriæ supplicium deberetur, propinquitati salus tributa est. Igitur non minus in adversario affinitatem, quàm in fautoribus fidem atque obsequium veneratus, hostem amicis præmio æquavit, Jurisium etiam ut sanguine sibi, ita animo obsequioque conjunctum, quod optimâ ipsius operâ adversum Svenonem usus fuerat, tum opibus, tum etiam honoribus prosecutus est. Cujus fratrem Canutum pari munificentia ad præfecturæ fastigium recenter evexerat. Tum verò qui Canuticæ militiæ comites fuerant nondum hostium cladibus contenti, communiter Regem adeunt, ut eos, qui Svenoni interficiendi Canuti consilium dederant, proscriptione prosequeretur, orantes. Inter cæteros autem, Thorberni pœnam cupidius expetebant: quanquam is, cum apud Randrusii pontem dimicaretur, præsentibus, quorum consilio Canuti cædes commissa fuerat, huic se perfidiæ affinem negabat, autores ejus acerrimè devovens. At Rex metuens, ne si tot gentis suæ nobiles exilio multaret, Canutum, Jurisiumq; dubiâ fide suspectos, proscriptorum adversum se armis instrueret: veniam sontibus, quàm æmulis opem afferre maluit. Ad ultimum instantium perseverantiâ victus, ne à Canuti interfectoribus remissius ultionem exigere videretur, proscripturum se, quos jussissent, promisit, nec alio pacto patriæ redditurum, quàm si eorum precibus revocarentur, quorum sententiis exilio adacti fuissent. Sciebat enim facilem humani animi ab odio ad gratiam deflexum existere, ac plerumque mortales affectus, cum ipsa rerum varietate consentire. Nihil enim in his tam asperum reperiri, quod tempus aut casus lenire non possit. Cæteris ejusdem gregis, ut iisdem potius bonis militibus uteretur, quàm in eos animadverteret, exoratus ignovit, tantoq; se ejus amicitia propiorem exhibuit, quanto ipsos ab illius parricidalis commenti conscientia remotiores agnovit.

His ita compositis, ut regni initia strenuis militiæ operibus auspicaretur, patriamq; tot annis piraticâ laceratam, ac fermè tertia ex parte ad situm & vastitatem usque redactam injuriarum ultione reficeret, publica classe Masnet insulam, bellum Sclavis facturus, accedit. Ubi dum populum in concione exhortaretur, seniores quibus pro rostris dicendi mos erat, classem tutò processuram negabant. Nam & suos commeatibus defici, & hostes compertum Regis habere propositum. Aucupandæ ergo opportunitatis gratia dilatu opus existere, quoad melior gerendæ rei facultas incideret. Cæterum non parvæ temeritatis esse, adversum providos & præmunitos armorum experiri fortunam. Præterea in eam classem Danicum

penitus

VVALDEMARUS I.

penitus coisse robur, quod si periclitari contingeret, profectò Sclavos unius victoriæ beneficio, Dania potituros. Nam si res parum ex sententia cederent, nonne patriam penitus in eorum funere perituram? Minimè igitur uni prælio tantæ nobilitatis vires impendere debere, dummodo victrices parum gloriæ, victæ dedecoris plurimum sint laturæ. In hanc sententiam totius concionis suffragia consonabant. Cujus arbitrio Rex expeditionem remittere coactus, proposito suo celerius quàm cupidius cessit. Apud quem Absalon in navem regressum, desidiam ejus eludens, facetissimè cavillatus est. Nam cum solutæ expeditionis causam perquireret, dixissetq; Rex, ne tot fortes periculo objectarentur. Ergo, inquit, cum ignavis & ignobilibus cœptum exequere, aut proficuè victor futurus, aut parùm damnosè vincendus, quum nullo in momento vilium internecio ponenda sit. Ita lepidi ingenii adolescens, indignationem suam ad inertiæ exprobrationem sub joci specie convertit. Quæ tam faceta ejus urbanitas, tacitum Regis convicium fuit. Per eadem tempora Ascero Roskildensium Antistite decedente, super subrogando Pontifice plebis à clero suffragia dissidebant. Eadem etiam tempestate, dividuâ Roskildensis populi conjuratione, cum mutuis cædibus civitas exundaret, advenis partim cæsis, partim urbe ejectis, non contenta indigenarum sodalitas alienigenæ conjurationis partes protrivisse, etiam in eum qui Regium numisma administrabat, non tantum ædes ejus solo æquando, sed etiam bona omnia diripiendo, vesaniam suæ consternationis exercuit. Tunc Rex ob majestatis suæ contemptum acrius civitati infensus, cum ad excidium ejus magna provincialium manu niteretur, missis ad se deprecandum legatis, ne armis, quæ pro patria ferre debuerat, adversum patriam uteretur, incolumitatem urbi, suscepta pecuniæ pactione donavit. Quam continuò placida mente ingressus, Trinitatis ædi inservientium penates intravit, eorum de creando Pontifice suffragia, suo prosecutus assensu. Quanquam autem ei in Ecclesia à majoribus condita ac dotata, juris aliquid competere videretur, nihil se tamen adversum eam aut illicita affectatione, aut insolita consvetudine præsumpturum dicebat: sacris siquidem legibus cautum nosse, nè clerus peculiare eligendi jus Regali imperio obnoxium habeat. Itaque præsentiam suam haudquaquam impedimento futuram, quò minus electoribus libera suffragiorum arbitria maneant. Tunc clerus religiosam ejus justitiam summis gratiarum actionibus prosecutus, concilio excessit, delectum curiosius habiturus. Cumque tres spectatæ opinionis viros, quibus quartus ob virtutem Absalon adjiciebatur, circumspexissent, ut ex eorum numero potissimus assumeretur, Waldemarus tacita singulorum suffragia in unius tabulæ segregata volumina referri jussit, sinceriorem electionis habitum ratus, si uniuscujusq; voluntas antè manu quàm lingua proderetur: evenitq; ut omnium scripto in unam coëunte sententiam, honoris culmen Absaloni decerneretur. Qui mox Antistes creatus, non minus piratam se quàm Pontificem gessit, parvi æstimans intus religionem tueri, si foris eam periclitari pateretur. Neq; enim minus sacrorum attinet cultui publicæ religionis hostes repellere, quàm ceremoniarum tutelæ vacare. Itaque pontificalibus tectis majore ex parte solo æquatis, quò patriam firmioribus vallaret excubiis, maritimam assiduè stationem peragens, habitationis usum interdum à sylvis frondibusq; mutuari solebat. Cujus tam humilis mansio, convulsos patriæ penates erexit. Eloquentiæ quoque ejus præsidia Sialandenses salutaria senserunt. Nam domesticas conciones ad vim & rixam usque litigiosas, moderatione sua ad pacatiorem habitum perduxit. Tantaq; facundiæ ejus ornamenta fuere, ut eos semet stoliditatis damnare cogeret, qui eum inertem elinguemq; crediderant. Nec pensi duxit duratos gelu fluctus hybernis sulcare navigiis,

ne ullum anni tempus salutaribus vacaret excubiis, aut insignis ejus ergà patriam pietas necessitati cedere videretur. Itaque non minus patriæ parentem quàm Pontificem egit, militiæ & religionis sociato fulgore conspicuus. Prima illi, pridie quàm Palmarum solenne instaret, apud Borlundam vicum adversum Sclavos congressio extitit. Nunciata namque eorum irruptione, clientelâ duntaxat suâ, quæ decem & octo militum numerum explebat, instructus, adversum quatuor & viginti navium copias, ut periculoso, ita felici certamine dimicavit. Compluribus siquidem adversæ partis equitum fusis, pedites fermè omnes oppressit. Nec in tanto discrimine quempiam ex suis præter unum amisit, Pontificatum & militiam pulcherrimâ victoriâ auspicatus. Paucos ex hostibus arma spoliaq; fugæ liberius ineundæ gratia per ignaviam abjectantes, juncta campis sylva servavit.

Eodem anno civitas Arusiensis acerrimis piratarum incursibus afflicta proditur. Tunc quoque Falstrensibus paucitatem suam adversus infinitam Sclavorum classem publica munitione tuentibus, cum fortè pincerna Regis ad alia negotia obeunda in eam provinciam missus communi obsidione premeretur; provincialium quidam arbitris Regis segnitiem exprobrando dixisse fertur: priores Reges in talis, præsentem verò in prima pedum parte calcaribus assvevisse. Quod dictum pincerna desidiæ conscientia provocatus, maligna animi interpretatione, Regiis auribus, modo, quo non debuit, inculcavit, & quod suæ contumeliæ erat, in majestatis opprobrium transtulit. Alia quoque haud leviori criminatione adversum Falstrenses asperatum Regis animum inflammabat, unius præcipitis linguæ vehementiam universorum excidio multare cupiens. Siquidem impiissimam eis proditionis noxam affixit, quasi consiliorum omnium adversum Sclaviam conceptorum indicia ad eam transmittere solitis, familiaritatemque, quàm interdum conciliandæ sibi salutis gratia ad hostes habebant, in crimen deducens, obsequia timori potius quàm charitati erogabat, perfidiæque deputabat. Nam & captivos à Sclavis sibi commissos in custodia asservare, & plerumq; patriæ arma metu potius quàm benevolentia adducti, lato hostibus nuncio præcurrere consveverant; scilicet ut salutem suam quàm viribus protegere nequibant, saltem beneficio munirent. Hujus itaq; pestiferâ Rex exhortatione corruptus, reliquias Falstriæ ferro penitus exhaurire constituit, atq; ad id peragendum, Sialandiæ duntaxat ministerium sufficere credidit. Absalone ergo Orientalibus insulæ copiis præesse jusso, Occidentales ipse ductare statuit, ingentibus passim, exiguisq; navigiis exercitum trajecturus. At Sialandenses, quòd cum Falstrensibus diutinas ac vehementes inimicitias gesserant; acceptas injurias communibus armis pensare cupientes, ultrò imperium obsequio præcurrebant, lætari Regem sibi adversum æmulos belli ducem autoremque futurum. Sed hunc ejus errorem sinistris monitis concitatum, fortunæ violentia felici remedio præcucurrit. Nam cum Rex magnis viribus succinctus, iter ingredi vellet, apud Ringstadium subitâ febri implicitus, Absalonem, remissis copiis, ocius ad se venire jubet. Ita pestiferæ Regis, molitioni opportuna valitudinis conquassatio remedio fuit. Nec minus Waldemari innocentiæ, quàm insontis populi saluti, misso coelitus languore, consultum. Quàm porrò tunc non solum deformem, sed etiam miserabilem rei Danicæ statum fuisse credendum est, cum foris hostilibus, intus Regiis armis appeteretur? Quis verò divino numine effectum ambigat, ne patriæ Imperator futurus in ipso penè fulgoris sui primordio regnum, quod ex hostium manibus erepturus erat, obrueret? Quia patriæ habenas tenenti, difficillimo morbo quàm maximo facinori implicari satius fuit. Itaque languore indies acrius grassante, Absalon pro salute Regia votis excubare non destitit. Ad ultimum veluti remedii desperatione perfusus, cum unicum in virtute divina auxilium re-

stare

VVALDEMARUS I.

stare animadverteret, ad eam propitiandam summa cum examinatione vota pro ægroto nuncupaturus accessit: divinamq; rem sacerdotali veste amictus ritè peregit: sacrificia deinde legitimis verbis confecta ad ægrum detulit, ac penè exanimi delibanda porrexit. Quibus ille refectus, continuò oborto sudore, bonæ valetudinis habitum recuperavit. Antistes tamen adhuc de ejus convalescentia dubius, languore ex molestia contracto, repente corporis firmitate defici cœpit. Ac nisi cœleste remedium affulsisset, spes tantæ indolis in ipso ortu suo occubuisset. Sed nec illi sanitatis alienatio impedimento fore potuit, quò minus curam Regis, quam sospes gesserat, æger exsequeretur. Ratus siquidem emendatam ipsius valetudinem tristi nuncio corrumpi posse, affectionem suam ei nunciari prohibuit, ne subita animi tristitia implicatus in pristinam pestem relaberetur. Sospitate reddita, ambo tàm exitialis propositi interpellatori Deo saluberrimæ admonitionis grates solvebant: errorisque eos, non sine rubore, pœnitentia subiit, cogitatæ impietatis effectum, divinæ animadversionis beneficio sublatum esse gaudentes. Salubriori itaque sententia animum amplectente à civium periculis ad hostes usque lacessendos studium traduxerunt.

Tunc Rex, Absalonis, Petri, Sunonis, & Hesberni, qui potissimum consiliis ejus præerant, prudentioribus monitis informatus, citiore quàm majore exercitu, occultoq; magis incursu, quàm aperta classe expeditionis in hostem agendæ consilium cepit: cum multò facilioris sit negocii inopinatos quàm providos oppugnare: & plerunque prævalidæ multitudinis sententia salutaribus majorum jussis obniti soleat, apud quam plus virium Sclavici nominis terror quàm regium possideret edictum. Idcirco autem perpaucos hujus rei arbitros adscivit, quòd sciret quæcunque ferro geruntur, publicis viribus, sed privatis consiliis administrari oportere. Et quoniam de Sialandensium nihil obsequio dubitabat, Scanicæ classis ducem agere præoptavit. Cumq; nondum integra valetudine, Scanienses Lundiæ contractos expeditionis solicitaret edicto, Maximus Pontifex Eskillus (nam ei cæteri proloquium deferebant) negabat in expedito naves esse, quibus tàm subitò jussum perageretur. Cumq; Rex obtemperantibus gratiam, supersedentibus iram se repensurum dixisset, tantaq; propositi cupiditate perfusus esset, ut unico proficisci navigio quàm expeditionem remittere mallet: Eskillus indubitatæ voluntatis ejus firmitate comperta, non solum consilium probavit, sed etiàm, qui Regi comites deessent, admodum execratus, sua eum navi, impensaq; excepit. Jampridem enim Regem expeditionum dissvetudo navigio spoliaverat. Postremi Lalandenses ac Falstrici in classem coire jussi, ne longa præscientia edocti, furtim ad Sclavos imperatæ rei indicia deferrent. At ubi Landoram classe perventum, Rex spectandi exercitus sui avidus, in campo copias explicare constituit, ut totas vires oculis subjiciendo, an eâ manu tutò bellum commissurus videretur, aspiceret. Ab hujus littoris continenti longior arenæ tractus brevibus abscissus, curvatis anfractibus portum navigiis facit, ita humilis, ut veniente æstu lateat, abscedente visatur. Nam vadosus ejus introitus diffusiore spacio opacæ altitudinis undas includit. Sed quoniam hunc locum cuncti Danorum Reges vanissimi erroris deliramento suspectum, perinde at fatalem cavere consveverant, proximo portu universi agminis apparatum curiosissimè contemplatus est, adhibitis qui militiæ rudes rei bellicæ documentis imbuerent, quatenus vires suas potius solida oculorum fide, quàm cæco æstimationis augurio metiretur. Huic militiæ speculationi quatuordecim diebus intentos, major commeatuum pars otio consumpta defecerat. Egressis portu, tranquilla toto mari navigatio incidit. Sed ut taciti improvisiq; appellerent, remigiis eam quàm velis instruere maluerunt, Absalone cum septem navibus præmisso, qui Rugiani littoris excussius indagaret accessum. Siquidem

VVALDEMARUS I.

quidem Arcon oppidum vetuſto ſimulacri cujuſdam cultu inclytum, ignaris incolis incendio tentare, cunctoſq; ejus præſidium petituros ex improviſo opprimere ſtatuerunt; munimentum quidem habitatore vacuum, ſerarumq; duntaxat clauſtris firmatum; exiſtimantibus indigenis parùm humanæ tutelæ egenum, quod præſentis numinis excubiis eſſet vallatum. Summa verò contractæ claſſis ordine digeſta, ducentarum & ſexaginta navium numerum reddebat. Abſalon exequendæ ſpeculationis gratia, cum propemodum ad Rugiam perveniſſet, indicantibus nautis, cognoſcit Regiam navem ſubito remigium velo mutaſſe: miratuſque, quid ita cætera claſſis incederet, quæ paulo antè velis, quò occultior navigatio gereretur, abſtinendum condixerat, poſtquam eam à ſtatuto declinare cognovit, & ipſe non ſuppetentibus propoſiti ſociis, per ſummam animi confuſionem puppim ultimus vertit, Regemq; Mønenſium in portu receptum mœſtior quàm libentior comes petivit. Quippe quia cœpti comitibus deficiebatur, indignatus optimam gerendæ rei facultatem omitti, cum & aëris favor & militum arridebat alacritas, ab inchoata navigatione ægrè proram avertit. Hunc Petrus, Suno, & Hesbernus, cum quibus Rex conſilia ſua participare ſolebat, rate egreſſum excipientes, tam deformem Regis ab utili illuſtrique conſilio defectionem anxie querebantur. Quos tandem Rex obviam ſibi venire juſſos, ubi triſtes animadvertit, admirans cur eo vultu eſſent; viſum ſibi, inquit, ne tarda & intempeſtiva navigatio proferretur, curſum ejus ad inſulam fuiſſe flectendum, manè cuncta commodius executuro. Quippe dies labori, noctes quieti familiares exiſtere. Cumque nullum ab amicis reſponſum daretur, taciturnitatis admiratione permotus, proferre eos, quæ ſentiant, imperat. Illi, quæ invicem contuliſſent, Abſalonem proponere jubent. Tum ille, quid miri eſt, inquit, ſegnes hæſitare voces, quas ingenti mœroris pondere obrutas, quaſi fauce obcluſâ, latens animi ſtrangulat ægritudo? Enimvero vicem tuam ad ignominiam vergere conſpicientes, interno mentis luctu perfundimur. Quippe imperii jus obſequio mutas, pareſq; quibus præeſſe debueras, utiliſſimis conſiliis ſpretis, eorum monita conſectando, qui in æquo ponunt, pulchérne rerum tuarum curſus an deformis exiſtat. At poſtquam ſine collega aut æmulo regnare cœpiſti, altera nunc expeditio geritur, nec illius remiſſio quàm hujus fœdior apparet. Siquidem ſumma rerum opportunitate contempta, parvulas commeatuum reliquias habentes otioſis navigationis exceſſibus excuſabilem reverſionis titulum quærimus: & cum nullis urgeamur obſtaculis, ignaviam noſtram neceſſitatis nomine cenſeri cupimus. Hiſcéne patriam operibus vindicandam, talibúſve regnum ingeniis auſpicandum duxiſti? Si vero maris ſævitia navigationem interpellari contigerit, quid ſupereſt niſi ut neceſſitatis imperio cogente domos inglorii petamus, teterrimis effœminatæ mentis opprobriis inſectandi? Hæc & ſimilia tum moleſtiæ ſtimulis, tum fiducia familiaritatis evectus, per ſummam verborum acerbitatem apud Regias aures eloqui non dubitabat. Quanquam autem Rex adverſum dictorum ejus libertatem acrius exarſiſſet, tamen ne monitorem impudentius avertere videretur, magnitudinem iræ, quam vultu teſte conceperat, moderatione ſua ad leve & tolerabile reſponſum deflexit, dicendo complures operum ſuorum teſtes extare, nihilque tam fortiter ab Abſalone geſtum, quod ſi nondum virtute æquaverit, adhuc ſatis æmulari non poſſit. Nec plura eloqui paſſus, cymba navigium repetivit, ſubjungente Abſalone haudquaquam eum utilia ſvadenti ſuccenſere debere, cum aliquanto ſatius ſit apertis amicorum monitis inſtrui, quàm occultis amaræ ſugillationis morſibus obtrectari. Poſtera nocte concitatum acrius mare eò tempeſtatis exceſſit, ut Regia claſſis non portu, non anchoris, quò minus ſparſa pelago disjiceretur, retentari potuerit. Nulla ex

parte

parte remissior, eodem aëris habitu, quatriduo perseveravit. Quæ res iram Regis adversum Absalonem accensam magnoperè delinivit. Sed quod jam corde salubre deprehenderat, voce fateri erubescebat, pudore serum animi ejus intellectum celante. Nam interim nulla ad amicos communione habita, postridie prædictos viros fortè littori insistentes accessit, comitibusq; propius accedere vetitis, concitationem animi sui, inquit, tametsi dissimulatione uti vellet, iracundis oris notis proditam esse, parùm quidem admiratione dignum, cùm consultantis vocem monitis potius quàm contumeliis excipi deceat. Quædam tamen ab eis sapientius, quàm tempestivius dicta, quæ si ante triduum prolata fuissent, ingentis mali materiam præcurrere poterant. Seras quidem monitoris partes esse, quæ rem, dum in arbitrio est, negligentius obeunt, exactam solicitudine proseqvuntur. Inemendabilia autem corrigere velle, proximum amentiæ errorem esse. Frustrà igitur se conviciis attentatum fuisse, cum & irrevocabiles præteritorum eventus existant, & plerumque animi commotio parùm cum ratione consentiat. Ortæ verò tempestatis sævitiam, absque cœlestium monitis, humano præsagio comprehendere nequivisse, neque, quin eâ delictorum pœnas lueret, dubitare. Quam ob rem aut naturæ ignorantiam, aut improvisæ necessitatis violentiam vitio sibi verti non oportere. Omissis igitur præteritorum querelis ad tempestiva rebus consilia, animum operamq; devocare par esse. Malle enim se spiritum specioso exitu, quàm expeditionem deformi reditu finire. Tunc Petrus Absalonis sententiam aliquanto leniori monitorum genere prosecutus, docet neminem Regum fidas amicorum voces infensis auribus excipere convenire, cum sæpe clari illustrésque viri spreti salutaris consilii pœnas perniciosa morte pependerint. Cæterum aurâ, dum faveat, utendum esse, quod ejus anceps incertaq; varietas existere soleat. Sustinendum itaque, donec tempestatis immensitas ad tolerabilem remigiis habitum concidat. Adhuc enim tridui commeatus superesse, exiguoq; trajectu hostes accedi posse. Quod si præsenti alimentorum ope deficerentur, alia armis esse poscenda. Oportere ergo, mox ut undas remigio habiles viderint, sparsam ocius uniri classem, incessuramq; sociali remigio progredi. Quippe navigationem omnem hoc alacriorem, quo æquabiliorem existere. Rex monitore laudato Absaloni speculandæ tempestatis officium mandat, sibi cumprimum eam remigii patientem adverteret, indicaturo. Absalon cupidè præcepto, quod suis monitis extuderat, obsecutus, nocte posterâ, aurâ sensibiliter impetum remittente, eventu gavisus, antelucano tempore, peractis divinis, ad Regem pervenit, nunciando tempestatem ex parte collapsam, possibilem quidem profectioni, sed difficilem fore, nec nisi summâ cum remigii difficultate navigationis capacem existere. Respondente Rege moras esse rumpendas, per ludibrium subtexuit, pulchrè se operam impensuros, si navigationis medietate confectâ, unde solverant, sint reversuri. Cujus dicti proclivitas tametsi joco mordacior videretur, ingens Regi capessendæ virtutis præbuit incitamentum. Lepidâ tamen irrisione non caruit, subjungente Rege, revertentem se, ex eo, quæ in Sclavia gerantur, posse cognoscere. Principio classis lætam alacremq; navigationem pleno fiduciæ remigio proferebat. Nam intra propinquæ telluris anfractus auræ vis, quæ aperto mari licentius incumbebat, latentium undarum habitum asperare non poterat, terreni tractus obstaculis undique secus incitatiorem fluctuum allapsum arcentibus. At ubi in altum dirigi navigia cœpêre, intolerabili penè tempestatis occursu excipiebantur. Antistes, nè fortissimos monitus suos parùm justo conatu prosequi videretur, ingenuo pudore firmatus perseverantissima remigii obluctatione quasi cum necessitate certabat, Regemq; virtutis æmulatione provectum, cœpti sui comitem existere coëgit. Itaque lenta & inhabilis ac

penè

penè inconcessa navigatio hinc sæviente mari, inde claudicante remigio fuit. Ea freti repugnantis violentia Regiam navem adversis undarum molibus implicatam, per summam procellarum asperitatem laxatis propemodum compagibus disiungi coëgit. Quo viso Rex tùm vitandi periculi, tùm etiam complendæ navigationis gratia, tutiore excipi cupiens, Ingimari Scaniensis ratem propius adesse jussam, ensem dextra, signumq; læva corripiens, ut temerario, ita prospero saltu involat, eamq́; remis acrius citari jubet. Eskillum virtutis pertinaciâ aliquamdiu subsequi conatum, affectumq́; Regis quàm debilitatem navigii sui propensius intuentem, partim Regiæ vocis prohibitio, partim referta periculo necessitas reverti compulit. Eo viso, complures reversionis occasionem ab erroris simulatione mutuari ignavia docuit. Quibus tamen erroris commentum patrocinio fore non debuit, cùm Regem navigium, non iter, mutasse translati signi indicio liquere potuerit. Nonnulli quoque conquassatioribus navigiis inviti relabebantur, quod hisdem compagum firmitate defectis, concitati maris incursum sustinere nequibant. Qui vero procedere perseverabant, ut viribus corporis labores continuati sufficere possent, edendi navigandiq́; pariter officio fungebantur. Ne enim navigationis cursum vel parvulâ remigii intermissio moraretur, dextrâ remos, lævâ cibos tractabant. Exigua classis pars, Absalone duce, virtutis & gloriæ æmulantior, inusitatæ tempestatis sævitiam incredibili remorum certamine superavit, obluctatumq́; pelagus infatigabili permensa navigio, hora antelucana ad insulam Hythim, ipsâ quoque necessitate superior, appulit. Tunc Absalon ne quid inexcussum omitteret, per Wethemannum piraticæ operibus clarum officio speculationis addictum, & portus hostilibus navigiis vacuos, & Rugiam nihil hostile metuentem cognoscit. Nam armenta securis custodibus ptopter littus errantia, inopinatos incolas esse fidem fecère. Rex languido remigio seram navigationem emensus, obtento portu protinus in Absalonis navem se contulit, fatigatumq́; tædio ac vigilia corpus somno excepit. Reliquiæ, quæ cum eo fretum superaverant, annumeratæ, sexaginta duntaxat navigiorum classem explebant. Duo tunc Hallandenses natu quàm animis nobiliores, paucitatem suam indubitato periculo oblatam rati, navigio, quo communiter utebantur, Absalonem petebant, seq́; præpropero Regis alloquio opus habere dicentes. Postquam somno eum acquiescentem audierant, ocius excitari poscebant. Absalon salutarem ejus quietem importunè rumpendam negans, quæ afferrent, Regem ex se cogniturum affirmat. Tùm illi conquassationem navigii, inopiam commeatuum, longinquitatem reditus prætendentes, optimam sibi navigationis facultatem prosperantibus ventis incidisse dicebant, quòd quibus adversis ægrè processerant, secundis facile reverti possent. Quam ob rem eorum se beneficio uti malle, quàm cassam & inutilem expeditionem agendo, aut navigii vitio, aut inediæ malo perire. Quos Absalon non solum deformitatem propositi specioso consilio mutare, sed etiam quo minus se probris objicerent, honesto silentio supprimere jubet, nè tam pudendæ voces alienis auribus exceptæ, inexpiabilem eis timiditatis notam inurerent. Itaque enervis & effœminati animi trepidationem, falso causarum commento colorare eos asseverabat, docendo facilia refectu navigia fore, & opima commeatuum supplementa per prædam latè patentem levi negotio consciscì posse. Cæterùm ipsos famam & opinionem suam gravissimo crimine corrupturos, si Regem apud hostes in tanta suorum paucitate, sine respectu pudoris deserere sustinuissent. E quibus alter domi se negotia Regia, quæ summâ cum celeritate exequi necesse haberet, manere subtexuit. Contrà Absalon simulationem ejus, quia blandimentis nequibat, minis discutere cupiens, eos qui in expeditione solvenda

plus

plus arbitrio ſuo quàm Regiæ indulſerint reverentiæ, non tantùm bonorum, ſed & lucis ac ſpiritus ereptionem patriâ lege meritos aſtruebat. Sed ne ea quidem periculi denuntiatione, quò minus faventem navigationi ventum velo colligerent, imbecillitatem eorum durare trepidationemve corrigere potuit. Diſcedentes itaque execratione & convitio per ſummam verborum acerbitatem inſequi perſeveravit. Quod cum experrectus Rex ex Abſalone cognoſceret, tam impudentes & improbos deſertores pœnas ſibi luituros jurabat. Conſcenſâ deinde inſulâ, accerſitos navigiorum rectores, agendorum percontatione ſollicitat. Compluribus, ut redeatur, expedire viſum, quòd tutò hoſtem laceſſere nequeant. Placituram Rex ſibi ſententiam affirmabat, niſi ea res & gravis patriæ rubor, & ingens hoſtium incitamentum exiſteret. Nam & eos Danicæ expeditionis præſentiam ex caſtrorum veſtigiis comperturos, & clandeſtinam ejus reverſionem timiditati duntaxat imputaturos. Hujus rei cauſa periculo ſe quàm rubori patere malle, haudquaquam proram, niſi laceſſito hoſte, verſurum. Præterea ſe eorum, qui ſimulata navium fragilitate defecerant, ignaviam æquaturos, ſi quos labore vicerant, virtute non ſuperarent, domosq́; impenſa male navigatione repeterent. Tunc Wechemannus incautas Rugiæ res recenti ſpeculatione expertus, admovendas littori copias ſvadet: ſi ignari incolæ fuerint, impunè prædam cædemq́; facturas ſin providi, confeſtim abſque diſcrimine redituras: Utro autem modo ſe gerant, per arantium morem deprendi poſſe aſſeverabat: qui cùm primam diurnæ operæ partem exegerint, quò ad laborandum fiant vegetiores, ſopori ſe proſternere ſoleant. Hunc verò non niſi metu vacuis, altaque ſecuritate firmatis obrepere ſolitum. Cæterum nemine talium dormiente reperto, præcautæ gentis indicium accipi. Quem Rex piratico potius muneri conſentanea, quàm magnitudini ſuæ convenientia docuiſſe dicebat. Nunquàm enim Danorum Reges à Sclavis fugatos memoriæ proditum fuiſſe, ſed ne ſe quidem primum regiam dignitatem hoc deformitatis genere maculaturum. Tunc Gnemerus Falſtricus, quanquàm alias vegetioris quàm ſapientioris animi æſtimaretur, ſive ingenio ſuo, ſive Regis fortunâ monente, ſummam omnium hæſitationem ancipiti ſtudio fluctuantem, ſalutari exhortatione diſcuſſit, incertamq́; conſilii concionem ad ſuam ſententiam perduxit, affirmando temeritatis eſſe exiguam manum cum immenſo hoſte conſerere. Cæterum Barcam provinciam à Rugia brevi freto diſcretam, ob parvitatem ſui, quocunque paratu eſſet, populatu perfacilem fore. Denique Regem quieſcendi gratia cubile petere, exhauſtasq́; vigiliis vires, & attritum curis animum ſomno reficere jubet, veſpere, quò minus proviſus irrumperet, claſſem applicaturum. Præterea vadoſi fluminis anguſtias intraturos, ſparſam navigationem tacito conficere remigio juſſit, ne aut obſtrepentium remorum fragor ſecuritatem incolis demeret, aut ipſimet impactis arenæ navigiis circa incertæ altitudinis vada diutius hærere cogerentur. Cætera ſe exploraturum promittit. Rex cupidè conſilio obſecutus, veſpere ſigno navigationi dato deſtinatum amnem occupat. Cujus expeditius permeandi gratia ternis navigiis junctis, claſſem incedere jubet, ne confuſa fluvialibus tardaretur anguſtiis. Cui Gnemerus rate obvius opportunitatem invadendæ gentis aucupatus, interceptos incolarum ſpeculatores adducit. Lætus eo Rex, diluculo peragratis ſylvis, rura ac vicos hoc acrius quò latentius irrupit, incolasq́; adhuc ſomni ſecuritate torpentes, repentina incurſione protrivit. E quibus complures perſtrepentis equitatus fragore perculſi, patrios duces adventare credebant. Sed hunc eorum errorem adacta repente corporibus jacula diſcuſſerunt. Complures eorum exertis per oſtia capitibus, Cazimarusné an Bugiſclavus adventaret, rogabant. Quorum percontatio propriis eorum funeribus excepta eſt.

VVALDEMARUS I.

est. Antistes cum parte copiarum longinquam regionis plagam diverso complexus itinere, eo locorum pervenerat, ut à regia cohorte eximiæ paludis interjectu distaret. De cujus admodum incessu dubiis, nè direptos à se vicos exuri pateretur, illustri consilio providit. Tandem procul ignes à Rege editos conspicatus, sibi quoque consimilis facti potestatem suppetere, confestim illato tectis incendio declaravit, sociisq; sui prosperitatem excursus, resperso flammis rure nuntiandam curavit. Cumq; prædam abundè actam existimassent, iter ad naves remensi, quanquam grandi invicem à se interstitio discessissent, vestigia tamen sua, quò minus clandestinos reditus captasse viderentur, néve alter alterum impetuosa festinatione præcurreret, mutuis ignium fumigiis prodiderunt. Interea Skialmo quidam, cognomento Barbatus, in asservandæ classis officium relictus, ne hostili remigio præveniente amnis exitu prohiberetur, ad mare navigia reducit. Ubi dum Rugianorum navali incursatione peteretur, in paucas rates totius classis præsidium transfert, instructioribus quàm frequentioribus navigiis hostibus occurrere præoptans. Quibus obvia navigatione fugatis, ne sociorum reversio tardiùs navigiis exciperetur, omissa fugitantium insecutione, portum revisit. Iteratò lacessitus, eodem ausu invasoribus restitit. Sed & compluries attentatus, crebra hostium irritamenta occursationis perseverantia superavit. Ita pertinaci magis quàm acri incursatione vexatus, opportuna hostem agitatione premebat. Inter hæc Regi in littus supervenienti non parvæ admirationi fuit, navigiis custodia vacantibus abesse Skialmonem, quem tandem ab agitatione redeuntem cætero prosecutus exercitu, Rugianos fugam à remigio mutuantes, velorum intensione prosequitur. Sed intervallo præcessionis, & volucritate navigationis adjutos instando magis quàm occupando vexabat. Tunc quendam vicinæ ratis rectorem in anteriorem navigii sui partem fortitudinis simulatione progressum aspiciens, verbis magnam præ se laudem ferentibus, quæcunque viro forti erogarentur, egregiè & laudabiliter impensa asseverabat. Ad ultimum vento obliquante prohibitus, quantum velis emensus fuerat, conversa navigatione, remorum obsequio pensat. Sed quò prosperiorem velificandi, hoc difficiliorem remigii usum habuit. Itaque Danis adversa cum mari navigatione certantibus, Sclavi quos locorum habitus non fallebat, ignotum nostris profundum compendiaria navigatione sulcantes, subitò fugam in insidias vertunt. Quos Absalon per occultos pelagi recessus prosilire conspiciens, sociis metu navigationem citantibus subsequi quàm antecedere maluit, præviæ classis terga plenis pietatis excubiis tutaturus. Pudet referre quod sequitur. Maxima Danorum pars rubore posthabito, quanquam hostes imminere conspiceret, deserto Rege velis malos onerare sustinuit. Rex cum paucis admodum navigiis relictus, aliquanto desertores ægriùs quàm hostes ferebat. Tunc etiam militem, quem paulò ante in prora astantem probaverat, brevitatem veli sui, quò major navigationis cursus existeret, pannorum additamentis producere conspicatus, laudem convitio mutavit, amorem timidis erogatum imprudenter impensum affirmans. Ita absque supremæ necessitatis discrimine, veræ ac solidæ fortitudinis habitum explorare promptum non est. Enavigantium discessio, non clamore, non signis, denique nullo exhortationis genere revocabilis fuit. Adeò omnium aures pavor concluserat. Cumque Rex, intermisso paulisper remigio, à præsentibus, quid factu opus potissimum esset, inquireret, cunctantibus cæteris, Absalon insulam Hythim petendam, ibiq; secunditatem aëris exspectandam hortatur. Quod Petrus fieri oportere non sine rationum assertione negabat, quod perseverante tempestate, nec reditum, nec supplementum classis habituri viderentur, Sclavis adversùm se quotidiana copiarum incrementa sumpturis. Pan-

denda

dendâ igitur vela, eamq; navigationis æqualitatem habendam esse, ut naves volucritate præstantes, complicatâ velorum parte, tardiores opperirentur, & quas celeritate præcurrerent, societatis jure consequi debeant. Ita strenua Absalonis adhortatio eximiæ Petri prudentiæ cessit. Uterque siquidem annis suis similia cogitabat. Ille etenim juvenili animo condigna, hic canis suis consentanea proponebat. Ita septem solis navigiis ex omni Danorum classe residuis, Sclavi multitudine freti incitatissimo remigio acerrimoq; clamore, cum contemptu paucitatis irrumpunt. Sed majore impetu quàm audacia rem exequebantur. Quippe cum primum excepêre sagittas, propius ferre remos ausi non sunt. Paulò post districtorum ensium laminis nunc cervices suas, nunc scuta pulsare cœperunt, rati se Danos hoc minarum genere territuros. Remigium deinde magno clamoris strepitu prosecuti, horribiles latè sonos edebant. Hic quoq; procursus priori persimilis fuit. Obvius namque Danorum missilibus repulsi, continuo remigium retulerunt. Tertio ut hostem apparatu terrerent, contractos Sole clypeos aquâ perfundere, genibusque suppositos in pugnæ usum extricare cœperunt, veluti indubitatum nostris prælium illaturi. At tum demum seu cupiditate prædæ, seu vi pudoris accensi, vehementius navigia concitant. Quæ species ut initio acris, ita exitu inanis apparuit. Telorum enim objectu velut antè deterriti, invictam paucitatis constantiam ulterius lacessere destiterunt, quanquam Danorum provocatione admodũ sibi insultari conspicerent.

Rex cum ad aspectum patriæ pervenisset, concidente paulatim vento, tàm remissam & languidam navigationem agebat, ut quanquam propasso velo uteretur, eo ferè loci diem opperiretur, ubi noctem ingressus fuerat. Sed cum Zephyris deficeretur, processum à remigio mutuatus est. Tandem obviam Eskilli ratem ingressus, Scaniam repetivit. Qui novissimè eum prosecuti fuerant, Sialandiæ partibus advehuntur. Tunc Petrus Rannonis, eloquentissimi viri, imperitam calliditatem eludere cupiens, non solum nexos, sed etiam remiges suos, ut prædæ speciem augeret, in eminenti navigii parte constituit, captivorum imaginem præbituros. Quem cum Ranno Liburnâ prætereuntem videret, dissolutionem navigii simulare desiderans, sentina aquam egeri, increpitis acrius remigibus, jubet. Tunc quodam respondente, eo triduo sentinam aquâ vacâsse, non ritè, inquit Petrus, remiges tui, quibus te responsis excipere debeant, callent. Tunc Ranno paucis intra Petri navigium remigio occupatis, otiosæ juventutis multitudinem exerto capite conspicatus, prædam existimabat, quietisq; suæ pœnitentiâ permotus, non similiter sibi, ut Petro, fortunam affuisse dicebat, quod naufragij periculo interpellante, expeditionis comes existere nequivisset. Autumno Rex crebra Sialandensium ac Scanorum, rarâ vero Jutensium manu prouinciam Arcon urbi confinem adortus, cum ingenti præda acta ad littus reverteretur, Rugiani repetentem naves exercitum, hisdémque scandendis intentum à tergo per insidias circumfundere gestientes, magnis viribus in insulam è continenti trajiciunt. Per idem tempus coörta nebulæ vis, spissam cœlo caliginem intendit. Quæ res incertos viæ Danos atque errore nebulæ implicatos, aliquandiu subsistere coëgit. Crediderim hunc aëris habitum propitiæ fortunæ interventu, futuræ eorum victoriæ paruisse. Jamque Sclavi, quia nubium obscuritas prospicere non sinebat, caliginis errore protracti in medios fermè hostes inciderant, cum subito discussâ Sole nebulâ, exercitus propemodum consertos aspiceres. Tunc Prisclavus olim è Sclavia profugus equo provolans, adesse Barbaros, factamque Danis optatæ pugnæ copiam nuntiat, exhortans omnes invictam Danici nominis æmulari virtutem. Responsum à Rege est, reperturos hostes qui fatum fugæ præferre cupiant. Igitur Dani, quorum animos præceps belli cupido exagitabat, præter usitatum

tatum

VVALDEMARUS I.

tatum pugnæ morem confuſis copiarum ordinibus, conſpectos hoſtes incurſare cœperunt. Nec tardior victoria quàm impetus fuit, pugnam fuga præcurrentibus Sclavis. In quo procurſu duo Regii milites ita inter ſe fortuitis equorum impulſibus concurrerunt, ut uterq; excuſſus proſterneretur. Super quos Rex corruente equo ita præcipitatus eſt, ut lævus ejus cubitus pertuſo clypeo terræ altius infigeretur. Abſalon itaque erigendi ejus gratia deſcendere cupienti, manu, nè ſubſiſteret, innuit, feliciter ſe lapſum reputans, ſi modo hoſtium cladibus attolleretur. Sed his eventus triſtior ſpecie quàm omine fuit. Regis namq; lapſus, hoſtilis ruinæ præſagium edidit. Quippe ſuperati ſine prælio Barbari impunè obterebantur. Quorum magna pars ſinum, per quem trajecerat, avidiùs repetens, ſalutem in undis, quàm quærebat, amiſit: nec minor fluctibus quàm ferro periclitantium numerus extitit. Pars quò tutiùs hoſtem vitaret, ore tenus de induſtria aquis corpus immerſerat. Nec hoc quidem auxilii genus, quò minus à Danis in eadem vada deſcendentibus interimerentur, latebram eis præſtare potuit. Cumque cæteris intra aquam proſtratis, unus adhuc, occultum pedibus ſaxum complexus, ſociæ ſtragi ſupereſſe videretur, Abſalon militibus ad opprimendum eum deſcendere profunditatis metu cunctantibus, non hic, inquit, eâ proceritate eſt, quam veſtra, milites, æquare non poſſit. Neque enim vadabiliorem ſibi quàm nobis gurgitem occupat. Quam vocem frater ejus Esbernus exhortationis loco ſuſcipiens, quanquam Barbarum latentis ſaxi beneficio uti non dubitaret, ſaluti fraternæ ſuæ voluntatis imperium prætulit. Aliiſque renuentibus, aquas hoſtili cruore infectas armis onuſtus intravit. Cúmque emiſſa in Barbarum lancea ſolum repetere vellet, undis verticem involutus, profundo ſe excipiente demergitur, periſſetq; niſi ſociorum præſentia auxilio fuiſſet. Enimvero Olavus undis eum abſtrahere cupiens, ſtimulatum calcaribus eqvum in illud profundum egit: exceptúmque brachio levare conatus, penè ſella pronus excutitur. Igitur urgente fato ſuæ quàm alienæ ſaluti propior extitit, ſibique, cœptam amici curam poſtponendo, conſuluit. Cujus propoſitum Nicolaus quidam fortiùs quàm feliciùs æmulatus, non temperavit, quò minus concitato equo gurgitem peteret. Sed ab incœpto ſe, pari periculo revocatus, abſtinuit. Igitur equitum ope defecto, peditum opera ſervari contigit. Cumq; littori reſtitutus fuiſſet, extinctus ab intuentibus putabatur; adeò illapſus corpori humor anhelitum occultabat. Tandem ſociis corpus ſuum diutiùs agitantibus, vomitu undam egerere cœpit. Cujus onere liberatus, ſuſpicere magis quàm eloqui valuit. Itaq; qui aderant, corpus ejus frigore obſtupefactum applicatæ veſtis fomento proſequebantur. Quibus percalefactus, non oculorum modò, ſed etiam vocis uſum recuperavit. Cæterùm ipſo die adeò exanguis permanſit, ut vix eum funebris oris notæ deſererent. Nec ſilentio obliterandam alterius Danici equitis virtutem exiſtimo, qui cum nemine ſociorum comitante, fugam hoſtium avidiùs quàm cautiùs inſecutus fuiſſet, Barbaris, qui effugerant, ut ſe eis capiendum præberet, rogantibus, ſpretâ prece equo deſilivit, mortemq; dimicans, quàm deditus lucem, amplecti maluit. Igitur ingenti hoſtium catervâ ad ſe opprimendum nitente, quotquot propius acceſſerant interfecit: ac ſine ullâ ſpecie metus pugnans ſuper factam à ſe ſtragem plenis gloriæ vulneribus corruit. Itaque non ſolum innumeros fati comites habuit, ſed etiam ſuperſtites fortitudinis ſuæ ſpectaculo attonitos reliquit. Cujus excellenti virtute tantùm promotum eſt, ut deinceps Sclavi manum cum Danis acie conſerere non auderent.

Libri XIV. Sectio Tertia.

Anno poſtero Danis expeditionem parantibus, Rugienſes ob recentem cladem ſuſcipiendi belli fiduciâ defecti, Domborum quendam præſtanti facundiâ, ad pacem ab ipſis petendam decernunt. Quo Abſalon ex-

cepto,

cepto, navigium ejus expeditionis sibimet usui vertit, nautis verò quoad reverteretur, hospitia cum impensis expedienda curavit, ipsoq; Domboro secum assumpto Regiæ classis conventum petivit. Siquidem legatos hostium expeditionis tempore susceptos, ad reditum usq; ejus mutua Rugiensium Danorumq; consvetudine retentari fas erat, ne ad suos exterarum rerum nuncii reverterentur, speculationis potius quàm legationis officia peracturi. Sed contrariæ tempestatis perseverantiâ navigationem morante, cum Juti labentibus alimentis expeditionem soluturi viderentur, eorum egestati Sialandenses ac Scani impensis liberaliter commeatibus affuerunt, nè tanta virium parte maligno necessitatis obstaculo fraudarentur. Fionienses verò, tametsi commeatibus abundarent, ne minimam quidem eorum partem ad sustentandam sociorum inopiam contulerunt. Quod videns Domborus, pacem quam antè supplex petiverat, sub æquis tantùm conditionibus offerebat. Cæterùm Absalonis apud Regem interventum poscebat: à quo oblationem suam liquida fide prosequi rogatus, pignoris loco lapillum se aquæ injecturum asseruit. Siquidem icturis fœdus Barbaris religioni erat calculum in undas conjicere, seque si pacto obviam issent, mersi lapidis exemplo perituros orare. Sed contrà poscente obsides Absalone, fucosaque superstitionum mendacia in rebus seriis recipienda negante, haudquaquam Domboro mutua petendorum obsidum fiducia defuit. Quod Absalon indigne ferens, Rugianos non solum obsides Danis, sed etiam pecuniam cum supplementis classis transmittere solitos asseverabat, cum Dani nihil tale Rugianis unquam à se concessum, solutúmve meminerint. Tunc Domborus, si sapientia, inquit, qua te præditum existimas, viges, quæ à me proponenda sunt docili animo excipies, tenaci memoria appræhendes. Quisquis ritè se gerit, circa tria tempora maximè cogitationem expendit: ex iisdem duo leviori cura complectens, tertii præ cæteris habitum intuetur. Siquidem præterita meminit, futura prospicit, præsentia colligit. Stolidus vero inter spem futuri, memoriamq; præteriti præsentium facultatem omittere, & quod in manibus retinet, excutere consvevit. Quo pacto tu quoque vanissimis sollicitudinis ambagibus implicatus, adeò scrupulosa cura præteritorum imagines recolis, futurosque meditaris eventus, ut ad ea quæ præ manibus sita sunt, & oculis obversantur, aspicere nequeas. Quippe dum prioris ævi recordationi animum inseris, felicitatis ejus exemplo futura metiris, teq; spem ex memoria adeptum, quid instans ætas afferat, præterit. Fateor olim Danos gente nostrâ potitos: sed præsens fortunæ benignitas iisdem nunc favoris blandimentis partes nostras prosequitur, quibus quondam vestras excolere consveverat, sortemque nostram ad hanc felicitatis summam perduxit, quàm vestræ quandoque rei status attigerat. Quippe quantò vobis inferiores extitimus, tanto nunc viribus successuq; præstamus, eò rerum fortuna ductante progressi, quò Danicæ quondam prosperitatis incrementum excesserat. At dum temere votis extenderis, nova ac recentia stolida vetustatis simulatione prætergrederis, eisque me conditionibus adigere conaris, quas pro præsentium habitu præstare potiùs quàm postulare debueras. Fines vestri armis & exercitibus nostris miserabiliter obtriti, situ marcidi, culturæq; inopes jacent, nostrarum diffusio partium vix alendæ, quam genuit, multitudini sufficit, & tamen quos omnifariam potentiores advertis, non superiores modo, sed etiam pares habere fastidis. Tunc demum tributi nos exactione sollicita, cum & sortem nostram successibus æquaveris, & eam malis, quibus tua nunc premitur, adactam conspexeris. Hæc Domborus. Sed Absalon dissimulato indignationis conceptu, paucis eum responsis excipiens, ad Regem, quæ acceperat, perfert. Verùm pertinax freti sævitia navigationem interpellando finem expe-

ditioni fecit. Rex quanquam ſuperiùs Sclavos ſecundis ſucceſſibus attentaſſet, plus tamen negotii in eorum expugnatione, quàm ut propriis viribus exequeretur, advertens, Saxoniæ ſatrapam in armorum militiæque collegium ingentis præmii pollicitatione ſollicitat. Ille tum ampliſſimæ mercedis captura, tum etiam potiendorum finitimorum ſpe invitatus, expeditionis ſocietatem ſpopondit. Sed ſuperius Waldemarum Rex Noricus per ſummum amicitiæ cultum, navigio draconem ſimulante donaverat. Quod Abſalon mira arte effigiatum Roskildenſi remige exornare, & ad conventum uſque Danorum dirigere juſſus, cum in portu Iſørenſi parùm ſecundantibus ventis voto diutiùs moraretur, nihil ægriùs tulit, quàm quod aliis in expeditionem proficiſcentibus tardior ipſe ſuperventurus videretur, qui cæteros & velocitate apparatus, & procinctu navigationis aliàs præcurrere conſveverat. Itaq; cùm, mente tædio & pudore ſopitâ, in puppi jaceret, futuram maris tranquillitatem nocturnis imaginibus ſpeculatus eſt. Exiſtimavit enim ab homine ſe accerſi: acceſſoq; littore cum Burgalanenſi Pontifice Tokone aliquandiu ſpaciatum, juſſumq; ab eo quæ audiret ſagaci mente compræhendere, & tenaci mandare memoriæ. Tokonem deinde melos, quod in divini natalis pervigilio ritè recini aſſolet, ſemel iterumq; & tertio replicuiſſe, ipſumq; ad ea, quæ canerentur, ſollicitis auribus eſſe juſſiſſe. Expergefactus adeò præſentes viſorum imagines animo repræſentabat, ut rem veram non ſomnium fuiſſe arbitraretur. Et quia craſtinæ egreſſionis opem per quietem ſibi promiſſam meminerat, tàm certam commodæ navigationis ſpem animo præſumpſit, ut conſcenſa cymba, quanquam nihil adhuc tempeſtati detractum erat, malum Regiæ navis, cui Aſtradus præerat, ocius attolli juberet, cibumq; capere properaret. Epulanti ſupervenit Aſtradus indicans tempeſtatis occaſum. Et quid nam fieri expediret interrogans, juſſus eſt illico erecto navigii malo fauces Iſøricas penetrare, eiſq; præteritis, inſulam, quà ventus juberet, ambire. Quod eo exequi pergente, expeditionaria claſſis, quæ in eundem fortè portum appulerat, ſubitò tranquillitatis inceſſu gaviſa, velorum uſum navigationis avida præparabat. Verùm effectus minor impetu fuit. Siquidem modo Orientem, modo Occaſum incerto ventorum flatu ludificata viciſſim petebat, navigationemque mutabilis auræ varietas optato curſu fraudabat. Divinitùs conſultum crederes, nè aut ſolitaria Abſalonis navigatio, aut aliis inceſſu tardior haberetur. Quod etiam ipſius liquidò comprobavit adventus. Siquidem adnavigante eo, omnium nubium errore diſcuſſo, certus pelago flatus incubuit, tantaq; propitii venti ſtabilitas incidit, ut navigatio quæ antè dubiis velis incertum curſum tenuerat, continuò proſperitatis ordine frueretur. Ita naturæ rerum temperies, quæ ſe cæterorum uſui inviderat, Abſalonis reſpectui tributa eſt. Qui etiam cum navem Regis ſibi creditam validis tempeſtatis incrementis contuſam, extremoq; naufragii periculo propinquam adverteret, continuò in littus ſubductam neceſſariæ trabis vinculo refecit, laceramq; ac penè confractam priſtinæ firmitati reſtituit. Sed & prorarum ejus cacumina, quò cultior incederet, aureis apicibus texit. Quo Rex apud Maſnetam exceptus, Polam provinciam comite claſſe petebat. Itaque communibus ſed diſcretis viribus, alterum Sclaviæ latus Dani invaſerant, alterum Theutones lacerabant, interdumque exercitus alter ab altero invicem ſpectari poterat. Cumq; Theutonum fortè ſatellites petendi pabuli gratia latius evagatos Sclavi per inſidias adorti interemiſſent, equites recentis injuriæ ultionem audaci calliditate quæſierunt. Siquidem militiæ inſignibus occultatis, loricisq; quibus corpus munierant, familiari ac ſordida veſte tectis pabulantium more fruges metere aggreſſi, Sclavos Nucleto duce ad ſe opprimendum ex abdito provolantes, ocius aſcenſis equis, falceſq; gladiis,

VVALDEMARUS I.

diis mutantes, trucidaverunt. Caput Nucleti abscissum ac pilo affixum, sicque in castra perlatum, gratum utriusq; exercitus oculis spectaculum præbuit. Quod cum filio ejus Priszlavo, qui ad Danos, & Christiani ritus amore, & paganæ superstitionis odio patria pulsus transierat, cœnitanti nunciatum fuisset, aliquantisper manum ab escis retractam demisso capiti subjiciens, Dei contemptorem tali exemplo interire par esse dicebat: revocatoque à cogitatione animo, consvetam oris ac mentis hilaritatem cœnæ consortibus exhibebat. Magnus potentia, sed major divini cultus memoria. Neque enim sibi parentem judicabat, quem publicæ religionis æmulum noverat. Itaque ambiguæ æstimationis esse potuit, utrum magis fortem animum gesserit, an piam vocem emiserit. Sed neque patriæ plus solito misertus, eam ductu & incitamentis suis duarum gentium prædam existere coegit.

Interjectis diebus Henricus Waldemaro sermonis invicem conferendi gratia se accedenti, cum Absalone solo in tabernaculum suum perducto epulum præbuit, ingenti magnatum frequentia administratorum officio fungente. Quæ cœna licet multigenâ ciborum varietate splenderet, aliquantò tamen plus luxus in obsequiis quàm epulis habuit, præsertim cum gloriæ non usui serviretur. Clientela verò seorsum discubitu excepta. Post reditum suum Waldemarus novarum rerum casibus sollicitatus, intento ad sciendum animo, ubinam Henricum necessariæ collocutionis gratia obvium habere posset, atque ad id negotium explicandum prudenti viro opus asseveraret, alii sibi claudicare equos, alii parùm cultis ungulis esse fingebant. Cunctis itaque metum excusationis astutia protegentibus, nemineque tàm periculosam legationem suscipere audente, Absalon fortè lignis ex more per otium cæsis, è nemore superveniens interrogatusque, an regiarum partium legatum agere vellet, iturum se pollicetur. Igitur legendorum comitum optionem habere jussus, potissimum necessarios ac sanguine semet contingentes adscivit, consanguineam fidem alienæ præferendam existimans. Priszlavus quoque potentissimi Sclavorum principis Nucleti filius, quem quod Waldemari sororem in matrimonio haberet, Christianæq; disciplinæ sacris initiatus esset, pater jampridem perinde ac insidias sibi nectentem conspectu suo submoverat, localis peritiæ fiducia propositæ viæ conductorem agere pollicetur. Huic siquidem tum Rex ob bonæ fidei experientiam, tum ob connubii affinitatem magnam nobilium insularum partem fruendam concesserat. Profectus Absalon, affatusq; Ducem, cum apud eum pernoctare rogaretur, Regem anxia suorum expectatione sollicitum, longioris moræ interpositione molestari oportere negabat. Præterea classem sine portu esse asseverabat, undique ventorum impulsui patentem. Cumque festinationis ratione reddita, propinqua nocte equos abiturus scandisset, quidam claro Saxonum loco natus ultrò adito duce, perituros Danorum legatos, nisi comitatiores abscederent, querebatur. Objurgare quoque eum vehementiùs ausus, quod illustrium virorum paucitatem, tot ingruentibus periculis incomitatam à se dimittere sustinuisset. Revocatis itaque comitum offeruntur auxilia. Sed non minorem se Absalon in refutando comitatu gessit, quàm in pernoctationis egerat obsequiis respuendis: gloriosiùs ratus suam ac sociorum salutem dubiis casibus credere, quàm alienis armis protegere. Cumque haud procul tentoriis abesset, Priszlavus omnibus frænos succutere jussis, si meo, inquit, ductu res expedienda foret, comitum supplementum nostra paucitas non refugisset. Siquidem adversum pericula abundare industriæ potiùs argumentum est, quàm timoris indicium. Hoc enim probabilior est fortitudo, quo minus cum stoliditate consentit. Illa vero repræhensionem meretur, cui vi-

VVALDEMARUS I.

res temeritas adminiſtrat. Sed nunc exigere perquam deforme eſt, quod
paulò antè oblatum acceptare contempſimus. Reſtat igitur ut unicam ſa-
lutis viam in pectorum ac virium noſtrarum fiducia reponamus, ſpemq;
ex deſperatione certiſſimam capiamus. Æmulanda itaque Danici ſangui-
nis & nominis virtus, omniq; ſtudio enitendum; ut aut nobis victoria re-
ditum, aut ſpecioſa mors æternum famæ pariat monimentum. At mini-
mè dubium quin de tranſitu noſtro hoſtes equina fecerint veſtigia certio-
res, nec magis ambiguum eorum reditum inſidiis excepturos eſſe, quorum
adventum adeſi callis indicio perviderunt. At mori vobis commilitones
quàm capi præſtat. Capti enim, occiſi parentis mei pœnas, perinde ac ejus 1
interfectores, crudeli morte pendetis, fratresq; mei paternis manibus per
ſummam cruciatuum acerbitatem noſtro ſanguine parentabunt. Aliquan-
to ergo ſatiùs eſt propriæ virtuti ſpiritum impendi, quàm alienæ violen-
tiæ miſerabiliter puniendum relinqui. Hæc non proprii periculi metu,
ſed veſtræ potius charitati conſulendo monuerim. Eo enim ſanguine
oriundus ſum, quem nulli Sclavorum attentandi unquam auſus inceſſit.
Per patrem vos optimum maximumque, perque illud Danorum celebre
cunctis gentibus nomen, obſecro obteſtorque, ne fiduciæ & fortitudini
imbecillitatem atque ignaviam præferatis. Hæc Priſzlavus. Denique læta
omnium acclamatione exceptus, nihil ſe de victoria ambigere aſſeveravit, 2
cui militum alacritas præſagio fuiſſet, præſertim cum omnis Sclavorum ir-
ruptio ſpecie, quàm re, formidabilior exiſtere ſoleat. Circa inceſſum ve-
rò id ordinis obſervari debere, ut juvenes parum armati medium inter
milites equitandi locum tenerent, eorum utrinque præſidiis muniendi.
Cæterùm militarium turmarum per binas acies diſtinctarum alteram ab
altera auxiliis invicem tutandam eſſe. Quippe geminæ cohortis ſpecie
hoſtium animos labefactari poſſe. Præterea clamabundos incedere, va-
riisq; cantibus obſtrepere jubet, fiduciamque, quæ plerumque multitudini
ineſt, ſimulaturos. Nec fortunæ expers conſilium fuit. Siquidem in por-
tum eis, ubi claſſis acquieſcebat, nullo inceſſente perductis, Rex exſpectan- 3
tis more ſollicitus; prolixamque legatorum abſentiam curâ ac mœſtitiâ
proſecutus: dolorem ex temeraria ſuorum emiſſione contractum, religio-
ſæ lectionis officio leniebat. Quibus rediſſe compertis, ſoporis blandimen-
tis ob triſtitiam dilatis ocius aditum dedit. Inde ad Gudacram amnem
navigatione diſceſſum. Cujus vadoſus aditus haudquaquam magnarum
navium capax extabat, exiles duntaxat tranſmittere ſolitus. Itaque Rex
propter fauces fixâ anchorâ ſedem navigio conſcivit, magnitudinem ejus
parvitate amnis admittere nequeunte. Habilior claſſis, & quàm fluviale
profundum ferre poterat, Abſalone duce, anguſtos amnis attentabat an-
fractus. Quo autore eo loci perventum, ubi gurges ingentis ſtagni diffuſior 4
ſpeciem præferebat. Has faucium anguſtias Barbari crebra claſſe præſtruxe-
rant, hoſtem tranſitu prohibituri. Quos noſtri deturbare geſtientes,
profunditatis ignari, imperitæ navigationis errore, vadoſis locis affixêre
puppes. Quas dum profundo defectas, ad loca navigatu facilia rejicere
cupiunt, cum minus remigio liceret, paſſim in vada deſiliunt; manibusq;
foros complexi, remorum vices corporum viribus exeqvuntur. In quos
Sclavi navigiis ſuis tanquam propugnaculis utendo, ſupernè tela librabant.
Nec ſic eos attentaſſe contenti, & ipſi ſaltim in vada delapſi cominus di-
micandi locum petebant. Sed noſtris ſtrenuè occurſantibus, pari celeritate
deſerta ac repetita ſunt navigia. Antè alias binæ Priſzlavi rates ſubiêre ſta- 5
gnum. Quarum alteram, qui vado inſtiterant, tàm frequentes inſiluêre,
ut media fractis penitus lateribus finderetur. Quippe dum avidiùs ſe in-
gerunt, multitudinis onere mediam rupêre puppim. Subſequente claſſe
deſerta, fugientium Barbarorum navigia capiuntur. Vicorum quoque
ripæ

ripæ junctorum incendia peraguntur. Noctu redeunte Absalone, Rex adhuc insomnis diutinam ejus moram angore & vigilia prosequebatur. Quo excepto gavisus, Liburnâ suâ, quòd ob granditatem navigationis inhabilis videretur, domum remissâ, in aliquanto minorem se contulit: eaq; ad lacum devectus, Sunonem binis instructum navigiis in longinquos paludis recessus prædatum mittit. Urbem quoque Rostock oppidanorum ignaviâ destitutam, nullo negotio perussit. Statuam etiam, quàm gentis profana credulitas, perinde ac cœleste numen, divinis honoribus prosequebatur, incendio mandavit. Post hæc Henricum cum exercitu suo conferendi secum sermonis gratia venientem, præparato ponte trajecit. Eodem tempore Nucleti filius Priszlavus ripâ altera superveniens, cum fratrem Pribislavum Bernardo, cujus manu Nucletum occidisse fama fuerat, navigio communicantem aspiceret, convitio lacessivit, impietatem objiciens, quòd cum parentis sui interfectore amicè conversari sustinuisset. Contrà Pribislavus benè de se meruisse eum, per quem patre sacrilego careat, affirmabat. Sed neque se ejus filium censeri velle, quem maximi sceleris parentem extitisse constaret.

Interea dum hæc geruntur, subitò fama pertulit Rugianam, Pomeranamq; classem ex disposito convenisse, Danos amni includere avidam. Igitur Rex per Henricum necessariæ discessionis admonitus, ne se locorum angustiis implicari pateretur, protinus amne excessit. Cumque Sclavicæ collectionis famam nulla adhuc indicia confirmarent, insidiarum suspicione permotus, hostium calliditati invicem occurrere statuit. Qui in occultos littorum sinus collati, si Rex rura diriperet, classis ejus incursandæ copiam explorabant. Quos ut opportunitatis simulatione protraheret, Magno cuidam exurendorum littoralium vicorum curam demandat, militibus intra navigia latere jussis: sciens profectò Sclavos ab universo Danorum exercitu incendium peragi putaturos, sicq; promptiorem exercendarum insidiarum ausum capturos. Nec secus ac ratus est, hostile propositum fuit. Quippe Magno oppidis facem subjiciente, Rugiani universas Danorum vires eo negotio occupatas existimantes, avidiùs edendi propositi fiduciam rapuerunt, perinde ac eorum classem defensoribus vacuam reperturi. Sed quorundam Regis imperium ignorantium occursu maturiùs excepti, incursandi studium repente fuga mutarunt. Quos cætera Danorum classis certatim magnis remigii nisibus insecuta, velocitate navigationis æquare non potuit. Cumq; relevandæ lassitudinis gratia æstum umbraculis leniret, Lundensium Pontifex, cæteris portum tenentibus, superveniens, postquam medio fermè diei tempore navigia velaminibus obducta conspexit, cunctis segnitiem exprobrans: his, inquit, tumulis, commilitones, cùm animi exercendi sint, corpora sepelire gaudemus? Quo dicto militibus diurnæ quietis ruborem ingessit, & Regem desidiâ obsessum, torpentes militiæ suæ vires excitare perdocuit. Qui etiam ad Pontificis vocem modesto indignationis genere permotus, simulq; justa desidiæ suæ reprehensione commonitus, citò hos tumulos relinqui posse ajebat: statimq; discussis tegminibus hostile solum petere properavit. Post hæc circa australem insulæ plagam prædæ in biduum actæ: inde Walungiam navigatum. Ubi nuntiato Rugianorum occursu, cum quidam è Danis hastam suam, quò commodiùs eâ in acie uteretur, in conspectu sociorum, aliquantâ parte curtasset, cæteri ipsius factum secuti, congestis in unum locum putaminibus, ingentem brevi cumulum extruxerunt. Sed interim apud hostes pacis, non belli, studia agitabantur. De qua acturus Domborus, ad Danos dirigitur. Quibus ad naves digressis, ignem in littore accendit, cujus indicio se legationem afferre monstraret. Sed Absalon, nè quis eum nave exciperet, vetuit, ne pax quam petere venerat, invicem à Danis affe-

VVALDEMARUS I.

ctari videretur. Ita Domborus aliena rate non habita, propria classem petivit: Absalonemq́; per interpretem aggressus, ut se inter Regem & Rugianos faciendæ pacis autorem exhiberet, orabat, obsequium cum obsidibus spondens. Contra Absalon, perinde ac eorum, quæ ab ipso poscebantur, ignarus, responsionis loco, desertas Danorum insulas numerabat, earum solitudinem nuper sibi ab ipso exprobratam acri memoria prosecutus. Domborus orationem suam parum competentibus responsis excipi per interpretem cognoscens: ratione, inquit, non vacat, Pontificum optime, quòd tuam cæteris opem in advocationis petitione præferimus. Siquidem eo nunc justius ad tui nominis opinionem votis decurrimus, quod quondam ad promerendam Danorum concordiam avi tui præsidiis nitebamur, ejus nutu perinde ac regalibus edictis contenti fuimus. Quia vero filiorum ejus nemo superest, supplices ad nepotis genua manus tendimus, ne extra consuetæ familiæ seriem auxilia circumspexisse videamur. Nec pari industria in fratre tuo prætereundo, quanquam natu præstet, usos nos esse constat. Tibi enim autoritatis prærogativam, honoris, non animi, nec ætatis privilegia, sed dignitatis ornamenta conciliant. Ante verò quàm pacem domesticam bellis civilibus fœdaretis, constantem Danorum imperio fidem præstitimus. At postquam in vestra Republica seditiosa suffragia adolevêre, regniq́; affectatores armis instruere cœpistis, propriæ libertatis quàm alienæ factionis studiosiores evasimus, vestriq́; nominis, quàm pietatis, desertores esse maluimus. Sed & bellum vobis inferendo, quid aliud, quàm ingeniis vestris finiendarum simultatum causam præbere tentavimus, idq́; efficere, ut nostra arma excepturi, mutua concordia indigeretis? Itaq; secures vestras civili sanguine madentes in nosmetipsos convertimus, bellaq́; vestra alienis quàm patriæ perniciosa fore maluimus. Siquidem adversarios vestros specie, revera amicos egimus, charitatisq́; partes hostilitatis simulatione præbuimus. Etenim concordiam vestram magis quàm spolia, piraticam à benevolentia profectam exercendo quæsivimus. Et nunc quidem opera nostra cœptorum deviis ac parricidalibus bellis abstracti, meritò tanti beneficii autoribus gratulari debetis. Cur ergò cunctis inter nos amicè compositis, soli communionis vestræ januas intrare non possumus, quarum ipsi claustra reseravimus, aditum patefecimus? Cur ea factorum nostrorum prudentia delicti vestri saluberrima correctrix, à viris sapientia claris parum grata æstimatione colligitur? Cumq́; finisset, adhuc Absalone vastatas Daniæ provincias supputante: nil factum est, inquit, quòd homines patrocinii tui indignos ab illius clementiæ sinu repellas, quàm nemo supplicum unquam difficilem habuit. Etenim repulsi identidem tuis genibus advolvemur, puerorum perseverantiam imitaturi, qui quo atrociùs iratæ matris verberibus lacerantur, hoc avidiùs ejus gremiis allabi nituntur. Quod si parùm supplicii de nobis sumptum creditis, iram vestram, quoad libet, cladibus nostris impunè exsatiare poteritis. Vastentur licet agri, exurantur vici, evertantur urbes, trucidentur populi, precibus vobiscum non armis agemus, pro bello veniam quæsituri. Si sanguinem sititis, ultrò jugulum gladiis vestris feriendum præbebimus. Si servitium affectatis, quid deditione majus præstare poterimus? Quis autem tàm efferæ mentis, qui ejus oblatoribus parcere præsto non sit? Extremæ autem dementiæ est velle laboribus adipisci, quod otio possit acquiri. Scio autem illud tibi succurrere, quod priore colloquio patriæ tuæ vastitatem inter probra posuerim: ideoq́; te tàm pertinaciter ejus solitudines æstimare, ne prius de pace agatur, quàm totidem apud nos vestris armis effectæ fuerint. Ego verò jampridem sapientibus monitis insipienter usus, adversarii partes secus ac expediret edocui, ignarus, quòd auditori tàm attento præceptor extiterim. Nam rem puerilibus deliramentis consen-

tanceam

tuneam dixiſſe ſatiùs fuerat. Quod vero locutum me nunc pœnitet, te etiam audiſſe piguit. At ſi tunc intellectu digna tuis auribus deprompſi, quæ nunc quoque dicturus ero, pari mentis ratione ſuſcipito, eodem ingenio præſentia hauriens, quo prioris alloquii documenta ſumpſiſti. Quo majorem de nobis ſtragem egeritis, hoc minorem ſubjectorum numerum militiæ veſtræ reſiduum facitis. Quid ergo aliud cladem noſtram exercendo agitis, quàm quod viſcera veſtra viribus exinaniendo conſumitis? Quod ſi parum adhuc nos punitos ducitis, hoſtibus veſtris bello proterendos objicite, aut morte noſtra vindictæ ſatietatem ſumpturi, aut victoria rebelles ſub jugum miſſuri. Victi namque parum mœroris, victores multum alacritatis veſtris animis ingereremus. Utralibet ergo fortuna veſtris ſucceſſibus obſequeretur. Præterea ſi nos armis laceſſere perſeverabitis, caſus efficere poterit, ut ſtragem noſtram alicujus veſtrum fato luatis, cujus capite totius Rugiæ ſubjectionem emiſſe difficile fuerit. Talibus Abſalon monitis invitatus, Rugianorum vota apud Regem ſua prece complevit. Rex acceptis obſidibus redit.

Eodem ferè tempore de Urbis pontificatu controverſia inter Cardinales orta, variè provinciarum ſuffragia ferebantur. Nam Gallia Alexandro obtentui fuit: Germania, autore Cæſare, Octaviani partibus obſecuta eſt. Sed juſtior religioniq; propior Gallorum ſequacitas fuit. Quod poſtquam in Dania percrebuit, Lundenſis Pontifex, qui & ipſe prædictæ expeditionis comes fuerat, ne fervente religionis tumultu, depoſito fraudaretur, pecuniam, quàm in Gallia collocaverat, per miniſtros reportandam curabat. E quibus unus monachicæ profeſſionis, apud Stadium oppidum, inter cœnitandum ligneo fortè calice non ſuppetente, aureo, quem in cuſtodia habebat, arrepto, nitidiùs quàm tutiùs cœnam exegit. Cujus facti irritamento iis, quorum hoſpitio receptus fuerat, tacitam latrocinii cupidinem miniſtravit. Majoris namque pecuniæ conſcium animadvertebant, quem præſtantiori poculo privatas menſas exornantem videbant. Cæterùm hoſpitii reverentiâ palàm facinus exequi veriti: quoniam intra penatium limina hoſpitalitatis ſacra violare nefas ducebant, in Holſatiam eum ſubſequendo ſarcinis exuerunt. Quo Eſkillus, dum ab expeditione reverteretur, audito, Regem ſuper earum recuperatione ſollicitat, ratus autoritate ejus reſtitutionem à prædonibus fore. Nec jam precibus, ſed pactione agendum exiſtimans, portionem pecuniæ, dummodo per eum reddita foret, in præmium pollicetur: tantoq; ejus auxilium inſtantius expetebat, quantò eum in annuendo tardiorem advertit. Rex petitionum ejus perſeverantiâ fatigatus, ægrè operam pollicetur, quod & raptor incertus, & pecunia repertu difficilis videretur. Cæterum eam requiſitu promptiorem, ſi à potentibus quàm ſi à plebeis occupata fuiſſet, arbitrabatur. Igitur Antiſtitem Sleſvicum ſecum petere jubet. Ubi dum fortè per jocum, inter familiares, amiſſotis auro bibentis jactantiam eluſiſſet, interfuere qui Regis dicta ſiniſtrè excipientes, clandeſtini ſermonis mordacitate Pontifici illuſum putarent. Quorum obtrectatione Eſkillus ad deſerendam Regis amicitiam adductus, eo dementiæ prorupit, ut opes quas amiſiſſet, ab eo obtentas ſuſpicaretur, eumq; rapinæ ſibi inflictæ conſcium aſſeveraret. Ita ſe conceptæ veſaniæ moles falſo Regis convitio patefecit. Igitur neſcias utrum Antiſtes inſaniæ majoris, an Rex patientiæ fuerit. Quorum alter integerrimum virum teterrima ſuſpicione notare ſuſtinuit, alter conſcientiæ puritate ſyncerus adverſum innocentiæ ſuæ criminatorem æquo lentius iram diſtrinxit. Inter hæc Occo, cui ſuperioris ſchiſmatis contagio deponendi Pontificatus cauſam præbuerat, tanquam recepta ab Octaviano dignitate, conciliato Regis favore, Sleſvicenſem ſedem ſacrilego occuparat regimine. Quem Eſkillus catholicæ partis æmulatione inter rei divinæ actionem cum

cum ſuis fautoribus execratus, magnopere Regem permovit. Ita contentione paulatim ad invidiam ſimultatemq́; progreſſa, accito apud Sialandiam Abſalone, querimoniam ſuam à Rege tum ſpretam, tum etiam irriſam conqueritur. Quippe eum erga pecuniam amiſſam parùm honeſta conſcientia eſſe, reſtitutionem in facultate habere, ſi velle ſuppeteret. Quinetiam cum Occone ſchiſmaticarum partium comite criminoſum junxiſſe collegium, inq́; ejus excolenda ſocietate catholicæ pacis adverſariis execrabilem obtentum præbere: quam ob rem ſe belli adverſum eum ſuſcipiendi infinita cupiditate flagrare. Sæpè enim numero conſimilia auſum, potiusq́; præeſſe Regibus, quàm obſequi ſolitum. Præterea ad hoc audendum ſe non infimis amicorum præſidiis abundare. Veritus Abſalon palàm tanti viri ſententiam objurgare, temperato reprehenſoris officio, impatientiæ ejus errorem modeſto genere caſtigationis excepit, Regis integritatem deformi notatu perquàm indignam judicando, ejusq́; conſcientiam, collatis innocentiæ rationibus, ab omni ſuſpicionis turpitudine alieniſſimam comprobando. Cæterùm non tam catholicarum partium odio, quàm ejus Regisq́; litigio Occonis ſuſceptionem imputandam docebat. Ad hæc ſi litem ingrederetur, quos auxiliares ſperaverit, hoſtes cenſurum. Quippe homines inter adverſa plerumque parum juſta conſtantia amicitias colere. Sibi potius ad ipſum legati partes mandari precatur, diſcordiarum pericula compoſitionis officiis avertere tentaturo. Eskillus tanti conſilii documento parum ſalubriter æſtimato, percontationibus eum fatigat, num ſibi in eam rem auxilium ſit laturus, quem non tàm gerendorum arbitrum, quàm belli ſocium depoſcat, dicendo jam non ſe conſultoriè cum eo, ſed precariè agere. Abſalon Antiſtitis ſublimitatem Regis charitati componderans: qvum, inquit, me tibi jampridem juriſiurandi religio fidei debitorem effecit, malo ſimplicitatem tuam verioribus monitis objurgare, quàm blandioribus fallere; ne rebus in perniciem vergentibus vacuum promiſſorem egiſſe videar. Sed neque cervicem meam eo uſque ſponſionis titulus obnoxiam facit, ut amantiſſimum mihi herum, cui tum fidei, tum etiam amicitiæ ſtipendiis obligor, neglectis charitatis officiis, attentare ſuſtineam. Præterea Reges de rerum ſumma certantes laceſſere, jampridem haud difficile fuit. Huic verò, cum regnum ſine æmulo gerat, vim inferre temeritas eſt. Quem ſi communibus viribus adorti fuerimus, communis jacturæ pericula ſentiemus. Sed tuos quidem conatus ſæpius conſimilia auſos, res ipſa minore cum vituperio admittit, meum verò facinus nullis excuſationis præſidiis nixum hoc magis reprehenſionem meretur, quod ſummam benevolentiam, perruptis amicitiæ vinculis, iniquiſſima præſumptione rependerem. Eskillus ſpecioſiſſimis ſapientiæ reſponſis ad ſummum iræ ſtridorem evectus, per ſacram obeditionis religionem eum adjurat, mandata ad Regem ferenda ſuſcipiat. Abſalon mandatorum latione promiſſa, reſponſorum nuncium abnuit, quod inter illuſtres viros inimicitiarum autor haberi nolit. Huic Eskillus ægrè legatione credita, Gerardum Eſromenſis domus prælatum aſſociat, ſciturum, an Abſalon fidus mandatorum miniſter exiſteret. Quorum tanta aſperitas erat, ut non ſolum ſimultates augere, ſed etiam amicitias odiis convellere potuiſſent. Hanc auſteritatem Abſalon, quoad licuit temperare conatus, ſpecioſo verborum delinimento truces mandatorum ſententias caſtigabat. Rex audita legatione præter morem accenſus, Eskillum ſuperiorum Regum cruorem combibere ſolitum, nunc & ſuum ſitire reſpondit: multaque in hunc modum per ſummam verborum aſperitatem remandanda curavit. Quibus Eskillus ex Gerardo cognitis impatientiam metu mutavit, tantumq́; illi pavoris ſurrepſit, quantum prius furoris inceſſerat. Igitur evitandi periculi gratia longinquas Werendiæ partes acceſſit, ſalutem ſeceſſu,

ſeceſſu, non bello, quæſiturus. Tunc Rex urbem in ſolido Letricæ paludis ab eo conſtructam obſidione tentat, captu quidem difficilem, quod & naturæ præſidio munita & commeatibus affatim inſtructa fuerat. Cujus cuſtodes animis quàm mœnibus debiliores, expugnationem deditione præcurrere cupientes: ni pax ab Eskillo quàm citiſſimè cum Rege componeretur, nepote ejus, qui apud Eſrom educabatur, obſide dato, urbem ſe tradituros promittunt. Pactus conditionem Rex, adoleſcente ſuſcepto, obſidionem amovit. Hæc cum Eskillo nunciata forent, reſpondit majorem ſe urbis quàm nepotum ſolicitudinem gerere, haudquaquam hujus incolumitati, illorum capita prælaturum. Igitur Rex iterata obſidione, aliam ſibi munitionem, per quam obſeſſis arctius immineret, ædificat. Quoniam in abſentem adverſarium ſævire non licuit, adverſum nominis ejus defenſores acerrimos iræ ſuæ conatus exacuens. Maxima ſiquidem potiendi caſtelli ſpes in hyemis auxilio reponebatur, aditum, quem unda negaret, glacie paratura. Inter hæc juvenis pa um cognitus, à neſcio quibus ſubornatus, literas adulterinis notis obſignatas, tanquam ab Eskillo transmiſſas, Gerardo obtulit, jubens ut per eum obſeſſis porrigerentur. Quas ille continuò, nulla doli ſuſpicione concepta, per familiarium quendam urbi inferendas curavit. Harum ſeries habebat, majore Eskillum nepotis, quàm urbis, charitate teneri, parumq; ſibi milites placituros, ſi rei ignobilis curam pertinacius gerendo, nobiliſſimi adoleſcentis ſalutem periclitari paterentur: quam ob rem jubere ſe exitium ejus maturâ deditione præcurri. Quod verò ſuperiore mandato tutelam urbis incolumitati nepotis præferendam decreverit, iræ non deliberationis fuiſſe præceptum. Perlectis literis oppidani, liberandi obſidis conſilium circumſpiciebant. Incertum quis commenti hujus autor extiterit, Regem tamen complurium ſuſpicio notavit. Interea Rex erecto magnæ arboris trunco, admotum obſidem, defenſæ urbis pœnas ſuſpendio ſibi luiturum ſimulabat. Quo audito Gerardus cum domeſtico religioſorum cœtu ad Regem proceſſit, ei ejulabundis vocibus deprecans municipii ſibi ingreſſum permitti; ſuppliciumque, quoad inde reverteretur, differri. Rex alieniſſimam ſibi crudelitatem ſimulanter amplexus, tandem rogatui ceſſit, præfatus ni urbe potiretur, obſidem periturum. Conventis oppidanis, Gerardus quid mandati literis receperint, perquirit. Ut cognovit adoleſcentis capiti deditione conſulendum juberi, parendum hortatus effecit, ut oppidani ſua ac rerum incolumitate pacta, vacuum Regi municipium traderent. Ita religioſiſſimi ſpiritus circumventa ſimplicitas, finem prælio fecit. Hæc audientem Eskillum, nihil ægrius unquam tuliſſe proditum eſt. Qui tamen poſtmodum præmiſſa pacis legatione in Scaniam reverſus, eodem præcipitio mentis ad recuperandam Regis amicitiam procurrit, quo ad deſerendam prolapſus fuerat. Siquidem beneficia, quæ ſuperiores Reges ſacris ædibus religioſâ liberalitate detulerant, Regiæ poteſtati præter fas potienda reſtituit. Quod parum licitè geſtum poſtera Regum uſurpavit autoritas. Inde ne ſchiſmatis contagio implicaretur, Hieroſolymitanæ peregrinationis iter ingreditur, ſatius ratus à ſuis penatibus, quàm à Romanæ amicitiæ liminibus exulare.

Eodem tempore Chriſtiernus quidam adhuc privatæ ſortis, antequam Maguntiæ Pontifex creatus eſſet, Daniam legationis titulo petivit, qui eam exhortationibus ſuis ad ſocietatem Octavianæ factionis impelleret. Cæterùm multæ adulationis conatibus aliqua ex parte Regis conniventiam aſſecutus, obſeratas Eskilli aures habuit. Interea Nicolaus quidam Razi filius, recenter Sleſvicenſium Satrapa conſtitutus, cum eorum Antiſtite Esberno inimicitiis vehementius geſtis, per ſummum temeritatis excurſum, celeberrimum ejus fundum ſpecioſiſſimo ſpoliaverat ædificio. Quod cum

plauſtris

VVALDEMARUS I.

plaustris devehendum mandasset, à militibus Esberni deportationem inhibituris occiditur. Cujus facti pœnas Esbernus dare metuens, perinde ac curiam petiturus, ultionem exilio vitavit. Sed dum apud Saxoniam moraretur, morbo periclitatus est. Quod audiens Occo, sedem, quam olim falso Antistitis titulo occupaverat, Octaviani nixus autoritate recuperat.

Post hæc Rugianis ex pacto comitatum præbentibus, castellum Walogastum obsidetur à Rege. Quod quanquam in Sclavia situm foret, à communi tamen ejus ditione secretum, propriis ducibus regebatur. Ab hujus incolis Pomeraniæ Satrapa Bugislavus in auxilium evocatus, pacis magis quàm belli consilia circumspexit. Quam etiam pro eis apud Regem hoc modo composuit, ut non solum ipsi Regi parerent, sed etiam ex piratis sui fluminis ostiis excedere sustinerent, eamq; pactionem obsidibus firmarent. Illic fortè Rugianis ad concionem vocatis, cum Bernardo quodam Henrici filio, qui quod neptem Regis in matrimonio habebat, duobus eum navigiis secutus fuerat, jurgium incidit. Interrogati enim ab eo, cur illustrissimi Saxoniæ Ducis gratiam amplecti supervacuum ducerent, cum se nullo in momento Saxonici nominis respectum ponere respondissent, quid virium duci esset brevi agnituros subjunxit. Tunc quidam principis, quem tanti æstimaret, potentiam floccipendentes, Bernardi percontationem ac minas ludibrio insectabantur. Ea altercatione per Regem sedata, Masco quidam inter Rugianos natu atque autoritate præstantissimus, luminibus orbatus, sed ingenii sagacitate perspicuus, nec annis quàm animo vivacior: Concitatioris, inquit, petulantiæ equis mos est, quo arctiùs retinentur, hoc vehementius habenas tendere. Laxentur itaque Saxonibus freni, ne retentationis nimietate rumpantur. Siquidem & nobis ipsorum, & ipsis nostra perquàm nota est virtus. Quæ vox apud ducem vulgata, inter eum ac Regem simultatum seminarium fuit.

Per idem tempus schismaticorum legatio, confictis justitiæ argumentis, Danorum suffragia pertentabat. Quorum Rex assertionis dubius, cognoscendæ veritatis gratia scribam suum Radulphum, origine Brittannum, lingua quàm animo promptiorem, ad Cæsarem destinat. A quò per summam venerationis simulationem exceptus, non minus ab Octaviano honorificentiæ expertus est, ita ut inter eos, quasi quoddam culturæ ejus litigium atque officiorum contentio foret. Octavianus tamen, cui iniquissimorum suffragiorum consensus autoritatis umbram tribuerat, Cæsarem, quem majestate anteire videbatur, etiam adulandi comitate vincebat. Nam sacerdotem, qui cum Radulpho quotidiè sacras preces decurreret, providit, ne divina ab eo sine socio parum celebriter agerentur. Nec officiis eum coluisse contentus, obsequiis beneficia sociavit. Siquidem in re divina agenda, annuli usum ei indulsit, pontificalis ordinis insigne aliquantò obscuriori gradui tribuens. Ita nescias dantis an accipientis beneficium ridiculosior dementia fuerit. Hujus audita legatione Cæsar, dolenter se dividuæ religionis statum ferre asseverabat: neutri tamen parti acclamaturum, quoad publicum Ecclesiæ decretum acceperit: tunc demùm ei, quam universorum sententia probaverit, assensurum. In cujus rei speculationem, nuper à se totius Italiæ majores concilii nomine contractos fuisse: Octavianum æquitatis fiducia, causam suam humiliter generalis ecclesiæ judicio substravisse: Rodlandum vero pravitatis conscientia retusum, non solum contumaciter supersedisse, sed etiam dixisse majorem se esse, quàm ut cujuspiam censuræ parere debeat. Cujus controversiæ finiendæ gratia, terrarum Reges secum adesse oportere, publicæ religionis negotium communibus studiis inspecturos. E quibus penè omnes in adversæ partis præsidium concessisse, sibi vero neminem ex his suffragiorum societatem præbere. Quam ob rem se magnoperè prudentissimi Danorum Regis allo-

quium

quium affectare, partium suarum moderationem ejus potissimum sententiæ crediturum: quippe quem animi virtus, & generis sanctitas tantæ rei judicem deposcant. Præterea attendendum esse, quantum pietatis opus ederet, si tot animarum salutem ancipiti judicio fluctuantem, sententiæ suæ sagacitate servaret. Super hæc omnia si tam religiosi itineris laborem suscipiat, se ei in præmium fatigationis unam ex Italiæ provinciis cum totius Sclaviæ præfactura daturum. Talibus Radulphum Cæsar hortamentis aggressus, non pauciora literis, quas per eum in Daniam destinarat, complexus est. Regressus inde Radulphus, Cæsaris Octavianiq; charitatem in Regem uberrimam prædicabat. Rex promptius quàm prudentius familiaris assertione suscepta, nec tam religioni consulere, quàm exterarum gentium mores cognoscere avidus, petendi Cæsaris cupidinem concipit.

Ea tempestate Bernardus quidam ab Octaviano legatus in Daniam profectus, pontificum suffragiis inhiabat. Verùm paucorum favore exceptus, ut universos adscisceret, datis per provinciam epistolis Concilium simulat. Quod tenui frequentia habitum, majore ludibrio quàm gloria celebravit. Eo Rex apud Slesvicum dimisso, eximiis Cæsaris illectionibus captus, Absaloni in insulis excubanti propositum aperit, eumq; viæ comitem deposcit. Tunc Absalon fidem Cæsaris astutiamq; damnando, fallaces ejus promissiones fideli spe excipiendas negabat. Quinetiam sine religionis violatu familiaritatis ejus usum haberi non posse, quod schismaticæ factionis acrior quàm justior defensor existeret. Se verò tum commeatuum inopem, tum etiam longinquæ peregrinationis laboribus imparem memorabat. Rex quoad sibi commeatus suppeterent, ei non defuturos respondit. Absalon quantiscunque commeatibus abundaret, haudquaquam se salutem spiritus sui neglecturum affirmat. Rex non se minus animæ suæ studiosum testatus: ob hoc maximè ejus comitatum affectare respondit, ut si justitia posceret, per eum ab Octavianæ partis societate facesseret. Adhuc Absalone profectionem abnuente, publicæque religionis hostes adeundos negante, hactenus eum à se præ cæteris cultum asseverabat. Cujus si nunc ope deficeretur, se nihil ulterius ex eo commodi speraturum. Tunc Absalon exprobratam sibi ab eo ingratæ mentis labem judicans: ad deserendam, inquit, tui nominis amicitiam nullis corporis periculis adduci potero. At cum de animæ negotio agitur, humano timori divinum præferre fas est. Ego verò tametsi circumstantia damna pervideam, tamen ut animæ tuæ vestigium ab errore prohibeam, meam periculis implicare non metuam. Tunc Rex assumpto eo, viros genere & honestate juxtà nobiles, scilicet è Sialandia Sunonem & Esbernum, è Fionia Takam & Esgerum comites adscivit. Jurisius duntaxat, ne quid interim in patria novaret, ex necessariis assumptus. Nec defuêre, quos ex Jutia profectionis participes legeret. Attingentibus Eidoram, principis Holsatiorum Adulphi ignotus eques obvius extitit, interrogatusq; an ipsos prosecuturus venisset, dominum suum hujus rei præstandæ gratia transitum eorum in vicino præstolari denunciat. Cujus ductui fidendum vetantibus arbitris, Rex perinde ac ingenuo duce fretus, primus pontem equo transgreditur, profectionis aviditate metum pariter monitusque contemnens. Hunc cæteri subsequentes, sententiam suam quàm Regem deserere maluerunt. Procedentes paululum Adolphus excepit, salutatumq; Regem benignissimis verbis, amicissimoq; vultu prosequitur. Cui cum occursum suum ob vetera odia onustum magis quàm gratum sentiret, ut iram obsequiis flecteret apud Etzeho oppidum suis eum impensis excipere statuit. Sed Rege beneficium spernente, ne quis ei necessaria venditaret edixit. Tunc Danis domesticos cibos sumentibus, confectas

epulas per ministros inferendos curavit: sicq; demum verecundia superatos munificentia sua uti coëgit. Interrogatus tandem an Regis processum tutari posset, posse se quidem, quò ad Bremam veniatur, asseruit. Albia pertransito cum Bremam versùm contenderetur, Esbernus profectionis stoliditatem animadvertens, quamque vanum iter caperent non segniter contemplatus, fratrem Absalonem, aliosq; Danicæ nobilitatis proceres consilio illustres, clam cæteris accersitos obsecrat, Regem arrepti itineris emensione prohibeant, quod præsertim sine duce conficiat, neque eum tam periculosi propositi executorem existere patiantur. Quod Absalon inane tentatu judicans, proposito Regem cessurum negabat, dicendo monitorem non solum operam perditurum, sed etiam sensurum, quantum odii pertinax error piæ monitioni referre soleat. Tunc Esbernus tametsi me, inquit, gravissimas monitorum pœnas evestigio daturum prænoscerem, quæ ad Regis salutem pertinere deprehenderim, silentio dissimulare non paterer. Adestote ergo mecum, & in Regis admonitionem si linguam abnuitis, aures præbete. Enimvero cum honestatis periculum obversatur, offensam principis utilia svadendo, quàm amicitiam inaniter blandiendo, contrahere malo. In his etenim melius ex reprehensione ira percipitur, quàm ex adulatione gratia conciliatur. Absalon haud fratrem Rege faciliorem intelligens, cum neutrum à proposito revocabilem cerneret, fratris tamen adeundo Rege socium gessit, si quid iræ ex dictis ejus conciperetur, mitigaturus: cæteris ne interesse quidem tutum ducentibus. Tunc Esbernus mirari se inquit, quo impetu Rex tantum iter duce vacuus ingrederetur, suam autem patriæque salutem in unius Cæsaris perfidis præcordiis depositurus. Videri enim quod liberam gentis suæ cervicem, nullisque Barbarorum obsequiis assvetam per fœdam & ignobilem servitutem miserabili Theutonicorum jugo subigere cupiat. Quid autem stultius esse, quàm nullo impendente periculo ultrò ad deditionem procurrere, summamq; libertatem extrema servitute, mutare, insuper regno precariò quàm potenter præesse malle? Itaque Cæsarem cum Daniam suæ ditionis effecerit, miraturum, quod tam validam gentem antè promissis superaverit quàm armis tentaverit. Rex paucis iram exprimere solitus: [quippe raras voces turbatus edere consveverat] Etsi te, inquit, adeò metus perurgeat, ut viæ comes esse non audeas, me quidem trepidationis tuæ socium non habebis. Virtute enim quàm familia comitatior, sine te propositum exequar, nec adduci potero, ut teterrimis ignaviæ tuæ monitis consentire sustineam. Ita salutares Esberni monitus, Regiæ festinationis impetus aspernatus est. Quos si imitari voluisset, supplices Cæsari manus deformiter non dedisset. Adeò quem temeritatis incursus transversum abripit, rectæ rationis æstimatio deserit. Ingressos Bremam civitatis Antistes omnibus humanitatis numeris instructissimus, clementiaq; & liberalitate conspicuus, impensioribus hospitalitatis officiis prosequendos suscepit. Idem de ductu dando sollicitatus, comitandi sibi Regem, non ductandi fas esse respondit. Complures quoque Saxoniæ principes, quò tutius Curiam peterent, Regiis se sodalitatibus devinxerunt, adeò ut de Danorum familia ac grege existere putarentur. Itaque crescente ejus comitatu cum multitudo speciem hostilis exercitus reddere videretur, perterrefacti incolæ, cum uxoribus ac liberis divinis semet penatibus intulerunt, à sacrarum ædium hospitiis auxilium quæsituri. Eo comperto Rex præmisit, qui gentis trepidationem pacis denunciatione corrigerent, sibiq; commeatuum emptionem fieri juberent. Cum ad urbem Methis venisset, oppidanis ob advenarum frequentiam emendorum precia aggravantibus, injuriam senatui conquestus, effecit ut necessaria tum sibi, tum etiam comitatui tolerabili precio venderentur. Igitur sinceritatis & justitiæ ejus

rumore

rumore increbrescente, Germanicæ matres parvulos suos in ejus adventum offerendos curabant, ratæ eos Regio contactu, perinde ac cœlesti aliquo beneficio, feliciora naturæ incrementa sumpturos, ac prosperioribus educationis auspiciis nutriendos. Nec minùs superstitiosi agrestes, qui jaciendorum seminum grana, quò melius adolescerent, dexteræ ejus disjicienda præbebant. Quo Curiam ingresso, præses Saxoniæ Henricus, veteris amicitiæ recordatione, castra sua majore ex parte ejus adventui cessit, hospitalitatemque ei suis sumptibus erogavit. Die postera Absalon cum Radulpho missus, apud Cæsarem Latinæ vocis admodum rudem, per interpretatum Coloniensis Antistitis mandata prosequitur. At Cæsar inprimis moram Regis tarditatemq; causatus, injuriosum, quòd antè non venerit, ajebat, asserendo eum ob regnum, quod Romani Imperii beneficio gerat, sibi servitiorum debitorem existere. Tunc Absalon, decuisse, inquit, Cæsaris fidem, ut hæc potius antè itineris ingressum Regi proponeret, ad quod tantis eum promissionibus impulisset. Cæsar simulata admiratione, per quem Regi promissa fecisset, interrogat. Absalon demonstrato Radulpho, hic est, inquit, qui credulam Regis simplicitatem promissorum tuorum commentis illexit: eoq; negationem Cæsaris repellere non audente, seriem totius promissionis edisserit. Inficiante id Cæsare, reducem Regi dari deposcit. Ille plus se negotii ejus reditui tributurum, quàm adventui impenderit, negat. Simili modo die postero Regis legatio excepta. Quo agnito, Rex salutaris monitus spreti pœnitentiâ afflictus, tametsi mucronem cervici suæ applicatum aspiceret, ante se eam ferro, quàm patriam servituti subjecturum asseverabat. Æstuante eo, opisq; modum impensiùs disquirente, Absalon liberationis viam à se repertam professus, non amplius illic Regi quàm in patria trepidandum asseruit. Siquidem trans pontem, quo Gallorum regnum à Germanico secerneretur, venationis simulatione sæpius eum obequitare debere, ac demum cum consvetudine suspicionem vicisset, cum potiore familiæ parte aliquod è finitimis Galliæ oppidis petere, haud dubitaturum, quin à Rege Francorum ornatius in patriam dimitteretur. Cujus consilii executionem Cæsar arte prævenit. Siquidem vim Regi inferre veritus, cum ejus famulatum coactionibus impetrare nequiret, beneficio mercari tentavit. Universos quippe Germaniæ principes sacramento adactos, jurare compulit se ejus ditioni Sclaviam substraturos. Quod si parùm perficerent, seipsum id cum primum ex Italia reverteretur, executurum spopondit, eaq; fraude ad obsequia sibi paciscenda ambas Regis manus pertraxit. Cæterum ei non Curiam communi principum more petere, non in Romani Imperii præsidium copias ductare, solaque specie, non re Cæsari parere concessum. Filio verò post eum proximè regnaturo liberum fore paternas conditiones abjicere, ne ad omnem Danorum gentem hæreditarium manaret obsequium. Cujus servitii pudorem minuere videbatur, Gallorum ditioni in consimili famulatus genere Britanniæ Regis inclinata majestas.

Post hæc Octavianus vocato concilio, quàm justis suffragiis in adipiscendo sacerdotio usus fuerit, loquaciùs quàm veriùs astruere conabatur, Rodlandum verò honorem, quem oblatum repudiasset, vetitum occupasse: seq; causam suam generali pontificum cognitioni inspiciendam præbente, illum impietatis conscientia canonicæ discretionis judicium formidare. Præterea ad conciliandos sibi pontificum animos, eorum dignitatem benignis decretorum sanctionibus adornavit, haud prius Romanam ad sedem provocandum constituens, quàm si lis ipsorum pronunciatione finiri non posset. Finiente eo, Cæsar provinciarum Reges, hujus controversiæ finiendæ gratia, ad colloquium à se invitatos dicebat, eorum sententiæ repugnare nefas ducturo. Quos ideo non adesse, quòd

VVALDEMARUS I.

quòd in Romani Imperatoris injuriam Romæ Pontificem creare cupiant, alienæ civitatis jus suis suffragiis administrare conantes. Post hæc Regnaldus Coloniæ urbis Antistes religionis causam dicere adorsus, quanto injuriæ pondere Romani Imperatoris æquitatem provincialium Regum temeritas attentaret, argumentando demonstrare pergebat. Nam si controversiam in eorum civitatibus de pontificatu ortam, Cæsar suis suffragiis finire vellet, haud dubiè id gravium injuriarum loco ducerent, cum ipsi simile in urbe Roma perpetrare conentur. Quam assertionem tàm valido rationis præsidio subnixam putavit, ut nunc Latialiter, nunc Gallicè, Germaniceq; fando, ternis actionem vocibus iteraret. Sed quantum hac oratione gentis suæ favorem illexit, tantùm nostræ suffragia deturbavit. Assensis itaq; pontificibus, cum Octavianus, qui sibi falsum Victoris nomen inscripserat, accensis luminibus, adversùm Alexandrum, ejusq́ue suffragatores solenni execratione usurus videretur, Waldemarus hortante Absalone, ne sacrilego ejus facinori interesset, concione excessit, adversæq; partis justitiam æmulatus, præsentis curiæ errorem, quàm absentis rectitudinem, postponere præoptavit. Cujus egressum secutus Absalon, cum ab Octaviano supersedere rogaretur, ab ejus vestigiis se, cujus comitandi gratia advenerit, nullo jure prohiberi perdocuit. Eoq́ue responso, execrabili pontificum collegio liberatus, ne schismatis errore laberetur, effecit. Die Postero Octavianus Livonem Othoniensium electum, vehementer ab Absalone prohibitum, falsa Pontificis unctione prosequitur. Inde ad oppidum Bisuntium concessum est. Ubi equorum pabulo non suppetente, Regeq; emendæ ejus facultatem sibi non fieri conquerente, Cæsar eum, qui stabulo præerat, necessaria Danis expedire præcepit. Qui mox eorum satellitibus secum eductis in vico eminus sito, quibus egerent, capienda demonstrat. Qui cum earum consvetudinum ignari, equorum alimenta ab oppidanis inermes deposcerent, vocesq́; suas sagittis ac jaculis repelli conspicerent, depositis precibus, prælium ordiuntur. Capto itaq; vico, cum latiùs crebrescente fumigio facem oppidis subjectam agnoscerent, similia sibi licere rati, confestim expugnationi incendium addiderunt. Quæ res incredibili Regem angore permovit. Interjectis diebus, cùm Cæsar, quem vindictæ modum à Maguntinis, proprii Pontificis interfectoribus, exigere deberet, in concione perquireret, Waldemarus iterata superiore querela, equis annona defectis, venalium alimentorum subsidia postulabat. At Cæsar circumjacentem provinciam conjugis suæ patrimonium esse testatus, frustra eum emptu affectare dicebat, quod raptu petere licuisset. Contra Waldemarus Regem se, non prædonem esse proclamans, commeatus latrocinio quæsiturum negabat, aut quod domi iniquum duxerit apud exteros approbaturum. Quanquam enim ejusmodi violentia necessitate excusabilis videretur, permissis uti passus non est, ne domesticæ æquitatis mansvetudinem peregrina austeritate corrumperet. Cujus sanctitatem universi Germaniæ principes maximo plausu comprobantes, seq́ue mutua admiratione invicem contuentes beatos ajebant, quos tanti viri integritas regendos curaret. Qua laude tacitum morum suorum vituperium ediderunt. Dimisso itaque Rege, Cæsarem Henricus hortari cœpit, redituro Regi impensas expediat, neque eum hospitalitatis suæ expertem dimittat, cujus patria quasi commune advenarum hospitium existere soleat. Quod Cæsar facilè pollicitus, parùm executus est. Pontifex verò Maguntinus humanitatis specimen majoribus experimentis quàm promissis exhibuit, geminæ pernoctationis impensis Regium iter excipiens. In Henrico quoque crebris Regem commeatibus prosequente, clarum amicitiarum indicium patuit. Ludovicus autem Thuringiæ princeps, non solum liberalitate vacuus, sed etiam habendi

cupiditate refertus, impudenti precatione effecit, ut equus Regis ſibi daretur. Poſt hæc Adolphus Holſatiorum præfectus, Abſalonis officio primum amicus Regis, mox miles ſolenni fidei datione effectus, obſequiorum principium officiis hoſpitalitatis explevit. Ita patriæ parens proſperum reditum emenſus, exoptatam adventus ſui copiam ovantibus civium animis obtulit. Inſignem hunc annum filii ejus Canuti ex Sophia ſuſcepti natalis effecit: qui etiam Pontificali Abſalonis miniſterio, ſtato lavacri tempore regenerationis ſacramenta ſuſcepit. Quod religioſæ executionis officium, Sveonum ducis Guthormi, qui neptem Waldemari, eorundem Regi Carolo deſponſam, abducendi cauſa legationem attulerat, præſentia venuſtabat.

Per idem fortè tempus Norvagienſium legati Regem petiverant, obſecrantes ut Norvagiæ regimen tot civilibus bellis corruptum, ac teterrima tyrannorum dominatione diſtractum, jamque exſangue & ruinæ propinquum, ejus occupatores inceſſendo, tentaret. Et quoniam externa noſtris hoc loco connexa ſunt, quædam de re Norvagica ſummatim cognoſſe faſtidio non ſit. Sivardus quidam ſummæ audaciæ, poſt multa & præclara facinora bellis edita, ab Haraldo Hybernienſi, cujus hoſtis extiterat, interceptus, cum navi in alto mergendus veheretur, quaſi funus ſuum inferiis præceſſurus, empta de induſtria potione remiges oneravit. Quibus exhilaratis, gubernandi poteſtatem ſupremi beneficii loco popoſcit. Ea re impetratâ, nautas impenſius edere remigium hortatus, cum vehementiſſimum navigii curſum animadverteret, projecto gubernaculo, præceps undas inſiluit, priúsque ſe littori quàm concitata ratis impetum correxiſſet, reſtituit. Ita & ſuo acumine & hoſtium ſocordia ſervatus, periculoque, cui deſtinabatur, ereptus, Haraldum amandi gratia noctu caſtra latenter egreſſum, in amplexu pellicis per inſidias interfecit: dantem pœnas, & ſibi, quem ceperat, & Magno, quem regno luminibusque privaverat. Igitur ut belli titulum apprehenderet, ipſum protinus Magnum monachalibus ſeptis abſtractum, tametſi virilibus careret, virum induere perpulit, dejectamque Regis fortunam ad priſtinum regni faſtigium erigere ſtatuit, ne deeſſet cujus autoritate & titulo bellum adverſum Haraldi ſobolem ſuſciperetur. Hujus itaque nomine & auſpiciis fretus, cum tribus Haraldi filiis, Ingone & Sivardo, & Øſteno paternum regnum affectantibus, navali certamine dimicavit. In quo partim cæſis, partim fugientibus ſociis, incredibili & præſtantiori humanis viribus fortitudine ſolus aliquandiu navigium ab hoſtibus vindicavit. Ad ultimum compluribus eorum proſtratis, omnique ſuperſtitum multitudine ad ſe unum opprimendum undique concurrente, ſingulari nandi peritiâ fretus, quanquam hybernum tempus inſtabat, armis militaribus tectus profundo ſe credidit. Atque ſub undis, quas hoſtium cruore conſperſerat, enatans, dubium effecit majoris audaciæ ſpecimen in puppi præbuerit, an inter undas agilitatis ediderit. Siquidem loricam, quâ corpus munierat, quò liberiùs enaret, cum reliqua armatura ſub undis ſibi detraxit, ac demum cum capeſſendi ſpiraculi gratia fluctibus emerſiſſet, à quodam familiari ſuo per habitum hoſtibus indicatus, tunicam, quâ ſe prodi ſuſpicabatur, rurſum corpus aquis occultando, depoſuit. Sed cum ne ſic quidem proditoris notitiam fefelliſſet, ad extremum ſuprema ſe veſte nudavit. Nec adhuc tamen indice ludificato, cum ſolus ex ſociis ſupereſſet, ſeque hæc omnia, quæ & callidè & animosè tentaverat, fruſtrà expertum animadverteret, tandem fati ſimulatione profundo diutiùs immorans, inſidiatoribus, an viveret, dubium reliquit. Ad ultimum cum humanæ reſpirationis conſvetudine ſupernè aërem capeſſere debuiſſet, cujuſdam fortè navigii gubernaculum pertinaciſſimis brachiorum amplexibus apprehen-

WALDEMARUS I.

dit, eique aliquandiu tacitus inhæsit. Plura tamen elapsionis generà animi firmitate tentasset, si non eum hyberni frigoris sævitia obstupefactum corporis robur deseruisset. Tandem cujusdam altum curiosiùs contemplantis indicio deprehensus, intercipitur, interceptus vincitur, & in concionem hostili sententia damnandus abstrahitur. Ubi nemine sacerdotum adhibito, qui delictorum ejus confessionem exciperet, eam astantibus, modo quo licuit, explicavit, præfatus se emendationem ab eis decretam pœnitentiæ nomine præbiturum: memor sanè sacerdotali copia non suppetente, & ad privatorum cognitionem commissa referre licere. Magno quoque, quem Haraldus Hyberniensis patrem adsciverat, se genitum memorabat. A cujus generosissimo spiritu etiam inter adhibita sibi supplicia non descivit. Primo siquidem verberibus affectus, ac deinde malleorum ictibus artuatim contusus, scilicet, ut à cunctis corporis partibus pœnæ exactæ viderentur, non gemitum, non suspirium edidit, non supplicem aut tristem vocem emisit. Denique nullum doloris indicium præbuit, sed quasi in otio Psalterium relegens, inter sacras preces & solennium verborum nuncupationem spiritum posuit. Felices profectò religionis alumni forent, si cuncti eo animo mortem amplecterentur, quo eam vir bellicus amplexatus est. Fuerit ille insidiosus, pacem patriæ corruperit, bellumq; civibus intulerit, fortitudini tamen ejus impunitas ab hostibus donanda fuerat. Sed homines vindictæ cupidi, plus suas ulcisci molestias, quàm alienæ virtutis insignia venerari meminerant: nec in vivum sæviisse contenti, tanquam parum ejus exitio satiati, mox extinctum patibulo suffixerunt, eadem crudelitate fatum prementes, quâ spiritum torserant: nihilq; à se actum existimantes, si sævitiam suam saltem ab umbris & cineribus continuissent. At Magnus eodem prælio, quod à Sivardo sub ejus auspiciis gestum fuerat, periclitatus est. Quem prius oculis, deindè vitâ privatum, bis luce defunctum crediderim. Post hæc, summa penes Haraldi filios fuit. E quibus Ingo duntaxat justo matrimonio ortus, fratribus, quorum alter Norvagica, alter Hyberniensi pellice editus fuerat, ut ingenuitatis, ita & morum ornamentis præstabat. Erat enim omnibus honestatis numeris instructissimus, cùm eorum alter avaritiæ maculis respersus, alter luxuriæ sordibus obsitus haberetur. Sed infantiæ suæ tempore, per incuriam, nutricis fortè sinu delapsus, ita humo inflictus est, ut confracto dorso reliquum vitæ tempus gibbo oneratus exigeret. In quo quidem homine excellentis animi venustatem, corporis deformitate affecti ludibrio fœdatam putares, neque discernere queas, majus fortunæ beneficium receperit, an opprobrium senserit. Contigit autem ut ejus satellites, apud Berginum oppidum, jurgio cum Sivardi militibus habito, dum socii ab eis occisi pœnas instantius expetunt, non interfectores modò, sed ipsum Sivardum sævissimæ consternationis furiis concitati, per vim & seditionem appeterent, eumq; in ædem fugere coactum convulsis tabernaculi claustris raptum trucidarent, homicidium specie, re vera conjugum suarum prius ab ipso constupratarum contumeliam ulciscentes. Cujus rei nuncio, Østenus, cum classe Berginum peteret, per obvios accepto, petendi fratris quàm cavendi cupidior, nihilominus ad eum processit. A quo cùm debitam sui regni partem negari animadverteret, paucis eum affatus discessit: vultuque fidem promittens, sed perempti fratris exemplo perire metuens, fugæ se quam novi sceleris autoribus offerre maluit. Quem Sivardi interfectores priori facinore parum contenti, Ingonis æmulum judicantes, navalem fugam terrestri mutare compulsum, sed eam, ob nimiam corporis saginam, lentiùs exequentem, propter littus, peditem occiderunt, duobus regni participibus sublatis, à superstite dignitatis & stipendiorum incrementa sperantes. Quorum scelesta fames in tantorum ducum cladem esuriens, vixq; gemino exatiata

par-

VVALDEMARUS I.

parricidio, ab Haquino quodam paternæ cædis ultionem petente, postmodum vindicata est. Siquidem trium fortuna, ad unum Ingonem per vim & facinus redacta, non sustinuerunt Amundus Simonis filius, & Philippus, aliiq; complures insignis industriæ viri, regnum ei, quod partim proprio, partim alieno scelere, quæsivisset, tutum intentatumq; persistere. Indignum quoque compluribus visum ut homini ridiculas corporis notas habenti, liberum regnandi locum militum suorum conciliaret impietas. Quapropter Haquinum, quem dixi, factionis suæ ducem creantes, ejusque tyrocinium regio nomine venustantes, bellum adversum Ingonem decernunt, & quasi Sivardi vel Østeni manes ulturi, crebro pugnam cum hostibus ineunt. Verum pluribus continuis præliis subacti, in Svetiam tandem cum pupillo diffugiunt. Quos Ingo prope Sialandiam fugandi studio subsecutus, magna hostium parte propinquas pelago sylvas petente, Absalonem per legatos sollicitat, eos, qui in littoralia nemora profugerant, prendendos curaret. Quod Absalon honestate sua ac dignitate indignum judicans, parum precibus obtemperavit. Appetente hyeme, qui cum Haquino profugerant, patriam repetere adorsi, tanquam fortunam loco mutaturi, prælio in hyberna glacie conserto, Gregorium summæ post Regem dignitatis virum, manu & consilio promptum, in quo spes & fiducia Ingonis quasi quodam cardine nitebatur, non minus acumine quam viribus usi, cum omnibus copiis deleverunt. Siquidem in eam glaciei partem, cujus firmitatem nocturnis excisionibus debilitaverant, prælii tempore protractos, hostes profundum petere coegerunt. In quorum morte Ingo maximam spei partem deposuit, nec secus animo quàm viribus fractus, exitiosum sibi fidissimi fautoris Gregorii interitum ominatus est. Tandem instaurato bello, sed adhuc eodem aquarum habitu persistente, nihilo felicius Gregorio, glacialis elementi fortunam tentavit. Siquidem gelato mari in pugnæ locum electo, dum ejus duritia quasi camporum firmitate gauderet, quanquam militum numero præstaret, cum omnibus penè copiis interemptus est: luensq; pœnas seu admissi, seu tolerati parricidii fraterni, umbris piacula exolvit. Hoc bello, quo nullum majus aut cruentius Norvagia habuit, universum regni illius columen propemodum à stirpe interiit. Hujus cladis superstes Erlingus, cum filio suo Magno admodum parvulo, sed ad Waldemarum arctam materni generis propinquitatem habente, ad Jutiam appulit, ibiq; in summa Regis dignatione versatus, uberes exilii impensas, & amplissima commeatuum instrumenta percepit. Interea Sivardus quidam, per summam commilitonum invidiam, fortitudinis præmium recepturus, dux ab Haquino constituitur, idq; ægre ferentibus cæteris, summæ seditioni locum dedisset, ni Erlingus repente è Dania superveniens, internæ factionis certamen rumpendo, novum hostibus negotium peperisset. Quippe prædictum filium, quod maternum genus cum priscis Norvagiæ Regibus communicaret, Regem continuò nominavit, ne aut Haquino æmulus, aut Ingoni ultor deesset. Ita novis rebus increbrescentibus, Haquinus à Sivardo, quod ei impensas belli negasset, deseritur, aciéque cum Magno congressus occiditur. Sivardus ad Svetiam dilapsus, dum interjectis diebus in patriam revertitur, ab Erlingi militibus interficitur. Quo evenit, ut obscura & ignobili cæde spiritum deponeret, quem honestè in acie profundere noluisset. At qui ex Haquini militia superfuerant, partim novarum rerum cupiditate, partim hostium fortunæ invidiâ accensi, Marci cujusdam alumnum, optimæ spei puerum, in Regem adsciscunt, nec felicius quàm proximè, fortunam tentarunt. Siquidem prælio ab Erlingo obtriti, victoria pariter ac Rege privati, ad Carolum Svetiæ Regem profugiunt, ipsumq; belli ducem exposcunt, cui cum Norvagiæ Regibus etiam aliqua necessitudinis communio videbatur. A quo diu promisso-

VVALDEMARUS I.

rum alacritate protracti, postquam eum magis de proprio regno servando, quàm alieno obtinendo, solicitum compererunt, legatos ad Waldemarum auxilium implorantes misere. Tandem ipsi benignioribus responsis invitati venêre. Quos cum Rex supplices recepisset, seq; per eos, Norvagiæ petitione promissâ, sedulò solicitari animadverteret, tantùm belli pondus solâ legatorum adhortatione suscipere stolidum ratus, prius popularium animos tacitis legationibus tentavit. Postquam eorum mentes legatorum vocibus consentaneas repperit, absque cunctatione expeditionem instituit. Quo audito Erlingus, quàm longissimo secessu potuit, abstrusas Norvagiæ partes petivit, extremósque patriæ fines fugâ amplecti, quàm primos armis tueri tutiùs existimavit. Pauca siquidem navigia sed habilia, fugæq; quàm prælio commodiora paraverat. Quo evenit, ut Regis adventus formidolosus Erlingi fautoribus, hostibus acceptabilis haberetur. Itaque Waldemaro consultationem cum amicis habente, quidam, postpositis omnibus, hostes ocyssimè persequendos, alii prius plebis favorem conciliandum, auxiliaq; popularium contrahenda docebant. Sed accelerationis consilium, tarditatis sententiam superavit. Igitur Waldemarus ingentem regionis partem prosperè permensus, magnaq; plebis alacritate receptus, cum ad urbem Sarpam venisset, nomen Regium à Wicensibus sibi decretum suscepit, ibiq; cum popularibus concionem per summam verborum concordiam habuit. Quod si omissis aliis, insequendis hostibus operam præbuisset, haud dubiè regno Danico Noricum conjunxisset. Inde ad oppidum Tunsbergum navigatione progressus, paucis Erlingi studiosioribus in editam rupem salutis causa confugientibus, religionem sævitiæ præferens, vicum incendere passus non est, ne sacras ædes privatis penatibus intersitas, communibus flammis absumeret. Nemo tamen pontificum, quorum ea tempestate ingens apud Norvagiam autoritas erat, eum adire sustinuit: quod quidem eos potius patriæ, quàm Erlingo tribuisse crediderim. Ormo, ut quem Regis germanum cognominabant, petito Waldemaro, salvâ fide, quam Magno dedisset, obsequia pollicetur. Tandem ob inediam tractu temporis obortam, cum Rex defectam impensis expeditionem remitteret, Norvagiensium, qui ad eum transierant, multitudo pœnæ metu, cum ipso discessit, diuque partim regiis, partim principum impensis exilium sustentavit.

Postea Rex Orientalium Sclavorum, sibi, virium fiduciâ, rebellantium defectionem expertus, cum Henrico Saxoniæ Satrapa belli societate condicta, quo firmiùs amicitiæ necterentur, filiam ejus, ex conjuge postmodum repudiata susceptam, adhuc incunabulis utentem, filio Canuto, primum ætatis annum agenti, sponsam adscivit. Itaque Henrico terrestri apparatu exercitum instruente, ipse in classem collatus, cum apud Rugiam pervenisset, auxilia ab incolis amicitiam suam dubia fide secutis, per Absalonem contrahenda curavit. Deinde ne Henrico tardiùs occurreret, eumq; promisso fraudaret, ad Penum fluvium ocyssime navigationis cursum direxit. Absalon, quanquam adhuc Rugianorum pactio paucorum obsidum pignore niteretur, eorum concionem ingressus, atque inter ipsos honoratissimo sedendi loco susceptus, cum legationis mandata proferret, eamque Danicæ vocis ignaris per interpretem explicaret, accidit, ut quidam è Rugianis adolescens, Sclavico ingenio, Dani militis equum, pro quo se pretium numeraturum fingebat, veluti incessus ejus experiendi causa conscendens, fugam tentaret. Quod cum Absalon ad se perlatum in concione proponeret, universa populi multitudo magnum fidei suæ crimen unius hominis perfidia allatum judicans, similem furori impetum confessa dissiluit, autoremque fraudis raptim insequi properavit. Igitur Absalonis comitibus, ad metum & stuporem usque, subitum vulgi concursum mirantibus

bus

bus, pauci, qui adolescentem affinitate tangebant, plus privata charitate quàm publico rubore permoti, supplices Absalonis genibus advolvuntur, equi restitutionem polliciti, si modò per eum ab incœpto concio revocetur. Quorum Absalon permixtas precibus lacrymas miseratus, missis, qui plebem pacarent, tumultum compescuit, consternationem sedavit, equoque protinus reddito, militem suum stultitiæ damnavit, quòd per inertiam & stoliditatem raptori se circumveniendum dedisset. Deinde gentis Rege Tetislavo classis supplementum pollicito, Regem subsequi maturavit. Interea Henricus Holsatiorum principem Adolphum, cum Henrico Razaburgensi, præfectumque Swerini oppidi Guncellinum, quod nuper à Saxonibus in potestatem redactum jus & formam civitatis acceperat, necnon Regnaldum quendam parùm origine liberum, opibusque quàm genere clariorem, cum insigni copiarum parte præmittit, expeditum sibi transitum paraturos. Quorum ingressum Sclavi cum partim fama, partim experimento cognovissent, cum parte hostium confligere, quàm universos aggredi maluerunt, multum ex eorum robore, si prævios oppressissent, defluxurum credentes. Cumq; summa cura ac flagrantissimo studio ad eos opprimendos contenderent, dæmonem horrendæ formæ supernè verticibus imminentem vidêre. Quo monstro tanquam divinitus dati ducis adventu firmati, sumptis victoriæ auspiciis, ex improviso hostium se castris immergunt, eósque imparatos confodiunt. Adolphus & Regnaldus in ipso castrorum aditu interfecti, neglectæ militaris prudentiæ pœnas sanguine persolverunt. Quibus prima cæde prostratis, Guncellinus & Henricus mediis irruentium globis elapsi, correptis aquilis ad se fugientium sociorum reliquias contraxêre, ac demum hostes prædæ incubantes audacter adorti, fugam victoria mutavere. Ita Saxones quanquam improvidi bellum tentassent, majorem cladem gesserint an acceperint, virtute dubium reliquêre. Quo accepto, Henricus suorum cædibus, ut par erat, permotus, exigendæ vindictæ studio ad obsidionem Deminæ urbis, quantacunque potuit celeritate, contendit. Quam postquam ultro ab incolis obustam comperit, ut universa ipsius monimenta subrueret, reliquias mœnium solo exæquari præcepit. Et quoniam in homines grassari non licuit, tanquam à rebus mutis supplicium exacturus, urbem Gozcovam simili incolarum trepidatione desertam, cremandam curavit. Walogostini quoque finitimarum urbium, quarum excidio terrebantur, exemplum secuti, clandestino trajectu fluminis, cum uxoribus ac liberis municipium deserunt, penates duntaxat rebus vacuos hostili sævitiæ relicturi. Quorum urbem Rex nullo negotio interceptam, militibus ac stipendiis instruit, eamque Wethemanno piratæ curandam committit. Ornenses quoque plus ex aliarum urbium fortuna timoris, quàm ex suis mœnibus fiduciæ capientes, ut sibi vicinarum civitatum, quarum formidinem sequebantur, exemplo consulerent, urbem, ne ab hostibus coli posset, desertam incendunt, penates suos igni quàm hosti relinquere præoptantes. Tunc Rex ponte, qui medium amnem secare videbatur, abrupto, sublatisq; cæteris navigationis obstaculis, ad Stolpam vicum processit, ubi & Ducem postmodum obvium habuit. Igitur ne Walogostum eodem exemplo desertum, quo captum, post discessum suum hostibus redderetur, præsertim Danos, si eo fruerentur, sempiternum Sclaviæ imperium habituros existimans, Absalonem, Lurisium, Svenonemq; tunc Arusii pontificatu insignem, ejus municipes efficere statuit, quibus & filium Christophorum sociavit, quò plus à cæteris in auxilio suo fiduciæ reponeretur. Qui cum amicos & necessarios in muneris consortionem adsciscere juberetur, Sialandensibus duntaxat Absaloni præsidii societatem spondentibus, reliquis ob imminentis periculi magnitudinem, nec animus ad resistendum, nec comites suppetebant, quanquam tota classis & alimen-

VVALDEMARUS I.

alimentâ sua cum eis communicare, & vicinas segetes publico officio in eorum horrea comportare decreverat. Quippe fruges messore exercitu residuorum usibus adigi jubebatur. Ita Rex consilii cassus, cum neque pugnandi copia, neque pactio ulla ab hostibus fieret, vafro ingenio excogitavit, qualiter eos ad alterutrum horum præstandum impelleret. Siquidem Absalon tacitis mandatis præcepit, ut palos in amne defixos, cæteraq; navigationis impedimenta magna remigum cura sublegeret, veluti toti classi transitum paraturus. Ita demùm fluvio obstaculis vacuefacto, cum progressam classem angustior alveus excepisset, complures à Sclavis utrique ripæ inequitantibus comminùs sauciabantur. Quam hostilis audaciæ petulantiam Petrus Elivi filius animi virtute non sustinens, protinus cum remigibus nave desilivit, hostesq; strenuè propulsatos ripa cedere coëgit. Tandem comitum ignavia desertus, sociorum navigationem fato suo incolumen præstitit. Itaque Rex non solum expertem metus progressum habuit, sed etiam Henricum cum toto exercitu, consertis arctiùs navigiis, tanquam ponte trajecit. Quo agnito Sclavi reliquarum urbium excidium formidantes, præcurrendi periculi studio pacis, quàm antè contempserant, Waldemaro obsides offerebant, quos se Henrico nullo pacto daturos dicebant. At Rex sine militiæ socio cum hostibus pacisci fraudulentum existimans, per Thorbernum Henrico, quæ ab hostibus offerrentur, enunciat. Quo se conditionibus ab eo factis libenter usurum asseverante, pactum cum hostibus habuit, ut Walogosti dominio trifariam diviso, pars una Tetiszlavo, reliqua Cazimaro, tertia Nucleti filio Priszlavo vendicaretur, piratisq; prædam Danicam appetere solitis, Peni fluminis ostia clauderentur: Henrico quoque munitionum, quas apud Sclaviam obtinuisset, incolumis possessio permaneret. Post cujus discessum comites Cazimari exterorum societatem acrius perosi, sed viribus agere non ausi, Rugianos assiduis furtis vexatos, ac per latrocinia ad paupertatem & inediam usque redactos, communi urbe excedere compulerunt. Piraticæ quoque licentiam tribuere, modisq; compluribus ictum fœdus rupere.

Postmodum Rugianis, receptâ per Henricum fiduciâ, palàm adversum Danos inimicitias profitentibus, Rex non minorem in amico perfidiam, quàm in hostibus levitatem expertus, Arkon provinciam verna expeditione petitam, incendio populatus est. Inde ad portum, Por ab incolis vocitatum, cursum direxit. Siquidem ne cum universis Rugianis manum acie consereret, separatim eos attentandos existimans, Absalonem nocturna navigatione Zindram præcedere jubet. Quem ut continuo subsequeretur, curiosè discessionis ejus tempus à vigilibus observari præcepit. Quibus somni delitias imperio præferentibus, Absalon absque regio comitatu progressus, non solum Zindram, sed etiam agros vicosq; ei confines, partim igni, partim ferro vastavit. Cujus equites duo contentione prius habita uter audacia præstaret, cum ad militarem operam edendam fortitudinis æmulatione pari impetu raperentur, hostesq; cuidam fortè stagno adactos cimbis fugam petere animadverterent, plus eis persequendis, quàm suis periculis dispiciendis intenti, ne alter alterum virtute fortè præcurreret, ambo cum contemptu spiritus stimulatos calcaribus equos in profundum egerunt, armorum haud memores, quorum obruti pondere perierunt. Ita temeritatis vindex elementum viris gloriæ quàm salutis studiosioribus in exitium suum ruentibus, fatum pariter ac tumulum ministravit. Interea Absalon provinciam rapinis pariter incendiisq; permensus, cum ingentem prædam & opima spolia referendo naves repetere statuisset, magnam hostium manum subsequi conspicatus, ultra bina vada admodum transitu difficilia de industria cedere voluit, ut eos formidinis simulatione protractos, locorumq; tandem difficultatibus

bus

VVALDEMARUS I.

bus implicatos opprimeret. Quorum primum Sclavi libero itinere tranſgreſſi, circa reliquum redeundi diffidentia conſtiterunt. Eodem fere momenti ſpacio duo pedites Sialandenſes ingentem prædæ faſcem geſtantes, errore locorum in ipſum penè Sclavorum exercitum inciderunt. Qui cùm à duobus eorum equitibus appeterentur, quanquam tutò vadum tranſgredi poterant, ne receſſum per ignaviam quærere viderentur, hoſtibus reſiſtere quàm ſocios accedere maluerunt, deforme exiſtimantes, ab iis, quos numero æquarent, audacia ſuperari. Itaque quò magis expeditos ſe redderent, preſſo veſtigio, projectoq; faſce, enſes diſtringunt. Quorum conſtantiæ & virtuti fortuna debitam incolumitatem conceſſit. Siquidem equitum neutro procedere audente, reſumpto faſce cœptum iter carpſerunt. Cumque rurſum Sclavi binos equites ad eos opprimendos miſiſſent, eorum incurſum eâdem animi præſentia repulêre. Quo facto tam hoſtium quàm civium in ſe admirationem vertere, magnumq; illis ruborem, his inter metum & lætitiam hæſitantibus, peperêre. A ſex tandem equitibus attentati, invariabili mentis habitu perſtitere, tanquam hoſtium ignaviæ plenis fortitudinis animis inſultantes. Nec defuit Abſaloni prompta mens ad opem eorum virtuti fiduciæque præſtandam. Siquidem tot ſuorum equitum, quot hoſtilium animadverteret, eis pro ſupplemento tranſmiſit. Sclavi quoque ſuorum paucitatem certatim numeroſis militum præſidiis proſequebantur. Itaque ſupplementis utrinque tanquam ex pari creſcentibus, equitibusq; veluti ad militiæ ſpectaculum ediverſo convenientibus, Sialandenſes ulteriorem hoſtium petulantiam inſpectare non paſſi, univerſa acie eis occurrunt. Quorum fugam, vadis impedientibus, longum inſequi nequeuntes, majorem equorum quàm hominum ſtragem egerunt. Cumq; iter ad naves reflecterent, remigum ſuorum aciem armis pariter ac ſignis inſtructam obviam habuerunt, quàm ad auxilia ſociis ferenda fortuitò nuntio monita virtus adduxerat. Hi profectò cum Abſalone victoriæ gloriam communicaverunt, cui ſe ſponte virtutis ſocios obtulerunt. Interea Rex ſeris vigilum monitis excitatus, omiſſæ navigationis moram præpropera feſtinatione diſcuſſit. Qui cum, viſis Sialandenſibus, populandi gratia ad littus appellere voluiſſet, ab Abſalone, nihil hoſtilis prædæ, quod ejus ſ[?]pinis pateat, ſupereſſe perdoctus, magnopere gratulatus eſt, quòd tam parva manus nihilo langvidiùs, quàm ſi ipſe adeſſet, rem propriis geſſiſſet auſpiciis. Hinc cum alios inſulæ fines armis igniq; tentaſſet, domum conceſſit.

Rurſum circa autumni principia claſſe regreſſus, primam vaſtandis agris operam dedit, ut ſegete conſumpta, incolas muniendarum urbium inſtrumento privaret. Cum ad urbem Arkon ſparſo militiæ genere perveniſſet, oppidani, fiduciâ virium, portam (quam urbs unicam habebat) egreſſi, ne virtutem ſuam intra mœnia cohiberent, obviam proceſſerunt. Quos Rex, Danis ex conſulto cedentibus, longiùs mœnibus amovere conatus, poſtquam ſperatò cautiores animadvertit, incurſatos urbem repetere coëgit. Porta tamen, nè equi jaculis confoderentur, abſtinuit. Tunc Sialandenſis eques Nicolaus forma & virtute præcipuus, telo per portam injecto, quendam ex hoſtibus in aditu reſiſtentibus exanimem proſtravit, innocuusq; reflexo protinus equo diſceſſit. Cujus facinus Thorbernus inter præcipuos Sialandiæ equites numerandus, pari audacia, ſed diſpari fortuna, æmulatus, cum unum ex hoſtibus, directâ in globum lanceâ, vulneraſſet, reditumq; reflexis habenis tentaſſet, ita lapide ictus eſt, ut multus è capite cruor profunderetur. Quam ob rem longa corporis debilitate contractâ, ſeram incolumitatem ægrè recuperavit. Buriſius quoque dum nobilitatis ſuæ ſplendorem conſpicuis virtutis operibus æquare nititur, ſimili audaciæ genere portæ propugnatores adortus, tam aſperum ſaxi ictum

VVALDEMARUS I.

ctum capite excepit, ut penè equo exanimis delaberetur. Cui corporis viribus carenti, sociorum interventus, ne ab hostibus opprimeretur, auxilio fuit. Quo evenit, ut Rugiani haudquaquam sibi tutò extra mœnia dimicaturi viderentur, intra quæ tam obstinatam hostium præsentiam experiebantur. Inde ad provinciam Jasmondam tota classe concessum. Absalon cum & fortitudine & prima rei bellicæ peritia vigeret, accedente exercitu primi agminis ducem, revertente extremi comitem agere consueverat, semperq; Danicæ juventutis promptissimos, seu prædæ, seu gloriæ studio, sodales habebat, Rege duntaxat cum robustiore exercitus parte, gravi & composito militiæ genere, paulatim procedere solito. Itaque pugnandi copia nusquam accepta, magnam regionis partem permensus, tandem equestrem manum prædandi gratia spargi permisit, paucosq; secum in comitatu residuos habuit. Illic fortè nuncio de sociorum conclusione suscepto, quam sine succursu posse effugere negabantur, eorum saluti, quoad milites revocarentur, adesse non distulit, neque sibi comitum paucitatem, quò minus conclusos peteret, obstare permisit. Sed protinus primipilo signa attollere jusso, pleno fiduciæ spiritu locum, in quo continebantur, accessit; eoq; festinationis signo perosus prædam, equites ad se contraxit. Quem tanta fiducia ceperat, ut plus remedii in celeritate quàm in sociis duceret. Cujus adventum Sialandenses, qui intra difficilium locorum angustias arctabantur, experti, imminentis auxilii fiduciâ, eos à quibus obsidebantur, incursare cœperunt, ne periculum aliena virtute propulsare viderentur. Itaque Sclavis partim solido, partim aquoso itinere delabentibus, Eskillus animi & generis nobilissimus eques, militaribus armis prægravis, unum ex eis inermem per palustria loca citato cursu fugientem pedibus insecutus, illius vestigiis limi mollitie subsidentibus, nec voraginum illuvie, nec armorum onere depressus, facilem currendi eventum habuit. Quinetiam occupatum Barbarum capite spoliavit. At tunc demum, ne plantis quidem cœno infectis, solidam humum repetiit. Quod factum religiosâ admiratione prædignum, non pedum agilitate, sed divino beneficio editum, potius cœlesti miraculo, quàm humanæ virtuti imputare debemus. Post hæc vicis per militum manum undique deflagratis, etiam ad Gorum promontorium longinquæ excursationis incendia proferuntur. Tunc se Rugiani contrahendi à Saxonibus auxilii spe fraudatos experti, quatuor obsidibus præbitis, apud Strelam insulam pacem à Rege pecunia quæsiverunt.

Libri XIV. Sectio Quarta.

Itaque principibus graves periculorum motus, & difficilia rei Danicæ tempora attendentibus, filio Waldemari Canuto regios honores decernere placuit, qui non solum paternæ majestatis futurus possessor, sed etiam præsens dignitatis socius nosceretur, ut haberent proceres ad cujus nomen titulumque decurrerent, si quid de Regis capite fortuna variaret. Quorum prudentiâ Rex ac benevolentiâ delectatus, probatâ sententiâ, Regni majestatem cum sanguine suo participare, non damnum honoris, sed claritatis incrementum putavit, primatumq; voces ad Regium nomen filio deferendum concionando perduxit. Qua de re universi exercitus consensu habito, Burisius duntaxat, sive tacita regni affectatione, sive rei novitate permotus, nullam penè vocem suffragiis attulit. Qui cum ob hoc se Regi suspectum esse sentiret, taciturnitatem suam non odii, sed amoris indicem affirmabat, quòd Daniæ regnum à pluribus amice participatum esse memoriæ & crebra antiquitatis experimenta sint, inter patrem & filium de rerum dominio bellum crevisse. Veruntamen se, si Regiæ voluntatis præscius fuisset, silentium non acturum. Tacuisse verò, quod rem neq; ab ipso, neq; ab amicis præcognitam habuisset. Ea silentii excusatione iram Regis in dissimulationem convertit. Idem peractâ expeditione, cum cæteris

Daniæ

Daniæ optimatibus, apud Roskildiam, Canuti miles solenni more fieri jussus, aliis imperio obtemperantibus, id facere recusavit, eaq; re magnam sibi concupitæ dominationis suspicionem conscivit. Verum hunc imperii conceptum quæsitis callide rationibus protegere perstitit, præfatus se extante eo, cui primam militiæ fidem dederit, alius militem non futurum, nec adduci posse, ut pristinum obsequium recenti permutet, remq; tàm patriæ consvetudini, quàm honestati inimicam committat: quippe cum nemo Danorum dividuo famulatus officio teneri soleat, solisque Saxonibus hunc servitiorum morem stipendiorum cupiditas faciat. Nam si inter duos unius obsequium communicantes bellum incideret, amborum miles alterutrum juvando, fidem utrique servare non posset. Nec Regi ad iram mitibus responsis placidoque vultu tegendam, æqua simulatio defuit. Quem cum Hallandiam petendo comitem haberet, tanquam insidias sibi nectentem tacitus notavit. Quam ut effugeret suspicionem imperata se facturum spondebat, si potentiam ejus Rex beneficiorum incrementis extendere voluisset, & sicut ipse regnum, quod eatenus electio variabat, hæreditarium efficere gestiret, ita quoq; necessariorum suorum liberis suppares dignitates, & minores potentias perpetua hæreditatis lege fruendas tribueret. Itaque præcipuam Jutiæ partem Absalonis auxilio pactus, Canuto supplex fore sustinuit, haudquaquam tamen solidam Regis amicitiam recuperavit. Ea enim Regiæ iræ pertinacia erat, ut semel accensa funditus extingui non posset.

Vere appetente, Absaloni, Christophoro, & Magno particularis adversum Sclavos expeditionis ductus committitur. Nam Orientales Dani duntaxat cum Fioniensibus classem confecerant: Scaniensium verò penes Christophorum summa, penes Absalonem arbitrium consistebat. Quibus Tribusanam adortis provinciam, Christophoro, tanquam Juniori, inter Absalonis Magnique copias, medius militandi locus decernitur, ut Regii sanguinis latera fidis stipatoribus cingerentur. Tanta autem vicorum exustio fuit, ut iidem adhuc usque cultu vacui, præteriti incendii magnitudinem præsentibus testentur indiciis. Absalon cum repetendæ classis tempore extremos curaret, nunciato hostium superventu, quanquam tanta vis frigoris erat, ut primi revocari non possent, quadraginta solis equitibus stipatus, prius hostem quàm vadum, per quod erat rediturus, tentavit. Quibus fugatis, lento itinere ad amnem concessit. Quem structo ponte transgressus, post tergum opus abrumpere noluit, ne ulla timoris vestigia relinquere videretur. Quum ad littus venisset, classem in alium portum appulsam comperit. Tanta autem hyberni frigoris sævitia extitit, ut nautæ equos penè frigore extinctos de fossis humi specubus conderent, nemoque ex toto exercitu reperiretur, qui pariter utramque manum necessariis usibus aptare posset. Illic crebri angues ligonibus reperti, magis admirationi quàm metui visentibus fuere. Nam algoris immensitas vires eorum ac spiritum hebetaverat. Scanienses tunc prosperantibus ventis discessionis licentiam adepti, mox iisdem contrariis navigatione prohibiti, tandem toti classi favente cœlo, Sialandenses ac Fionios repetendæ patriæ comites habuerunt. Post hæc Rex Petrum & Selgrerium Christophoro pædagogos adsciscit, qui adolescentiæ ejus rudimenta ad honestatis mores exequendos plenis sapientiæ documentis instruerent. Æstate deinde expeditionem instaurat. Quippe Walogastenses dupliciter ictum fœdus corruperant. Nam & Rugianos mœnium socios per furta urbe ejecerant, & piratis Peni fluminis ostia patere permiserant. Igitur dum Lentitios peteret, ab Henrico missæ literæ superveniunt admonentes, ut Rex insidias propinqui perinde ac Regnum affectantis caveret, indicantesque Burisium cum Norvagiensibus opprimendi

ejus consilium habuisse. Iisdemque, dum expeditio reverteretur, occursum pollicitis, aut ipsum Regem, aut Regium nomen occupandum duxisse: Cujus rei certissimum experimentum fore, si revertentem à Sclavis expeditionem Norvagica classis exciperet. Eodem penè momento suscepta Norvagiensium epistola, par proditionis indicium edidit. Quod cum Rex paucis arbitris, suppressis indicum nominibus prodidisset, auxit rei suspicionem, fidemque literis addidit Tokonis, Wendilensium pontificis, consentanea affirmatio, dicentis, Burisii milites ab eo jurare coactos, quicquid ipse auspicaretur, esse prosecuturos. Re tamen dissimulanter habita, ad locum, cui nomen Ostrøzno, citata navigatione profectus, profligatis provinciæ rebus, urbem Orthungam, universa classe comitante, repetiit. Illic Burisio cum cæteris regni primatibus accersito, quidnam de ejus insidiis acceperit, aperit, eique proditionis crimen affigit. Quem se quicquam tale adversum eum excogitasse negantem, quoad nuntiorum experimenta sumerentur, secum commorari præcepit: tunc demùm, si secus ac nuntiatum erat, accideret, incolumem discessurum. Ille contrà nihil absurdius ajebat, quàm ut capitis sui indicium, incertis eventuum argumentis committeret. Qua voce se non solùm Regi, sed etiam arbitris suspectum effecit. Igitur nè remiges quidem suos revisere permissus, ad urbem Latrensem cum Rege meare compellitur, ubi leni, sed firmæ, custodiæ traditur. Interea Erlingus & Ormo Burisii frater cum navali exercitu supervenientes, Jutorum classem in amne Dyursa repertam gubernatoribus vacuam, facilè debellant, ipsiusq; Burisii intercepto navigio, protinus ad vicum, qui Mercatorum portus nominatur, deproperant. Quos Absalon cum Sialandensibus occurrens, etiam littorum ascensu prohibuit. Qui cum compertum haberet Norvagienses plurimum præsidii in arcubus ducere, provocandi gratia cum quindecim peditibus in littus progressus, ultro se eorum sagittis appetendum præbebat: profectò ostendere cupiens, in quàm parvo præcipuam eorum fiduciam poneret. Igitur Norvagienses, quò propius littus accederent, cimbas conscendunt, ob quarum trepidationem destinata certis ictibus ferire non poterant. Itaque tela partim in undas innocua cadebant. Ità artis suæ effectu fraudati, nostrisq; ludibrio habiti, ingenti cum rubore majora navigia repetunt. Posteà cum Absalone, datâ acceptâque fide, sociale colloquium habuêre. A quo diutiùs illic acquiescere jussi, non prius obtemperaverunt, quàm Absalon fidem suam interposuisset, se nihil insidiarum eis terrâ aut mari interim paraturum. His finitis collocutores à se invicem discessêre, die postero cum paribus armis, æquali comitum numero conventuri. Cumque Erlingus uno comitatior affuisset, Absalon circumspectis omnibus; miror te, inquit, Erlinge, hominem ætate confectum ac toties gravia expertum, non adeò sapientem quàm senem existere. Nam cum tu scaphâ adveneris, nos equis insideamus, teque nullo negotio (si libeat) opprimere possimus, cur condicto comitatior adversum caput tuum rumpendæ pacis occasionem fortioribus præbuisti? Nisi autem fides nostra præstaret, solutæ conditionis pœnas exitio persolvisses. Tunc Erlingus inter metum & ruborem circumspectis comitibus, cum veram Absalonis assertionem animadverteret, unum ex his objurgare cœpit, quod non rogatus comitandi rapuisset officium. Postquam diu excusationis verba quæsierat, ut siticulosum recrearet exercitum, palustris aquæ petendæ licentiam obsecrat. Cujus rei permissionem haud modici beneficii loco ducebat, ac protinus patriam repetere properabat, lætus quod sibi incolumi Daniæ partibus excedere contigisset. Postquam Regi insidiarum fidem rerum experientia fecerat, Burisium perinde ac majestatis reum inter vincula asservari præcepit. Interea Erlingus extremum Sialandiæ

VVALDEMARUS I.

diæ composita classis applicatione complexus, dum à sacris Missæ, quæ consueto religionis cultu petiverat, remearet, Absalonis equitibus clandestino itinere prorumpentibus, improvisam palantium sociorum stragem accepit. Nec minori Hallandensium virtute exceptus apud Nyzam amnem una rate, ejusq; remigibus universis spoliatus, abscessit.

Eodem anno deturbandæ piraticæ gratia, Absalon insulam maritimam novo castelli fundamento complexus, exigui munimenti beneficio ingens patriæ præsidium attulit. Nam & suspectum prædonibus situm reddidit, & tutam vicini maris navigationem incolis tribuit. Verùm ne confestim Norvagiensis injuriæ vindictam Danica virtus arriperet, Theutonicæ fidei lubricitas effecit. Quippe Henricus Bugiszlavi Danorum metu ad se decurrentis obsequium pactus, initam cum Rege societatem, tanquam ineptum & ignobile vinculum disjicere parvi habuit. Quinetiam, apud Krempinum fluvium, in colloquium cum eo descendens, questus est, quòd militem suum Bugiszlavum coràm se non accusatum bello lacessat: quem si injuriosum existimet, prius accusationibus quàm armis aggredi debeat. Contra Rex, negare se ullius potentiæ respectu cessaturum, quò minus acceptas injurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perstante controversia, fœdus cum colloquio solvitur. Hoc loci memorabile Saxonici equitis dictum strictim percurram. Qui cum forte Ducis ac Regis colloquiis interesset, eosque expeditionis negotia languidioribus verbis prosequi animadverteret: quædam, inquit, de hero meo Henrico præsentibus referre habeo: quæ, si adesse eum scirem, tacere quàm eloqui mallem. Qui cùm pupillus propinquorum injuriâ patrimonio privaretur, nemine sibi patrocinium accommodare volente, quatuor soli ex amicis paternorum ipsius meritorum respectu permoti, quorum ego numero intereram, aversantibus cæteris, infantiam ejus tutorio munere fovendam sumpserunt. Pro cujus salute & incrementis, tum votis, tum etiam officiis impensius excubabant. Hunc tandem humani auxilii diffidentia altaribus offerentes, religiosa voti nuncupatione sanxerunt, si paternos honores divina clementia adipisceretur, susceptum beneficium, quoad viveret, pagani nominis odio pensaturum. Mox voti probator Deus, ingenui principis Conradi patrocinium ei conciliavit. Cujus opera paternorum bonorum hæres effectus, quanquam voti autores exhortationis officia non omitterent, à bello adversum Sclavos continuando, tum avaritia, tum etiam desidia adductus abstinuit, perceptam munificentiam ingrato æstimans animo. Tanta autem cura monitoris partes exequi voti nuncupatoribus fuit, ut cùm unus ex eis, ultimæ ætatis, ad inspicienda ducis arcana, inter arbitros admissus, sedulum stertendi usum haberet, excitatusque, quid de re præsenti sentiret, à considentibus interrogari soleret, majorem præteriti voti quàm instantis negotii memoriam retinens, ductandum in Sclavos exercitum responderet. O immensam constantiam, quæ nè in ipso quidem ætatis occasu promissi immemor esse potuit. Quis autem mentis compos hanc religiosi consilii vocem, senilis animi deliramentum fuisse crediderit? Vereor autem charissimum mihi virum amicorum religione contempta, ex summo fortunæ fastigio in humilem privatorum sortem extrema ruinæ deformitate casurum. Ego verò promissi dudum belli militem agendo, ternas adverso corpore plagas accepi. Quibus si binas sub eodem militiæ titulo sociassem, supremi judicii tempore divina vulnera meis æquata audacibus oculis inspectanda præsumerem. Quo dicto, & temporaneam Henrici ruinam, & sempiternum virtutis suæ præmium auguratus est.

Rex Scaniam ingressus, parvò post Saxonum irruptione falsò nuntiata, Scanienses equestri militiæ adscriptos proprio ductu prosequitur im-

peratâque Sialandensibus navigatione, Slaglosam advectus; Absalonem è portu Hulyvimmensi accitum multa gerendorum consultatione sollicitat. Præterea se parum veri rumoris credulitate fatigatum significat, expeditionemq; falso nuntio contractam remittit. Habebat autem in clientela Absalon, Arnoldum Thylensem, qui sive ingenii acumine, sive conjecturarum sagacitate, sæpenumero futura ad sua vel amicorum negotia pertinentia, raro præsagio deprehendebat. Nec minus antiquitatis quàm divinationis peritus, solerti historiarum narratione callebat. Qui cum Absaloni, delectandi gratiâ, supradictæ expeditionis comes existeret, brevi eum manum cum piratis conserturum prædixerat: vehementer se mirari testatus, quo pacto certamini interfuturus non sit, præsertim cum inseparabiliter eum comitari decreverit. Cumq; Rege res gestas ex eo cognoscere cupiente, discessuro Absalone, quiescere rogaretur, pertinacissimè precibus obluctatus, non prius rogatui cessit, quàm Rex operam se daturum polliceretur, ut eum post Absalonem prima luce dimitteret. Erant autem sex navigia Absalonem comitantia, è quibus tria, quò commodiùs ignis alimenta contraherent, in superiores maris anfractus concesserant, quæ postmodum æstus subito regressu destituta, cœno paludis affixerat, Absalone totidem residuis exteriora sinus ostia complectente. Qui cum matutino tempore unà cum scriba suo religiosum psallendi ritum perageret, tumultuatione eminus audita, quidnam hoc esset, concentorem dispicere jubet. Quo novem longas naves à se prospici referente, piratas esse non dubitans, stertentes adhuc remiges alta voce compellat. Quibus summo cum stupore exilientibus, nec veste, sed armis, corpora protegentibus, ocissimè hostes petendum hortatur; quorum jam tanta vicinitas sentiebatur, ut ab eis crebris silicibus contunderentur. Quinetiam anchoræ vinculis, rumpendæ moræ gratia, discissis, remigium exerit. At Sclavi facilè nostris metum injicere rati, ac veluti ipsorum animos horridis vocibus hebetaturi, ingenti clamore edito, obstrepere cœperunt. Quod postquam frustra se conatos animadvertêre, diffugiunt, eorumq; ratis una cum universis remigibus intercepta. Sed nec Ursinæ sylvæ latebra ad se decurrentibus subsidio fuit, agrestibus eam curiosiùs perlustrandam curantibus.

Ea tempestate Esbernus urbem Kalundam molitus, novi munimenti præsidio portum hostili piratica liberum præstitit. Ipse quoque, & Inguarus & Olavus, ultro Absaloni se infatigabili piratici muneris executione junxerunt. Eo tempore res Danica circumquaq; difficillimis obfusa periculis, crebris finitimorum insidiis tentabatur, hinc Norvagiensibus, inde Sclavis, Saxonibusque sibi perniciem machinantibus. Quo evenit ut nulli hostium audacter obviandi fiduciam haberet, metuens ne dum unum repelleret, ab altero premeretur. Ea patriæ necessitudine permotus Gutscalcus, qui & ipse Sclavis, tum ob linguæ eorum peritiam, tum ob paternæ amicitiæ favorem, ac proprii convictus assvetudinem, perfamiliaris habebatur, Absaloni tacitè artem à se repertam insinuat, qua eos repente ex amicis Saxonum hostes efficeret. Quippe se Sclaviam non legationis, sed benevolentiæ simulatione petere velle significat, tanquam propriæ charitatis ductu utilia amicis consilia largiturum. Fore enim ut hostium credulitas callidis commentorum laqueis circumventa, Danorum amicitiam, abjectâ Saxonum dominatione, repeteret. Quod studium maximè sibi gentis illius moribus persvaderi dicebat, quæ plerumq; temeritate niti, cunctaque pronius quàm prudentius exequi soleat. Absalon interdum privatum acumen publicis viribus præstare ratus, laudata Guthscalci industria, cavendum monet, nè quid eis ex parte Danorum falsò polliceatur: incorruptam patriæ fidem haberi cupiens memorq;

moreq; eam fortibus viris refertam, armis, non mendaciis, bella meditari debere. Ille primum Pomeranos aggressus, se priscæ familiaritatis memoria ac totius populi Sclavici charitate permotum, retundendæ eorum inertiæ causa advenisse dicebat, quod perniciosa ab eis utilium loco duci perspectum habeat. Siquidem animadvertere eos oportere, quàm noxiæ dominationis jugum receperint, quodq; iis obsequio pareant, qui ipsos patria tandem exuere cupiant. Quippe Saxones, quantum ex ipsorum finibus occupaverint, protinus cultu atq; habitatione complecti, nec præda aut gloria contentos, proferendi imperii cupiditate victoriæ lucra continuâ possessione firmare. Quam ob rem eos Nucletum vita, Prisclavum patria spoliasse: Razaburgam, Illogam, ac Sverinam in totius Sclaviæ ruinam vallo fossaq; cinxisse. Danos verò diverso studio bella gerere, nec hostium fines, sed mutuæ pacis commercium affectare, proprium tueri quàm alienum appetere cupidiores. Itaque summoperè eos elaborare debere, uti Saxonicis præsidiis patriam vacuefaciant, omniq; Theutonum plebe regno egesta, amicitias cum Danis componant, quos Saxonum hostes esse non ambigant: ita demùm eos sempiternæ libertatis beneficio patriam ornaturos. His monitis concitati Pomerani, loca à Saxonibus intra Sclaviam obtenta pervadunt, Illogam capiunt, reliquis eorum munitionibus defensorum virtute servatis. Et ne ducis inopes viderentur, Danorum Regis titulum profitentur. Ita Guthscalcus duarum gentium vires Daniæ imminentes odiis sequestravit, patriamq; nostram undique finitimorum armis objectam, ab impendente periculo pio mendacii commento servavit. Cujus facinoris fama Guthscalci reditum præcurrente, Rex admiratione perfusus, postquam ex Absalone, per quem res esset acta, cognovit, impensius autorem laudavit. Igitur Henricus, ut repudiatam Regis amicitiam recuperaret, sine qua Sclavos arcere non posset, Henricum Razaburgensem, & Antistitem Lubecensem legatione onerat, filiam suam minorem, filio ejus in matrimonium offerens. Nam major natu, quæ prius ei desponsa fuerat, morbo occiderat. Per eosdem confirmandæ oblationis gratia, apud Bremensem provinciam tempestivus ducis occursus promittitur. Quò Rex legatorum adhortatione profectus, Guncellinum obvium habuit, qui sub impedimento adversæ valetudinis Ducis absentiam excusaret, eumq; apud Eydoram celeriter adventurum promitteret. Eò cùm ventum esset, & ducis promissa complentur, & militia adversum Sclavos paribus votis condicitur. Sed eo Diminum petente, Rex Walogastum profectus, omissâ urbis oppugnatione, finitima rura armis percurrit. Osni quoque oppidi post recentem vastitatem parum reædificati incendium iterat. Eodem vastationis genere diversa regionis loca petuntur. At Sclavi quia viribus niti nequibant, utrumque hostem ære atque obsidibus placant. VVALDEMARUS I.

Post hæc Rex belli Norvagici meditationem ad id usque tempus rebus Sclavicis interpellatam, magna curarum parte liber ingreditur. Quam Veris principio copiosis patriæ viribus executus, per summam Wicarorum dignationem non modò liberos aditus, verùm etiam lætos occursus habuit. Nec hostis, sed ducis more, sermone cum incolis habito, concionibus arma mutavit. Quorum benevolentia adeò delectatus ut hostium oblivisceretur, otiosaq; procedendi tarditate eximium Erlingo contrahendarum virium tempus reliquit. Magnitudo exercitus ejus, lætos * Wicensium oculos in se convertit. Navigatio quoque ejus gratis eorum luminibus aspecta, liberos impetravit excursus. Enimverò complures in angustias, per quas classi seriatim meandum erat, multitudinis ejus admiratione protracti, quò certius navigiorum numerum deprehenderent, non nocendi, sed spectandi aviditate, edita loca complebant. Tunsbergenses, quò cæteris Regem impensius colerent, finibus suis exceptum hono-

VVALDEMARUS I.

honoratiſſimæ proceſſionis officio venerati ſunt, religione ſervitium cumulantes. Erlingi milites, qui ſuperiorem Regis adventum munimenti illic ſiti fiducia ſpreverant, præſentem fugæ declinatione cavebant. Rex ſuperato clivo, colluſtratæ rupis cacumen miratus, inexpugnabile loci præſidium comprobabat, artis opus tranſcendente naturâ. Fertur interim Erlingum cujuſdam ſinus anguſtias Danorum navigationi opportunas, prohibendi tranſitus gratia crebris machinarum tormentis vallaſſe, plus locorum difficultati quàm propriis viribus in excipiendo hoſte confidentem. Quapropter Rex tarditatis ſuæ diſpendium execratus, vocatos amicos celeritatis exhortatione ſollicitat, erubeſcendum moræ crimen operoſo feſtinationis impendio redimendum affirmat, quòd jam commeatibus quaſi per otium & inertiam abſumptis, inaniter tempus triviſſe videantur. Ea res diverſo majorum judicio excepta eſt, variaq; ſententia duces conſilium agitabant: aliis tormentorum magiſtros, expoſitis in terram equitibus, deturbandos, objectasq́; rates tranſitu ſubmovendas hortantibus: aliis in tantas anguſtias ingenti claſſe temerè procurrendum vetantibus. Quidam hoſtibus laxiore freto præteritis, regionem armis occupandam cenſebant. Protinus enim Erlingum aut pugnandi, aut fugiendi neceſſitate perſtrictum, quæſita locorum præſidia relicturum. Alii vero abſentis periculi præſentem metum ridentes, non antè deliberatione agendum docebant, quàm res ſe propius inſpectandam dediſſet. Hi celeri proceſſu utendum hortantes otioſæ navigationis moras amputari jubebant. Ita cunctorum ſententia variante, Nicolaus quidam cognomento Bos, natu quàm virtute nobilior, mirari ſe inquit, cur viris ratione utentibus, inclytoq; ſolo natis, amœniſſiæ patriæ gremio relicto, tot inculta locorum ſpacia pererrare liberet: præſertim quibus nihil præter aſpera ſaxa, atque invias rupes occurreret. Eò ſiquidem dementiæ ventum eſſe, ut ultimæ ærumnæ ſummarum voluptatum loco ducantur. Nam ſi Regem Norvagia potiri contingat, fore, ut plus laboris ex utroque regno, quam voluptatis ex altero ſit percepturus. Præterea cum jam labentium alimentorum neceſſitas urgeat, ſi longius navigatio proferatur, haudquaquam commeatus reditui ſuffecturos. Hæc ab eo timidius quàm prudentius dicta, ſilentio probari videbantur. Quod dictum Abſalon diverſa à cæteris æſtimatione commenſus, dimiſſis amicis ſolitarium Regem acriùs objurgare cœpit, quod Nicolai ſententiam ſumma reprehenſione dignam taciturnitate probaverit, eamq́; plenis contumeliæ reſponſis prædamnare paſſus non ſit. Quæ enim ab eo per ludibrium dicta videbantur, acerrima factionis incitamenta fuiſſe. Cujus ſi comitatum nullo in momento poſuiſſet, cunctaq́; eo deſertore quàm comite melius exequenda dixiſſet, cæteros unius rubore permotos, ſimilis opprobrii metu ſilentium acturos. Nunc vero cum aut conſenſerit, aut conſentire viſus fuerit, neque palàm eum timiditatis exprobratione confuderit, brevi complures licentiori impunitatis exemplo protractos, ſimilibus monitis ſucclamaturos. Nec ſecus ac prædixerat accidit. Nam cum principes omni ſtudio redeundi cupiditatem proceſſui præferrent, eamq́; manifeſtis votis proſequi non auderent, plebem clandeſtinis incitamentis inſtinctam ſeditioſis armavere conſiliis. Ex qua quidam petulantioris audaciæ, explorata Abſalonis audacia, cujus in protrahenda expeditione pertinaciam cauſabantur, navem ejus ſilicibus petivêre. Sed à remigibus mox excepti, quanquam numero præſtarent, terga vertêre. Quorum dementiam Rex debita animadverſione perſecutus non eſt, abunde eos hoc fugæ dedecore punitos exiſtimans. Inde ad ſinum porturiam egregia Sivardi victoria inclytum, ubi ſcilicet innumeram claſſem tribus ab eo navigiis ſubactam ferunt, velificatum eſt. Illic è Jutenſibus aliqui iniquiſſima gubernatorum exhortatione provecti,

concione

concione facta, remissionem expeditionis violenta succlamatione poscebant. Ad quos comprehendendos milites sub ignoto cultu missi, aliquandiu in eorum concilio, obscuratâ sui notitiâ, consederunt. Tandem à circumstantibus agniti, veste, quam latendi gratia sumpsêre, discussa, correptos seditionis autores obtorta gula secum traxere. Qui cum ad naves abducti fuissent, graves Regi pœnas vapulando dedêre. Qui quò punitiores forent, vicissim in undas demittebantur, iisdemq; extracti, renovatis verberibus mulctabantur. Post hæc eo loci processum, ubi solstitii æstivalis tempore inusitatæ claritatis noctes sensêre, dieiq; tam similes, ut minimum temporum discrimen videretur. Ad quarum lumen, Solis beneficio procuratum, levi contemplatione exiles literæ legi poterant. Illic Jutensium magnates, quos aut metus, aut impatientia stimulabat, Regem apertis repetendæ patriæ monitis aggressi, inopem alimentorum expeditionem dimitti jubebant, anno postero, si animus in sententia mansisset, non per prolixos Wicensium partium anfractus, sed è Wendilæ finibus directæ navigationis compendio reversuram. Quorum voces etiam querulum inediæ vulgus adjuvit, adeò ut nemo ex plebe esset, qui non rerum inopiæ citato reditu subveniendum clamaret. Ita Rex, obstrepente multitudinis imperio, proposito cedere compulsus, solvendæ expeditionis sententiam protulit. Et ne hostem omnis incommodi expertem relinqueret, præstantissimis totius Norvagiæ navigiis secum abductis, peregrina patriam classe ditavit. Ita quorundam Jutorum impatientia maxima victoriæ spes subruta est: quia si debita cœpto perseverantia non deesset, res Norvagica sub Danis mansisset. Norvagiensis nobilitas, quæ venienti Regi comes extiterat, linquendæ patriæ pudore revertentem prosequi supersedit. VVALDEMARUS I.

Interea dum hæc geruntur, Rugianorum ex Regis longius agentis occupatione fidentium defectio incidit. Qui cum finita hyeme expeditionem adversum se destinari cognoscerent, quendam conspectioris ingenii ac facundiæ politioris subornant, qui Regis propositum exquisita adulationis arte subverteret. Quod cum minimè efficere quivisset, reditu suo hostium adventum præcurrere noluit, ne aut civibus bellum dissvadendo suspectus, aut concitando perniciosus existeret. Igitur Absalonem, uti se comitem pateretur, oravit, quoad ejus consilium à civibus posceretur, quod stolidæ mentis hominibus plus requisita quàm oblata consilia placere soleant. Rex varias Rugiæ partes adortus, cum ubique prædæ, nusquam vero pugnæ materiam reperisset, fundendi sanguinis aviditate perductus, urbem Arkon obsidione tentavit. Hæc in excelso promontorii cujusdam vertice collocata, ab ortu, meridie, & aquilone, non manu factis, sed naturalibus præsidiis munitur, præcipitiis mœnium speciem præferentibus, quorum cacumen excussæ tormento sagittæ jactus æquare non possit. Ab iisdem quoque plagis circumfluo mari sepitur, ab occasu verò vallo quinquaginta cubitis alto concluditur. Cujus inferior medietas terrea erat, superior ligna glebis intersita continebat. Septentrionale ejus latus fonte irriguo scatet, ad quem muniti callis beneficio oppidanis iter patebat. Hujus quondam Ericus usu violentius intercluso, non levius siti quàm armis obsessos premebat. Medium urbis planicies habebat, in quâ delubrum materiâ ligneum, opere elegantissimum, visebatur, non solum magnificentiâ cultus, sed etiam simulacri in eo collocati numine reverendum. Exterior ædis ambitus accurato cælamine renitebat, rudi atque impolito picturæ artificio varias rerum formas complectens. Unicum in eo ostium intraturis patebat. Ipsum vero fanum duplex septorum ordo claudebat. E quibus exterior parietibus contextus, puniceo culmine tegebatur. Interior verò quatuor subnixus postibus, parietum loco pensilibus aulæis nitebat, nec quicquam cum exteriore præter tectum & pauca la-

quearia communicabat. Ingens in æde ſimulacrum omnem humani corporis habitum granditate tranſcendens, quatuor capitibus, totidemq; cervicibus mirandum perſtabat, è quibus duo pectus, totidemq; tergum reſpicere videbantur. Cæterùm tam antè quàm retrò collocatorum unum dextrorſum, alterum læνorſum contemplationem dirigere videbatur. Corraſæ barbæ, crines attonſi figurabantur, ut artificis induſtriam Rugianorum ritum in cultu capitum æmulatam putares. In dextra cornu vario metalli genere excultum geſtabat, quod ſacerdos ſacrorum ejus peritus, annuatim mero perfundere conſveverat, ex ipſo liquoris habitu ſequentis anni copias proſpecturus. Læva arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens fingebatur, quæ ex diverſa ligni materia creatæ, tam arcano nexu genibus jungebantur, ut compaginis locus non niſi curioſiori contemplatione deprehendi potuerit. Pedes humo contigui cernebantur, eorum baſi intra ſolum latente. Haud procul frenum ac ſella ſimulacri, compluraq; divinitatis inſignia viſebantur. Quorum admirationem conſpicuæ granditatis enſis augebat, cujus vaginam ac capulum præter excellentem cælaturæ decorem, exterior argenti ſpecies commendabat. Solennis eidem cultus hoc ordine pendebatur. Semel quotannis, poſt lectas fruges, promiſcua totius inſulæ frequentia, antè ædem ſimulacri, litatis pecudum hoſtiis, ſolenne epulum Religionis nomine celebrabat. Hujus ſacerdos, præter communem patriæ ritum, barbæ comæq; prolixitate ſpectandus, pridie quàm rem divinam facere debuiſſet, ſacellum (quod ei ſoli intrandi fas erat) adhibito ſcoparum uſu, diligentiſſime purgare ſolebat, obſervato nè intra ædem halitum funderet. Quo quoties capeſſendo vel emittendo opus habebat, toties ad januam procurrebat, ne videlicet dei præſentia mortalis ſpiritus contagio pollueretur. Poſtero die populo præ foribus excubante detractum ſimulacro poculum curioſius ſpeculatus, ſi quid ex inditi liquoris menſura ſubtractum fuiſſet, ad ſequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, præſentes fruges in poſterum tempus aſſervari jubebat. Si nihil ex conſvetæ fœcunditatis habitu diminutum vidiſſet, ventura agrorum ubertatis tempora prædicabat. Juxta quod auſpicium, inſtantis anni copiis nunc parcius, nunc profuſius utendum monebat. Veteri deinde mero ad pedes ſimulacri libamenti nomine defuſo, vacuefactum poculum recenti imbuit: ſimulatoq; propinandi officio ſtatuam veneratus, tum ſibi, tum patriæ bona, civibusq; opum ac victoriarum incrementa ſolennium verborum nuncupatione poſcebat. Qua finitâ, admotum ori poculum nimiâ bibendi celeritate continuo hauſtu ſiccavit, repletumq; mero ſimulacri dexteræ reſtituit. Placenta quoque mulſo confecta, rotundæ formæ, granditatis vero tantæ ut penè hominis ſtaturam æquaret, ſacrificio admovebatur. Quam ſacerdos ſibi ac populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur, percontari ſolebat. Quibus illam à ſe videri reſpondentibus, ne poſt annum ab hiſdem cerni poſſet, optabat. Quo precationis more non ſuum aut populi fatum, ſed futura meſſis incrementa poſcebat. Conſequenter ſub ſimulacri nomine præſentem turbam conſalutabat, eamq; diutiùs ad hujus numinis venerationem ſedulo ſacrificii ritu peragendam hortatus, certiſſimum cultus præmium, terra mariq; victoriam promittebat. His ita peractis reliquum diei plenis luxuriæ epulis exigentes, ipſas ſacrificii dapes in uſum convivii, & gulæ nutrimenta vertêre, conſecratas numini victimas intemperantiæ ſuæ ſervire cogentes. In quo epulo ſobrietatem violare pium æſtimatum eſt, ſervare nefas habitum. Nummus ab unoquoq; mare vel fœmina annuatim in hujus ſimulacri cultum doni nomine pendebatur. Eidem quoq; ſpoliorum ac prædarum pars tertia deputabatur, perinde atque ejus præſidio parta obtentaq; fuiſſent. Hoc quoque numen trecentos equos

deſcri-

deſcriptos, totidemq; ſatellites in eis militantes habebat: quorum omne lucrum ſeu armis, ſeu furto quæſitum, ſacerdotis cuſtodiæ ſubdebatur. Qui ex earum rerum manubiis diverſi generis inſignia ac varia templorum ornamenta conflabat, eaq; obſeratis arcarum clauſtris mandabat: in quibus præter abundantem pecuniam, multa purpura vetuſtate exeſa congeſta fuerat. Illic quoque publicorum munerum ac privatorum ingens copia viſebatur, ſtudioſis beneficia poſcentium votis collata. Hanc itaque ſtatuam totius Sclaviæ penſionibus cultam, finitimi quoque Reges non abſque ſacrilegii reſpectu donis proſequebantur. Quam inter cæteros etiam Rex Danorum Sveno propitiandi gratia, exquiſiti cultus poculo veneratus eſt, alienigenæ religionis ſtudium domeſticæ præferendo: cujus poſtmodum ſacrilegii infelici carcere pœnas perſolvit. Alia quoque fana compluribus in locis hoc numen habebat, quæ per ſupparis dignitatis, ac minoris potentiæ flamines regebantur. præterea peculiarem albi coloris equum titulo poſſidebat, cujus jubæ aut caudæ pilos convellere nefarium ducebatur. Hunc ſoli ſacerdoti paſcendi, inſidendiq; jus erat, ne divini animalis uſus, quò frequentior, hoc vilior, haberetur. In hoc equo, opinione Rugiæ, Svantovitus (id ſimulacro vocabulum erat) adverſum ſacrorum ſuorum hoſtes bella gerere credebatur. Cujus rei præcipuum argumentum extabat, quod is nocturno tempore ſtabulo inſiſtens, adeò plerumq; manè ſudore ac luto reſperſus videbatur, tanquam ab exercitatione veniendo magnorum itinerum ſpacia percurriſſet. Auſpicia quoque per eundem equum hujuſmodi ſumebantur. Cum bellum adverſum aliquam provinciam ſuſcipi placuiſſet, antè fanum triplex haſtarum ordo, miniſtrorum operâ, diſponi ſolebat: in quorum quolibet binæ è tranſverſo junctæ, converſis in terram cuſpidibus figebantur, æquali ſpaciorum magnitudine ordines diſparante. Ad quos equus ductandæ expeditionis tempore ſolenni precatione præmiſſa, à ſacerdote è veſtibulo cum loramentis productus, ſi propoſitos ordines antè dextro quàm lævo pede tranſcenderet, fauſtum gerendi belli omen accipiebatur. Sin lævum vel ſemel dextro prætuliſſet, petendæ provinciæ propoſitum mutabatur. Nec prius certa navigatio præfigebatur, quàm tria continuè potioris inceſſus veſtigia cernerentur. Ad varia quoque negotia profecturi, ex primo animalis occurſu, votorum auſpicia capiebant. Quæ ſi læta fuiſſent, cœptum alacres iter carpebant: ſin triſtia, reflexo curſu propria repetebant. Nec ſortium eis uſus ignotus extitit. Siquidem tribus ligni particulis parte altera albis, altera nigris, in gremium ſortium loco conjectis, candidis proſpera, furvis adverſa ſignabant. Sed ne fœminæ quidem ab hoc ſcientiæ genere immunes fuerè. Quippe foco aſſidentes, abſque ſupputatione fortuitas in cinere lineas deſcribebant. Quas ſi pares numeraſſent, proſperæ rei præſcias arbitrabantur: ſi impares, ſiniſtri prænuntias autumabant. Hujus igitur urbis non magis Rex munimenta quàm ritus evertere cupiens, univerſæ Rugiæ profanos cultus ejus excidio deleri poſſe arbitrabatur. Neque enim dubium habebat, quin extante ſimulacro, facilius gentis mœnia quàm ſacrilegia domarentur. Itaque quò ocius expugnationem perageret, ingentem lignorum materiam faciendis machinis opportunam, magna cum totius exercitus fatigatione, propinquis è ſylvis petendam curavit. Quibus dum artifices coäptandis intenderent, fruſtra quidam his rebus operam dare aſſeverabat, ſperato citiùs urbem capturos. Interrogatus quonam id augurio deprehenſum haberet, ex hoc potiſſimum augurari ſe dixit, quod Rugiani quondam à Carolo Cæſare expugnati, ſanctumq; Vitum Corvegienſem religioſa nece inſignem, tributis colere juſſi: defuncto victore, libertatem repoſcere cupientes, ſervitutem ſuperſtitione mutarunt, inſtituto domi ſimulacro, quod ſancti Viti vocabulo cenſuerunt. Ad cujus cultum,

con-

contemptis Corvegiensibus, pensionis summam transferre cœperunt, affirmantes domestico Vito contentos, externo obsequi non oportere. Quam ob rem Vitum, veniente sui sollennis tempore, eorum mœnia turpaturum, à quibus tam similem monstro figuram acceperit. Merito namque eum ab his injuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem ejus memoriam sacrilego cultu complexi fuerunt. Hoc se non ex somniorum, aut rerum accidentium conjecturis, sed sola præsagientis animi sagacitate colligere testabatur. Admirabilior cunctis, quàm credibilior prædictio extitit. Et quoniam insula Archonensis, quæ Withora dicitur, à Rugiæ complexu parvula freti interrivatione, quæ vix fluminis magnitudinem æquare videatur, abrumpitur, ne eò loci ulla Archonensibus auxilia porrigerentur, missis qui transitum observarent, hostemq; trajectu prohiberent: cætera manu urbis obsidionem arripuit, ac primum operam tormentis vallo applicandis exhibuit. Absalon inter manipulos castrorum loca distribuere jussus, designandi officium mensurato inter maria spatio exequebatur. Interea oppidani portam urbis, quò minor eam attentandi facultas pateret, ingenti glebarum acervo præstruxerant, aditumq; coacta cespitum compage claudentes, tantum ex eo opere fiduciæ contrahebant, ut turrim, quæ supra portam sita fuerat, signis tantum aquilisq; protegerent. Inter quas erat Stanitia magnitudine ac colore insignis, cui tantum venerationis à populo Rugiano tributum est, quantum omnium penè deorum majestas obtinuit. Eam enim præ se ferentes, in humana divinaq; grassandi potestatem habebant, nec quicquam eis, quod libitum foret, illicitum habebatur. Populari urbes, aras demoliri, fas ac nefas in æquo ponere, cunctosq; Rugiæ penates, aut ruinis, aut incendiis evertere potuisset: tantumq; superstitioni indultum est, ut exigui panni autoritas Regiæ potestatis vires transcenderet. Plectentes, signo perinde ac divino gestamini honorem habebant, officiis damna, injurias obsequiis rependentes. Interea variis inchoandæ obsidionis operibus insistente exercitu, aliisq; stabula, aliis tentoria ad necessarios usus, militari procuratione, versantibus, Rege verò diurni caloris intemperantiam otio atque umbraculis leniente: Danorum fortè pueri plenis petulantiæ excursibus ad vallum perducti, contortos fundâ lapillos in propugnacula jacere cœperunt. Quorum ingenio delectati magis Archonenses quàm territi, similes lusui nisus armis excipere erubescebant, ob idq; eos spectare, quàm repellere maluerunt. Adolescentibus subinde puerorum cœptum in consimili provocationis genere æmulantibus, spectandi voluptate depositâ, ægrè pugnam capessunt. Juvenes quoque nostri relictis variæ occupationis officiis, ad auxilia sociis ferenda concurrunt, equitibus ista puerilium exercitiorum loco ducentibus. Ita res parvulis ac penè despicabilibus initiis cœpta, grandem haud levi in momento ponendi certaminis progressum accepit, paulatimq; puerilis ludi incitamentum ad serium virilis pugnæ modum prorepsit. Fortè autem egesta portæ humus, in antri sive crepidinis formam, subsidente glebarum mole, concesserat, vastusq; inter turrim & cespites hiatus patebat. Quem cum egregii animi ignotus juvenis, gerendarum rerum proposito opportunum animadverteret, attingendi ejus opem à sociis imploravit, quo si ipsorum auxilio præcessisset, expugnationem illico subsecuturam, seq; victoriæ gradum facturum spondebat. Quibus, quonam modo juvari posset, percontantibus, telorum cuspides, quis tanquam scalis evaderet, mediis cespitum locis immergi præcepit: eoq; negotio subvectus, postquam animadvertit ita se undique ejus antri præsidio vallatum, ut ab hostibus lædi non posset, extruendi ignis gratia stramentum poposcit. Interrogatus, an accendendi ejus materiam haberet, ferrum sibi ac silices suppetere respondit; præmonito ut æstuante incendio

VVALDEMARUS I.

cendio ab hisdem descensurus exciperetur. Igitur foci nutrimenta circumspicientibus, fors materiam obtulit. Fortè enim quidam ad necessarios usus onustum stipula currum agebat: qua direpta alius alii fasciculos jacientes, eosq; cuspidibus affixos juveni porrigentes, brevi patulum replevêre cavum, turris desertione tutos aditus dante. Nam oppidanos partim rei ignorantia, partim turris inanitas fefellit, cujus etiam prominens latitudo oppugnatoribus ab utroque latere præsidio fuit. Quæ cum repentino igne correpta conflagrare cœpisset, incendii auctore facto victoriæ gradu, excipientibus sociis solo illabitur. Conspecto fumo oppidani improviso periculo attoniti, igni prius an hosti resisterent, ambigebant. Tandem collectis animis, summa vi incendio occurrunt, omissoq; hoste bellum cum flammis gerere cœperunt, nostris extinctionem prohibere conantibus, ut ex pari his reprimendi incendii, illis protegendi cupido incessisse videretur. Tandem aqua defecti flammas lacte sparsere, quæ tantò vehementius incendium concepêre, quantò hoc liquoris genere sæpius perfundebantur. Ea res plurimum incrementi incendio adjecit. Orto deinde clamore, Rex spectandi gratia extra castra progressus, simulq; eventus admiratione concussus, cum dubium haberet, an ignis ullum expugnationi momentum adjiceret, quid factu opus potissimum foret, ex Absalone perquirere instituit. Ille Regem, ne se puerilibus cœptis insereret, aut quicquam inexplorato negotio, repentè aggrederetur, hortatus, magnoperè rogare cœpit, ut sibi primum, an ignis potiendæ urbis efficax esset, speculari permitteret. Nec rem perscrutari cunctatus, clypeo duntaxat ac galea tectus portam accessit, juvenesq; eam oppugnare conantes, hortari ad consovendum incendium cœpit. Quod accensis undique nutrimentis evectum, postiumq; ac columnarum roboribus alitum, ligneum turris pavimentum absumpsit: ac deinde summa corripiens, singulare simulacri signum, aliaq; domesticæ religionis insignia cineri æquavit. Quod postquam Rex, nuntiante Absalone, accepit, ejusdem monitu urbem corona cingi præcepit, ac protinus sellâ extra castra positâ pugnæ spectator consedit. Tunc quidam Danicæ militiæ fortissimus adolescens, dum ad propugnacula ante alios, eximiâ capessendæ laudis aviditate, evadere niteretur, letalemq; ictum corpore excepisset, ita collabendo se gessit, ut non fato oppressus ruere, sed de industria saltum edere videretur. Qua virtute pulchrius dimicaverit an occiderit, incertum reliquit. Pomerani quoque sub Cazimaro & Bugiszlavo ducibus, spectante Rege, dimicare egregium rati, audacissimâ urbis oppugnatione singulare virtutis specimen ediderunt. Quorum excellens opera gratâ admiratione Regis oculos permulsit. Ex oppidanis complures ancipiti periculo circumventi, partim incendio, partim hostilium telorum impulsu prostrati cadebant, incertumq; erat plus ignem an hostem metui oporteret. Quidam verò salute postpositâ, adeò obstinatam ac perseverantem urbis defensionem egerunt, ut simul deflagrati aggeris excidio obruerentur, seq; super mœnium suorum rogum projectos, communibus flammis cremandos præberent. Tanta siquidem patrii munimenti charitate tenebantur, ut ejus ruinarum socii quàm superstites existere præoptarent. Ita desperatis oppidanorum rebus, excidioq; & morti propinquantibus, quidam è propugnaculis excelsa voce clamitans, Absalonis alloquium postulabat. Quem Absalon in tranquillissimam urbis partem, quæ scilicet à cæde plurimum strepituq; distaret, secedere jussum, quidnam afferret, interrogat. Ille vocis affectum manu ac gestibus prosecutus, bellica nostrorum opera relaxari poscebat, quoad oppidanis deditionem arripere liceat. Negat Absalon ullam oppugnationis remissionem fore, ni & ipsi pariter à prohibendo incendio operam retraxissent. Quam conditionem Barbaro comprobante, acceptas preces illico Regi porrexit, eoque protinus hac

de re

VVALDEMARUS I.

de re evocatos pugnâ principes consulente, Barbari votis annuendum subjunxit, dicendo oppidanos grassantis incendii impetum hoc difficiliùs, quò tardiùs sopituros. Quod si reprimere destitissent, etiam remoto hoste victoriam igni daturos. Nostros verò, tametsi otio indulgerent, id propugnantium flammarum viribus obtenturos, quod ne propriis quidem assequi valuissent. Quod quanquam ad horam armis abstineant, otiosos existimandos non esse, præsertim alieno ministerio sine ullo sui discrimine præliantes. Probato consilio Rex oppidanos in fidem hac lege recepit, ut simulacro cum omni sacra pecunia tradito, captivos Christianos ergastulo liberatos absque redemptione dimitterent, omniaq; veræ religionis momenta Danico ritu celebranda susciperent. Quinetiam ut agros ac latifundia deorum in sacerdotum usus converterent, seq; quoties res posceret, Danicæ expeditionis comites exhiberent, nec unquam accersiti, Regis militiam prosequi supersederent. Præterea annuatim ex singulis boum jugis quadragenos argenteos tributi nomine penderent, totidemq; obsides in earum conditionum firmamentum præstarent. Quo audito, populus repentinis seditionis facibus inflammatus, hostilisq; prædæ ac sanguinis cupidus, magnoperè queri cœpit, quod propinquæ victoriæ præmiis spoliatus, nihil ex tanta fatigatione præter ictus & vulnera retulisset, quodque sibi de penè victo hoste tot injuriarum ultionem proprio arbitrio exigere non licuerit, præfatus illorum saluti jam consuli, de quibus tot spoliorum, tot domesticarum cladium minimo negotio speciosissima vindicta accipi potuisset. Præterea deserturum se Regem, quòd urbem capi passus non sit, exiguamq; pecuniam ingenti victoriæ prætulerit, minitatus est. Talibus Rex obtrectationis sibilis vexatus, quò longius strepitu abesset, principes extra castra perductos, deditionem urbis, an direptionem probent, perquirit. A quibus Absalon, quidnam ea de re sentiret, differere jussus: munitionem quidem capi, sed non sine diuturno obsidionis impendio posse, asseverabat. Quanquam enim studia sua sinistrâ vulgi interpretatione exciperentur, malle se tamen apud malignos eorum æstimatores ob salutares monitus displicere, quàm sociorum salutem tanta rerum utilitate subvertere. Nam etsi ignis potius cœlesti miraculo, quàm ulla mortalium operâ accensus, superiores aggeris partes, quæ lignis humoq; constabant, propemodum in cineres redegisset, inferiorum tamen solidiorem compagem incendio non cessuram, quæ altitudine sua haud facilè hostium incursui pateat. Ad hæc oppidanos cuncta penè incendii loca luteis refecisse figmentis, eosq; partim flammarum viribus arceri, partim præsidio muniri, quarum asperitas nostris non minus oppugnationis, quàm illis defensionis impedimentum ingerere videatur. Præterea si incolumitas Arkonensibus negaretur, fore ut cæteræ Rugianorum urbes necessitate in virtutem conversa, hoc acrius, quò desperatius rebellarent. Quos si in fidem recipi comperissent, facilè eodem exemplo salutis consilia circumspicerent. Cum ergo multarum urbium expugnationem sola expeditione concludere, quàm unius obsidioni pertinacius inhærere præstantius ducatur, deditionis oblata respui non oportere. Sin cæteris secus videatur, inviolatos obsides mitti debere, ne parum syncera fide cum eis actum existimari posset, aut gentis nostræ promissioni præter solitum ulla lubricitatis labes accederet. Hanc sententiam Maximus Pontifex Eskillus consentaneis suffragiis fraudare passus non est, dicendo plebem patribus, non plebi patres obtemperare debere, neque par esse majores minorum arbitrio cedere. Quî autem optabiliorem victoriam acquiri posse, quàm alienæ religionis populum non solùm tributis, verumetiam Christianis sacris subjectum efficere? Sed etiam potiùs Arkonensium operâ adversum reliquos hostes utendum, quàm cædibus inhiandum monebat: quippè sub-

pè sub-

pè subjugare hostem, quàm necare, tanto præstantius esse, quantum pietas à severitate distare cognoscitur. Insuper aliquanto satius fore, complurium munitionum præsidia pariter occupare, quàm unius obsidionem omnium expugnationi præponere. Ea monitorum ratione permotos principes, tam suæ quàm Absalonis sententiæ assensores effecit. Rex quoq; eodem consilij vigore firmatus, infestas populi voces clausis patientia auribus respuit. Quibus ad curanda corpora dimissis, Absalon suscipiendorum obsidum mandatum amplexus, partim liberorum pignora recipiebat, partim parentes in crastinum usq; pro liberis admittebat. Eodem proximæ noctis hora concubia quietem capiente, ingens Barbari clamor insonuit, Guthskalki, quo Absalon apud Sclavos interprete utebatur, copiam flagitantis. Qui hac voce excitus, quidnam Barbarus afferret, mutuo clamore perquirit. Ille postulato Absalonis aditu, propius accedere permissus, eumq; extra tentorium ad se progressum per interpretem alloqvutus, impensius orare cœpit, permitteret sibi Karentinis Arkonensium fortunæ nuntium afferre, hortariq; ut similibus pactis exitium præcurrentes, suam atq; urbis incolumitatem pacisci non differant, præfatus se voluntatis eorum indicium postridie relaturum. Præterea se patre Littogo Karentiæ natum, Granzamq; dici asseverabat, præsentis urbis non civem, sed advenam esse, nec in eam sponte profectum, sed cum alijs inter supplementa transmissum. Quod ne fraudulenter asserere putaretur, debilitatum vulnere lacertum ostendit, sine cujus usu civibus opem ferre non posset. Absalon in homine tam graviter affecto parum momenti hostium viribus accedere judicans, parviq; ducens pugnæ an deditionis hortator existeret, petitionem ejus ad Regis arbitrium relegavit: ac protinus Waldemarum è somno excitatum consuluit. A quo rem arbitrio suo tractare jussus, expectanti Barbaro, omnia à Rege præter tridui inducias concessa respondit, sollicitè providens ne hostibus longum muniendæ urbis tempus daretur. Cæterum insequentis diei spacium, ne omnium induciarum expertem dimitteret, pollicetur, præfatus, ni in littore, quod urbi suæ proximum foret, se cum omni Rugiæ primatu tempore prædicto obvium præbuisset, ulteriore pactionis aditu cariturum. Postero die Esbernus ac Suno, jubente Rege, simulacrum eversuri, quod sine ferri ministerio convelli nequibat, aulæis, quibus sacellum tegebatur, abstractis, famulos succidendi officium arripere jussos, attentius monere cœperunt, ut adversum tantæ molis ruinam cautius se gererent, ne ejus pondere oppressi, infesto numini pœnas luere putarentur. Interea fanum ingens oppidanorum frequentia circumstabat, Svantovithum talium injuriarum autores, infestis numinis sui viribus insecuturum sperantium. Jamq; statua extremâ tibiarum parte præcisâ propinquo parieti supina incidit. Cujus extrahendæ gratiâ Suno ministros ad ejusdem parietis dejectionem hortatus, cavere jussit, ne succidendi aviditate pericula sua parum dispicerent, neu se labenti statuæ per incuriam proterendos obijcerent. Ruinam simulacri non sine fragore humus excepit. Præterea frequens ædem purpura circumpendebat, nitore quidem prædita, sed situ tam putris, ut tactum ferre non posset. Nec sylvestrium bestiarum inusitata cornua defuêre, non minus suapte naturâ, quàm cultu miranda. Dæmon in furvi animalis figura penetralibus excedere visus, subito se circumstantium luminibus abstulit. Igitur oppidani simulacro urbe egerendo funes inijcere jussi, cum id pristinæ religionis metu per seipsos exequi non auderent, captivis exterisq; quæstum in urbe petentibus, ut illud eijcerent imperabant, ignobilium hominum capita divinæ iræ potissimum objectanda ducentes. Quippe domestici numinis majestatem, quam tanto cultu prosequi consveverant, graves è vestigio pœnas à suis violatoribus exacturam putabant. Tum verò variæ incolarum voces

voces exaudiebantur, alijs dei sui injurias lamento, alijs risu prosequentibus. Nec dubium quin ingens prudentiori oppidanorum parti rubor incesserit, simplicitatem suam totannis tam stolido cultu delusam cernenti. Pertractum in castra simulacrum admirantis exercitus concursus excepit. Nec prius sibi principes spectandi licentiam indulserunt, quàm plebem visendi sacietas amovisset. Reliqvum diei in obsidibus, qui pridie remanserant, accipiendis traductum est. Sed & scribæ principum in urbem mittuntur, qui sacerdotali ministerio rudem religionis populum Christianis sacris assuefacerent, ejusq; sacrilegis sensibus sanctitatis disciplinam ingenerarent. Vesperâ appetente, omnes, qui culinis præerant, simulacrum attentatum securibus, in exigua frusta aptosq; foculo stipites redegerunt. Crediderim tunc Rugianos pristinæ piguisse culturæ, cum patrium avitumque numen, quod maxima religione celebrare solebant, igni deformiter applicatum concoquendis hostium alimentis famulari conspicerent. Post hæc nostri pariter & fanum cremandum, & basilicam lignis machinamentorum exædificandam curabant, belli instrumenta pacis domicilio permutantes. Itaque quod obterendis hostium corporibus excogitaverant, salvandis eorum spiritibus impendebant. Dies quoque, quo thesaurus Svantovitho votorum nomine consecratus à Rugianis traderetur, præfigitur. His expletis Absalon Granzæ Karentinensis promissione ducibus exposita, cunctisq; ejus experimentum sumi debere judicantibus, cum triginta navigijs noctu discessit, Rege sub primam lucem insequi monito. Tantus autem Karentinis, Arkonensis expugnationis nuntio, terror incesserat, ut locum, qui ab Absalone prænotatus erat, ante præfixum tempus accederent. Illic Granza equo insidens, voce eminus missa, quisnam classi præesset, rogabat. Quam postquam ab Absalone ductari cognovit, Granzam se esse confessus, Regem Tetislavum cum Jarimaro fratre & universis Rugianæ nobilitatis proceribus advenisse perdocuit. Quos Absalon, interposita fide, nave exceptos, ac per omnia Arkonensium exemplo deditionem pactos, ad Regis adventum usq; detinuit. Quo per omnia pactionibus assentiente, solo Jarimaro ex Rugianorum optimatibus assumpto, unà cum Svenone Arusiensi, Karentiam pergit: reliquos, quò tutius urbem peteret, per Esbernum fratrem epulis allectos, non ante reditum suum dimittendos curavit. Triginta solos domesticos milites secum habebat, quorum majorem partem, orantibus Karentinis, nè quid rixæ per ejus comites in urbe concitaretur, remisit, fiduciâq; quàm familiâ abundantior ad urbem contendit. Hæc undiq; secus voraginibus ac lacunis vallata, unicum palustri ac difficili vado aditum habet. Quo si quis incautis viæ excessibus aberraverit, in profundum paludis incidat necesse est. Hoc vadum emensis, prætentus urbi callis occurrit; hic ad portam ducit, mediusq; vallum ac paludem interjacet. Itaq; Karentini, quò deditionem suam concinniorem efficerent, sex millium numerum explentes armati sese portis effundunt, viamq; nostrorum progressui opportunam, suffixis humo cuspidibus, diversa acie circumstare cœperunt. Quo aspectu stupentem Svenonem, rogantemq; quidnam sibi hostium vellet excursus, Absalon metu carere præcepit, eorum egressionem ab obsequendi studio profectam docendo. Qui si nocendi animum gererent, facilius intra urbem facinus exsequi potuissent. Quanta porrò illum fiducia præditum æstimemus, qui capitis sui potestatem armati hostis ancipiti arbitrio tam facilè credere non dubitavit? Sed & milites ejus exemplo firmati, nec vultu nec ordine mutato parem procedendi constantiam conservaverunt, plus spei in unius Absalonis præsidio, quàm metus in hostium multitudine reponentes. Transgressos vadum, viamq; vallo citeriorem aggressos, Karentini qui se hinc inde centuriaverant, humi pro-

stratis

VVALDEMARUS I.

stratis corporibus, perinde ac superos adorandi officio venerati sunt, exsurgentesq; eorum vestigia benivolo studio consectari cœperunt. Jucundus Absalonis ingressus, avido egressionis populo extitit. Neq; enim ut privatæ rei legatus, sed tanquam publicæ pacis minister excipitur. Insignis hic vicus trium præpollentium fanorum ædificijs erat, ingenuæ artis nitore visendis. Iis tantum penè venerationis privatorum deorum dignitas conciliaverat, quantum apud Arkonenses publici numinis autoritas possidebat. Sed & hic locus, ut pacis tempore desertus, ita tunc frequentibus habitaculis consertus patebat. Quorum altitudinis tres ordines fuêre, infimo, medio supremiq; ponderibus sustentamentum præbente. Quinetiam tantæ consertionis angustiæ fuêre, ut si tormentis in urbem lapides jacerentur, nudam humum, in quam conciderent, non offenderent. Super hæc natus immundicijs fœtor cunctos urbis penates asperserat, nec minus corpora quàm metus animos cruciabat. Unde nostris Karentinos obsidioni resistere nequivisse conspicuum fuit. Neque enim eorum tàm promptam deditionem ulterius mirari voluerunt, quorum tam arctam necessitatem liquidò perviderunt. Majus fanum vestibuli sui medio continebatur, sed ambo parietum loco purpura claudebantur, tecti fastigio solis duntaxat columnis imposito. Itaq; ministri direpto vestibuli cultu, tandem manus ad interiora fani velamina porrexerunt. Quibus amotis, factum quercu simulacrum, quod Rugiæ vithum vocabant, ab omni parte magno cum deformitatis ludibrio spectandum patebat. Nam hirundines, quæ sub oris ejus lineamentis nidos molitæ fuerant, in ejusdem pectus crebras stercorum sordes congesserant. Dignum numen, cujus effigies tam deformitèr à volucribus fœdaretur. Præterea in ejus capite septem humanæ similitudinis facies consedêre, quæ omnes unius verticis superficie claudebantur. Totidem quoq; veros gladios cum vaginis uni cingulo appensos, ejus lateri artifex conciliaverat. Octavum in dextrâ districtum tenebat. Hunc pugno insertum firmissimo nexu ferreus clavus astrinxerat, nec manu nisi præcisæ evelli poterat: quæ res truncandæ ejus occasio exstitit. Spissitudo illi supra humani corporis habitum erat: longitudo verò tanta, ut Absalon supra primam pedum partem consistens, ægrè mentum securiculâ, quam manu gestare consueverat, æquaret. Hoc numen perinde ac Martis viribus præditum, bellis præesse crediderant. Nihil in hoc simulacro jucundum visentibus fuit, lineamentis impoliti cælaminis deformitate sordentibus. Jamq; famuli maxima cum totius urbis exanimatione, tibijs ejus secures applicare cœperunt. Quibus abscissis, comitante sono lapsus terræ truncus impingitur. Hoc viso oppidani, dei sui viribus insultantes, religionem mutavêre contemptu. Nec ejus excidio contentæ satellitum manus, ad Porevithum simulacrum, quod in proxima æde colebatur, avidius porriguntur. Id quinq; capitibus consitum, sed armis vacuum fingebatur. Quo succiso Porenutij templum appetitur. Hæc statua quatuor facies repræsentans, quintam pectori insertam habebat, cujus frontem læva, mentum dextera tangebat. Hæc famulorum ministerio securibus icta concidit. Has statuas oppidani Absalonis edicto intra mœnia cremare jussi, preces imperio opponere cœperunt, orantes misereatur confertæ urbis: nec incendio objiciat, quorum jugulo parcat. Nam si ignis ad vicina prolapsus, unum è tabernaculis corripuisset, ob eximiam consertionem, universa indubitanter convelleret. Quapropter eas urbe egerere rogati, diu repugnaverunt, quòd se membrorum, quorum ministerium imperio exhibuissent, numine pœnas exigente, usum amissuros metuerent, contemptumq; religionem excusare pergebant: Ad ultimum Absalonis monitu, dei, qui sibimet opitulari non posset, potentiam floccipendere docti, spe impunitatis acceptâ, imperio ocyus paruerunt. Nec mirum, si illorum numinum poten-

VVALDEMARUS I.

potentiam formidabant, à quibus ſtupra ſua ſæpenumero punita memi nerant. Siquidem mares in ea urbe cum fœminis in concubitum adſcitis, canum exemplo cohærere ſolebant. Nec ab ipſis morando divelli poterant. Interdum utriq; perticis ediverſo appenſi, inuſitato nexu ridiculum populo ſpectaculum præbuere. Ea miraculi fœditate ſolennis ignobilibus ſtatuis cultus acceſſit, creditumque eſt earum viribus effectum, quod dæmonum erat præſtigiis adumbratum. Sveno verò, quò magis ſimulacra aſpernenda doceret, ſuper ea, cum à Karentinis ejicerentur, ſublimis conſiſtere voluit. Quo facto pondus contumelia auxit. Nec minus trahentes rubore quàm onere vexavit, domeſtica numina alienigenæ pontificis pedibus ſubjecta cernentes. Dum hæc à Svenone geruntur, Abſalon tribus cœmiteriis in agro Karentino dedicatis, veſpere Karentinam rediit: deletisq; ſimulacris, unà cum Jarimaro, profundâ nocte, ad naves pervenit, eumque ſecum cœnitare coëgit. Jamq; Abſalon ternas continuè noctes abſq; ſomno exegerat, adeoq; oculorum ejus aciem vigiliæ debilitaverant, ut penè videndi uſum extinguerent. Sequenti luce ſcribæ, & qui privata principum ſacra tractabant, ſacerdotiorum ornamentis donati, regenerandæ per aquam provinciæ miniſterium præbuerunt. Item Baſilicas compluribus in locis moliti, privatæ ſuperſtitionis tuguria, publicæ religionis domiciliis mutaverunt. Eodem die pariter accipiendis obſidum reliquiis vacatum eſt. Quo tempore Pomeranorum duces, qui Tetiſlavum regno exuendum, ſeq; Rugianæ rei dominium in præmium militiæ recepturos putabant, poſtulatâ abeundi licentiâ, amicitias hoſtilitate mutarunt. Quæ res ipſis poſtmodum ac Danis longam belli diſcordiam interjecit. Veſpere portu ſolventes, ſe ad proximam continenti inſulam appulerunt. Illic Regi ſeptem æqualis magnitudinis arcæ, conſecratâ deorum numini pecunia refertæ, à Rugianis allatæ ſunt. His peractis remittendæ expeditionis decretum vulgatur. Quâ reverſâ Abſolon novos ſacerdotes non ſolùm ordinis ſui inſignibus, verùm etiam commeatibus inſtructos, revocatis prioribus, in Rugiam delegavit, ne alienis impenſis utendo, populum, quem ſacris documentis erudituri erant, in exigendis vitæ neceſſariis onerarent. Nec prædicationis eorum miniſterio miracula defuere. Siquidem compluribus debilitate corporis reſolutis, per eorum ſalutares preces bonæ valetudinis habitus recuperatus eſt. Quod potius lucrandæ gentis reſpectui, quàm ſacerdotum ſanctitati divinitus conceſſum videri poteſt. A quibus etiam detractæ religionis ſupplicia variâ membrorum ſtrage graviter exigebantur, ut manifeſtè Deum & cultus ſui præmium, & contemptus vindictam afferre, putares. Ibidem quoque nuper clarum inauditi generis miraculum incidit. Matrona quædam à viro immerens adulterii inſimulata, cum purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexteram obtuliſſet, ſubitò ferrum, quod exceptura erat, perinde atque innoxiæ manus contactum fugiens, neglecto pondere, ſublime ſe extulit, penduloque motu gradientis fœminæ inceſſum comitans, cum ante aram jactandum erat, inter religioſam aſtantium admirationem, proprio impulſu humi decidit. Ea res & mulieris infamiam levavit, & viſentium animos religioni proniores effecit. Nec temere quidem pudicitiam ſuam tam ancipitis argumenti judicio credidit, cui corporis animiq; fiduciam certæ ſynceritatis conſcientia miniſtravit. Captâ Rugiâ, cum adhuc piraticæ labes cunctos maris noſtri receſſus fœdaret, ſolerti Danorum inſtituto proviſum eſt, ut eorum claſſe recenſitâ, quarta quæque navis adverſum maritimos prædones, quoad temporum habitus ſineret, excubandi officio fungeretur, ſicq; quorundam aſſiduitas univerſorum laborem abſolveret. Tantum enim commodi gens noſtra in paucitatis continua, quantum in multitudinis interciſa militia reponebat. In

quod

VVALDEMARUS I.

Quod munus potissimum juvenes conjugiorum expertes legi placuit, ne militiæ studium tori charitate torpesceret. Iisdem Absalon & Christophorus duces adduntur. Qui domestici freti limitibus non contenti, etiam Rugiana littora ac Lenticios scrutabantur anfractus.

Per idem tempus legati Regis, quos ut sibi paternæ animæ sanctitatem sacris honoribus venerari liceret, Romam transmiserat, consentaneas voto literas retulerunt. Quibus cognitis Rex omni Danicâ nobilitate sub edicto Ringstadium evocatâ, circa solenne Joannis, quod in æstivo solstitio colitur, & parenti cœlestes honores, & filio regios celebrare constituit: maxima claritatis incrementa accepturum se ratus, si una eademq; luce ex iis alterum ara, alterum coronâ donasset, ut & hujus infantiam regnum reciperet, & illius spiritum publica religio consecraret. Sed neque se ulla alia ex re tantum voluptatis hausturum credebat, quàm si in filio majestatis suæ insignia vivus conspicere potuisset. Quinetiam naves à propinqua statione revocatas, longinquam agere jussit, quò citius profundæ barbariæ piratas offenderent, ante feriam, quæ Joannis censetur, participandæ solennitatis gratiâ reversuras. Discedentes quoque præmonuit, ne hujus generis piratas, callidius quàm fortius confligere solitos, repentè lacesserent, & quibus id consvetudinis sit, ut hostili classe superveniente, navigiis suis in littus subductis, de industria citato cursu latebram petant, hostibusque liberum instandi locum tribuant. Sed mox ut eorum navigia ardenti remigum studio passim littoribus applicata conspexerint, improviso recursu latebris erumpentes, eadem brachiis per foros injectis apprehensa subducant, subductaq; nautis partim lapidum, partim telorum nimbo obrutis ferro perfodiant, ac crebris foraminibus absumant. Hos itaque tametsi fugere videantur avidius insequendos non esse, quorum non minus fuga quàm impetus metui debeat: neque terga præbentibus præproperè innitendum, sed potius & littus composito navigationis genere petendum, & in aciem junctis patienter ordinibus descendendum. Hæc agentibus in expedito victoriam fore, quod inermes illi nudisq; penè corporibus dimicantes, plus astu quàm apparatu niti soleant. His monitis incalescentes se in Ølandiam appulerunt. Verum quanquam Sveones ac Dani inimicitias gererent, ne destinatam paganis cladem Christianis infligerent, insulæ parcendum duxerunt, religionis concordiam regnorum odiis præferentes. Hic ab indigenis permixtos Estonibus Curos propinquo in portu piraticam exercere perdocti, indicatum sibi locum, ut cuiq; navigationis celeritas suppetebat, cum contemptu hostium, regii monitus immemores, certatim subintrant. Quo viso, speculatrix Estonum ratis remigio in altum excessit, obviaq; navigatione diffugere, quàm sociæ classi visorum nuncium afferre maluit. Quod reliqui piratarum experti, subductis in continentem navigiis, de industria se propinquæ sylvæ fruticibus occultare cœperunt. Quorum commentum Sveno Scølingus, & Nicolaus Wendilensis, haud callidè æstimantes vehementi remorum impulsu concitatis navigiis, cum universis remigibus littus insiliunt, ubi protinus fallaci Barbarorum recursu excepti, diuq; cum iisdem strenuè præliati, neglecti regalis consilii pœnas exitio pependerunt. Quibus dum Tovo Longus, & Esgerus, insignes Absalonis equites, auxilio fore gestiunt, quorum spiritum protegere student, sociantur funeribus. Talibus sociorum periculis Magnus Scaniensis irritatus magis quàm territus, diverso littoris aditu similem pugnæ eventum habuit. Horum omnium navigia Barbari prius remigibus viduata, mox securibus perfossa profundo merserunt. Has militum strages Christophorus contemplatus, temperato remigii cursu terris navem abstinuit. Quæ cum fluctuante prora littori latus adverteret, tanta saxorum vi ab

hoſte petita eſt, ut remiges ſua tantum corpora munire contenti, aliena attentare nequirent, nec jam inferendis ictibus ſed vitandis vacarent. Hæc poſtquam Esbernus animadvertit, ne ſanguis regius fruſtra ſibi creditus videretur, ſtrenua navigatione continentem petendo, mediis ſe jaculantium ſaxis immerſit, oneratumq; periculis juvenem ab imminenti exitio navigii ſui interjectu ſervavit. Quod protinus Barbari magnis viribus apprehenſum, vulneratis, qui proræ præerant, in littus haud ſegniter pertrahendum curarunt. Esbernus cum ſe tribus ſpiculis baliſta emiſſis, toties ictu fraudatum videret, confracto tormento, cujus uſum fruſtra tentaverat, à puppi in proram armatus conceſſit, ſolusq; tot hoſtes aliquanto diei ſpacio mira animi corporisq; virtute ſuſtinuit. Tandem ſilicibus adeò contuſus telisq; perſtrictus, ut pedibus quoque deficeretur, ægrè puppi repetita conſedit. Jamq; à comitibus deſertus (nam cuncti, præter unum, pellente metu, profundo ſe dederant) poſtquam barbaros navigium, cujus jam latera dolabris perfregerant, inſilire conſpexit, virtutis priſtinæ non oblitus, viribus recollectis, ſemel iterumq; ac tertiò exceptos fugavit, telaq; in ſe congeſta acerrime in hoſtem retorſit: auxilio ſibi vertens, quod in ejus perniciem vis aliena contulerat. Ad ultimum hebetatis nervis, laſſitudinis nimietate confectus, cum potius debilitati quàm hoſti cedens, reſumendarum virium gratiâ, paululum gradum referre cœpiſſet, tam gravem lapidis ictum capite excepit, ut ante puppim penè exanimis collaberetur. Quem cum Barbari, conſcenſo navigio, jacentem obtruncaturi concurrerent, unicus ejus comes cum voce ſemianimem ſuſcitare non poſſet, dextera comprehenſum erexit, ſolaq; conſiſtentis imagine propinquas hoſtium catervas repulit. Tanta quippe fortitudinis ejus experimenta fuerant, ut aſpectu non minus quàm viribus hoſtem terrerent. Poſtremo ſenſibus redditis, comitem percontatus, curnam ab eo fatigaretur? Poſtquam navigium Barbaris completum audivit, priſtino animi vigore, pulſis omnibus, in proram conceſſit, pugnaq; ſtrenuè edita, cum viribus propemodum abſumptis ad malum regredi vellet, rurſum ſemianimis concidit, periſſetque, ni eum Chriſtophori remiges ocius nave exceptum ſervaſſent. Quæ res cæteros in littoris acceſſione cautiores effecit. Eo namque proſpectius abſtinentes, eminus rem fundis jaculisq; geſſere. Et quoniam rebus ulterius attentandis noctis propinquitas officere videbatur, ſumpto differendæ pugnæ conſilio, ne quà Barbarorum ratis nocturno portus egreſſu clandeſtina fuga dilaberetur, excubiis obſervandum duxerunt. Igitur Barbari cum ſe tantæ claſſis objectu concluſos viderent, fortitudinem ex deſperatione capientes, jam non de fuga ſed victoria cogitare cœperunt. Itaque partim propriis, hoſtiumq; navigiis, quibus potiti fuerant, partim ſylveſtribus truncis arboreisq; molibus munitionem ad urbis inſtar ædificant, binos habentem introitus arctos admodum, anguſtiisq; difficiles, quibus quis veluti poſticis ſubmiſſus irreperet: latera quoque, quæ ex navigiis compegerant, velis in multiplices ordines convolutis, exterius imminebant, propugnaculorum uſum à telarum conſertionibus mutuantes. Præterea aliis ſectos ſtipites figendis ictibus exacuere, aliis littoralia ſaxa jactibus idonea legere curæ fuerat: & ne ulla ex parte remiſſis animis viderentur, bacchantium more cantu choreisq; lætitiam ſimulabant, Danis triſtem ſilentio noctem ducentibus. Tunc Lucas Chriſtophori ſcriba, nationis Britannicæ, literis quidem tenuiter inſtructus, ſed hiſtoriarum ſcientia apprimè eruditus, cum infractos exercitus noſtri animos videret, mœſtum ac lugubre ſilentium clara voce prorumpens, ſolicitudinem alacritate mutavit. Siquidem memoratis veterum virtutibus, noſtros ad exigendam à ſociorum interfectoribus ultionem tanta diſſerendi peritia concitavit, ut non ſolum mœſtitiam diſcuteret, verumetiam cunctorum pectoribus fortitudinem ingeneraret.

neraret. Dictuq; incredibile fuerit, quantum virium in noſtrorum animos ab alienigenæ hominis ſermone manaverit. WALDEMARUS I. Diluculo reddito paucis ad prohibendam hoſtium elapſionem relictis, remoto ab eorum caſtris ſpatio littus conſcendunt, ne in ipſo apparatu repentinos ſupervenientium paterentur incurſus. Itaque cultius armatis in acie præire juſſis, ignobilibus quibusque ſubſequendi locum attribuunt. At Barbari non per acies, ſed paſſim munitione delapſi, ingenti clamore edito in pugnam proſilire cœperunt, exiſtimantes Danos ſtrepitus viribus perterrefactos primo congreſſionis impetu ſuperandos. Tantus autem clamoris eorum horror increbuit, ut in poſtrema acie collocatis non ſolum metum, ſed fugam incuteret. Verum à præcedentibus ſecus ac rebantur excepti, non minore impetu caſtra, quàm reliquerant, repetebant. Complures ex eis cæſi, ſolus è noſtris Olavus guttur telo trajectus multoq; ſanguinis profluvio debilitatus, ſemianimis in littus refertur. Primus Nicolaus Stigonis filius, vir genere & viribus juxtà ſplendidus, defenſam à Barbaris munitionem irrupit, ſed in ipſo mox aditu vehementi fuſtis ictu exceptus procubuit. Quem Ako frater proprii corporis objectu protegere cupiens, dirum in gutture vulnus excepit. Quorum fortitudinis veſtigia cæteri inſecuti, facto irruptionis gradu, cum contemptu periculorum atrocius in hoſtem graſſantur. Quibus etiam, qui excubiis præerant, ſupervenientes opem tulere, alii malis appoſitis munimenti faſtigium tranſcendentes, ferendi ſociis auxilii ſtudio hoſtilibus ſeſe globis immergunt. Tanta autem in Barbaros ſtrages exercita eſt, ut ex ipſa eorum multitudine ne cladis quidem nuncius ſuperſtes reperiretur. At noſtri prædæ participatione acta, refectisq; navigiis, nobilium ſociorum cadavera ſalientes, ignobilibus ibidem tumulatis, in patriam referenda curabant. Qua inita Waldemarum apud Ringſtadium, magnâ cum optimatum frequentia, regio apparatu feriantem reperiunt. Ubi Lundenſis Pontificis miniſterio, cujus id exequendi officium erat, & patris ejus oſſa aræ traduntur, & filius ſeptem annos natus Canutus Rex conſecratur, regia in ſella purpura venuſtatur. Quibus debita religione celebratis, Helgo Pontifex Aſloënſis, & Stephanus Upſalenſis, ab Erlingo miſſi, editiore loco occupato, pacem Norvagienſibus benigno precabantur alloquio. Quam à Rege eo potiſſimum die concedendam eſſe monſtrabant, quo & filium diademate, & parentem altario honoratum vidiſſet; tantumq; excellenti eorum facundiæ tributum eſt, ut Erlingo familiaris colloquii aditus promitteretur. Ad quem Esbernus, poſcente Helgone, nondum reſanatis vulneribus, legatus dirigitur, Erlingo & Juaro Norvagienſibus interim obſidum loco apud Regem retentis. Multa illi in concione Erlingus inſolenter, hic multa Erlingo audacter reſpondit. Quo Erlingus domi ſuæ detento, Waldemarum allocuturus, Sialandiam, quatuor navigiis, Stephano Upſalenſi comitatus, accedit. Quem cum Abſalon nuper à Regis in Jutiam proficiſcentis comitatu magna claſſe regreſſus, Iſørenſi in portu adventantem videret, ſociis quicquam hoſtiliter conari vetitis, ne ſupervenientibus metus injiceretur, tranquillè ejus navigationem excepit, quem etiam majore claſſis ſuæ parte dimiſſa, ad Regem perduxit. Is cum prima colloquii die objurganter exceptus de concordia deſperaret, Abſalonem per Stephanum orat, tutò ſibi diſcedere liceat. A quo timidius, quàm ſi in patria foret, ſentire prohibitus, colloquium repetivit, pacemq; probatis conditionibus impetravit. Enimvero cunctis Norvagienſium magnatibus in eandem ſacramenti formam obſtrictis, jurejurando pollicitus eſt, ſe filium Regis Waldemarum admodum parvulum, educationis officiis proſecuturum, eundemq; prius Norvegiæ ducem, deinde regni hæredem futurum, ſi filius ſuus Magnus abſque liberis juſto matrimonio ſuſceptis decederet. Quinetiam miles Regis effe-

VVALDEMARUS I.

ctus, quotieſcunq; res poſceret, ſexaginta Norvagienſium naves in ejus comitatum expediendas promiſit. Cujus pactionis tenorem Danorum fide laudata, domi poſtmodum in concione vulgavit. Quem Tovo deſcendentem, reducendi Esberni gratia, proprio ſequebatur navigio. In quo profecturus Esbernus, munificentia gentis arcuum telorumq́; donis onuſtus abſcedit.

Cum ad Oddam provinciam perveniſſet, ex ejus ſpeculatoribus, Regem expeditione Pomeraniam petiviſſe, cognoſcit. Iidem ab eo interrogati, an ullos recenter piratas vidiſſent, quadraginta fermè navigia ad inſulam Syram appuliſſe denuntiant, præfati parum ſe noſſe, negotiatrix an piratica claſſis extiterit. His auditis Esbernus, ut noctu inſcios præteriret, neglecto ſyderis habitu, quàm remotiſſimè terras navigando vitare conſtituit, piratico ſe conſpectui ſubducere cupiens. Sed dum obſcuritatis auxilium expetit, ſubitò collucentis lunæ fulgore proditur. Nam Sclavi ſerena nocte conſpecto velo, objecta claſſe navigantem excipiunt. Quibus conſpectis Esbernus nautas arma capere, loricatosq́; ſuis in locis conſiſtere hortatus, reliquos ſecum in proram perductos ex utroq; navigii latere ſpiculis hoſtem inceſſere jubet, ut ſalutem ſuam protegere neceſſe habentes, ſegnius alienam impeterent. Præcepit quoque, cum primùm claſſis objectum veli beneficio penetraſſent, eodem defenſionis genere, quo proram inſtruxerant, ſe duce puppim communiant, obſervato, ne quis præter eum inter præliandum fandi licentiam uſurparet, quò melius imperantis juſſio exaudiretur. Quem ſi occidere contigiſſet, Tovonis vererentur imperium. Hic ſi periſſet, Eſgero proloquium deferretur. Quibus proſtratis, minimum pugnæ reſtaturum dicebat. Quò demum loricam ſumere volente, is qui gubernaculo præerat, quo ſe ſit protecturus, inquirit, cum utrâque manu circa gubernandi officium occupatâ, neutram neceſſariæ defenſionis uſibus aptare poſſit. Cui continuò Esbernus munimentum, quod erat ſumpturus, tradidit, ſeq́; quàm gubernatorem hoſtibus inermem offerre maluit. Quò facto unius hominis corpus ferro, omnium verò mentes audaciâ inſtruxit, tantoperè hoſtes à ſe contemni demonſtrans. Quibus juxtà Esberni conſilium obedienter ac ſtrenuè geſtis, poſtquam claſſis globum aciemq́; perruperant, primus ſequentium Sclavorum incurſus vi telorum abigitur. Secundus aliquantò majore conatu editus, pari modo repellitur. Tertio Barbari tantam unius navigii virtutem mirati, cum quibus prælientur, interrogant. Reſpondet Esbernus, fruſtra nomina rimari, qui prædam occupare non poſſint. Hunc vocis jactum expertus Ericus Juriſii filius, vir generis clari, ſed cordis obtuſi, quem fortè Sclavi illic captivum habebant, quàm poterat clara voce prædicavit, Esbernum ab eis capi non poſſe. Quo audito, ſeipſos, niſi eo potirentur, invicem execrati, hoſtilis navigii latera citra malum communibus roſtris impellunt. In quo conflictu complures ex eis exanimati ſunt, Sialandenſium nemine periclitato. Cumq́; ventus, cujus non modicum auxilium erat, aliquantulum ex priſtino habitu remittere videretur, interrogatus à ſuis Esbernus, an velo remigium adjicere oporteret, id fieri prohibuit, ne navigationem metu conficere putarentur. Cumq́; Barbaros identidem firmatis animis pertinacius inſtare cognoſcerent, perſeverantiæ eorum metu, an ſilex intra navigium ſuppeteret, percontatus, poſtquam haberi eum animadvertit, malum conſcendi, inq́; ejus cacumine ignem extundi præcepit. Cujus facti acumine Barbaros ſequentem claſſem invitari putantes, ab ulteriore ſui inſectatione cohibuit. Cum velum extra proſpectum hoſtium eſſe crederet, demiſſo eo domeſticum in portum remigio pervenit. Ita non minus ingenio ſuo, quàm ſociorum viribus adjutus, partim à fortitudine, partim ab aſtutia præſidium mutuatus eſt.

Interea

VVALDEMARUS I.

Interea Rex, Rugianorum claſſe auctus, perq; oſtia amnis Zwinæ Pomeraniam ingreſſus, Julini oppidi, ipſo intacto, confinia populatur. Deinde ad fluvium Julino Caminoq; junctum, uniformem principiis, oſtiis bipertitum, Regiâ claſſe progreditur. Cujus navigationem crebra ſæpium obſtacula à piſcatoribus defixa difficilem faciebant. Pons quoq; prælongus Julini mœnibus contiguus, media amnis interciſione tranſitive coarctabat, citra quem, impedimentis urgentibus, pernoctatum eſt. Manè Rex continentem aggreſſus, ex adverſo urbis in ripa auſtrali pontem disjici juſſit. Nec minori Sialandenſibus piſcatorias ſæpes convellere ſtudio fuit. Quos cum Julinenſes per occultum pontis tranſitum cimbis prolapſi propellere niterentur, Abſalon, qui ſimul cum Rege ripam aſcenderat, alienis navigiis correptis, opportunum eis præſidium attulit. In cujus clypeum conjecta tela inania cadebant, ſociorum ſcutis immiſſas cuſpides retentantibus. Cumq; ejus navigium huic ſpectaculo procul intentum, hortante Rege, propius acceſſiſſet, repulſis hoſtibus, ingentiq; pontis parte convulſa, cæteræ claſſi navigandi iter tribuitur. Quam cum oppidani prætereuntem ſcaphis inceſſerent, Abſalon & Suno, cimbas ſuas ſagittariis completas eis objiciunt. Ancepsq; exercitatio erat naviculis, vario tormentorum genere decertantibus. Verum ut Julinenſibus oppidum, ita noſtris claſſis refugio fuit. Ad ultimum cedentes oppidanorum ſcaphæ, liberum claſſi progreſſum dedêre. Quam cum Suno poſterius ſequeretur, quendam è Julinenſibus inſolentius ripæ incurſantem, ejecto balliſtâ ſpiculo interemit; eiq; mox alium ſubvenire conantem ſimili ictu proſtravit. Quorum corpora totidem ocius accurrentes, humeris ſuis excepta celerrime deportarunt. Cumq; noſtros ob id factum unus ex oppidanis, perinde ac ſociorum necem maledictis ulturus, acerbiore convitio inſequeretur, protervè cum Guthskalcus agere prædicabat, quod dona, quæ in alios ultro collata conſpexerit, contumelioſa verborum violentia aſſequi cupiat. Nam cum duos eorum pedites à noſtris equites factos conſpexerit, reliquos ſi propius acceſſiſſent, ſimilibus equis eſſe donandos. Quo dicto non ſolum inſectatoris petulantiam contudit, verùm etiam oppidanorum omnium inſolentiam proculcavit. Inde ad inſulam Criſztoam perventum. Cujus incendio abſtineri Rex, ut annonæ equorum alimentis neceſſariæ parceret, edixit. Proximè ad urbem Caminum permeato amne proceditur. Cujus ſeptentrionali provincia armis incendioq; vaſtata, prælium ejus in ponte conſeritur. Sub quem Sclavi per occulta vada repentes, lanceis inter rimas porrectis furtim noſtros vulneribus appetebant. Cujus incommodi fraudem Danicarum illico ſcapharum frequentia diſpulit. Pontis quoq; fragilitas excidium minitans, amplius quàm hoſtis ſævitia in metu reponebatur. Igitur omiſſa urbis oppugnatione, Criſztoam reditur; ubi reducendæ expeditionis, ſummâ cum totius exercitus hæſitatione, conſilium agitantes, qua parte pontum repeterent, ambigebant. Nam cum Pomeranorum lacus tribus oſtijs in fretum decurrat, duobus, Penenſi videlicet & Svvinenſi, longinquitatis tædio faſtiditis, propinquam Caminenſis exitus brevitatem adire placuit. Quem Gero quidam, regionis ejus locorum peritus, adeò vadoſum incertæq; profunditatis aſſeruit, ut eum æſtus duntaxat regreſſu ſuo meabilem faciat. Cujus cognoſcendi gratia Abſalon cum tribus navigiis miſſus, contigui maris ſævitia interpellante, profunditatis habitum excuſſè rimari non potuit. Hic fluvius, ubi lacu emanat, contractiore alveo ſtagnat. Progreſſu verò ſuo ſupra amnis modum latitudinis incrementa ſuſcipiens, eximiam paludem aut facit, aut invenit. Rurſum ubi pelago influit, priſtinæ contractionis menſuram reſumit. Quanquàm verò claſſis regia Abſalonis reditum opperiri deberet, navigationis ardore præcepti oblita, imperio feſtinationi poſthabito, ad idem amnis diverticulum procurrit, ac ſeipſam

proprio

proprio ductu difficillimis alvei locis inseruit. Cujus cum Christophorus terga custodis more postremus tutaretur, insultantibus Sclavorum navigijs haud facilem fluvij ingressum habuit. Quod attentationis genus partim viribus suis, partim sociorum auxiliis propulsavit. Cumq; Rex eodem die Julinensis provinciæ denuò invadendæ consilium agitasset, Absalon concubiâ nocte, opportuna ascensui loca scrutatus, ubi solidiorem fundi situm advertit, illic aut palos fixit, aut harundines ripæ junctas nodis signavit, posteraq; luce easdem indiciorum notas secutus, exponendis equitibus facilem continentis aditum præmonstravit. Qui cum Magnum, Erici filium, diurnæ excursationis, agendæq; prædæ socium haberet, eumq; incautius evagantem ab hostibus propè interceptum audiret, quanquàm à Rege, vicorum incendiis insistente, revertendi imperium accepisset, charitatem obedientiæ prætulit, Magnumq; partim navali, partim equestri hostium militiâ, arctissimo in loco conclusum, evestigio concitato agmine superveniens, imminentis exitii periculo liberavit. Nec ingratus auxilij Magnus, salutem suam se ei debere confessus est. Ad hæc ingentes servatori grates exsolvit, seq; etiam spiritum suum, si necesse foret, ejus saluti impensurum promisit. Verum Absalon memor hanc opem à se latam adversum Regis imperium esse, ne tristiorem ejus vultum experiretur, gratiam, quam contemptu læserat, prædæ objectu recuperare constituit. Igitur pecorum ordines præ se agi, captivosque in castra præcedere jussit, eoq; aspectu permulsos Regis oculos in adventum suum sereniores effecit. Is namq; cognitis Absolonis operibus, spolijsq; conspectis, iram, quam contemptui inflixit, virtuti remisit, eumq; levi reprehensionis genere venientem excipere contentus fuit. Repetitâ classe anceps educendæ ejus consilium fuit. Alij siquidem medias faucium angustias, ad commodum navigationis, ligonibus patefaciendas, strictasq; fluvij partes fossorum operâ ampliandas censebant. Sed quia manifestum erat, futurum, ut arenis maritimo æstu appulsis fossa obstrueretur, opus attentatum non est. Alij naves, subjectis trabibus, communi vi in portum pertrahendas duxêre, equitatu utrinq; ripas tuente. Rugianis solis sex parvulas rates hac arte educere contigit, cæteras vero oneribus admodum impeditas desiungi quàm abstrahi facilius fuit. Igitur cum nostri infinito procedendi ardore aliquamdiu fauces frustra tentassent, revocante Rege, ægrè cœpto cesserunt. Tanto omnes (Absalonem excipio) hoc exitu utendi aviditas stimulabat. Is namque explorato amne, faucium profunditatem navigiis inaccessam fore compererat. Interea Kazymarus imperitâ nostrorum secessione gavisus, claudendi amnis gratiâ, quinquaginta navium classem ejus principio obijciebat, ratus nihil hostium fortunæ præter mortem aut captionem residui fore. Insignes ei sagittarij Konon & Cirinus fuêre, ab Henrico, in Sclavorum auxilium, Danorum odio, missi. Bugiszlavus quoq; cum equestribus copijs superveniens, navigijs in supplementum fratri transmissis, Julinenses, quòd cum nostris acie non conflixerint, ignaviam eis objectando contempsit. Quæ res adeò Jutensium animos metu confecit, ut Absolonem veluti concione circumdatum palàm convitijs aggredi deforme non ducerent, ejus ductui imputantes, quod propriæ festinationis impulsu commiserant. Quin etiam muliebriter & quasi per lamentum queri cœperunt, olim Regum consilia ad illustrium virorum arbitrium pependisse, nunc in stolidissimi cujusq; monitis sententiaq; consistere. Enimverò Danis eò loci perventum esse, unde reditus spes præsumenda non sit. Quamobrem pauca navigia, quibus Rex ac Principes dilabi possent, publico conamine extrahi oportere, ne Danorum vires ac nomen uno temporis momento funditus collaberentur. Quam insectationem Absalon adeò patienter ac moderate tulit, ut nihil ex consueto mentis aut vultus habitu deponere videretur. Idq; solum monere contentus fuit, ut eas tantum ad præsens voces

VVALDEMARUS I.

voces profunderent, quarum in futuro meminiſſe non pudeat. Huic fortè obtrectationi Scofro Waggnonis filius interveniens, primum ob confuſas populi voces, cujusnam rei mentio haberetur, liquidò exaudire non potuit. At ubi ceſſante jurgio, remiſſoq; ſtrepitu, Abſalonem maledico aſtantium ſermone lacerari cognovit, Deſipitis, inquit, commilitones, pijſſimi ac valentiſſimi viri induſtriam, tanquam ſcelus aliquod aut flagitium, obſcœnâ verborum petulantiâ proculcando, ignavasq; & indignas fortibus voces in ejus convitium muliebriter jaciendo. Neq; enim ſtrenuam ac fortem operam iniquâ æſtimatione penſare fas eſt. Ipſo ſiquidem ductore eas terrarum partes armis luſtravimus, quas ne aſpicere quidem majoribus noſtris contigit. Et ſanè principibus ducandi, militibus ſequendi jus competit. Ergò nos proprijs niti, alienis verò imperijs regi convenit. Neque enim ab eodem & defendi & ductari debemus. Quapropter nos illi grates habere par eſt, qui fortunas ſuas toties pro noſtra præda victoriaq; devovit, cujusq; nunc fortiſſimo ductu eò neceſſitatis pervenimus, ut ſalutem armis protegere debeamus. Jam enim patriam ac penates affectantibus, ante hoſtium oculos conſpicuum virtutis opus edere neceſſe eſt, reditumq; probitatis actibus impetrare. Has autem populi noſtri querelas, à ſumma animorum trepidatione profectas quis dubitet? Sed prô dolor, quid cauſæ eſt, quòd tot illuſtrium virorum præcordia tam repentè fiducia defecit, ignavia occupavit? Quid nobiſmetipſis nullo concutiente, metum parimus, abjectaq; ſpe ſine periculo trepidamus? Corporibus integri ſumus, neq; nexus, neq; plagas experti. Dextris enſes geſtamus, nihilq; robori noſtro inopia aut clades detraxit. Agè, tantam fortunæ incolumitatem virili mentium robore proſequamur. Meminerimus nos viros exercitatos, non imbelles fœminas eſſe, & inter penè inermes hoſtes, ſumma cum armatura verſari. Certè ſi claſſis noſtra aut naufragio aut incendio periſſet, nihil impedimenti eſſet, quò minus per medios hoſtes patriam equis repeteremus. Mittite ergo trepidas ignavasq; voces muliebriter auribus tantæ concionis inſerere, exſurgentesq; animis, hebetatos fortitudinis nervos priſtinâ virtutis fiduciâ recreate. Talibus aliquandiu monitis inſiſtens, potius obtrectantium ora cohibuit, quàm animos correxit, depreſſitq; jurgium exhortantis autoritas, quòd ei ſumma pietas ac præcipua fortitudo maximam ſociorum gratiam conciliaverat. Interea Kazimarus claſſis noſtræ potiendæ ſpe admodum incitatus, ſimulandæ fiduciæ gratia, tentorio in ripâ defixo, aureis argenteisque poculis ſibi ac militibus merum propinari conſtituit. Cujus inſolentiæ faſtum, fugatus poſtmodum rubore mutavit. Interea Waldemarus principes à claſſis pertractatione revocatos curatis corporibus ad ſe coire jubet. Quos cùm intra navigium ſuum frequentes adeſſe cognoſceret, quid factu potiſſimum ducant, inquirit. Quibus reſponſum non dantibus, taciturnitatem miratus, cauſam ejus exponi præcepit. Tunc quidam, hæſitantibus cæteris, pueros ei in conſilium adhibendos dicebat, quorum præcipuè monitus ſectari ſoleat, ut quos duces elegerat, etiam reduces habeat. Qua voce Waldemarus Abſalonis ſibi familiaritatem exprobrari cognoſcens, non moris eſſe, inquit, fortes viros invicem ſe muliebriter reprehendere, quin potius, ubi publicæ neceſſitati conſulitur, privatas lites faceſſere oportere. Sed neq; hominem, qui ab ipſis imperitiæ damnetur, ſi conſultus fuerit, reſponſionis ignorantiâ ſilentium acturum. Intuensq; Abſalonem, quid ſuadeat, rogat. Ille conſilium in expedito eſſe, cum eo Regi libitum foret uti, pronunciat. Quæ enim aliis impedimenta atq; obſtacula videantur, diſpulſu facilia fore, neq; aut navium objectum, aut equitum incurſum morari poſſe, quo minus ea parte egreſſus pateat, qua aditus fuerat. Regem quippe expoſitis in continentem equitibus, protegendæ claſſis gratiâ, ad ipſas fauces ſecedere debere, eoq; navigia nonnulla loricatis remigibus inſtructa

VVALDEMARUS I.

structa cæteris singulatim præire,& classem hostilem,cum primum frequentium comitatus affuisset, irrumpere. Ridentibus cunctis, & an ipse prævius fore vellet, percontantibus, volo,inquit, ne fortius dixisse videar quàm fecisse. Etenim audacium consiliorum autores,quod ore suadent, manu prosequi convenit. Delectatus consilio Rex, Absaloni naves, remigesq;, quos posceret, expediri præcepit,ac protinus ripam stipatis equitibus petens ad amnis principium properavit. Quo Kazymarus eminus adventare conspecto,relicto ocyus tabernaculo, ad classem trepido cursu se retulit. Septena delectu habito navigia procurantur, eademq; loricato remige exornantur. E quibus bina Absalonis fuêre, totidemq; Esbernus ac Suno ductabant. Reliquis tribus Thorbernus,& Olauus, & Petrus Thorstani filius præerant. Cumq; Absalon, cætera classe seriatim subsequi jussâ, navigio primus incederet, ignotum amnis diverticulum infenso navigationis compendio penetravit: cujus reliqua navis gubernantis errore subitò vadis insedit. Sed hunc deviæ navigationis excessum, detrusâ arenis puppe, remigum velocitas correxit, statimq; barbara classis ceu ventis correpta passim dilabitur. Cujus fugam Dani magnis ac lætis vocibus insecuti, discissum saxi vinculum effuso clamoris gaudio, prædicabant,deq; accusatoribus Absalonis veneratores effecti, ingenti gratia ipsi relata, contumeliam laudibus redemerunt. Sed & ejus animus moderationis & constantiæ viribus præditus, mobilis vulgi adulatione extolli parvi habuit: tantumq; se in despiciendis laudibus gessit, quantum in contemnendis vituperijs egerat. Tantulo negotio tam ingens periculum dispulsum est. Bina Sclavica navigia remigum metu deserta, apud Criztoam à nostris excepta sunt. Tertium substantibus aquæ palis affixum, sociorum succursu servatum est. Cumq; Rex citatis equis Julinum petisset, Bugiszlavus circa pontis refectionem ineundæ urbis studio occupatus,conspectis Danis,operam fugâ mutavit. Adeò illum subita animi trepidatio pristinæ dictorum suorum insolentiæ oblivisci coëgerat. At Rex confestim refecto ponte, tanquam hostium opera consummaturus, in australem ripam equites trajecit, quò facilior exoneratæ classi inter amnis consepta progressus pateret. Quò postquam Absalon subsequenter navigia ductando pervenit, nè eadem Julinenses, ut soliti erant, incesserent,instructam sagittarijs scapham conscendit, eamq; medio inter urbem & classem amne direxit. Verum oppidani nimio timoris haustu perculsi, anxia cum desperatione, totius militaris fiduciæ vacui, mœnibus suis inclusi latebant. Pertransitis impedimentis, navigijs equi redduntur, defessaq; remigio classis in portum colligitur. Cumq; Absalon ac Suno consueto excubandi officio postremum fixis anchoris locum cepissent, veriti nè eorum navigia, vento circumferente, solo propius adacta, nocturnæ eqvitum irruptioni paterent, conscensis naviculis, quantum ripa à profundo distaret, curiosâ amnis collustratione explorare cœperunt. Interea quidam è Julinensibus mero solutus, sed venustâ admodum clientelâ stipatus, ripam insolentius obequitando petivit, benigneq; eis, Guthscalco interprete, locutus, atque obsides pacis postero die dandos pollicitus, reliquijs rerum parci, prædaque abstineri poposcit. Quo discedere volente, eqvus insolentiùs ab eo per jactantiam concitatus subito lapsu corruit, eumq́ue vehementi ictu humo inflictum, penè exanimem prostravit. Hunc satellites veloci accursu jacentem attollere frustrà conati sunt: quippe cujus sensus halitu intercluso magnitudine casus sopiti viderentur, nostrorum verò sagittis petiti capiendum hosti herum liquerunt. Qui protinus à vernulis Absalonis in scapham conjectus, ad Liburnam defertur, ubi visu demum motuq; corporis recuperato inter suos se constitutum existimans, assidentes osculo amplexuq; petebat. Quo errore risum spectantibus suscitavit. Interea rumor falso dispersus exercitum subit, hostes impediendi exitus

studio

[VVALDEMARUS I.]

studio Svvynensia ostia crebris occupasse navigijs. Cujus opinionis fidem idem Barbarus rumorem falsitatis arguendo levavit, præfatus excussum sibi exploratumq; fore, Sclavicum robur Danico adæquari non posse. Quod si Pomeranorum vires Polonensibus sociatæ, ferro cum Danis decernere debuissent, malle se tutiusq; posse Danicas partes quàm adversas fovere. Cæterùm si Polonis ac Sclavis contra Danos dimicaturis etiam Saxonica accessissent auxilia, nescire se quam partem victoriæ propiorem esset auguraturus. Qua asseveratione, nostros ad capessendam cum hostium contemptu navigationem, alacriores effecit. Tanta autem timoris vis Sclavorum animos hebetaverat, ut ne extremos quidem, sicut olim consveverant, incessere tutum ducerent. Petrus quoq; cognomento Toddo, cum navigium suum palis illisum rupisset, ejusq; reficiendi causa abeuntem sociorum classem relinqueret, tempus reparationi impensum, ut solitarius, ita omnis periculi immunis exegit, refectaq; puppe subsecutus socios, nemine lacessente per tutam & liberam navigationem ad classem pervenit. Adeo Sclavorum petulantiam, pristini metus reliquiæ castigabant. Ergo inconcussus peractæ expeditionis reditus fuit. Residuum anni otio tributum est.

[Libri XIV. sectio Quinta.] Interea Kazimarus & Bugislavus Danicarum virium metu Henrico se subdunt, regnumq; suum hucusq; liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo dum ex hostibus alterum metuunt, alterius jugum sumpserunt, auxiliumq; petendo antiquæ libertatis beneficium amiserunt. Sed Waldemarus Saxonicam opem frustra à Sclavis petitam judicans, utroq; hoste contempto, cum instructa classe Stetinum veterrimum Pomeraniæ oppidum petit. Hujus navigationis præcessor Absalon, benigni erga Stetinenses animi ductorem habebat. Cujus fraude per Oddoræ amnis dispendia abductus, cæteris rectam & compendiariam navigationem sequentibus, mutato ordine postremus ad urbem pervenit. Est autem Stetinum eminentis valli sublimitate conspicuum; insuper natura arteq; æqualiter munitum, ut inexpugnabile penè existimari possit. Hinc mos proverbij sumptus; eos qui se tutos inaniter jactant, Stetini præsidio non defendi. Hujus tamen urbis expugnationem Dani spe viribus majore complexi, cum materiam ejus partim incendij capacem animadverterent, constructas virgis crates admodum breves, ob jacula vitanda, velut scuta præ se gestabant, ijsdemq; freti ligonibus aggerem petere cœperunt, tutius intra cuniculorum latebras ignem sparsuri. Rex interim oppugnationem orsus, muralibus machinis omissis, coronam admovit. Solis sagittarijs ac funditoribus excelsa mœnium propugnacula appetere possibile fuit, aditum fastigio negante. Fuere tamen ex juvenibus, qui gloriæ studio summa mœnium clypeis tantum protecti conscenderent. Alij contiguas solo portas, contemptis propugnatoribus, cominus securibus tentant, minusq; eis quàm procul agentibus periculi fuit, quod tanta telorum vis in hostes undiq; congerebatur, ut ab ijs non nisi remotiores cerni impetiq; possent. Quo evenit, ut audacia salutem, ignavia discrimen afferret, tutioresq; propinquitas quàm remotio præstaret. E contrario Danorum armis non magis propugnatores ipsi, quàm cæteri intra urbem populares opprimebantur, ancipiti jactu valli consepta transcendentibus telis. Nulla res oppido magis adversum oppugnantium multitudinem, quàm defensorum paucitas nocuit, utpote quorum bellicus labor successionis auxilium non habebat. Præfectus urbis Warthyslavus erat, qui & ipse Bugislavo & Kazimaro sangvine contiguus habebatur. Hujus animus nihil penè cum civium ingenijs commune sortitus, tanto amplificandæ exornandæq; religionis studio flagrabat, ut Sclavico sangvine editum, barbarisq; moribus imbutum negares. Siquidem ut patriam superstitioni deditam ab errore

cultus revocaret, exemplumq; ei corrigendæ credulitatis proponeret, monachalis vitæ viris è Dania adſcitis, in latifundio ſuo cellam exſtruxit, eamq; multis & magnis ſtipendijs locupletavit. Qui cum laſſatis pugna ſocijs urbem captioni propinquam animadverteret, hoſtium ſævitiam veritus, offerendæ deditionis gratia, pacem petivit, acceptaq; fide, protinus à pavoris conſortibus funiculo ſubmiſſus, regia caſtra petere non dubitavit. Quo viſo, Danorum populus langvidius pugnam exercuit, periculis ſuis Regi pecuniam emi, ſeq; ejus cupiditate victoriâ pariter ac præda fraudari conqueſtus. Quo Rex animadverſo, demendæ notæ cupidine urbem equo circuiens, milites ad inſiſtendum hortari cœpit. Poſtquàm multo labore edito caſſam ac difficilem oppugnationem aſpexit, reverſus in caſtra, Wartiſzlavum admittit. Cujus precibus motus dedendi poteſtatem oppidanis indulſit, pecuniamq;, quantam ægrè univerſa Sclavia exſolvere poſſet, cum obſidibus pactus, ſtatuit ut urbem Wartiſzlavus à ſe in beneficium receptam tanquam regium munus, conſortio Sclavicæ dominationis eriperet. Igitur revocatis ab oppugnatione militibus, neq; capi urbem neq; diripi paſſus, ſignum ſuum propugnaculis affigi præcepit, receptæ deditionis indicia præbiturum. Illic cernere erat vallum, ab imo in ſummum, ita ſagittis undiq; conſitum, ut arundine concretum putaretur. Quas noſtri ingenti ſtudio lectas pharetris reddiderunt. Poſt hæc navigationem remenſi, capto Lyubino Rugiam revehuntur: & quoniam Rugianæ piſcationis tempus ſupervenerat, in commune conſultum eſt, eò loci tertiâ totius claſſis parte excubias ordinari, ne publicis alimentis petendis hoſtilis viciniæ metus officeret. Huic manui Kanutus Priſzlavi filius à Rege præeſſe juſſus, deformiter imperio repugnavit, præfatus ſe nihil præter anguſtos Lalandiæ fines in Dania poſſidere, eosq; tanti non eſſe, ut pro ijs tuendis ſeipſum indubitato periculo objicere cupiat. Cæterum id negotij juſtiùs ad Pontifices, quos ſolos Rex arbitros habeat, pertinere, tantoq; indigniùs ad ſe referri, quantò remotiorem à Regis familiaritate gradum obtineat. Tam impudenti juvenis reſponſo percitus Waldemarus, exigua illum beneficia, quòd exiguis dignus ſit, accepiſſe reſpondit, de cætero, ſe efficiente, ſpoliandum magis honoribus quàm beandum. Sed nec eum Pontificum familiaritatem inter probra ducere oportere, è quorum numero reperire facile ſit, qui præſens negotium ſuo ductu finire non abnuat. Ita Kanuto imperium detrectante Abſalonem accerſit, eiq; Kanuti reſponſionem exponit. Deinde an naves, quibus ipſum præeſſe oporteat, inſtruxiſſet, perquirit. Contrà Abſalon interrogato, an ea res Pontificum opera abſolvi poſſet, ſuam cupidius offert, prædicando conſentaneum deſertioni opus fore, Regem periculis relictum, reditum affectando, dimittere. Quem Waldemarus ob reſponſi virtutem impenſioribus verbis laudatum, Kanuti moribus diſſimilem prædicabat, quod ille imperio parere non audeat, hic juſſum ultronea ſuimet oblatione præcurrat. Regreſſus à Rege Abſalon, amicis è Sialandia denuntiat, ne eò torpidius remanſuras naves inſtruant, quòd ab ipſo ductari regiq; debeant. Primus Thorbernus incunctanter ſe comitem ejus futurum reſpondit, cujus ſuccurſu quondam patriam exuli ſibi redditam eſſe meminerit. Petrus quoq; Thorſtani filius non ſine magno rubore eum à ſe deſeri poſſe, quem & neceſſitudinis & matrimonij affinitate contingeret, prædicabat. Cujus comitandi Suno non minus ſibi quàm ipſis debitum incumbere profeſſus eſt, quod ei intima junctus propinquitate noſcatur. Esbernus quem ſolum fratrem habebat, comitatu ſuo orbandum negabat. In hunc modum tota penè Sialandenſium claſſis condixit. Quo cognito Rex non ſolum ipſis, ſed & Abſaloni grates habuit, qui ſibi

ibi tam propensum civium favorem, virtutis meritis peperisset. Igitur Absalon post Regis discessum ad tuendos Rugiæ fines relictus, non tam tutam incolis evagationem, quàm securam ipsi Daniæ quietem præstitit, Pomeranorum classe patriæ terminis excedere non audente. Huic Sveno Arusiensis cum aliquanta Jutensium manu voluntarius operum comes ac socius fuit.

Eo tempore princeps Rugiæ Tetyszlavus cum Jarimaro fratre superveniens, gratijs Absaloni actis, cum ei, cum cæteræ classi suffecturos excubijs commeatus benignissimè præstitit, eisq; inter navigia dividendis, industrios ex nostris viros præfici postulavit. Sed Jutis allata passim & sine distributione rapientibus, Absalon hac munificentia ulterius uti noluit, excepto, quòd halec è captura sibi deferri constituit, ne obsequium injuria rependeretur. Inde domum repetiturus, apud insulam Thynnam, sequacem Jutorum classem dimittit. Quorum incautior pars dum Australia Fioniæ latera prætervehitur, apud urbem à Kanuto Priszlavi filio conditam, piratis obvijs, terrestri sibi fuga consuluit, navesq; suas metu deserere, pudori non duxit. Qua fama accensus Absalon contracta ocyus classe, magno scrutandi studio, loca, quæ maxime piratis familiaria noverat, indagabat. Igitur opacos insularum anfractus, & abstrusos maris angulos assiduâ navigatione rimatus, miseras captarum navium reliquias, tristiaq; prædæ vestigia repperit. Quarum inventu ultionis avidior redditus, divisâ classe separatim lustrationis officium peragi jussit: ipse ad insulam Masnetam cum potiore Sialandensium classe concessit. Jamq; præviæ navigationis excursu sociæ classis conspectu excesserat, cum forte quidam in destinato consistens littore, crebra pilei ventilatione colloquium ejus expetere videbatur. Quem magnæ rei nuntium arbitratus, incognita ex eo cognoscendi cupidine, velo posito terram cimba petivit. Agnitiq; eminus hominis fidem prima voce damnavit, quod egressæ nuper à Sclavis piraticæ parum eo præscius fuerat. Is namq; bissenas nummum libras annuatim mercedis loco pactus, quoties quatuor pluresve piratici myoparones Daniam petere statuissent, indicia ad Absalonem se delaturum promiserat. Cujus non alia salvandi promissi ratio extitit, quàm quòd ante pactionem secum initam piratas profectos asseruit. Idem Absalonem, quorsum tenderet, percontatus, ut comperit domos repetere velle, tunc deniq; expeditionem ab eo solvi, cum inchoari debuerat, astruebat. Jam quippe à Sclavis adversum Daniam ingentem classem esse contractam. Quod ut cognitum sibi compertumq; fore, ita ambiguum extare, quisnam Daniæ partes hoc paratu petere destinaverit. Æstuante Absalone, & quò se hostes effusuri essent, prædiscere cupiente, explorationem promittit, præquisito, quò nuntium referre debeat. Absalon promontorium Mønense designat, rogatq; tempus, quo obvium mittere debeat? Ille diem sextum definit. Nec diutulè moratus abscedit, priusq; conspectum fefellerat, quàm comes Absalonis classis appelleret. Nostrorum siquidem præsentiam perosus repente dilabi curæ habuit, ne re comperta proditi civium consilij, morte aut exilio lueret. Nec rem Absalon tacitè habuit. Siquidem acceptum nuntium venienti sociorum classi, suppresso autoris vocabulo, publicavit, præfatus tunc à se domos repeti, cum classem exeri satius foret. Ignaris cunctis quonam id autore compertum haberet, tantamq; ejus præscientiam admirantibus: bifariam optione divisa deliberare eos jubet, aucta classe, an contracto equitatu, venturum hostem repellere mallent. Quod si neutrum probent, vel littorum incolas, quò minus piratarum sævitiæ pateant, proprijs relictis, tutioribus recipi locis jubeant. Igitur magnates concordi sententiarum voto neq; incertam hostium appulsionem equitatu

VVALDEMARUS I.

equitatu excipere promptum, neq; littorale vulgus ad interiora reijcere speciosum ducentes, navaliter confligendum decernunt. Igitur portubus augendæ classis gratia repetitis, remiges velata navigia dimittere jussi, passim ad petendos alterius expeditionis commeatus discurrere cœperunt. Absalon ob nonnulla negotia Roskildiam proficiscitur. Quem inde revertentem hybernum subito frigus excepit. Cujus tanta vis fuit, ut etiam aquas repente crustaret. Cumq; Sialandensium populares contractis alimentis, onustos commeatibus currus navigia repetendo ductarent, tanta glacialis luti moles rotarum orbes implicuit, ut prorsus gyrare non possent. Quippe pertinax gelu veluti glutino quodam lignis limum astrinxerat. Quo evenit, ut curruum rectores, ijsdem relictis, jumenta oneribus subderent, ipsiq; pedestrium ductorum officia subirent. Quorum ocreas gelatæ sordium tabes supra quàm tibiæ ferre poterant, onerabant. Hos cum Absalon equo præteriens miseratorijs verbis prosequeretur, duraq; pro patria perpeti prædicaret, responderunt majoris ærumnæ esse, captivum piraticis in transtris considere, plusq; se ex præsenti labore voluptatis quàm amaritudinis capere. Igitur expeditionem orsus, cum propè Mønam venisset, obvium accipit, quem nuper ad ejusdem insulæ promontorium, novarum rerum ex Sclaviâ cognoscendarum causâ, transmiserat. Illic accepit classem Sclavicam Svvaldensi in portu morantem, petendæ Mønæ propositum gerere, in australi ipsius littore equites, pedites in septentrionali edituram, navigia verò Kyalbyensis sinus anfractibus immissuram. Quam idcirco copias spargendas duxisse, ne incolis ullus fugæ locus admitteretur. Quo comperto, optimum arbitratus est, tranquillo navigationis genere Coztam petere: nec prius ab ea divertere, quàm classis hostica seipsam ex consulto prædicti sinus angustijs infudisset. Cui si inopinatè supervenire nequeat, reliquas hostium copias occupatu facilimas autumabat, quibus nullus absq; navigijs reditus pateat. Sclavis segnius agentibus, dilationem miratus, Falstriam petit, ibiq; è tota classe bina navigia legit, quibus hostium actus speculari præcepit. Horum alterum Sialandensibus, alterum Falstrensibus instruere jussum, statuto, ut si eadem ab hoste capi contigisset, reliquæ classis impensis redemptio taxaretur. Quod audiens, qui à Sialandensibus in alterius navigij regimen adscitus fuerat, operam se daturum asseverebat, ne redemptionis beneficium captivitatis injuria pacisci necesse habeat. Quod non ignaviæ causâ officium detrectando, sed vigilantis industriæ fiducia securitatem præsumendo astruxit. Verùm Absalone Coztam regresso, Guemmerus quidam, convivio Falstrensibus præbito, navem quæ speculandi gratia ab eis expediri debuerat, epularum dulcedine retentabat. Siquidem humanitatis specie fraudem occultans, omnium sobrietatem eximio potionis onere fatigatam, ad salutare Absalonis imperium exequendum, lentam nimis inhabilemq; reddiderat. Is Guemmerus nimia Sclavorum familiaritate corruptus, nostræ gentis consilia latenter eis prodere consveverat. Eodem quoque tempore Sialandensium classem corpore magis quàm animo secutus fuerat. Ad cujus penates Sclavi, jam portu Svvaldensi petendæ Falstriæ proposito egressi, præmittunt, qui ipsum super Danorum negotijs secretius percontentur. Tunc verò Guemmerus ab Absalone in classem vocatus, patriæ excubias specie, re vera insidias exhibebat. Qua de re nuntij per ejus domesticos certiores effecti, maturè suis, quæ acceperant, indicant. Ea res Sclavicæ classis cœptum propositumq; frustrata est. Itaque cæteris rebus omissis, ad sinum, quem Viridem vocant, appellere contenti fuere. In cujus littore crucem religiosa ab incolis cura constructam excidere adorsi sunt, insigni stipitis ruina

VVALDEMARUS I.

ruina majorem piraticæ gloriam habituri. Cujus sacrilegæ temeritatis supplicia postmodum turpissima fuga, tristissimoq; naufragio pependerunt. Falstrensibus quoq; hesterno mero saucijs supervenissent, ni Sialandicus speculator inter remos ægrè delapsus, ebrijs somnum clamore dempsisset. Per quem Absalon cognito hostium occursu, noctu Inguarum & Olavum probatæ solertiæ viros levibus navigijs ex insula Boka ad speculandum eorum consilium dirigit. Quibus profectis, eorundem reditum præstolare non passus, abscessum prosequi statuit, præcurrendos potius quàm imitandos existimans, ne longâ nuntij expectatione cuncta tardius exequeretur. Meminerat siquidem moris esse Sclavis exercitum ducturis, antelucanos amare procursus, rebusq; celeriter confectis, festinis studere regressibus. Quos ne tardius aggrederetur, remigium maturius instruit, unà speculatoris ac ducis partes acturus. Quem Sclavi diluculo conspicati, adventanti cunctas navium suarum puppes opponunt, proris in altum aversis, perinde ac fugæ non prælio consulturi. At ubi Sialandensium signum enituit, vehementi remorum conatu parem fugam intendunt, corpore viros, animo fœminas exhibentes. Nec ægrè Absalon fugientibus institit. A quorum insecutione coorta subitò tempestate prohibitus, Falstriam repetivit. Tanta autem undarum colluvio fuit, ut navium quævis in aliam jactaretur, nec collisioni levi operâ succurri poterat, periculo omnes æquè pulsante: perissentq; nostri, nisi tempestati cedere maturavissent. Igitur Sclavi cum remigio adversum undarum sævitiam eluctari nequirent, veloq; sibi consulere vellent, tempestatis magnitudine eversis navigijs mergebantur. Quorum periclitationis certissimum indicium crebra piraticarum navium fragmenta regionis nostræ littoribus appulsa dedere. Bina ex ijs navigia remigum virtute à fluctibus defensa, in Jarimarum Rugiæ principem inciderunt, qui postmodum alterum ex ijs Absaloni præmij nomine transmisit, utriusq; captionem ipsius negotio imputans. Solennis hic dies Nicolai nomine erat: cujus auspicijs effectum est, ut Sclavorum excercitus ad hoc usq; tempus Daniam hostiliter petere ausus non fuerit. Jamq; nostros reditum intendentes (ut hyeme fieri assolet) repentinum gelu conclusit. Quod tantæ violentiæ erat, ut ipsam sinus, in quo pernoctabant, superficiem enata subitò glacies occuparet. Huic tanta soliditas inerat, ut spissitudinem ejus unico ictu transverberare non posses. Cumq; eximia glaciei moles portu egressuris obsisteret, industriâ provisum est, ut unius navis præcessu cæterarum insecutio expediretur. Sed nec una quævis præeundi officio diutulè fungi poterat, quòd partes carinarum extrinsecæ glacialium crustularum acumine perinde ac ferri impressione exederentur. Quam ob rem præcessionis vices inter navigia æquo ordine dividi curatum est. Ita demum per maritimos anfractus navigatione protracta, in apertum pelagus perventum est, indeq; ad propria cuiq; remeatum. Jamq; Absalon temporum supputatione habita, universas præsentis anni partes, ternis mensibus exceptis, piratico labore emensus fuerat.

Postera æstate apud Eydoram inter Henricum & Regem communium negotiorum agitatio, contractis utriusq; provinciæ principibus habebatur. Vere reddito, Christophoro solis præfecturæ suæ viribus succincto, prospera adversum Brammeseos expeditio fuit. Quâ peractâ, alia protinus regalibus jussis instruitur. Hanc Absalon & Christophorus ducum nomine prosecuti, primi Masnetam venêre. Qui cum, Rege tardius agente, rursum Brammeseos aggredi statuissent, advehitur Eskillus insigni Scaniensium classe stipatus. Hic nuper Hierosolymâ regressus, barbam admodum immissam longinquæ peregrinationis testem gerebat. Igitur Absalon si quid

clam tanto viro experiretur, vitio sibi vertendum existimans, per Esbernum ei, quid cupiat, indicat. Ille studio Absalonis impensiùs laudato, orat socium se propositi habeat, canitiemq; suam juvenilia quandoq; expetiri permittat. Nec segniter promptissimis Scaniensium delectis, Absalonem secutus, communi navigatione appulit Lalandiam. Illic nostris obviæ septem Rugianorum rates fuêre. Unde cum noctu solvissent, erroris metu peritum navigationis ex Absalone deposcit. Quo recepto, prospero cursu destinati portus compendium assecutus est. Absalonem verò noctis opacitas aliquantis navigationis excessibus errabundum effecit. Sed nec Sialandenses erroris prorsus expertes reliquit. Par ignorantia Rugiana quoq; navigia fefellit, & fortè in eum locum inciderant, prope quem Brammesiorum classis piraticam actura coierat. Cujus rei inscij Rugiani, cùm primùm lux affuit, nostrorum se copijs inserunt, paremq; cum ipsis militiam auspicantur, paucis ad navium præsidia relictis. Quas Brammesij conspectui subjectas, dilapsis metu custodibus, populantur. Nec præda spolijsq; contenti, bina ex ijs navigia præstantioris fabricæ visa, secum abducunt. Quæ cum prohibentibus Sialandicæ classis custodibus ulterius amovere non possent, ferro pertusa merserunt. Unicam hæc provincia urbem habebat, quæ à Danis rebus vacua reperta est, incolis eidem defensionem suam credere non audentibus. Cujus desertioni partim defensorum, partim valli inopia causam præbuit. Antiquam incolæ vocitabant. Qui mœnium suorum diffidentiâ, cum conjugibus ac liberis, ad ecclesiam extra vallum sitam certatim se contulerant, religionis quàm belli præsidio tutiores futuri, pacisq; domicilio periculum vitaturi. Sed nec quisquam è nostris ad eorum bona manus porrigere ausus est, nè prædandi libido sacrilegio implicaretur: quanquam in sacra æde iniquas opes attentare nefas non esset. Neq; enim religionis autoritas, ejus detractorib. auxilio obtentuiq; fore debuerat. Jamq; militante Absalone, Eskillus nequid consvetæ religionis omitteret, primam sacris operam exhibebat. Cujus animo tantus hostium contemptus incesserat, ut in exercitu toga non armis uteretur. Interea Hurna quidam & Marquardus, quem Adolfus Holsatiæ præfectus filio moriens tutorem reliquerat, Danorum copijs superbo sermone contemptis, ingentem Sclavorum, Saxonumq; manum contraxerant. Fortè autem nostris, intermisso obequitandi labore, respirandi gratiâ aliquantisper humi cubantibus, Eskillus adeò se ætatis magnitudine contusum confractumq; asseverabat, ut ne eqvum quidem sine adjutore conscendere posset. At ubi hostes in conspectum venêre, quovis juvene ocyor eqvum insiluit, ita ut corporis ejus robur nulla ex parte quassatum putares. Adeò virtus ætati imperat. Itaq; qui dictis senectutem causatus fuerat, hanc postmodum factis juventam redolentibus decorabat, quem in hanc virtutis dissimulationem nihil præter virtutem adduxit. Eodem forte tempore ex nostris manus parvula, prædæ dulcedine, à cæteris digressa, cum hostes militum numero superiores, & fugâ vitare deforme duceret, & pugna aggredi non auderet, inter metum pudoremq; defixa, sociorum præstolabatur adventum. Inter quam & reliquas nostri exercitus copias palustribus aquis medius fluebat, uno tantum vado meabilis, rivus. Quem Absalon, cunctante primipilo, primus equo transgressus, sequentibus superandæ difficultatis compendium præmonstravit. Cujus rei ignari, hostes securius quàm cautius operiebantur, Danicorum equitum adventum editi montis interjectu celante. Igitur qui prius à nostris divulsi fuerant, non expectato sociorum auxilio, quod sibi tam propinqvum cernebant, avidè in hostem procurrunt, nè bellum proprio metu dilatum, aliena virtute expetere viderentur. Quorum Sclavi paucitate contempta, postquam majorem hac aciem, humilioribus locis relictis, montis juga superare conspiciunt, terga vertentes, ab ijs quorum vires summa animi dictiq;

petu-

VVALDEMARUS I.

petulantia lacessiverant, nullo negotio funduntur. Tantum semper ludibrij, insolentiæ exitus afferre consvevit. Tunc quidam ex nostris, quos ex fugientibus occupabant, nuda hastarum parte equis detrudere contenti, ob communem religionem ferro prosternere passi non sunt, ne peremptorum cædes plus percussoris animæ noceret, quàm gloriæ prodesset. Quam injuriam beneficij loco à passis acceptam crediderim. Ingenti deinde præda actâ, tam diu in littore perstatum est, quoad Rugianorum navigia, quæ Brammesij violaverant, reficerentur.

Interea Henrico duce apud Bavaros agente, universi Saxonum Satrapæ, gerendi cum Danis belli cupiditate, quod minimo conficiendum negotio arbitrabantur, insignem viribus exercitum applicabant. Qui in itinere profugis occurrentibus, accipiunt Danos non rusticâ aut ignobili armaturâ, sed operoso ac militari instrumento bella gerere solere, tantæq; in Christianos clementiæ esse, ut fugientes colaphis quàm armis insectari maluerint. Nam aciem suam, cum ab eis capi intercipiq; posset, equis, non spiritu spoliatam; auctorem vero victoriæ solum Sialendensium Antistitem extitisse. Id mirum Satrapis visum. Quorum unus Guncellinus, cujus bellicæ virtutis experientia apud Henricum ducem familiaritatis palmam creaverat, de re præsenti à cæteris consultus, Absaloni in maritimis occurrendum monebat, quod cum unius insulæ manu dimicare magni non sit. Interrogatus ab ijsdem rursum, an cum ipso Rege manum tutò conserere possent: nè id quidem Henrico duci sine periculo audendum respondit. Quo dicto cunctantibus cunctis, Danicæq; virtutis impetum formidantibus, viam se tutioris consilij repperisse subjunxit. Nam cum universæ Danorum vires maritima expeditione confluxerint, si interim Slesvicensium partes hostiliter peterentur, plus dispendij Danos, quàm foris inferant, domi esse passuros. Quo audito Bernardus Razaburgensis in eam provinciam arma se translaturum negabat, quam per Regem beneficij jure possideat. Sed neq; Slesvicensium portas, tametsi Rex extrinsecus agat, adeousq; defensoribus carere, ut plane hosti patere videantur. Nam earum custodiam sexaginta Danorum millibus esse mandatam. Quod audiens Henricus, qui Saxoniæ primatum vicario nomine administrabat, bellum à se Danis temerè parari protestatus est, qui pacis patriæq; charitate flagrantes, propulsandæ magis quàm irrogandæ injuriæ gratia, adversum insolentissimos servos, teterrimosq; latrones Martem inducant. Quos cum innocentes incessere nefas habeatur, tartareas sedes mereri, qui tam justæ gentis cruore manus suas contaminare præsumerent. His monitis decretum remittendæ expeditionis obtinuit, cunctis tam indignum militiæ genus detrectandum censentibus. Igitur Guncellinus, qui bellicæ virtutis operibus apud Henricum excellentem familiaritatis locum meruerat, cum sententiam suam sociorum arbitrio damnatam animadverteret, pacificandum cum nostris ratus, Sunonem poposcit, eoq; compositionis partes plenius exhibente, usq; ad Henrici ducis è Bavaria reditum, belli dilationem obtinuit. Rex deinde Rugiam advectus, Circipœnensem statuit attentare provinciam. Quam dum peteret, eximiam vastæ cœnulentæq; paludis difficultatem offendit. Cujus superficies tenero vestita cespite, graminis quidem ferax, sed vestigij ita impatiens erat, ut plerumq; calcantes obrueret. Nam limo funditus subsidente in luteas voragines, sordidamq; colluviem prolabebantur. Haud aliud progressuris iter patebat. Tunc equites extenuandæ difficultatis vitandæq; lassitudinis gratia, arma sibi detracta equis imponunt, eosq; prævij ductare cœperunt. Quos ut altius cœno obrutos sustentabant, ita cum & ipsi ductando subsiderent, equorum comam amplexi fulciebantur. Rivulos quoq; qui in ea palude crebri admodum discurrebant, nexis virgarum compagibus superant. Tunc vero

VVALDEMARUS I.

insignis quorundam probitas fuit. Nam quidam ex equitibus armis onusti, ductis post se equis, passibus incedebant, agilitatis fiducia onera abjicere recusantes. Quorum factum hoc illustrius, quo insitatius extitit. Sed & equi dum corpus lacunis immersum avidius erigunt, interdum ductores ungulis obruunt. Rex ipse duorum militum humeris innixus, omnibus præter proximam corpori vestem rejectis, ægrè limi mollitiem superat. Raro unquam plus sudoris Danica virtus expendit. Ingentem hostibus peragratæ paludis admiratio stuporem invexit. Neq; illis resistere tutum ducebant, à quibus & ipsam rerum naturam superatam cernebant. Victor tantæ difficultatis exercitus haud secus quàm si hostem fudisset, alacer incedebat. Ingentes deinde sylvas emensus, animadvertit vicum apta navigijs palude circumdatum. Is aquarum natura quàm arte munitior erat, eaq; duntaxat parte vallum habebat, quam pons inter ipsum & continentem porrectus tangebat. Hunc princeps urbis Otimarus prohibendi aditus gratia adventante exercitu, undis illico exæquare curavit, solis stipitum reliquijs inter aquam manentibus. Quas nostri ceu quædam alterius pontis jaciendi fnuetamenta sortiti, propinquæ villæ sepibus applicatis, paulatim intermeandæ paludis compendium moliuntur. Hujus itaq; loci oppugnationem Rex, hortante mœnium inopiâ, aggressus, Absalone cum majore equitatus parte prædatum misso, quæcunq; exædificandi pontis instrumento opportuna animadvertit, summo negotio contrahit. Hujus operis contextum verentes oppidani, contractis undiq; sudibus ligneam turrim instituunt, cujus præsidio hostem tanquam arce vetarent, ejusq; propugnaculis freti, nostros promovendo operi quàm protegendo corpori intentiores, immissis subitò funditoribus incessere cœperunt. Contra Dani sagittis decernere adorsi, quia propius accedere nequibant, rem eminus tentant. Nec minus Otimarus novi pontis progressu territus, stagnum rate transgressus, Regem petebat, ac prout nostrorum operam aut segnem, aut vegetam animadvertit, ita nunc parcius, nunc impensius pacis supplicationes agebat, semperq; pro oppugnationis habitu deditionis verba concipiebat. Tum verò remissior operis executio fuit. Sciebant enim milites, si bellum revocari deberet, pontem à se conseri non oportere. In quem tanta jam armatorum moles concesserat, ut ne locus quidem suppeditandis, quæ structuræ necessaria forent, suppeteret. Adeò vincendi avida multitudo, operandi angustias sibijpsa conscivit. Sed nec aliter allatæ sepium moles, quàm super militum vertices eorundem manibus ductatæ proferri poterant. Nec inutilis ea necessitas fuit, cum sepes in altum libratæ non minus corporibus muniendis proficerent, quàm aquis sternendis prodessent. Eodem exemplo vulneribus saucij referebantur. Tum verò rarior tenuiorq; pontis contextus fiebat, militibus plus ejus incrementis, quàm firmitati studentibus. Et jam penè eundem insulæ commiserant, cum hostes partim arte, partim viribus freti, novo pugnandi genere bellum exaggerant. Siquidem hastatas falces è turri directas, ad militum nostrorum scuta tendebant, eaq; pertinacius apprehensa, præliantibus detrahebant. Obnitentes interdum violentiore tractu ponte excussos profundum petere cogebant. Cui malo nî maturius occursum fuisset, Danorum juventus propemodum scutis vacua occubuisset. Nam ex nostris quidam lignei unci admiculo, injecta sibi falce potitus, eadem cæteras occupando, hostem subsidio spoliabat. Jamq; dies occiduus erat, cum Rex contiguæ noctis metu, quid potissimum ageret, incertus, seram oppidi captionem, futurumq; pontis incendium verebatur. Quis rebus cum se urgeri animadverteret, ne victo similis magno cum ignaviæ rubore ab oppugnatione discederet, ad intuendas Otimari preces paulatim animum deflexit. Quem desperationis errorem Absalon cum ingenti præda superveniens, consilij sagaci-

sagacitate mirè discussit. Siquidem Regem, si se ignaro Otimari votis annueret, execratus, interpretemq; secretius abductum, quæcunque à Barbaro pacificè tractarentur, contrario modo exponere hortatus, armatus in pontem descendit: militesq; eum prohibendæ pugnæ gratia adesse ratos, acrius instare compellit, prædam (si vincerent) eorum juris futuram pollicitus. Grata militibus promissio fuit. Jamq; explicito opere, alacres non solùm telluris aditum, sed & turris fastigium occupant: quam scalis gradibusq; adorti, fundunt obvios, resistentes obtruncant. Tunc Herberthus, eques Danicus, ne pontis angustijs officientibus, ac turba sociorum obstante, tardior superveniret, facilem ad hostes transitum novo irruptionis genere quæsivit. Etenim armorum onere retento, profundo se credidit: quosque gradu non poterat, incredibili nandi virtute præcessit. Quod factum æmulantibus cæteris, teneram pontis compaginem militum concursus repentè subsidere coëgit. Cujus ruina Absalonem quoq; inter alios excussum pessundedit. Qui cum nandi astu calleret, tametsi armis obsitus esset, non solùm inter undas securus emersit, verum etiam alios ejus artis ignaros, ab imminenti periculo tutos præstitit. Interea Sclavi non suppetentibus ad fugam navigijs, dolijs se committere ausi, ijsdem pro rotunditatis habitu circumvolutis ab insequentibus occupantur. Qui nimirum ob inusitatum navigandi genus, ut suis miserabiles, ita nostris ridiculi fuere. Itaq; ludibrio permixta eorum infœlicitas erat. Capto vico trucidantur mares, fœminæ captivantur. Fuère etiam qui Regi capiendi Otimari consilium instillarent: quem ne recentis victoriæ gloriam unius hominis perfida captione corrumperet, inviolatum dimisit, hostiq; parcere, quàm famæ nocere maluit. Cum omni deinde exercitu pristinum iter remensus, prius classem, mox patriam repetivit.

Postera æstate Henricus Bavariâ reversus, apud Eydoram solenne cum Danis colloquium habuit. In quo ob prosperos rerum successus adeò se insolenter ac tumidè egit, ut medium pontis, sicut antè consveverat, visendi Regis causa, transgredi recusaret, ne sibi dignitate præstare, quem peteret, fateretur: immemor prorsus illum paternum avitumq; regimen gerere, sibi alieni imperij præfecturam cessisse. Quam insolentiam Rex adeò patienter ac moderatè tulit, ut in ejus occursum exæquatis pontis spacijs, tanquam par, non major descenderet, honoratiorem se ratus, si cum indignantis viri fastu humilitate certasset. Siquidem præditus mansuetudine animus, celsitudinem suam citra debitam majestati venerationem submittere, quàm alienæ superbiæ exemplo insolescere maluit. Itaq; pace cum Henrico composita, Absalon cùm secus Steffnense promontorium navigationem haberet, levibus saxis & ad jaciendum habilibus in ejus littore lectitatis navigium onerat, usurus eis ad castelli tuitionem, quod in publico negociatorum portu condiderat. Quibus navigio impositis, ad idem castellum postera die pervenit. Ubi cum munditiarum gratia balneis uteretur, animadvertit cujusdam navis è septentrione venientis mentionem foris stantium collocutione crebrescere. Quam ut piraticam intellexit, semiloto corpore vestem poposcit, navemq; quam in portu velatam dimiserat, remigibus lituo contractis, conscensam in altum dirigere curavit. Nicolaus quoq; qui clientelæ ejus & stabuli curam habebat, aliud navigium jampridem rimarum vitio pessundatum, exhausta sentina, ad patientem navigationis habitum celeriter perduxit. Sed Absalon velo, Nicolaus remigio piratas petebat. Qui cum Absalonis navigationem suam superare conspicerent, callidum fugæ commentum amplexi, submisso velo contrariam vento navigationem remigio moliuntur. Id attentantibus, Nicolaus rate obvius fuit. Quam adversa navigatione petentes, mirâ gubernatoris solertiâ fefellère. Nam cum ad ejus penè con-

contactum pervenissent, obliquato remigio in illud navigij sui latus; quod ab hostibus aversum erat, pariter concurrere jussi, reliqui se erigentis oppositu perinde ac muro hostilia, quibus incessebantur, jacula vitavere. Sic hoste eluso diverticulum nacti, callidis navigationis ambagibus recessus petebant. Quas tanta fugæ aviditas ceperat, ut cum ingens telorum vis in eorum navigium effunderetur, etiam manus sagittis trajecti, manentibus spiculis, remigandi officia non omitterent. Adeò illos timoris magnitudo vulnerum molestiam negligere coëgit. Fuere etiam qui undis impensius obluctantes, vitam remigio finirent. Alij telis terga confixi, majorem navigandi, quàm spicula proprijs corporibus avellendi curam præstabant. Adeo illis minorum vulnerum dolorem majorum metus ademerat. Cumq; anceps diu navigationis certamen fuisset, quod ex remigiorum volucritate pendebat, nostris tandem superantibus, occupantur. Tunc quidam ex eis indubitati periculi metu ferrum exspectare non ausi, in undas desiliunt, mortemq; sibi ipsi inferre, quàm ab hoste recipere maluerunt. Itaq; plerumq; timidos unius periculi metus, in aliud præcipites jactare consvevit. Maxima horum pars qui fluctibus abstinuerant, ferro perempta est: quanquam ignobile sociorum fatum comitari nolentibus jure parcendum videretur. Quorum capita corporibus avulsa, propter Absalonicæ urbis mœnia ijsdem stipitibus affixa sunt, qui nuper aliorum piratarum à Sialandensibus captorum cervicibus onusti fuerant. Ea res ingenti prædones pavore confecit. Plurimum siquidem ad extirpanda piratarum latrocinia spectaculi hujus atrocitas valuit. Gubernator ipse cum paucis admodum remigibus captus, cum falsam redemptionis spem animo præsumpsisset, ac fortè putria sociorum capita conspicatus, idem se Danis facturum dixisset, captivitatis supplicijs consumptus est, pœnasq; non solum veteris piraticæ, sed etiam recentium minarum, exitio pependit.

Per idem tempus Esbernus & Wethemannus opportunas patriæ excubias multo navigationis impendio prosecuti, sedulumq; piraticæ opus ingressi, in septem piraticos myoparones quatuor incidêre navigijs. Tunc Mirocus pugil spectatæ audaciæ, fortitudinis suæ motum intra propriæ navis spacia continere non passus, Wethemanni se appetentis navigium virtutis fiducia solitarius insilit, cedentibusq; per ignaviam remigibus, neminem in eo præter Wethemannum rebellem habuit. Quos Esbernus rate præteriens, risu prosequi contentus fuit: neq; aut hostem lædere, aut civem juvare sustinuit, ne pluribus adversum unum opem tulisse videretur. Progressus itaq; Strumicum athletam insignis fortitudinis capit. Sed nec priùs Mirocus ut pedem referret, urgeri poterat, quàm alius navigij superventis viribus arceretur. Cujus respectui tantum venerationis à victoribus tributum est, ut cum captus supplicium mereretur, redemptionem acceperit, potiusq; in eo probitas honorata sit, quàm facinora punita. Ita cum impietati pernicies deberetur, fortitudini salus donata est.

Eodem tempore Eskillus domesticis supra vires negotijs fatigatus, dum quieti intentius consulit, proficiscendi licentia à Rege difficulter extorta, nobile Galliarum cœnobium, quod Claravallis nuncupatur, petivit, ibiq; privati more tranquillam vitam degens, asperum patriæ convictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutavit, jocundiorem rerum usum apud exteros, quàm inter cives habiturus. Per idem quoq; tempus Walogastenses mœnium suorum angustias perosi, contractiora urbis spacia propagare cœperunt. Nec incrementa adjecisse contenti, nova defensionis præsidia excogitabant. Siquidem frequentibus palis circa mœnia defixis, quò minus hostis aditu potiretur, propinqua muris vada claudebant, profundiora fluenti loca, advolutis ingentibus saxis, navigijs

inaccessa redentes. Cæteros quoq; meatus navigationibus opportunos, aut lapidum coagmentis, aut alio impedimentorum genere præstruebant. His obstaculis Rex optato locorum accessu prohibitus, classem postera adversum Sclavos expeditione promotam, Zvinensibus ostijs inserit, Juliniq; vacuas defensoribus ædes incendio adortus, rehabitatæ urbis novitatem iterata penatium strage consumpsit. Nec solum Julini viciniam, sed & confinia Camini, ipso præterito, populatus est, ut factu celerius, ita quoq; hostibus perniciosius ratus, patentem ruris ubertatem diripere, quàm dubia munimentorum claustra pulsare. Nam Julinenses cum urbis suæ recentes ruinas ferendæ obsidioni inhabiles cernerent, perinde ac viribus orbati, deserta patria, præsidium Caminense petiverant, aliena amplexi mœnia, qui propria tueri diffiderent. Ab his demum finibus exercitus noster ad urbis Oznæ solum dirigitur. Cujus mœnibus abstinens viciniam irrumpit, certam agrorum vastationem, incertæ urbium obsidioni præponderare existimans. Sed etiam idem aliquanto satius faciliusq; reputabat persequi dispersos, quàm urgere munitos. Cui postmodum compendiariæ navigationis reditum circumspicienti, in commune provisum est, propinqui fluminis abstrusos reserare secessus. Cujus ostia cum quondam navigantibus pervia fuerint, nunc arenis obfusa, ad pristinum habitum fossa redigi possint. Quam sententiam considerata difficultatis magnitudo quassavit, Rege eximiam obstaculi molem ligonibus penetrari operosum ducente, vetanteq; negocium suscipi, quod plus impensæ quàm utilitatis afferre videretur. Igitur reperito Ozna, tormentisque propter vallum erectis, obsidio fingitur, cujus specie deditio obtineretur. Quam simulationem spernentibus oppidanis, expeditioni finis imponitur. Aliam Rege post Ver posterum exorso, ejusq; opinione finitimos terrente, cum se Sclavi nec proprijs viribus, nec peregrinis auxilijs adversum Danica arma abundare conspicerent, delegatur Priszlavus, qui bellum apud Danos deprecaretur. In quorum præparatam classem incidens, oblatæ pecuniæ captione non solum profectionem prohibuit, sed etiam pacem in biennium taxavit. Cæterùm publicæ religionis conditiones Barbaris ingestæ non sunt: cujus professores pleriq; eorum principes existerent, vulgo sacrorum societatem damnante. Qui tametsi Christiano nomine censerentur, titulum moribus abdicabant, professionem operibus polluentes.

Per idem tempus Henricus compositis in Bavaria rebus, quia Sclavis adversum Danos adesse non poterat, amicitiam Waldemari prius per internuntios petitam, mox apud Eydoram colloquio obtentam, callidius quàm verius amplexatus est. Nam pervicaci ejus ingenio, nulla boni stabilitas serviebat. Cum gente nostra nunquam diutinas ac constantes amicitias gerere sustinuit. Mentiri virtutem ducebat, bonarum artium loco fallaciam amplectebatur, fidem simulatione colebat, honesto utile anteferendo. Assiduè nostros rupta turpiter societate lædebat. E contrario Regem conspicua animi integritas, perpetuaque in cunctis constantia decorabat. Quid ergo miremur, quod inter ejus virtutes, & Saxonicam levitatem firma societatis copula, aut solidum concordiæ vinculum contexi non poterat.

Ijsdem ferè temporibus Suerus quidam fabro patre genitus, sacerdotij, quod in Fergia aliqnandiu gesserat, partibus abdicatis, Norvagiam petens, religionis munus militia mutavit, Østeni cujusdam ab Erlingo prostrati occasione adductus. Cujus agmini per deserta fugienti fortuitò obvius ducem se præbuit, resq; adversum victores navare cœpit. Et ne generis titulo carere videretur, originem mentitus, Haraldum Hyberniensem avum sibi vendicando, Sivardo se procreatum confingit. Cujus etiam

VVALDEMARUS I.

am nomen filio, quem anteà patris vocabulo Vnam appellaverat, aptavit. Et ut omnia prioris fortunæ momenta ſubrueret, proaviq; vocabulo in eo repræſentari crederetur, ſimulatæ proſapiæ decus, novi nominis ornamentis uſurpare ſuſtinuit, Magnumq; ſe in argumentum generis vocitari conſtituit. Quod tam impudens mendacium turbulento militum errore, credulaq; vulgi ſuffragatione protectum, ad totius Norvagiæ cruentiſſimam ſtragem, extremamq; perniciem penetravit. Idem cum adhuc privatus Svetiæ ducem Birgerum petiſſet, ſacerdoti, cujus forte hoſpitio uſus fuerat, ſtolam præcipuum Diaconi inſigne, cum libro ſacerdotalia ſacra continente, dono dediſſe fertur.

Sed ne peregrinis ulterius immorer, ſtilum ad propria referam. Neq; me domeſtica ſcelera per idem tempus exorta, diutius externis inſiſtere patiuntur. Siquidem Magnus Erici filius præſentis fortunæ ſtipendijs non contentus, cum Kanuto & Carolo, quibus paterna cum Waldemaro neceſſitudo, maternus autem avus Eskillus erat, alijsq; compluribus in ſocietatem facinoris accitis, opprimendi per inſidias Regis conſilium capere ſuſtinuit. A quo, cum Svenonis partibus militando, bello Grathico captus fuiſſet, non ſolum ſpiritu ſed etiam amicitiæ & familiaritatis jure donatus, atq; ex privata fortuna ad eminentem dignitatis locum provectus fuerat. Tantam victoris charitatem, ſupplicij, quod meruerat, loco expertus eſt. Cujus inſidiarum apparatus, hoc ſecurior, quò incredibilior extitit. Neq; enim facilè Regis animum ſubire poterat, ab illo ſibi inſidias necti, cui quondam ſalutem à ſe tributam meminerat. Cum res diu latuiſſet, indicium hujusmodi fuit. Quidam Theutones inſidiarum conſcij, Magno clientelæ obſequijs devincti, cum forte negotiorum ejus curam adminiſtrando Holſatiam peragrantes, cujusdam ſolitariam vitam degentis hoſpitio excepti fuiſſent, ejusq; cubiculum à ſe medio tantum pariete diſcretum neſcirent, nocturno invicem ſermone effuſius habito, vehementer ſe mirari dixere, quo pacto Rex inter tot præparata ſibi inſidiarum commenta mortalium adhuc luce fungeretur, quas Magnus cum Karoli filijs ejus capiti clandeſtino conſilio molitus fuerit. Has vero omnes adverſum inſcium excogitatas, non fortuitis humanæ conditionis caſibus, ſed conſtantibus divinæ protectionis ſubſidijs eſſe diſpulſas. Siquidem Magnum gladio duntaxat venabuloque, quo tigres occupandi conſvetudinem habebat, utentem, petituro Sialandiam Regi comitandi obſequium ad cujusdam usq; vadi tranſitum exhibuiſſe, ibiq; Kanuti qui pari armatura inſtructus (nam id genus in venationis ſectatoribus ſuſpectum eſſe non poterat) cum conjuratis eodem tempore ſupervenire debebat, occurſu fraudatum, facinusq; ſine complice experiri non auſum, per ſummam propoſiti diſſimulationem conſalutato Rege propria repetiviſſe. Poſt cujus diſceſſum Kanutum Regi vadum transgreſſo obvium extitiſſe, turbatumq; conſortis abſentiâ, proſecutionis officium ſimulaſſe. Aliquantò tamen eum acrius avidiusq; quàm Magnum propoſitum exequi perſeveraſſe: qui Regem equites ad mare præmittere, ſtipantibusq; fœminis morabundum in littore conſidere, & inter extremos navigium conſcendere ſolitum aggredi conſtituerit, peregiſſetq; facinus, ni Rex absq; omnis humani indicij monitis, benigniore cœleſtium cura compulſus, relictis ocyus pediſſequis, ratem præter ſolitum ſcandere maturaviſſet. Karolum autem antea à conjuratis in Scaniam transmiſſum fuiſſe, ſi fratri propoſitum ex ſententia ceſſiſſet, ad extirpandam Regis ſobolem amicorum auxilia contracturum. Sed ne ſic quidem Kanutum propoſito cedere voluiſſe, quod apud Fioniam fruſtra tentatum, in Scania majori cum opportunitate conſummare ſperaverit, Waldemarum ad Helſingorum urbem præcurrere maturando, eumq; cum primum Scaniæ advectus rate excederet, incautum opprimere

fiere moliendo, quem post diurna venationis exercitia, præmissis arbitris, eo loci, parvula rate, crepusculo transire solitum, non ignoraret: quam machinationem fortuitis necessitatis præsidijs elusam fuisse. Nam ratem, quæ Regem vehebat, cum fortè glaciali impulsu procul à concupito littore detorqueretur, militum ejus adventum præstolantium ingenti cohorte exceptam fuisse, eamq; manum necessitati subvenire conatam, conjuratorum insidijs obstitisse. Ita Canutum & Carolum bis propositi cassos, loricas, quas invadendi Regis gratia sub tunicis gestabant, hospitijs reddidisse. Horum autem omnium admirationem vincere, quod Waldemarus unius ex conjuratis sibi perfamiliaris, suspectum minimè, ferrum vitare potuerit. Qui cum Regi per rhedam aucupium exercenti, solitarius comes aurigaq; existere soleret, deficentibus conjurationis autoribus, parricidale ministerium circa ipsum, cum prehensâ ave, curru delapsus, juvandi accipitris curam intentâ corporis inclinatione tractaret, sua manu peragendum promiserat: fortunam tamen in tanta tamq; facili insidiandi materia, promissis parricidij partibus aditum non dedisse. Horum itaq; eventuum miraculis liquère, mortali manu Regem perire non posse, cujus salutem inter tot exitiosa, arcanaq; pericula, non industria humana, sed cœlestis protexerit diligentia. Hanc hospitum relationem à rerum admiratione profectam, Eremita perindè ac sibi divinitus dati indicij mysterium veneratus, cuidam monachorum rectori ad se venienti memori narratione replicuit, jusso horum indicandorum gratia ad Regem transitum non differre. Quibus acceptis Rex, cum ex definitione locorum, argumentisq; temporum, nec non itinerum suorum circumstantijs fidem assertis habere cœpisset, non minus sibi subsidij Deum in prodendis insidijs præstitisse, quàm in frustrandis tribuisset, gratulatus est. Cujus rei ignorantia Carolus pristina adhuc securitate succinctus, sive tegendi parricidalis propositi calliditate, seu peragendi desperatione, Absalonem ob cognationis fiduciam petitum, impetrandis sibi à Rege provincialis beneficij adiutorem deposcit. Quo propinqui preces attentius exequente, Waldemarus dissimulata insidiarum cognitione, ex fisco suo se stipendia Carolo soluturum promittit, quoad honoris ei impertiendi facultas incideret. Cumq; Roskildiam veniens in æde Trinitatis optimæ maximæ, morem sacris gessisset, amotis arbitris, Absalonem adesse præcepit. Quo secum considente, indicem advocans, quæ sibi detulerit, iteratò exponere jubet. Ille propinquitatis metu, quâ Absalon à Canuti filijs contingebatur, eloqui veritus, atq; os rubore perfusus, aliquandiu plenum hæsitationis silentium egit. Cujus taciturnitatis Rex ilicò causam conjectans, hoc, inquit, te metu Absalonis fides liberat, apud quem meæ respectum charitatis propriæ necessitudinis affectioni præponderare non dubitem. Quo dicto senioris vocem verecundâ animi hæsitatione torpentem, ad eloquenda, quæ jubebantur, intrepidam reddidit. Is itaque relationem ab insidiarum principio orsus, cunctasq; earum partes veris narrationis indicijs prosecutus, hoc non suæ sed alienæ compertionis fuisse testatur, rogatum se tamen, eadem Regi referenda curare. Tunc Rex eo secedere jusso, ductis altè suspirijs, privatim apud Absalonem queri cœpit, nunquam sibi vel cognationis jus, vel beneficentiæ meritum obtentui fore potuisse, quò minus malis propinquorum artibus appeteretur. Quorum fraudem si dissimulanter tolerare cæpisset, effectum insidijs præbere posse, quæ tam potentum tàmque sibi familiarium studijs necterentur. Si vero parum adhuc publicato facinore, supplicia de indemnatis sumere maturasset, doliq; notitia à paucioribus sumpta crudelius in æmulos consuluisset, innoxia capita confictis criminationis partibus obruere videretur,

VVALDEMARUS S.

 invi-

invidiaq; virtutis accenſus, ad communem generis ſui interitum varijs inſimulationis modis exurgere neceſſitudinis everſor, affinium q; conſumptor cenſendus. Igitur & patientiam periculoſam, & ultionem, ſi præpropera foret, probroſam exiſtere. Ita ſe, quem vindictæ modum apprehendere debeat ignorare, cujus & ignominioſa acceleratio ſit & pernicioſa dilatio. Cæterùm inſidiarum periculis patêre malle, quàm in autores facinus retorquere, nè mors ſua ad aliorum confeſtim exitium redundaret, quam liberorum ſuorum amicorumq; miſerabilis ſtrages, mox diſcordia civilis, ſævaque exterorum irruptio, ac totius patriæ teterrima vaſtitas inſequeretur. Hæc & conſentanea Rex crebris anxijsq; gemitibns proſecutus, quæ maximè ſibi conducant, Abſalonem diſpicere jubet. Ille ſe nihil à Regis æſtimatione diverſum perpendere refert, præfatus ipſum ex repentino vindictæ procurſu, non leviùs famæ diſpendium quàm ſalutis ex dilatione capturum. Quamobrem animadverſionis jus divino permittendum arbitrio, qui potis ſit inſidias, quas eluſerit, publicare. Sed neq; rem, cujus multitudo conſcia ſit diutiùs vulgus la ere poſſe. Hortatur deinde corporis ſui cuſtodiam conſvetis comitibus attentius mandet, jubeatq; nunquam ſibi inermes aſſiſtere, nec magis ſalutem ſuam diurnis eorum officijs, quàm nocturnis excubijs vallari curet. Sic enim conjuratorum aliquos, ſe proditos ſuſpicantes, repentinum propoſiti indicium edituros. Gratum Waldemaro conſilium fuit. Cujus Roskildiam linquentis Abſalon comitem agens, ſolicitatur à Carolo petitionis ſuæ partes, quas nuper apud Regem egerit, iterare. Quod exſequente eo, reſpondetur à Rege, raram beneficij gratiam eſſe, quod accipiens parricidio penſare ſtudeat. Præterea miram quorundam ingenijs & fallendi pertinaciam, & diſſimulandi i.eſſe verſutiam. Se nihilominus, cum primum Jutiam introjerit, inſidioſo militi munificum futurum, à quo potentiæ jus, in id maximè vulgus, affectari non dubitet. Jucunda Carolo promiſſio extitit, quam ſibi per Abſalonem expoſitam impenſiore gratiarum relatione proſequebatur. Finxit enim oris hilaritatem, lætitiamq; effuſius prætulit, quam non tam recipiendi beneficij, quàm implendi parricidij affectus progenuit, quòd ei regiæ diſſimulationis induſtria ſecuritatis incrementa tribueret. Huic poſtmodum fortè materni avi Eskilli, per idem tempus, à Gallia navigantis, appulſus, urbem Ripam cum Canuto fratre petendi cauſam præbuit. Quorum Benedictus quidam ſolo patre germanus, ſed pellice editus, regiæ clientelæ fortior quàm fidelior comes, Waldemaro paucis poſt diebus, quàm Fioniam ingreſſus fuerat, in propatulo prandente, ſive celandæ fraudis impatientia adductus, ſeu parricidij, quod cogitaverat, furijs concitatus, neglectis epulis cultrum, quem fortè prandendi gratia ſumpſerat, compreſſa manu, huc atque illuc actum, varia ancipitiq; verſatione ſtringebat, perinde ac uſum ejus ad inferendas plagas agitationis exercitijs prædiſcere cupiens. Interdum ferrum ſinu condebat, detectumque rurſum digitis inſerebat. Inter hæc aſſiduè Regem oculis deſtinabat, quibus non minus quàm manui minarum ineſſe videretur. Cujus motibus amentiæ conſentaneis, Waldemarus per ſponſam filij Gerthrudem, ob id muliebriter lacrymantem oculos inſerere monitus, Nicolaum, qui regiæ menſæ præerat, quàm poterat arcanis nutibus accerſitum, viſum ad inuſitatos Benedicti geſtus obliquare tacitè jubet, amotisq; poſt epulas menſis, cæteris ſibi propiorem conſiſtere, prædicti equitis, ſi quas moliretur, inſidias excepturum. Sed Benedictum tum ipſius Regis, tum commilitonum plena ſtuporis contemplatio, ferrum vaginæ reddere coëgit. Crediderim verò hunc animi æſtum ejus præcedijs

VVALDEMARUS I.

dijs divinitus ingeſtum, eodemq; autore proditum facinus, quo prohibitum eſſe. Tum demum Waldemarus neglectum Abſalonis conſilium pœnitentia proſecutus, devocatis in cubiculum militibus, inter quos & Benedictus aſtabat, rem mœſtam eisq; perquàm maxime diſpliciturам afferre ſe dixit, quam & prodere triſte ſit, & celare peſtiferum: nec ſe dubitare quin eadem in commune delata, amicorum mentes triſtitiæ ſalebris ſit implicatura, tantoq; eis plus amaritudinis incuſſura, quanto Regem ſuum propenſiore charitatis cultu contingerent. Siquidem quorundam conſpirationem de nece ſua habitam, non dubijs conjecturæ rationibus, ſed veris conſciorum indicijs, certisq; rerum veſtigijs ſibi proditam eſſe, cujus autoribus primam ſalutis ſuæ cuſtodiam credere conſueverit. Nolle verò ſe eorum declarare vocabula, quod noxios reſipiſcendi inducijs donare, quàm inſimulandi ſtudio obruere mallet. Hortatur deinde majore cum ſedulitate vallandum ſe curent, nec usquam gladijs vacui incedentem comitari ſuſtineant, ſtipandiq; officia hactenus per incuriam geſta, deinceps elaborato famulandi ſtudio proſequantur, tantaq; id ſolicitudine peragant, perinde ac quivis propriæ ſynceritatis certitudine de aliena ambigere neceſſe habeat. Sed neq; ſe univerſos notabiles ducere, de quorum grege complures ad mortem pro ſe excipiendam, ſi res poſceret, paratiſſimos ſciret. Tunc milites mutua fidei æmulatione conſciorum indicium flagitantes, à perfidis erga Regem capitibus vindictam ſe exacturos promittunt: neq; aut neceſſitudinis, aut familiaritatis gratiâ temperaturos, quò minus ſanguinis ejus cupidos, pœnas quas mererentur, perſolvere ſint coacturi. Ad hæc Rex referre, fidei ſynceritate contentos, ulteriores indicij partes expetere non oportere. Ita militum preces ab innocentiæ conſcientia profectas, plenum moderationis reſponſum ceſſare compulit. At Benedictus conjurationem à conſcijs Regi proditam ratus, eumq; his, quos incautos opprimere cuperet, callidis ſimulationis ambagibus veniam polliceri, plerisq; militiæ inſignibus relictis, Jutiam qua potuit celeritate petivit, detectæ factionis nuncio ad Magnum dimiſſo. Ita perfidum ejus animum mordax conſcientiæ crimen regiæ manſuetudinis promiſſis fidem habere vetuit. Quæ res Magno proxima nocte navigio Lubecam proficiſcendi, indeq; Henrici contubernium expetendi cauſam præſtitit. Eodem nuncio Canutus & Carolus per Benedictum accepto, tacite Ripenſium urbe egreſſi, conſcenſa apud Randruſium nave, præfectum Gothiæ Birgerum propinquitatis fiducia petivere. Adeo illos malignæ conſcientiæ vis ſecuritate defectos, ſubito pavore quati coëgit. Quorum profectionem Eskillus, tum propriam, tum nepotum fortunam miſerabilius queſtus, infinitæ ægritudinis moleſtia proſequebatur. Ob cujus magnitudinem linguæ debilitate contractâ, parum vocalis evaſit. Quem Rex ad ſe Wibergi venientem jucunda admodum fronte ſuſcepit, ne quid ſuſpicionis in ejus adventu reponere videretur. Quam Regis moderationem Pontificis prudentia æquavit. Supplicem enim pro nepotibus vocem mittere non ſuſtinuit, quò magis ſe ab inſidiarum ſuſpicione alienum efficeret, néve eorum culpæ affinis, quos precibus ſervare cuperet, exiſtimari poſſet: conſultius arbitrando taciturnitatis argumento malignitatis ſuſpicionem vitare, quàm offenſam pro noxijs ſupplicando contrahere. Cui poſtmodum Scaniâ profecto, opportuna medicorum induſtria debilitatæ vocis opem redintegravit. At mentem ejus ingenti curarum æſtu obſitam ægritudine vacare, nepotum proprio ſpiritu chariorum fortuna paſſa non eſt. Adeò facilius corporis quàm animi diſcrimina vitantur. At Magnus facinoris pudore, quam exilij cauſam haberet, Henrico pandere veritus,

reconciliationis ab ipſo duntaxat remedia poſtulabat. Ille exulis vota averſari impium ratus, epiſtolâ ad Waldemarum transmiſſa, conceptæ erga Magnum offenſæ remiſſionem efflagitat. Ad hæc Waldemarus legatione quàm literis reſpondere ſatius ratus, Henricum, quem ſtabulo ſuo præpoſuerat, Germanicæ vocis admodum gnarum, in Saxoniam dirigi curat, apud ejus ducem Henricum, Magni perfidiam accuſaturum. Quo audito, Magnus rubore in audaciam verſo, quàm poterat pertinaciter objectis ſe affinem negare, & veluti in argumentum innocentiæ duello manum offerre, eodem acumine diſſimulationem amplexus, quo facinus molitus fuerat. Refert legatus non ob hoc ſe eò miſſum, ut accuſationis partes apud exteros ferro proſequi debeat, ſed ut reum cauſam ſuam ad Regis cognitionem transferre, defenſionemq́; patria lege decretam ſubire moneat. Tum duce, quem defenſionis modum adverſum hoc criminationis genus lex Danica ſtatueret, rogante, penes ferrum purgationis morem conſiſtere reſpondit. Tunc Magnus à duce rogatus, an tantum fiduciæ in innocentia ſua reponeret, ut hujus experimenti indicio ſpem defenſionis petere auderet: anceps id genus, nec ſemper miraculo præditum ajebat, quòd plerumq; & inſontes damnare, & noxios abſolvere ſoleat, fortuitosq; maximè experimentorum eventus habeat. Neq; enim divinam potentiam tanta mortalium cura flagrare, ut quibusſlibet eorum votis rerum naturam cedere compellat. Suſpecta plerisq; reſponſio fuit. Tum duce quam à ſe opem ſperare debeat, qui tanti criminis objectionem patrijs inſtitutis refellere nollet, arctius perquirente, quid ageret incertus, aliquandiu reſponſi cunctationem exhibuit. Tandem ulterioris profugi diffidentia adductus, ultrò Regem aditurum ſe dixit, ſi ſibi, quemcunq; cauſa exitum ſortiretur, impunitatis fides daretur. In cujus fiduciæ certitudinem ſtabularius ſponſionis ſuæ pignus offerre cœpit, præfatus capitali crimine damnatis, patriæ legis inſtituto dilabendi inducias tribui, ijsdemq́; è veſtigio ſupplicium irrogari nefas haberi. Qua Magnus oblatione contempta, ſolam Abſalonis fidem ſe pignoris loco recepturum aſſeruit. Quæ cùm Rex ex legato cognoſſet, epiſtola duci redditur, quâ Magno ſub Abſalonis obtentu, veniendi, diſcedendiq́; poteſtas promittitur. Quo evenit ut Abſolon prius Magnum hoſpitio exciperet, quàm ullum adventus ejus nuncium à Rege ſumpſiſſet, literas quæ pro ejusdem receptione diſtinabantur, nimio feſtinationis ſtudio præcurrentem. Quibus tandem per Regem ſuſceptis ſolicitudinem improviſi hoſpitis plenis fiduciæ promiſſis diſcutere curæ habuit. Quibus erectus Magnus, plus ſpei in Abſalonis auxilio, quàm metus in ſua noxa repoſuit. Quo evenit, ut majore formidinis parte depoſita, propria repetere non dubitaret, navigationem, quâ Jutiam petiturus erat, neceſſarijs uſibus inſtructurus. Quippe cauſam apud Arhuſiam dicere jubebatur. Verùm hoc ſecuritatis robur, deprehenſa ſecretorum ejus legatio quaſſavit. Siquidem binas ejus epiſtolas proditionis mandata geſtantes, à publicorum itinerum obſervatoribus intercipi contigit. Quas cum Regi allatas ab intermeantibus expertus fuiſſet, formulam, quâ ſignatoria utebatur, proprij ſcribæ negligentia amiſſam confingit. Idq́; non ſolum inter ſuos, ſed etiam apud Abſalonem ſimulatione proſequi curavit, opinionem ſerere cupiens, adulterinas epiſtolas à formulæ repertoribus odio ſui fuiſſe compoſitas. Appetente cauſæ dictionis tempore, binis navigijs inſtructus, Abſaloni Sialandiæ & Scaniæ magnatibus comitato obvius affuit. Quo adito conſcientiæ ſtimulis actus, trepidationem fide majorem, præteritæq́; vitæ fortitudini indebitam exhibendo, nullis ſe exhortationibus ut Jutiam peteret adducendum jurabat; plus à ſe metus in Regis offenſa, quàm opis

opis in cujuſpiam patrocinio reponi præfatus. Præterea fortuitam ſigilli ſui amiſſionem cauſatus, æmulorum commento occaſionem ex ejusdem inventione nactorum, inimicas Regi literas ſuo nomine confictas aſſeverabat. Sed Abſalone, tametſi criminis acta ab eo confeſſio foret, nihil commiſſum, quò minus inviolatus diſcederet, conſtantius aſſerente, ſociali illum navigatione proſequitur, plus amici monitis quàm proprio pavori indulgens. Cui Rex omni Danica nobilitate ſtipatus, apud villam Wiby ſibi per Abſalonem oblato, menſæ ſacra communicare paſſus non eſt, ne convivam agendo offenſam deponere videretur. Quem die poſtero ad concionem vocatum, meritorum ſuorum in eum benignitate expoſitâ, majeſtatis reum agere cœpit, pietatem parricidio rependere avidum, quod ejus fuga non violenter ingeſta, ſed à ſolo conſcientiæ reatu profecta recenter prodiderit. Ad hæc Magnus, ſe non cujuſpiam delicti, ſed minacis nuncij per Benedictum accepti impulſu, dilabendi conſilium cepiſſe teſtatur, regiæ ſuſpicionis cauſam è longinquo tutius ſpectaturus. Præterea mirari ſe, quo pacto Rex propinqvum, quem omni familiaritatis jure proſequi conſveverat, inanium ſuſpicionum ductu perſequi ſuſtineat. Contra Rex, hoc eum ingratiorem, quo meritorum ſuorum negligentiorem, aſtruere: & in perfidiæ argumentum ſupradictas ipſius epiſtolas, quarum altera clauſa, altera aperta obſignabatur, in commune proferre: quas etiam per præſentes pontifices circumferri, & an vero Magni ſignaculo obſitæ eſſent, curioſius annotari præcepit. Quod inſpectantibus cunctis, adulterinumq; eſſe negantibus, recitari eas in publico jubet. Aperta Scanienſibus ſcribebatur, Regem ſuper complurium oppreſſione calumnians, cunctosq; ad bellum cum eo gerendum exhortans, Magnum repetendæ libertatis autorem habituros. Clauſa ad Canutum & Carolum eodem, quo prior, titulo mittebatur, quæ eos res in Scania novare moneret, Magnumq; idem apud Jutiam facturum promitteret: ſic Regem viribus cariturum, majorum regni provinciarum auxilijs ad eum commeare prohibitis. Perlectasq; epiſtolas Magnus cum reſponſo excepturus putaretur, indice metus ſilentio utebatur. Quinetiam tantum ſtuporis animo contraxerat, ut voce quoq; deficeretur, internæ perturbationis notas confuſo oris habitu præ ſe ferens. Notabilis viri taciturnitas fuit, quæ ne confeſſionis loco duceretur, prudens Abſalonis interventus effecit, miratu indignum dicentis, ad novos criminationis objectus hominem defenſionis dubium, pleno meditationis conſilio reſpondendi officia tardius exhibere, protinusq; eum dandi reſponſi gratia colloquio excedere, & quos velit ex amicis in conſilium trahere jubet. Quo dicto recreatus Magnus atq; ad ſpem, labefactandæ accuſationis erectus, acceptis conſultationis inducijs, Abſalonem cum Tukone Wendilenſium Antiſtite ſevocat. Is Tuko patri ejus Erico Diaconatus obſequijs percharus habitus, deq; ejus clientela ad pontificatum accitus fuerat. Cujus rei grata recordatione Magni charitatem propenſius animo inſitam habebat. Quem multum diuq; ob cogitati ſceleris immanitatem, profectis à dolore convicijs inſecutus, reſpondente eo epiſtolas aliena fraude contextas, ſupervacuum id purgationis genus aſtruxit, non ſolum ſcripturæ, ſed & ſtili modum, quo ſcriba ipſius Lambertus in dictandis epiſtolis uti ſoleat, certiſſimè recognoſcere præfatus. Cujus affirmationem Abſalone conſentaneis verbis proſequente, tantum Magno deſperationis inceſſit, ut an eos ſibi confeſſionis remedia amplecti liceret, trepidè percontaretur. Tum Abſalon tametſi confeſſio periculo non careret, ad hanc tamen ante procurrendum, quàm de venia actum excuſſumq; foret, negabat, ſvadetq; uti ſtupore depoſito, per ſe vel per amicum in poſterum

diem induciarum facultatem audacter efflagitet, firmato animo rem felicius expleturus. Quibus admissis, Rex præsentem nobilium catervam vespere iter ingressus, ad Vrnonis locupletissimi viri penates secum perduxit. In qua profectione Absalon à Magno admodum æstuante, quisnam defensionis modus objectis congrueret, curiosiore percontatione consultus, nullam partem probro aut periculo vacuam ajebat. Nam nec accusationem tot rerum indicijs subnixam refellere promptum, nec purgationis partes detrectare syncerum: confessionis verò exitum ancipitem fore, quam nulla veniæ certitudo præcurreret. Ita verax responsi dator consultori ignorantiam prætendere, quàm in dubijs certitudinem promittere, fidelius duxit. Tunc Magno omnia se veraciter relaturum, si veniam confessioni tribuendam speraret dicente, intrepidè eum sibi secreta, quæ vellet, committere jubet, nullum eorum indicium ad Regem ex se manaturum præfatus. Tum illo omnem insidiarum ordinem patefacere cupiente, Absalon narrationem admittere noluit, ne ea in sacerdotali ministerio confessionis loco recipere videretur. Suadet itaq; Sunonem & Esbernum secum adhibeat, quos in rebus arcanis tegendis industrios sciat. Quibus admissis, Absaloniq; data fide pollicitis, absq; ejus conniventia nullam se præsentis arcani mentionem acturos: Magnus insidiarum seriem à principio retexere orsus, non solum se cum his, quorum crimen testis fuga prodiderat, jure notatum asseruit, sed etiam complura ad Regis caput pertinentia adhuc ejus notitiæ parum indita, apertissima confessione detexit: Eskillum (Asceri hic filius erat) & Christiernum patre Svenone natum, ejusdem culpæ conscios asseverando, Christierni fratrem Ascerum, cui in templo Lundensi prima post Antistitem dignitas cesserat, conjurationis consilium scisse potius quàm probasse testatus. Confecto itinere postquam opportunum colloquio tempus occurrit, Absalon cum Sunone & Esberno Regem paulisper sine arbitris esse jussum, contemplari causæ exitum monet, in qua nec accusationem actori instruere expeditum, nec reo confessionem amplecti tutum ducatur. Qui si indemnatus abscederet, complures ad innocentiam sibi decernendam adduceret. Sin confessus venia careret, simplicitatis exemplo culpæ socijs tegendæ ejus documentum præberet. Igitur elaborandum, ut spontanea ab eo confessio elici posset, quem testimonio insequi promptum non esset. In hanc sententiam perducto Rege, & se pœnam confessioni remittere promittente, cum Magnus postera die in concione ab eo, quid super responso deliberasset, interrogatus fuisset, à conjurationis initio orsus pudore posthabito, omnem insidiarum contextum, non solum conscios, sed etiam loca rerum ac tempora perstringendo, vera narrationis serie prosequebatur: Regem inter tot pervicacissimæ artis ambages, non sorte humana, sed divina opera servatum affirmans: seq; non aliud magis mirari, quàm quòd fraudem tanta familiarium arte compositam propitiæ fortunæ interventus eluserit, hominemq; tot civium dolis petitum casus incolumem servare potuerit. His dictis, genibus Regis supplice vultu gemebundus advolvitur. Quem Rex præteritæ amicitiæ verecundia consurgere jussum, ingratæ mentis exprobratione coarguit, illius per insidias opprimendi cupiditate perfusum, cujus à primæva ætate perpetuam charitatem expertus fuerit: à quo belli Grathici temporibus, non tantum spiritum sibi datum, sed etiam adjecta potestatis incrementa meminerit. Se enim non solùm propinquitati supplicium remisisse, sed etiam munificentiam impendisse, eum verò cum fidem beneficio debuisset, perfidiam rependisse. Itaq; meritorum suorum oblivionem ab eo tam nequiter actam admirans, nec pristinæ confessionis assertione contentus, an se per insidias opprimere cogitasset, inquirere perseveravit. Ille nec animum sibi, nec arma, nihilq; quod

tanto

tanto facinori attinuit, excepto Dei nutu, defuisse subjunxit. Delectatus Rex tam audaci hominis responso, veniam se confessioni tribuere, non familiaritatem restituere dixit, nè rursum amicitiæ copia insidiarum irritamentum existeret. Eundem quoq; tacita ad Kanutum Karolumve mandata habere prohibuit, monitum nè culpam repetere velit, cui divinam potentiam tàm constanter obniti persenserit. Ille se, si quid tale committeret, ulterioris veniæ remedijs indignum vocare, ne precibus quidem salutem deinceps tueri ausurum. Quo Rex sedendi locum repetere jusso, protinus Svenonis filium Christiernum, quem peracta Magni causa, per ignorantiam casus obtulerat, iracunda admodum accusatione persequitur. Qui cum se consortis indicio proditum accepisset, defensionis inops confessione veniam impetravit: nec solum spiritum, verumetiam bonorum omnium incolumitatem assecutus est, exilio duntaxat pœnas dare coactus, ne promptus ad crimen regressus suppeteret. Ita moderatio manifestam militis culpam, extremumq; supplicium meritam, proscriptione insequi contenta extitit. Taliter exacto concilio Magnoq; Fioniam reverso, Waldemarus insulam ferarum gregibus abundantem, more Regio, prædæ venaticæ vacaturus, ingreditur. Quo loci Absalon & Ascerus à Maximo Pontifice Eskillo ob veniam ejus nepotibus conciliandam, quæ Magni exemplo sponderi videbatur, transmissi, inexorabilem Regis animum experti sunt. A quo demum Ascerus, an conjurationis fautorem egisset, rogatus, cognitioni se quidem affinem, sed à consensu immunem asseruit, nec tàm odio Regis, quàm delationis pudore, prodendiq; commissi verecundia hæc fecisse. Quem confessionis modum diuturni postmodum exilij causam habuit. Hujus legationis contemptum tam ægrè Eskillus tulit, ut varijs corporis pestibus contractis, gravibus hyemem morbis exigeret.

Qua finitâ, Waldemarus, Daniæ, Svetiæq; primoribus accersitis, regales filiæ nuptias exornat. Quibus peractis Waldemarum Eskillus secreta allocutione petitum enixè deposcit, arcani, quod ei committere velit, intempestivam confessionem non arguat. A quo postulata sperare jussus, jampridem deponendi pontificatus allatam sibi cupidinem dicit, quem tanto oneri imparem ætas viribus defuncta constituat. Neq; enim in fastigio se, sed privatum ac procuratione liberum decedere velle, præteritæ conversationis habitum monastica mutaturum. Quem cùm Rex verbis charitatem simulantibus proposito prohiberet, idq; ei sine Romana autoritate exequendi fas esse negaret, habere se summi Pontificis epistolas, per quas non solum abdicandi honoris licentiam, sed etiam transferendi, in quem vellet, potestatem acceperit, testatus est. Huc accedere, quòd se Romanæ legationis officio fungentem, ne sedes successore vacua habeatur, subrogationis curam exhibere par sit. Quod dictum Rex, Ascerum ab eo Pontificem adoptari ratus, suspicione insequi cœpit, nec dubius Kanutum & Karolum, si quid ulteriùs adversum se conati forent, multum ab avo virium contracturos. Cum diu verbis amicitiam præferentibus egisset, ad postremum votis ejus annuere se dixit, quod Romanæ sententiæ decreto obviam ire nequeat, penes quam publicæ religionis norma consistat. Tum Eskillus honoris abdicationem contractorum pontificum frequentia celebrari magni æstimans, profecturum ab urbe Regem precari institit, uti ipso exacto mense secum reducat, quos non solum suæ renunciationi verum etiam novi Antistitis creationi interesse expediat. Quam rem prorsus silentio dignam existere, ne cognita quemquam electionis metu dilabi cogeret. Quo concesso statam interim solennemq; popularium concionem ingressus, docet quantam subditorum charitatem fastigio functus exhibuerit, quamq; benevolo studio merita sua publicus eorum favor pensaverit. Jam vero sibi re pontificali cedere in animo esse, cujus administrationi

tioni supremæ ætatis suæ habitum diffidere conspiciat, ideoq; se eorum curam, quam hactenus plenis pietatis officijs gesserit, divino mandare præsidio, cunctisq; sibi militiæ fide devinctis hujusce generis nexum remittere. Super hæc omnia alienis delictis veniam dare, proprijs petere, universos etiam discessum suum pijs precibus prosequi, votisq; pro se excubare precatur, parem se eis dignationem repensurum pollicitus. Adeo autem miserabiliter in concione egit, ut eam lacrymis suffusam dimitteret. Qua soluta, Absalonem Sialandia redeuntem, missis quibus exciperetur equis, penatum suorum hospitio uti compulit. A quo, quid ita plebem mœstitia affecisset rogatus, tum senium suum, tum exilium nepotum, dignitatis sibi patriæq; fastidium afferre respondit. Huc accedere voti religionem, qua se dudum Bernardo Claravallensi, pontificatu ultrò cessurum, privatamq; vitam & honoribus defunctam acturum spoponderit. Die postero cum prædicti provinciarum Antistites in ædem Laurentij matutinè coissent, ornamenta sacrarij armamentario egeri, conspectuiq; subijci jubet, quantum veteri altarium cultui, pristinoq; sacrorum splendori nova ac religiosa liberalitate adjecerit, in propatulo ostendere cupiens. Quibus prolatis, voce suspirijs permixta, quantis charitatis impendijs pro subditorum pace ac stabilitate excubuerit, quot ærumnis, quot periculis obsitum omne pontificatus sui tempus exegerit, edocet. Quem ob hoc se deponere statuisse, quod ætatis suæ magnitudinem ulteriori ejus functioni inhabilem sentiat. Cujus orationem Rex respondendi officio subsecutus, eum tametsi crebras cum Regibus simultates gessisset, pontificis partes laudabiliter executum affirmat. Suæ verò sententiæ resignationis ejus propositum non placere, cui jam eò ætatis perventum sit, ut malignitatis ultra notari non debeat. Deinde eum proprio motu, an suo compulsu pastoris officium detrectaret, fateri jubet. Tunc Eskillus directis in aram manibus, jurare, & præsentia sacra testari, se non odio Regis, aut ullius injuriæ ex eo receptæ violentia, sed perituri honoris fastidio, perpetuiq; studio, huc propositi esse perductum. Grata Regi responsio fuit, cupienti vera Pontificis assertione, calumniæ suspicionem vitare. Rogat deinde, an unquam regia severitate pœnas ab his exigere supersedisset, adversum quos ille pontificalem censuram prior distringendam curasset. Quo nihil tale eum egisse fatente, gravi metu liberatum se dixit, veritum ne subita Antistitis abdicatio, occultam apud complures sibi notam crearet. Romani deinde Pontificis epistola, sine cujus nutu Rex dignitatem ab ipso deponendam negabat, in commune relegenda profertur. Eâ scribebatur, Romanum antistitem Lundensi pontificalis ministerij laxationem petenti, quod eum huic muneri perutilem scisset hactenus repugnasse, nunc verò precum ejus perseverantia superatum, ætati ipsius assiduoq; languori petitæ rei licentiam detulisse. Cujus autoritati Rege refragandum negante, sua sede exurgens, virgam annulumq; præcipua pontificalis sacerdotij insignia altario imponens, perfectam sui muneris abdicationem agere protestatus est. Cujus facti miseratione lacrymæ astantibus abortæ, suspirijsq; murmuris instar reddentibus, ædes repleta. Igitur Eskillus, qui regni clerum excussius nosset, sedis à se relictæ successorem à Rege circumspicere rogatus: comprobata monitoris industria, aliam Romanæ dignitatis epistolam explicat, qua sibi legationis habenas tenenti, subrogandi antistitis arbitrium mandabatur. Eâ perlectâ, potestatem, quam sibi indulgentia Romana detulerat, ad eos, quibus eligendi jus esse consveverat, transferre se dixit, quod ultrò jure suo cedere, quàm alienum offendere malit, nè ecclesiam, pro cujus majestate tuenda semper excubuerit, consveto libertatis beneficio fraudare videretur. Tunc ijsdem Regi uti consilium suum exponeret, obsecrantibus, Regeq;

cleri

cleri postulationem sub plebis nomine, cujus se partibus proloqui referebat, consentaneis precibus prosequente, sententiam suam inter divinam humanamq; charitatem fluctuari asseruit, quarum alterâ tacendo, alteram loquendo offendere posset. Dei namq; mentem exasperaturum se esse, si illius, quem huic maxime regimini idoneum scisset, indicem agere supersedisset. Si verò hominem hujus officij gnarum, pontificisq; partes alibi laudabiliter executum, sed & pro patria difficilia audere solitum, nuncuparet, familiaris & propinqui gratiam violaret, quem hujus honoris oblationem aversari non dubitet. Tunc cuncti, quisnam ab eo destinaretur, animo perpendentes, solam vocabuli certitudinem flagitant. Et ille Roskildensem inquit, Antistitem mihi propinquitate, vobis opinione notum designo. Igitur compluribus, benè Ecclesiæ consultum acclamantibus, exsurgens Absalon majorem hunc fascem, quàm ut humeris suis imponi debeat, refert: nullo se pacto ad deserendam ecclesiam adduci præfatus, quam angustissimis rei Danicæ temporibus susceptam, ad eminentem fortunæ habitum summa animi corporisq; fatigatione perduxerit, cujusq; non solum externum hostem armis submoverit, sed etiam veterem atq; hæreditariam paupertatem felicibus opum incrementis mutaverit. Tum ij, quibus suffragandi jus erat, ab Eskillo taciturnæ hæsitationis increpiti, & cuinam officij sui partes cedere vellent, rogati, paribus in Absalonem votis pronunciant, adeoq; concordes suffragiorum voces misère, ut nihil in his diversum aut dubium reperires. Nec oris officio contenti, manu comprehensum, ad sedem, quàm ei voce detulerant, vi pertrahere conantur. Nam primus Eskillus injectæ in eum dexteræ exemplo cæteris idem audendi fiduciam tribuere videbatur. Qui etiam, ut mos est, concinere exorsi, celebrem electionis concordiam decoro psallendi officio prosequuntur. Quorum plenum venerationis concentum populus ingenti plausu tripudians, sacro cantilenæ genere æmulabatur, gloriosis clericorum vocibus aliquid honorificæ modulationis adijcere gestiendo, personantibus alijs, deformem sibi taciturnitatem existimans. Adeò in eligendo eo tota multitudo unam benevolæ suffragationis vocem habuit. Ille verò trahenti se turbæ summis corporis viribus obluctatus, complures robustiore impulsu præcipites humum petere coëgit. Ab ijsdem quoq; exuviæ renitenti detractæ, jamq; res ad vim & rixam usq; progressa, permixtos strepitu cantus exaudiri non patiebatur. Igitur Absalon ad sedem pontificali fastigio consecratam, pia plebis violentia perductus, in ea collocari passus non est, ne ulla ex parte cogentibus assentiri putaretur. Quam ob rem prius ab Eskillo, mox à Waldemaro oblati sibi divinitus honoris ornamenta amplecti rogatus, ne præsentis ecclesiæ majestatem novo & inaudito contemptu perfunderet, impetrata loquendi copia, ad appellandi officium procurrit. Cumq; precibus obsecuturus putaretur, validissimum repugnationi suæ tutamentum adjecit. Rapuisset alius oblatæ dignitatis beneficium, avideq; se tanti sacerdotij tribunalibus ingessisset. Nicolaus Roskildensis chori senior, super irrogata Antistitis violentia parem appellationis vocem edere cunctatus non est. Tum Eskillus aliquantò concussior, certissime se suffragatorum partibus affuturum dicebat, sensurum Absalonem, sua an illius vota plus momenti Romæ sint habitura. Hinc Missæ studium datur. Qua percelebratâ benedictionem Eskillus Absalonis ministerio præstari præcepit. Hac usurpatione eum electionis assensorem efficere gestiendo, se jam cunctis pontificatus partibus defunctum, huic ministerio congruentia amplius exequi non oportere præfatus. Quem Absalon tametsi pontificalia deposuerit, legationis tamen jure benedicendi prærogativam retinere dicebat, neq; ad inferioris potentiæ viros, debitum fastigio suo munus relegare debere. Ea Absalonis verecundia,

dia, ſenem voti cupidum, neglectæ dignitatis ſuæ meminiſſe coëgit. Alio quoq; moderationis genere, repugnationis ejus perſeverantiam idem labefactare tentavit. Siquidem in cubiculum devocatum cum precibus perflectere non poſſet, genibus nixus plenis ſupplicationis lacrymis aggredi conatus eſt. Profectu vacuus, tertium irritamenti modum, quo electi mentem ad ſuam ſententiam adduceret excogitavit, incertum relinquens, major in cogente an reſiſtente perſeverantiæ conatus extiterit. Siquidem equites ſuos numero & amplitudine inſignes ad eum direxit, militari fide ſe ejus partibus obligaturos. Quorum Abſalon famulatum repudians, ſe prorſus in honorem eorum obſequiis dignum conſenſurum negabat. Qua demum conſtantia evictus Eskillus, ne ſuppellectilis, quam Eccleſiæ relinquere ſtatuiſſet, obſcurior depoſitio foret, eundem in arcanam veſtibuli partem abductum inſtantius hortari cœpit, uti ſaltem oculis eam ſubijcere dignaretur. Sed & hanc quoq; ſollicitationis partem ſuperiorum victor mirè contempſit, ne qui gloriæ tentamenta calcaſſet, avaritiæ irritamentis ſuccumberet. Quam ob rem Eskillus ira accendi creditus, minus ſe bonorum quàm cogitaverit, inquit, ſacris atq; domeſticis uſibus relicturum, ipſumq́; tam ſtolidæ pertinaciæ quandoq́; damna ſenſurum. Aureo deinde poculo Regem, Abſalonemq́; ſimili, muneratus eſt. Præterea neminem ex amicis indonatum reliquit, apud patriam ſibi præclara liberalitatis monumenta creare cupiens. Varia quoq; membrorum debilitate perſtrictus, ad poſtremum etiam igne (quem ſacrum vocant) quadam corporis parte reſperſus abſcedere maturavit, perindeac divinitus injecti ſibi ſupplicii cruciamenta ſortitus. Quem cum Abſalon Scaniâ excedentem caſtelli ſui hoſpitio excepiſſet, ſeq́; tanto pedum frigore teneri, ut noctu quietem capere non poſſet, conquerentem audiret, calidum laterculum ciſtula crebris foraminibus diſtincta incluſum plantis applicuit, eoq́; fomenti genere præfrigido ſeni patientem quietis calorem reſtituit. Cujus medicamenti beneficium hoc Eskillo gratius fuit, quod ab artificis charitate, non ſcientia aut profeſſione manavit. Qui cum Abſalonis navigio comitatuq́; Sleſvicum perlatus fuiſſet, ſcyphum argenteum ab eodem ſibi pro munere oblatum ſuſcipere recuſavit, præfatus ſe deinceps nullum inſignium vaſorum uſum habiturum. Idem cum Regem Sleſvicenſi in ponte obvium conveniſſet, ita corporis debilitate ſolutus eſt, ut à pleriſq; exanimis putaretur. Recreatus tandem, fretumq́; rate tranſgreſſus, ac præſentes benignius exoſculatus, inter flebiles amicorum voces plorabundus, & ipſe curriculo per Abſalonem procurato, cum prorſus equitandi impatiens foret, quo mollius veheretur, imponitur. Cujus flentis diſceſſum amicorum turba ipſum ulterius non viſura perinde ac funus lacrymis proſecuta eſt. Poſt hæc Regis legati cum Lundenſibus, cogendi Abſalonis gratia, Romam mittuntur. Qui primum Clarevallum profecti, reperti illic Eskilli epiſtolam, cujus ea tempeſtate non mediocris apud Curiam favor vigebat, in adjumentum ſuæ petitionis accipiunt. Nec minus Abſalon ac Roskildenſes legationibus Curiam fatigant, electioni, quam Lundenſes confirmatum peragebant, plenis reclamationis ſententiis obnitentes.

Intereà proceribus apud Roskildiam Paſchali tempore feriatis, convivioq́; per ſummam omnium hilaritatem exacto, per Thordonem Lundenſium præfectum Regi ſignificatum eſt, Thormerum quendam Magni nuncium nuper Gothiâ reverſum, tanto itinere Scaniam eſſe transgreſſum, ut captionem celeritate vitaverit. Cujus occupandi gratia Beltenſem tranſitum inſidiis eſſe vallandum, quem ab eo ocyus adiri ambiguum non ſit. Rogatum ſuper his Magnum, præſidiumq́; negationis amplecti conatum, Rex tutò fateri poſſe promittit. Ille ſumma cum diſſimulatione objectorum fidem levare, ſi quid hujuſmodi compertum foret ulteriorem ſibi

veniam

veniam negari precatus. Rex negatorum incredulus, Adulfo cuidam inſignis fidei, ſed clericalis conditionis, quod propter Belticum littus habitaret, obſervationis negocium mandat per ſatellites ad eum directos, cultus & corporis notis, quibus prædictus Magni nuncius dinoſceretur, expreſſis. Taliter captus Thormerus, ac coram Rege ſuper mandatis, quorum eſſet gerulus, perquiſitus, poſt diutinæ negationis ambages, quæſtionis metu, credita ſibi ſecreta detexit, lignum compactile, quale more Danico inter amicos ſigilli vim obtinet, à ſe epiſtolæ loco geſtari confeſſus, cujus dimidium à Canuto & Carolo perinde ac ſyngraphus haberetur. Cujus nequitiam Rex vinculis multare contentus, Abſalonis eum cuſtodiæ tradit. Igitur per Nicolaum ſtabuli ſui præpoſitum, Fionenſium militum eum ſequi juſſorum auxilijs ſuccinctum, Magnum perinde ac denuo ſibi inſidioſum, pœnamq; perfidia meritum capiendum curat. Qui in cubiculo nocte concubia circumventus, dum priſtinæ virtutis immemor ſalutem latebris non armis circumſpicit, poſt aulæa repertus abſtrahitur. Ita neſcias miſeriorem eum deformitas captionis, an captio ipſa reddiderit. Oblatus Regi cum ſuper inſidiarum conſilio rogaretur, aliquandiu objectis ſe affinem negabat. Tandem convincentibus eum captivi indicijs, diſſimulationisque materia non ſuppetente, confeſſione crimen aperuit. Cujus mentem rubor neſcio magis an ſupplicij metus afflixerit. Hunc Rex ad urbem Laterenſem miſſum, Thorberniq; cuſtodiæ traditum, carcere quàm morte mulctare maluit.

Per idem tempus Sclavorum piratæ ſpoliatis Waldemari legatis, navigium muneribus eidem à ſocero transmiſſis onuſtum cepêre. Cujus repoſcendi gratia nuncijs ab eodem miſſis, ſuperbè reſponſum dedere. Qua injuria Waldemarus, ut par erat, accenſus, Henricum in ſocietatem ultionis ſollicitat, Rugianisq; quòd hoſtilium locorum gnari eſſent, in commilitium evocatis, per Suinam invectus, Julinum oppidum, incolarum fugâ deſertum, incendio tentat, Henrico Diminum obſidione complexo. Qui cum expugnationem dubiam difficilemq; animadverteret, amnem, qui caſtra ſua à mœnibus dividebat, transverſo deductum alveo, remotiore curſu urbem præterlabi coëgit. Quo facto hoſtium muris ſummam defenſionis opem conciliavit, præſidium ejus pro oppugnatione molitus. Ea re effectum eſt, ut actam æſtate obſidionem autumno inglorius ſolveret. Cujus diſceſſionem fortuitum urbis incendium ſubſecutum eſt, ſuis viribus tribuente fortuna, quod Saxonicis deferre dignata non fuerat. Eadem benigniore Danos lumine contemplata, eorundem miniſterio Cozcoam urbem conflagrare permiſit: indigenas verò metu palantes, ad loca paludibus obſita virium inopia confugere coëgit. Quod Abſalon captivi cujusdam cum fratre minore, conjugeq; & liberis comprehenſi indicio expertus, rogare eum cæpit, an ſuam ſuorumq; libertatem latentium civium proditione mercari cuperet. Ille conditionem cupidè pactus, ſeipſum terreſtribus copijs petendam, paludem cincturum, fratrem verò navigaturis ducem promittit. Sic enim Sclavos ancipiti fuga implicitos, nusquam dilabendi materiam habituros. Ea palus à ſuperiore per anguſtum amnis diſcrimen abrupta, minoribus duntaxat acceſſa navigijs erat. Quibus dum Abſalon eam peteret, à captivo errorem ſimulante ductum minis extorſit, ſaltumq; meditantis cervici nexum inferri præcepit. Multi in eum ex Sclavis, dum cimbis fugam capeſſunt, incidunt. Armenta ab ijsdem inter mare paludemq; coacta, à Sialandenſibus capta, ac per totum exercitum diſtribui curata ſunt. Quæ res ei plus invidiæ apud ſocios quàm gloriæ quæſivit, quod ab univerſis capiendum erat, à ſolis Sialandenſibus occupari dicentes. Quo paludem egreſſo, quidam ex nautis petulantioris linguæ, ducem ſupplicio dignum, per jocum dixere, quòd cum navigationem præmonſtrare debe-

deberet, ignorantiam finxerit, promissumq; suum secutos simulato errore fallendos curaverit. Ille ludibrijs pro serio ductis, laqueo destinari se ratus, dum aquam è stagno tanquam munditiarum gratia peteret, ultro præcipitato corpore profundum insiluit, anticipare fatum, quàm expectare præoptans. Qua temeritate dubium reliquit, perierit ne, an sub undis salvus enaverit. Quibus rursum, ut fieri solet, evomitis, restim, quam collo innexam habebat, manibus, ne per eam attraheretur, complicandam curabat. Mersus denuo, visentes eadem qua prius ambiguitate complevit. Sed corpore ejus tandem exanimi reperto, dubietatis quievit contentio. In tantum autem illic exercitus noster captivi pecoris gregibus abundabat, ut in ijsdem agendis quotidiana pastorum opera uteretur. Quorum discursum periculo vacuum, generalis earundem partium vastitas efficiebat: quam tanta incendiorum vis pepererat, ut hirundines quoq; tectis, quibus habitare consveverant, orbatæ, gubernaculis navium ac proris fœtum procreaturæ nidos affigerent, domiciliorum usum ab hostibus mutuantes. Post hæc Rex Henricum diutina Diminensium obsidione suspensum alloquio petiturus, terrestri itinere arrepto, urbem Cozcoam à nemine defensam igni implicitam reliquit: cujus processum tum amnis cujusdam profunditate insignis, tum ulteriorum locorum difficultas indicata cohibuit. Hinc Regi in Caminensium provinciam transitus fuit, quam rurali magis populatione, quàm ulla munimentorum oppugnatione permensus, Camino duntaxat inaniter attentato, navigia, quis captivum pecus veheret, prendenda curavit. Hæc tam uber pecoris, opportunaq; commeatibus erat, ut exercitum nostrum bimestri edulio aleret. Legatione deinde ad Henricum missa, præsenti militiæ finem imponere jubet, illo obsidionem, quam frustra gesserit, ocyus soluturo. Quibus responsis acceptis, interiacentia quæq; partim ferro, partim igni adortus, per summam hostilis rei populationem Walogastum accedit. Quo viso, Walogastenses, Zulistro duce, extremam pontis sui partem convellere cœperunt, ne quis hostium per eum irrumperet, inhibituri. Cujus fragmentis pauci ex nostris perinde ac scalis utentes, adminiculantibus socijs, ascensu obtento, hostium urbe exilientium irruptione petuntur. Quibus ob paucitatem resistere nequeuntibus, Hemmingo excepto, omnes cessere. Absalonis hic armiger erat, levibus armis instructus, ad discrimina subeunda promptissimus, semperq; se periculis immergere solitus. Qui dum se parvulo pedis regressu urgentibus subtrahit, talis, gladij, quo cinctus erat longitudine offensis, supinus concidit. Quo lapsu plus gloriæ quàm incommodi expertus est. Nam inter crebras hostium hastas, quibus acerrimè petebatur, non tam suo, quàm fortunæ clypeo protectus, ut primum genibus se excipere potuit, districto ferro propiorum tibias appetivit. Quibus paulisper cedere compulsis, sublimis desilijt, sociorumq; tandem ex pudore fortitudinem capientium accursu petitus, oppugnatores urbem repetere coëgit. Ita ad suos regressus, ac toto corpore integer repertus, admirationi visentibus fuit. Igitur non solum fortitudini ipsius, sed etiam fortunæ veneratio tributa est.

Ea tempestate Romani schismatis controversia, astipulante Cæsare Frederico, pertinacissimo Germanorum errore, compluribus annorum curriculis alita, veri Pontificis Alexandri pedibus proculcata, succubuit, dividuumq; ecclesiæ statum catholicæ concordiæ vinculum colligavit. Quo in tempore Regis, Lundensiumq;, nec non Absalonis legati Româ regressi, læto patriam nuncio compleverunt. Qui tametsi diversas atq; contrarias res petitione complexi viderentur, ea tamen Romani pontificis industria sunt excepti, ut pars utraq; sibi pro votis consultum gauderet. Nam & Absaloni Lundensem pontificatum assumere jussum, & Roskildensem ad-

mini-

miniſtrare permiſſum. Ita geminum eccleſiæ regimen in ejus jus ditionemq; conceſſit, alterum præcepto, alterum indulgentia ſortientis. O novam & inauditam curiæ munificentiam! Recuſanti pallium ingeſtum eſt, inſigneq; quod petentibus ægrè præſtari ſolet, repugnanti violenter imprimitur. Dignos humeros, quibus tam præclarum onus imponeretur. Veniens ſiquidem Romanorum legatus Galandus, Lundenſi clero Roskildiam evocato, præſentem Abſalonem non ſolum literarum recitatione, quæ eum electioni parere jubebant, ſed etiam anathematis comminatione, quo ſe adverſum eum (ſi repugnare perſeveraſſet) uſurum dicebat, electoribus aſſentiri, fidemq; obeditionis ſolenniter ab ijsdem recipere coëgit Quem poſtmodum Lundenſi in templo, pallio, quod attulerat, muneratus, die poſtero Ripenſium electum Homerum religioſo ejus miniſterio pontificem conſecrari conſpexit. Ita legatione ſynceriſſimè atq; integerrimè geſtâ, hybernis exactis, Romam reverit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMIQVARTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANICÆ
LIBER DECIMUSQVINTUS

POST hæc Rex nondum ultionis in rerum ſuarum raptores ſacietatem adeptus, expeditione Sclaviam petere ſtatuit. Quam dum, Septentrionalibus Jutis ſuperſedere juſſis, auſtrales immenſo ventorum flatu peterent, Slesvicenſium Antiſtes Fredericus, perfectiſsimum honeſtatis ſpecimen, dum veli magnitudine eximiam aurarum molem, intolerabilesq; navigationi Notos complectitur, defecta gubernaculo puppe cum omnibus penè ſocijs periclitatus, contractæ claſſis animos ingenti luctus acerbitate confecit. Cujus fato minus triſte non fuit, quòd ſociorum cadaveribus ultrò repertis, ſolum ejus corpus impenſius perquiſitum, ante Spiritus Sancti ſolenne deprehendi non potuit. Cujus tempore Sialandico littori appulſum non odore triſte, nec aſpectu deforme compertum eſt, prorſus ut corruptelâ vacuum exiſtimares. Quo integritatis habitu, ſanctitatem viri divinitus declaratam crediderim. Nec minus veneratu dignum, quod idem fruſtrà ab amicis quæſitus, ejus potiſſimum feſtum corporis ſui repertione clareſcere voluit, cui peculiaris cultus officio honorem habere conſveverat. Tum verò inſignis Abſalonis gemitus erat, præcordialis amici caſum lugentis. Rex copijs apud Falſtriam obvius, vocata majorum concione, proviſum ſibi, inquit, parvula manu magnas hoſtium copias non laceſſere, eam militiæ conditionem habenti, cui plurimum gloriæ vel opprobrij debeatur. Quam ob rem ſe potius Abſaloni, Canutoq; filio expeditionis ſummam committe-

VVALDEMARUS I. re: ſi benè rem gererent, aliquantulum laudis, ſi malè; parum vituperij relaturis. Illi juſſis celeriter obſeqvuti, Rugianorum etiam claſſe, quanta ſubito contrahi poterat, adjuti, inceſſata navigatione Oſtroznam accedunt, in occupando hoſte non minus celeritate, quàm audaciâ uſuri. Quorum tàm latens improviſaq; irruptio extitit, ut pleroſque Sclavorum domi inopinatos opprimerent, provinciamq; penitus incautam vaſtaſſent, nî incendio demum ab inertioribus edito proderentur. Illic binis fortè Sclavis navigio fugam quærentibus, cum alterum à Gerimaro teli jactu proſtratum reliqvis ulciſci cuperet, cognito quod Rugianorum ducem appeteret, telo verecundius abjecto dilabitur. Tanta apud hanc gentem viris in faſtigio poſitis veneratio penditur. Interea claſſis per Penum amnem allapſa, equis, quos inter paſcua reperit, captis Walogaſtum progreditur. Cujus ponte diſiecto, tranſituq; obſtaculis vacuefacto, propter mœnia anchoras jacit; oppidanis imparata adhuc tormenta tractantibus. Eadem obſidionis faſtidijs navigationis diſpendia anteponens, tam vagum ſparſumq; militiæ genus ſecuta eſt, ut hoſtibus errore ludificatis, ubinam maxime ſua tueri deberent, incertum relinquerent. Siquidem evitatis locis, in quibus eos obvios habebat, defenſoribus vacua petebat, quibus eadem accedentibus ex conſulto cedebat, & ad partes præſidio carentes militiam transferebat. Et ne ulla negotiorum intermiſsio foret, peditibus remigio noctes, ſomno dies exigere: equitibus vero nocturnam requiem diurnis militiæ laboribus rependere, conſtitutum. Adverſum quem excurſationis modum Bogiſzlavus & Kazimarus nihil in armis remedij ducentes, animadverſo patriæ vaſtitatem, noſtrorum non minus agilitate quàm viribus inchoatam, ſuo ductu propulſare non poſſe, emendæ pacis conſilium capiunt, quorum arma ferre non poſſent, amicitiam mercaturi. Quibus acceſſis, eorum ſe viribus impares confeſſi, præſentium finium jacturam inter damna non ducere ſimulant, ampliſſima Pomeraniæ deſerta novis ſedibus complexuri. Ad hæc Nicolaus Falſtricus in riſum ſolutus, ſiniſtrè eos patriæ conſulere dixit, cujus inferiora Danis, ſuperiora Polonis, finitimorum manu huc atque illuc jactati, cedere cogerentur. Quo dicto patriæ ſalutem circumſpicere moniti, centum libris nummûm Abſaloni, quòd penes eum expeditionis arbitrium eſſet, totidemq; Canuto promiſſis, legatorum à ſe captorum dimiſſionem cum duobus millibus talentûm, quâ ſummâ rapinam Regi inflictam rependerent, pollicentur. Ad hæc Abſalon reſponſum moratus, ſeductis majoribus, offerri conditiones ab hoſte dixit; quarum uſus pernicioſus patriæ, ſi gratus; contemptus verò commodior quàm charior eſſet futurus. Siquidem pecuniam Regi, pacem civibus, captivis miſſionem, pacti nomine lucrari favori quàm utilitati propius emolumentum eſſe. Ijsdem vero pro nihilo ductis, à bello non recedere ſaluberrimum. Jam enim Sclavorum vires eò tenuitatis eſſe redactas, ut ſi pax deſit, deditionem ſequi neceſſe habeant. Ita ſe ſuis bellum an pacem probent, deligendum relinquere, ne alieno conſilio prætérito, proprium audacter ſecutus videatur. Reſpondetur, ei potiſſimum parti ſtudendum, qua publicus favor poſſit acquiri. Hac ſociorum ſententia Abſalon vti compulſus, ne anxiam Regis exſpectationem inopinata reditus ſui celeritate concuteret, ab Esberno ſe præcurri jubet, ſpecioſum geſtorum nuncium perlaturo. Qui propter Hythim inſulam tempeſtatum adverſitate coercitus, non ante tempeſtivum profectioni

cœlum

cœlum sortitus est, quàm Absalon receptis obsidibus, ejusdem venti beneficio allaberetur. Cujus præcedendi gratiâ navigationem impensius conficiebat. Qua forte Rex inter venandum conspecta, præproperum posteræ classis reditum admiratus, fugam suis injectam credebat. Quam sollicitudinem falsò contractam, cognitis ex Esberno rebus, effusiore gaudio permutavit, utilius pace bellum confessus. Quem etiam hospitio benignissimè exceptum plenis hilaritatis officijs prosecutus est. Die postero classem non solum impensioribus verbis laudatam, verumetiam osculis honoratam dimittit.

Quo postmodum apud Jutiam diversante, Canutus & Carolus petulantiore manu quàm validiore delecta, Hallandiam adorti, exilij proprio scelere contracti supplicium à patria sumere conabantur. Qui dum Hallandensium multitudine, quam sibi faucturam speraverant, repellerentur, fatum fugæ anteponentes, propter nemus, quod Hallandiam à Gothia secernit, aciem ordinant. Ubi infelicibus auspicijs præliati, graves tentatæ patriæ pœnas dedêre. Nam Canutus crebris vulneribus exceptus, ab agrestibus captus, eundem quem Magnus carcerem expertus est, supplicij socium sortitus, quem facinoris consortem habuerat. Carolus mortifico vulnere obrutus, parvulo viæ excessu petito, fortem spiritum inter molles arborum frondes deposuit, felicior obitu quàm frater vita. Quorum patrimonium Waldemarus, lege quæ patriæ reos omnibus bonis damnat, adeptus, insperata opum incrementa contraxit. Igitur Caroli corpus putre postmodum ab indigenis repertum documento fore potuit, aliena fastigia cum propriæ contemptu fortunæ concupiscenda non esse.

Post hæc Henricus ob exercitum Cæsari adversum Italos negatum, gravem bello offensam expertus, cum tantæ rei molem viribus suis majorem cerneret, Waldemarum sibi obvium crebris nuncijs evocatum, pertransito ponte, cujus nunquam anteà dimidium excedere consveverat, per summam mutuæ fidei exhortationem obnixa auxilij petitione sollicitat. Adeò superbiæ necessitas imperat, fastusq; infortunio domatur. Ad quod Rex se nullo fidei debito compelli præfatus, amicitiæ tamen quam olim cum eo junxerit, si monitis suis obtemperatum foret, affuturum promittit. Igitur Henrico, quænam hæc essent, cognoscere cupiente: cum terrenum, inquit, Imperatorem attentare inter ardua ducatur, multò cœlestem lacessere periculosius, qui proprio nutu, præter humanum adminiculum, prospera vel adversa afferre mortalibus possit. Quem si Henricus jampridem à se pontificalium bonorum rapinis offensum, congruis restaurationis officijs complacasset, victoriam mente præsumere posset, alioqui bellum temerè conaturus. Quod si infesto Deo communiter ab ipsis committeretur, ambos hosti victoriam cessuros. Neq; enim dubium fore, quin caduca ac fragili potentia usurus sit, quisquis divinæ pertinaciter obviare præsumpserit. Igitur se non nisi expiato periculo commilitium præbere ausurum, publicæ religioni quàm privatæ amicitiæ propiorem. Tum Henricus multa à se pontificum bonis beneficij nomine extorta confessus, quibus si sponte cederet, ultimæ paupertati subijceretur: corrasæ attonsæq; cervicis homines tanti à se æstimari negabat, ut ultro opibus carere, plusq; eorum iræ quàm gloriæ suæ tribuere velit. Repulsæ tamen suæ silentium ab ipso geri precatur, ne in vulgus negatæ opis fama differeretur. Sic Rege dimisso, promissi ab eo præsidij simulationem apud milites, ne ad Cæsarem deficerent, exhibebat; hac spe eorum animos firmare cupiens. Regressis inde Danis, mirum dictu & novitate prodigium incidit. Siquidem una noctium infinitus murium grex è longinquo rure concurrens, tristi occentu edito, Scleensib⁹ aquis sua sponte submersus interijt: quorum cadaveribus

vento jactatis littus mane constratum apparuit. Quæ res utilior incolis an mirabilior fuerit, incertum est. Eâdem quoq; nocte Absalonis quietem capientis exuviæ à soricibus corrosæ, certissimum futuræ vexationis ejus omen dedêre.

Cui Sialandiam regresso nunciatur, turbatis Scaniæ rebus, plebem à primoribus diffidentem, adversum regios quæstores publicæ consternationis impetum distrinxisse. E quibus Agonem, splendidæ præfecturæ virum, in concione Ludensi, plenâ temeritatis violentiâ, probrosius contrectatum, ac prope vulgi manibus discerptum, nî in ædem divi confugisset Laurentij. Quam facem turbulentissimo multitudinis furore accensam, non nisi per Absolonem extingvi posse, cui facilius sit orientis quàm adulti tumultus arma comprimere. Quam ob rem oportere eum citatò Scaniam petere, si rebus Regis laborantibus dignè consultum cupiat. Qua de re Suno & Esbernus consulti, quàm poterant dissuasorijs verbis profectionem damnabant, dicendo, compertum sibi tacitâ principum conspiratione plebem instinctam, non aliud hoc motu quàm Absaloni periculum petere. Sed Scaniensium legatis rem sine eo sedandam negantibus, iturum se, utcunq; fors tulisset, respondit, etiam salutem suam, si ita res posceret, tot egregijs Regis meritis impensurum. Igitur præmissis, qui Scaniæ primores, habendæ concionis causâ, ad urbem Lundiam contraherent, extemplo se venturum promittit. Nec Scaniam petere cunctatus, patritio spiritu publico furori constantiam suam objicere properavit. Plebs siquidem acerrimis consternationis fluctibus concitata, civilis injuriæ querelas seditioso accusationis genere prosequebatur. Sed & Thordonem concionari exorsum, crebris sibilis infestoq; clamore vexatum cœpto desistere coegit. Cæteris quoq; regiarum partium assensoribus dicendi potestate negata, solam Absalonis vocem tranquillis auscultationis modis axaudire sustinuit. Qui cum multitudinem imperitis clamoris jurgijs obstrepentem, salubriumq́; monitorum impatientem adverteret, dividendam ratus, provinciarum concilijs trifariam distribui jussis, cunctas se principum culpas emendaturum edixit. A quo Thordo, quòd eum ad tumultus vix sedabiles parùm veracibus mandatis evocasset, increpitus, concitatæ plebis dementiam à temulentia coortam affirmat, ejusq́; rei quosdam in concione stertentes fidem fecisse. Quam ob rem non in urbe, sed campo concionandum fore, ne hominibus potionis avidis, violandæ sobrietatis accessus suppeteret. Proxima Absaloni cum australibus concio fuit. Illic Regium Satrapam Petrum, (Eyari hic filius erat) profectis ab invidia accusationibus, asperius quàm verius laceratum, quò tutiorem ab hoc calumniæ genere præstaret, proximo sibi sedendi locò recipi jussit, venerabiliq́; vicinitatis suæ præsidio, ne quid in amicum atrocius consuleretur, providit. Postera luce per summam litium cognitionem exacta, pleno æquitatis judicio cunctas querelarum partes absolvit, causisq́; legitima definitione explicitis, delectatam beneficio plebem ad grates sibi rependendas adduxit. Inde progressus, indigenæ militis indicio cognoscit, seditioso edicti genere concitatum populum, apud Album fontem concioni quatriduo vacaturum. Igitur tametsi Scanorum potissimis stiparetur, ad supplendum tamen arbitrorum numerum etiam Thordonem nuntio vocatum, quid sibi super popularium motu recens fama prodiderit, edocet. Ille verbis suspicionem dementibus rumoris fidem levare, nihilq; tale metuendum astruere, cæteris adversum vim publicam res cautius gerendas monentibus. Ita sententia variante rerum dubijs, indubitato Sigostham insulam explorandi gratia adire collibuit. Illic Absalon antè accepta certiore expertus nuntio consternatam amentia plebem, quòd ei se tutò objecturus non

vide-

VVALDEMARUS I.

videretur, procuratis, qui concionem accederent, per ſummam æquitatis promiſſionem delinire conſtituit. Qui cum omnia atrociſſimo multitudinis furore miſceri, ipſamq; auſu petulantiore inſtinctam, effuſa verborum licentia nobilitati inſultare cognoſcerent, acto mandatorum ſilentio, maximum ſeditioni incitamentum dedêre, plus alienæ dementiæ quàm propriæ legationis officio tribuentes. Quod perfidia an metu egerint, dubium reliquêre. E quibus Petrus Longus, inſignis ſtaturæ, ægrè dicendi poteſtatem adeptus, affirmare, ſe tametſi miles Abſalonis eſſet, reſpectum ejus civium cultui non anteferre, populi majeſtatem Pontificis partibus priorem ducere, plus publicæ charitati quàm privatæ debere. Cæterùm ad omnes vulgi actus imitandos propenſiore animo fore, libertatem ejus jam quaſi naufragam ac periclitantem, ne armis quidem protegere dubitaturum. Reſponſum à concione eſt, ludificari plebem, quam Abſalon magnatesq; rapinis vulgus affligere ſoliti, de induſtria petere ſuperſediſſent. Quam vocem univerſis acerrimo clamore comprobantibus, multitudo maximo fragore diſſiliens, armata paſſim equos involat, Abſalonis penates hoſtiliter petitura. Neque enim eò properanti ſuccurrit illos à ſcelares incurſari, quos toties ſibi munificos experta fuerat. Cujus nuntiandi gratia, legatorum Juniores telis, quibus undique petebantur, callidius evitatis, citatò Sigoſthiam pervenêre. Ea re concuſſi milites Abſalonis, diverſo conſilio defenſionis auxilia circumſpiciebant. Alij pratis ſpaciantes equos colligere, pars vadum prætentum inſulæ, quod poſtmodum Abſalon lateritio opere vallandum curavit, contractis, quas fors obtulerat, quadrigis occludere, pars ſaxa jactilia lectitare. Tum Abſalon, hortante ſeniorum turba, aut obſidioni animum præparare, aut primis incurſantium, ante nimium & intolerabilem multitudinis adventum oppreſſis abſcedere, neutram conſilij partem probare ſe dixit, quod nec opportunos obſidioni commeatus haberet, & ſe patrem potius quàm prædonem exiſtere meminiſſet. Sed neq; ſe pacis ſtudium, cujus condendæ cauſa advenerit, humano ſangvine polluturum, aut pias paſtoris partes truculento percuſſoris officio mutaturum. Malle verò, qui primi irrumperent, innocuè & ſine cæde deturbandos curare, facile fugam daturos, quod nullo fulciantur imperio. Militibus deinde quempiam plebeiorum violare prohibitis, primorum agmen propinqvum collem acie occupantium, prælata cruce adortus, in proximum nemus refugere coegit: comprehenſo ſeditionis autore, quem memores juſſorum equites, armis amictuq; nudatum, pulſare duntaxat contenti fuêre. E quibus unus confertiſſimis hoſtium globis laſcivioris equi petulantia adactus, loco paluſtri ignorantibus ſocijs, concurſu popularium interficitur. Ita Abſalon agreſtium impetum eluſiſſe contentus, nullo hoſtiliter imminente, liberum repetendæ urbis iter habuit, eisdem avidiſſima inſulæ direptione, irarum ſuarum procurſum explentibus. Igitur patricij ſpiritus Pontifex, ut tranquillum ita ſalutare conſilium ſecutus, pietatem ſævitiæ præferendo, dum gregi parcendo conſulit, plus gloriæ & virtutis in innocentia, ac moderatione, quam læſionum ſuarum ultione conſtituit. Quò enim ſe longius à ferri licentia retraxit, hoc religionis laudi propius admovit. Supervenientibus deinde, quos ad deliniendam concionem direxerat, eorum vocatione queritur ſimplicitatem ſuam huc diſcriminis eſſe perductam: percontatus, cur improvidum ſe & imparatum, ad res tanta difficultate implicitas, ſe cura mandatorum ſpecie pertrahere voluiſſent. Quibus ſe nihil tale ſuſpicatos dicentibus, culpamq; negligentiæ confeſſione excuſantibus, æſtimare eos, quid nunc expediat, jubet, præteritum errorem præſenti conſilio correcturos.

Respondent, nec armis se, nec auxilijs instructos, contrahendi utriusq; commodi causa domum digredi necesse habere, paratiores postridie eversuros. Ipsum interim exquisito latebræ genere uti debere; probro cariturum, qui tempori consulat. Quod utrum malignitate ingenij, an inopia consilij protulerint, æstiment, quibus sequentia eorum acta cognosse fastidio non fuerit. Refert Absalon honestiorem sibi castelli, quod in Sialandia haberet, aditum fore, parum latebras exquirere solito. Quarum deformitatem perosus, Thordone navigium præbente discedit. Neq; enim claritatem suam obscuriore loco coarctandam putabat, cujus fulgorem per tot terrarum spacia conspicuis virtutis operibus diffusum non ignorabat.

Sialandiam ingressus, Waldemarum, apud insulam Samsam, venandi studio inservientem, receptâ ab ipso epistolâ, petere jubetur, necessarijs patriæ usibus vacaturus. Ubi cum Sunone Esbernoq; propositas negotiorum curas debitâ agitatione complexus, postremò apud Regias aures Scanici tumultus famam edidit, primusq; ipse perturbationum suarum nuntium agere non exhorruit. Æstuantem animo Regem, seditiosisq; supplicia minitantem, consilij sui delinimento à proposito retraxit, exigendæq; ultionis affectum, primorum Scaniæ virorum benevola vocatione differre docuit, quos etiam illum apud Fioniam petituros, plenis humanitatis officijs prosequi non supersedit. A quibus eundem precari rogatus, ne Saxonem, Achonem, Sunonem, & Esbernum homines extra Scaniam ortos, ejus rebus præesse pateretur, affirmantibus finem seditioni fore, quæ ob solam eorum petulantiam cœperit, si procurationem exteris attributam ad indigenas transferri curasset. Invidere eos Regis potentiæ respondit, cujus in dandis beneficijs arbitrium abrogare nitantur. Se vulgi sævitiam experiri, quàm regiarum rerum dominium tot sæculorum usurpatione firmatum, insidiosa prece subruere malle. Tum illi omnem consternationis rabiem in ejus caput effundendam minati, superbius æquo responsum dedere. Ijsdem à Rege quidnam mitigandis Scaniæ rebus efficacissimum esset interrogatis, solam ejus Epistolam, quæ blanda asperis certæ moderationis temperamento misceret, huic tumultui sedando suffecturam dicebant. Quorum instinctu Rex plebem Scanicam plenis minarum literis aggressus, non parum nutrimenti publici furoris incendio addidit. Siquidem indignatus populus, eum adversum se concitatioribus notis usum, adversum hunc scribendi ausum iram suam severius distringendo, omnia vectigalium jura solenniter abroganda curavit. Pontificales quoq; decimas execratus, sacerdotibus conjugia decernebat. Quorum etiam sacra sibi, exploso Pontificis ministerio, sufficere prædicabat. Igitur in divina pariter humanaq; grassatus, majestatis contemptum religionis injuriæ sociabat. Rex frustra minis institisse se videns, armis agere constituit, exactoq; messis tempore, in traijciendo milite magnis navigiorum copijs succinctus, Helsingum oppidum petit, Absalone inter postremos appellere jusso. Plurimum illic vulgus piscandi opportunitate contractum, crebris habitaculis occupaverat littus. Quod Absalone viso, odium ejus alimentorum suorum studio anteponens, littorales, & quos casus obtulerat, lapillos adventanti ipsius navigio objiciebat, parum recolendo illum à se Scaniæ finibus pelli, qui cunctis Daniæ locis tutum habitationis usum præstiterat. Pars Rege in concione relicto, per summum majestatis contemptum ad mare decurrens, Antistitis adventum pari injuriâ excipiebat. O ingrata Scaniensium gens, quæ pleno temeritatis furore, tot commodorum tuorum autori injuriam pro gratia rependere rubori non ducis. Pastoris parentisq; tui navigium improbissimis evecta furijs, finibus tuis prohibere conaris, cujus beneficio tibi piraticam toties sævitiam expertæ, tua latè navigatio patet. Illi præsentem littoris aditum negas, cujus bellica virtus, nè tu quidem hac littoris sede pellerére, perfecit. De-

fine

ſine ergo optimis ampliſſimi integerrimiq; viri meritis quaſi graviſſimis inſultare delictis, erroremq́; iniquo animorum judicio contractum, veloci pœnitentiæ ſtudio redime. Nec patienter Rex tam contumelioſam eorum audaciam ferre potuit. Æſtuantem eum, equosq; & arma poſcentem, Aruſiorum Pontifex SAENO medium complexus, ne quid duri in plebem committeret, obſecrabat. Pietas illi an metus hunc auſum præſtiterit, incertum eſt. Sed apud Regis animum continua Abſalonis charitate flagrare ſolitum, venientis amici pericula, complectentis precibus præponderabant. Quo deſcendente, qui navigium infeſtaverant, ſumma cum innocentiæ ſimulatione, repetitis tabernaculis, Abſaloni littus ceſſêre, in quo poſtmodum dividuum ei Regiq́; cum Scanico milite colloquium fuit. Scanienſes, apud quos Rex ſopiendæ ſeditionis conſilium agitabat, Abſalonem advenasq; Scaniæ portioni præpoſitos, remittendos monebant, dicendo, nihil ad publicam dementiam comprimendam eorum abſentiâ efficacius fore, quæ non adverſum Regem, ſed in illorum plenos malignitatis actus exarſerit. Hujus ſententiæ ſuffragatores Jutenſes milites fuêre. Creditum eſt eos partim decimarum odio, quarum nuper Scaniæ Sialandiæq́; ſolutio inoleverat, partim metu ex forenſis pugnæ recordatione contracto, Abſalonis affectaſſe diſceſſum. Quam ejusdem equites honeſtiore animi judicio execrati, tantum ſibi neceſſitudinum, tantum generis armorumq́; robur eſſe dicebant, ut invitis infeſtisq́; popularibus herum ſuum absq; regiorum militum adminiculo, per cunctas Scaniæ partes à ſe tuto libereq́; circumducendum ſperarent. Quorum animoſis adhortationibus Rex, ob pacem plebi conciliandam, ignavos Jutenſium monitus anteponens, vocato Abſalone ſecretò, memorat quantam invicem ſententiarum concordiam ſemper geſſerint. Nunquam ſibi tam diverſa ac rigida animorum judicia fuiſſe, quin ad poſtremum alter alterius arbitrio flecteretur. Orare deinde eum, progreſſionis in Scaniam propoſitum deſerat, Sialandiamq́; repetere deforme non ducat, ſpecioſis aliquando conſilijs utilia prælaturus. Ad hæc Abſalon ne tunc quidem ſe veterem obſequendi morem relicturum præfatus, conſilio uſurum affirmat, quamvis abſentiam ſuam multis & gravibus mendaciorum notis lacerandam ſciat. Rex gratijs tantæ moderationi impenſius actis, equites ejus in augmentum comitatus depoſcit. Illi in plenos fidei charitatisq́; fletus effuſi, hunc ſibi ſupremi perpetuiq́; dedecoris diem affirmant, huc ignominiæ non propria ſed alienorum ignavia protractis, ut cui famulatus officia debeant, deſertionis probra perſolvant. Ita Abſalone per ſummam animorum mœſtitiam relicto, Regem proſequebantur. Graves illi difficilesq; cum plebe conciones fuere. Vbiq; enim cauſas armata dicebat, animum habitu oſtentatura. Quotidie Abſalonem falſo & inaudito obtrectationis genere lacerabat. Hæc audentem Jutenſes occulto laudationis ſtudio proſequebantur, blanditijs foventes, quod armis punire debuerant. Qua adulationis deformitate, maximum ſeditioni irritamentum dedêre. Rex finitis commeatibus Scaniam relicturus, lectos è plebe viros componendi cum Abſalone gratia, ad illud Sialandiæ littus, quod ab Elſingo oppido vocabulum tenet, traijcere jubet. Vbi demum Abſalon Regi obvius factus, compluribus innocentiæ teſtimonijs objecta purgando, cunctas mendaciorum partes, quibus abſens notatus fuerat, adeò validis copioſisq́; rationibus ſubruebat, ut criminatores reatum confiteri coactos ad veniam à ſe flagitandam adduceret, deq́; accuſatoribus ſui veneratores efficeret. Nec parvâ apud omnes eloquentiæ ejus admiratio extitit, compluribus, qui aderant, divino ore eum egiſſe dicentibus. Sed hæc omnia Scanienſium legati ad civium arbitrium relegantes diſcedunt, absque patriæ conſenſu nullum ſibi componendi jus eſſe teſtati. Sed neq; eorum fida adhortatione, populus Scanienſis ad deponendam conſternationis ſuæ rabiem adduci potuit. Nam

VVALDEMARUS I.

nec decimas pontificalibus uſibus ſolvi curatum, nec quicquam, quod ad præſtanda ſacrorum jura attinebat, exhibitum. Quorum infandam ſacrilegamq; pertinaciam Abſalon proximo ſacerdotali concilio per epiſtolam viſitato, cunctarum Scaniæ eccleſiarum obſeratione puniri præcepit. Cujus edicti præmonita plebs, per idem tempus ante ædem Laurentij in concionem armata deſcendit. Ad quam ſacerdotes, binis ordinis ſui viris, qui pontificalis edicti rigorem exponerent, miſſis, ſacrorum ceſſationem, diviniq; taciturnitatem officij, ſi decimarum ſolutionem abnuere perſeveraſſet, minati ſunt. Delegantur totidem è plebe mutuas ſacerdotio minas intentaturi. Ab his reſponſum eſt, ſacerdotes alimenta ſua plebi, non pontifici debere, quorum munere & beneficio neceſſarijs vitæ uſibus inſtructi noſcantur. Quocirca aut divinis inſerviant, aut ingrati patria cedant: ſi neutrum egiſſent, non ſolum honorum omnium pœnam, ſed etiam ſæva membrorum ſupplicia recepturi. Ad hæc clerus reſponſo conſtantiſſimè dato, ſe neq; mortis metu, neque paupertatis reſpectu, quò minus Antiſtitis ſui imperium perageret, ceſſaturum affirmat. Tam pia tamq; religioſa cleri conſtantia, evictum vulgus precibus minas mutando, quoad Abſalon conveniri poſſet, ſententiæ dilationem poſcebat. Civile ſiquidem bellum ſe excitaturum timebat, ſi in ſacerdotes ſibi nobilitate pares animadvertere ſtuduiſſet. Nam cum in Scania alienigenæ indigenis permixti, ſacerdotia gererent, amplior tamen digniorq; domeſticis reverentia præſtabatur. Quo effectum eſt, ut utriusq; ordinis conſenſu mitterentur, qui juſtas animadverſionis inducias flagitârent. Haud ægrè ab Abſalone obtentæ ſunt, plus clementiæ quàm ſeviritati indulgendum putante. Multum ab eodem gratiarum ſacerdotalis cœtus conſtantiæ perſolutum. Nihilominus populus cum contemptu beneficij, regiorum pontificaliumq; militum penates publicè diripere perſeveravit. Appetente publici iejunij tempore Rex Scaniam, ejus Sialandiæq; militia ſuccinctus, Helſingi tranſitu petit, Fionienſium Jutorumq; comitatum, ob præbita ab eis jamdudum ſeditioni irritamenta, pertæſus. Abſalon, ob chriſmatis confectionem pontificali officio adminiſtrandam, Lundiam deproperat, ubi paucos cum Rege dies feriatus, vicino rure ſe excepit. Hac fama ſeptentrionalis Scaniæ populus cum Hallandenſibus excitus, more gentis, miſſo per omnes ſtipite, ſub ſpecie petendæ libertatis, belli titulum fingit, eoq; edicti genere exercitum conſtruit. Quem tanta dementia ceperat, ut manum cum Rege conſerere properaret, ſummi imperij vires laceſſere nullius negocij exiſtimando. Quo Rex è plaga auſtrali regreſſus, apud Dyſiam pontem excepto, oranti ſe Abſaloni, fuſtibus quàm armis agere mallet: cum viris ſibi, non canibus, confligendum reſpondit. Igitur non iræ aut furoris impulſu concitatus, ſed conſpicua animi induſtria ad corrigendam civium inſolentiam, metumq; conſimilis audaciæ cæteris inijciendum, aliquid ab inviſiſſima ſibi feritate mutuandum ratus, manſvetudinem ingenij ſui, depoſita ad tempus clementia, crudelitatis actus imitari coëgit. In ponte res geſta eſt, utriſq; tranſitum anticipare ſtudentibus. Anceps diu prælium fuit: inſignis illic agreſtium pugna extitit. Quorum aciem Abſolonis equites per ignoti vadi compendium irrumpentes, repentinam victoriam edidêre. Multi illic popularium cæſi, compluribus amnis exitio extitit. Ferrum vitantes, aqua periclitati ſunt, reliquiæ fuga ſervatæ. Ita nefarius ille cœtus divino judicio profligatus, ſacrilegi furoris pœnas exolvit. Rex Lundiam regreſſus, orientalium partium armatam plebem adventare cognoſcit, unius jam exercitus victor, alterum excepturus. Cujus generalem conventum pugnæ celeritate præcurrere monitus, à Lundenſibus, ſtipendiorum loco vectigalium laxationem poſcentibus, aliquandiu retentatur. Quibus obtentis, in proximum campum

exceſ-

VVALDEMARUS I.

exceſſiſſe contenti, longius eum ſub excuſatione tuendæ urbis proſequi ſuperſederunt. Id Regi tardius hoſtes excipiendi cauſam præbuit, Getungam appellant pontem, apud quem armata popularium corona conſedit. Grandes illuc lapidum acervos prohibendi pontis gratia vecors turba congeſſerat. Rex alio amnem vado transgreſſus, ferro decernere ſtatuit. Sed plebem non tam præſentia Regis arma, quàm dira recentis ſociorum cladis exempla terrebant. Miſſis igitur qui pontem à Rege repeti precarentur, ab armis ſe diſceſſuram promittit. Præcipuè Regem, Abſalonis, nimiam agreſtium ſtragem vitandam dicentis, temperamenta flectebant. Repetito ponte, ſupplices à ſeditionis autoribus ad Regis genua manus tenduntur, cunctaq; famulandi officia avidius promittuntur. Cùm de fide ambigeretur, jusjurandum promiſſionibus additur. Sic vulgi collegio dimiſſo, Lundiam reditur. Scaniæ deinde gyro pertranſito, obſides à plebe recipiuntur. Ad reliqua facilis populus, decimarum ſolutionem duntaxat pertinacius abnuebat. Nihil magis Regi quàm ad earum remiſſionem Abſalonem abducere curatum eſt: ſummoperè cavendum dicenti, ne ſibi fortè, quòd olim Canuto Othonienſi decimarum jura propagare nitenti acciderat, eveniret. Abſalon quicquam ex conſveto ſacrorum jure decerpere, non minus ingloríum quàm ſacrilegum ratus, conſtantius id ſe facturum negabat, dicendo, tametſi Rex plebis ſententiam favore proſequeretur, ſibi impedimento non fore, quò minus ab ea decimarum debitum exigere perſeveraret, neminem ad participanda ſecum pericula provocaturus. Tutiſſimum igitur Regi ſilentium fore, ne eccleſiæ opem ferendo, populari ſe ipſum odio implicet. Tam juſtam, tamq; fortem Abſalonis conſtantiam Rex animo veneratus, cum remiſſionem admittere nolit, exactionem differre poſtulat, conſilio poſtmodum effici poſſe, quod armis nequeat. Paruit precanti Abſalon, præfatus ſe decimarum loco prioribus pontificum conditionibus non uſurum, ne prorſus earum jura negligere videretur. Tam modeſta Abſalonis promiſſio conſternationi remedio fuit.

Summa poſtmodum Cæſaris in attentando Saxoniæ principe calliditas patuit. Non enim minorem expugnandi ejus ſpem in acumine, quàm viribus, reponebat. Inprimis Waldemarum, quem eidem certius affuturum credebat, aſtutiâ tentat. Siquidem binas ejus filias, totidem filiis ſuis, quorum alterum ſucceſſioni imperij deſtinarat, alterum Sveviæ ſatrapam conſtituerat, per legatos in matrimonium poſtulabat: non quod ſanguini ſuo bonæ fidei nuptias quæreret, ſed ut hoſtem amicis abundantem auxilijs ſpoliaret. Quod callidius an impudentius egerit, ignoraverim. Ad illum enim falſas jungendæ affinitatis preces dirigere non erubuit, quem olim perfidiæ laqueis complicatum ad obſequia ſibi paciſcenda pertraxit. Amici Regis, intellecta fraude, hæc non matrimonij voto, ſed Henrici odio flagitari dicebant. Tam veros Cæſarianæ calliditatis interpretes, ſola Reginæ ſententia ſuperavit, ſangvinis ſui connubijs affinitatem cum Cæſare jungere glorioſum ducentis. Quærente Rege, quantum ab eo dotis nomine exigeretur, legati ſe ignorare dixêre, remq; ad Cæſaris arbitrium retulêre. A quo reſcriptum eſt, curandum Regi Lubecam petere, cuncta ſecum illic commodius definituro. Obtemperatum rogatui eſt. Interea Cæſar omnibus imperij nervis ad obruendas Henrici partes conniſus, urbes ejus paſſim ad ſe deficientes in deditionem recepit. Defectionis cauſa non tam Cæſaris amor quàm Henrici odium extitit. Is ſiquidem nimijs ac diuturnis felicitatis ſucceſſibus elatus, inq; ſummo fortunæ faſtigio nullum ruinæ incommodum ſuſpicatus, ſubjectas tyrannidi ſuæ cervices inuſitata dominationis ſævitia atq; intolerabili morum acerbitate vexabat, nec hoſti quàm civi importunior exiſtere conſveverat. Igitur non bello aut clade, ſed fraude militum & deſertione viribus amiſſis, cum ſolas ſpei reliquias in Tranſalbianorum auxilijs

xilijs haberet, Lubeco oppido relicto, quòd se ejus mœnibus parum tutum arbitraretur, summa cum festinatione correptis navibus, in Stormariam intimum fugæ suæ receptaculum penetrat. Hujus provinciæ præses Adolfus apud ipsum profusis charitatis officijs à pueroalitus, filiciaq; naturæ pariter ac fortunæ incrementa sortitus, atq; ad ordinem militarem summis beneficentiæ studijs provectus, tam fœdam educationis suæ mercedem exolvit, ut inter omnes Henricianæ militiæ comites, primus se defectoris nomine macularet. Post hæc à Cæsare navigia, quibus Albiam superaret, sagittarijs & funditoribus completa, per pronum amnis alveum immittuntur. Pari studio classis exquisito bellatorum agmine referta, ad impediendum Cæsaris trajectum ab Henrico contracta. Quæ postquam hostilium navium multitudinem in conspectu habuit, earundem numero perterrefecta, proposito per fugam deserto, Cæsari transitum cessit. Qui dum oppidum Lubecum obsidere cœpisset, Bogislaviq; & Kazymari fratrum vires admodum suspectas haberet, utriq; se potentiæ & claritatis incrementa daturum, subornata legatione promittit, provincias, quas hactenus obscurè & sine honorum insignibus gesserint, Satraparum nomine recepturis. Jucunda Cæsaris toties ab Henrico læsis promissio extitit, non intelligentibus, sibi sub specie beneficij deforme servitutis jugum intendi. Interea Waldemarus classe luxu quàm armis ornatiore Lubecum profectus, occurrentibus sibi Germanorum equitibus, eximiasq; ejus adventui grates habentibus, navigationem medio amne, quoad possit, proferre deposcitur, quo brevius inter ipsum ac Cæsarem iter restaret. Quo facto, postero die, an Cæsarem medio itinere obvium affectaret, à legatis rogatus, castra ejus petere præoptavit, Romani imperij rectorem in re modica fatigare supervacuum existimando. Nec minor Cæsaris in excipiendo Waldemaro calliditas, quàm Waldemari in petendo Cæsare moderatio extitit. Siquidem in primis eum amplexu atq; osculo decentissimè veneratus, mox dextra honorabiliter apprehensa, deposito amiculo per media castra perduxit, præconis more cunctos ei via cedere jubendo. Tentorium quoq; nimio multitudinis conspiciendi Regis avidæ concursu collapsum, planum campi petendo deseruit. Ubi sedandæ pressuræ gratia, distentâ virgâ, quàm poterat celsa voce, cunctos locis, in quibus consisterent, considere præcepit. Sed Waldemarus cum ejus dignatione perinde ac quadam moderationis æmulatione contendens, sellam suam se exspectaturum respondit, ne probato sedendi usu, Imperialis cathedræ honorem usurpare videretur. Magnates honoribus eminentes, non ordine aut ratione discretis sedendi spacijs, sed ut quemq; violentæ pressionis casus jactaverat, sedilia habebant, fortuna non dignitate locorum usum distribuente. Illic exaudire erat Theutonum voces formam Regis staturamq; mirantium: quos tanta visendi ejus cupiditas ceperat, ut cum sedendi humilitas obstaret, alter alterius conscensis humeris productis illum cervicibus inspectarent: hunc Regem, hunc dominum, hunc Imperio dignum referre, Cæsarem regulum homuncionemq; vocare. Adeò Barbaris eum excellens corporis habitus venerabilem faciebat. Crediderim Cæsarem has militum voces dissimulanter tulisse, ne Regis laudibus offendi videretur. Quem post diutinam omnium admirationem, paucis secum exsurgere jussis, in proximum tabernaculum eodem comitatis genere deducendum curavit, quo venientem fuerat prosecutus. Illic enim serijs omissis aliquandiu benevolo jucundoq; sermone detentum, ad vesperam, prosequente totius Germaniæ juventute, discedere permisit; luce postera apud sylvam portui vicinam opportunioris colloquij gratia præsentiam redditurum. Interea filios Regiam navem petere, inq; ea sub specie lusitandi morari præcepit, charissimorum pignorum familiari conversatione, in quanto Regis adventum poneret, ostendere cupiens. De quorum nuptijs condicto in loco mentionem orsus, majori tri-

ginta

ginta millia talentûm, minori octo in matrimonij conditionem deposcit. Quæ res suspecta Danorum ma oribus fuit, virgines nondum ad nubendi ætatem provectas, fraudulenter ab eo postulari credentibus. Sed Waldemarus majorem summam suis opibus imparem arbitratus, minorem, Ungariæ Regis, arcta sibi propinquitate conjuncti, fiduciâ pollicetur. Huic pactioni jurejurando firmitas adjecta est, desponsionisq; vinculum sacramenti religione constrictum. His actis Rex navigia, Cæsar castra repetijt. Quo tempore Sclavorum ad ipsum, regiæ classis metu, navigijs progredi non audentium, legatis receptis, diluculo navigium Regis parvo militum numero comitante, ejusdem cymba advectus, cunctis inopinatus ascendit. Igitur Rege exercitus sui primores participandi colloquij gratia contrahente, solum Rugiæ principem Jarimarum, quem pridie compluribus venerationis officijs, insuper Regio nomine adulatus fuerat, quòd eum Danis perquâm fidum non ignoraret, vocari passus non est. Habere deinde se dixit, quod ad Regem secretò referre cupiat, quem ob futurum mutui sangvinis contractum non amicum modò, verumetiàm unanimem habeat. Sclavos siquidem enervandi gratia Henrici à se promissionibus allectos esse, quas eodem expugnato minime exequi velit, memor quid olim sibi de subigenda Sclavia pollicitus fuerit. Orare deinde patiatur se eam ad præsens sui muneris facere, binis fratribus geminæ præfecturæ titulo speciosius quàm diuturnius tribuendam. Eandem quippe se ei, profligato Henrico, subijcere curaturum. Annuente Rege, posteroq; die concionem petente, Bogiszlavum & Cazimarum, datis solenniter aquilis, Sclaviæ duces appellat, veterem atq; hæreditariam patriæ libertatem vanis atq; fucosis dignitatum nominibus venditantes. Qui si scissent quanto oneri se exigui panni receptione substernerent, mortem beneficio prætulissent, aut privati in omne vitæ tempus degere maluissent. Sic sub honoris specie, gravissimis dedecoris probris implicati discedunt, servitutem falsis dignitatum insignibus coloratam in patriam referentes. Illic quoq; Sifridus, splendido Thyringiæ loco ortus, unam Waldemari filiarum, Cæsare astipulante, despondit, regiaq; nave devectus, solennes Slesvici nuptias habuit.

Interea Sclavi castello, quod propter Zuynensia ostia moliti fuerant, hyberna maris exundatione pessundato, bina alia ijsdem in locis materia per hyemem contracta, Veris principio condiderunt, inexpugnabiles se fori rati, si Penus amnis Walogasto oppido, Zuyna maritimorum præsidiorum obstaculis clauderetur. Quod Rex sero nuncio expertus, cum ad Viridem portum impediendi operis gratia contractis copijs appulisset, ex Rugianis cognoscit consummatas arces præsidijsq; completas. Præcipuè eum in his expugnandis circumspecta portuum inopia desperare coegit. Tunc Canuto filio, cum Absalone, Sunone, & Esberno vocatis, refert, difficilem arcium oppugnationem sibi visam, alienis eas auspicijs quàm proprijs incessere præoptanti, ne studijs parum ex sententia cedentibus, rerum toties à se feliciter gestarum fulgor corrumperetur. Igitur Canuto atq; Absaloni oppugnationis curam imponit, præfatus, minus ruboris ex inefficaci illorum pugna, quàm sua ad patriam redundaturum. Si vincerent, non minori sibi gloriæ fore, quàm si ipsemet victoriam edidisset. Sed Absalon Scanorum atq; Sialandensium ductum pollicitus, Jutos sua opera ductandos negabat, quos non solum imperij sui, verum etiam adolescentiæ Canuti contemptum acturos sciret. Nec eum prædictionis augurium fefellit. Permotus dicto Rex, iturum, licet invalidum, respondit. His curis astrictus, morbo ex sollicitudine contracto in lectum decidit. Enimvero præcordia ejus dividuæ passiones, hinc vincendi cupido, hinc desperatio, torserunt. Mane ducibus eum, ut sibi parceret, orantibus, imperiumq;

VVALDEMARUS I.

riumq; ejus etiam abſentis ſe executuros ſpondentibus, vix atq; ægrè conſenſit, ut ad oppidum Worthyngum, filio pontificiq; contradita belli ſumma, deſcedere. Quibus eodem in loco diutina ac vehementi tempeſtate detentis, ſeditioſæ Jutorum voces toto littore exaudiebantur, tum commeatuum alimentorumq; defectum cauſantium, tum expeditionis militiæq; remiſſionem poſcentium. Quas cum Homerus Ripenſium Antiſtes, quem præter religionis dignitatem ſingularis eloquentiæ claritas commendabat, copioſis facundiæ documentis delinire non poſſet, poſtremo vim verbis anteponendam ratus, quendam ex ſeditionis conſortibus ante tentorij ſui fores pertinacius obſtrepentem, prendi vincirique curavit. Quæ res populi clamorem auxit, ſeditionem accendit. Igitur patres plebis à Rege cum contemptu imperij diſceſſum veriti, communicato colloquio expeditionem ab eo ſponte ſolvendam decernunt, temerariam ejus delapſionem ſimulatæ licentiæ beneficio præcurrendam putantes, ne magis proprio ductu finiri quàm regio nutu remitti videretur. Quæ ſi in præripiendo reditu propriæ voluntatis motum ducis arbitrio prætuliſſet, evenire poſſe, quod divo Canuto ſolutæ claſſis pœnas à patria exigenti contigiſſe proditur. Quam rem Canuto, ſi patrem ejus jam febri implicatum præſens morbus abſumeret, regni ſucceſſionem adimere poſſe. His conſilijs adductus Canutus, convocatam claſſem, facta revertendi poteſtate, dimittit, beneficij loco erogans, quod plebis petulantiæ negare non poterat. Ita ſeditionis periculo bellum omittere coactus, cum Abſalone, Esberno, & Sunone Worthyngum adnavigat, paternæ febris exitum exſpectaturus. Igitur Waldemarus per apertam cubiculi ſui feneſtram velorum reditum contemplatus, admiratione rei, morbi pariter atq; ægritudinis incrementa contraxit. Summa tamen utriusq; diſſimulatione uſus, filium ad ſe cum arbitris venientem tam hilari vultu admiſit, ut penè morbo vacuus putaretur. Quinetiam ſe minimo doloris ſenſu teneri dicebat, corporis moleſtiam animi robore diſſimulare conando. Apud Abſalonem tamen religioſam culparum confeſſionem agere non oblitus, incertum mortis tempus ſacro correctionis genere præcurrendum credebat, ſeram atq; inutilem pœnitentiam judicans, quæ emendationis odio, nimiaq; peccandi perſeverantia ad ultimum usq; ætatis terminum prorogatur. Præterea locis monaſtica religione ſacratis dimidium patrimonij ſui, quæ ad fiſcum regium pertinebant exceptis, teſtamento legavit. Sed cæteris benè de ejus ſalute ſperantibus ſolus Suno, ſive ſomnij monitu, ſive alio mentis oraculo doctus, fatalem hanc Regi febrem augurabatur, quonam modo filij rebus, decedente patre, ſuccurri oporteret providendum hortatus. Tantam ſiquidem in Regis funere luctus acerbitatem futuram, ut conſilium ullum adverti nequeat. Eodem tempore Johannes quidam religione Abbas, medicinæ præſumptuoſior quàm peritior profeſſor, cujus opi plurimum credebatur, è Scania accerſitus advenit. Qui morbo parum prudenter inſpecto, ſoſpitatem Regi conſtantius quàm verius promittebat. Quem cum cibo medicinali arte confecto reficiendum curaſſet, cunctis cubiculo ejectis, quietem capere jubet. Eundem paulò poſt ſine voce eſſe compertum, ut artuatim ſudore ſuffuſum invenit, accuratius operiri præcepit, lætum id profluvij genus ac ſalutare teſtatus. Utinam Sunonem potius mentis augurium, quàm medicum artis ſuæ præſagium fefelliſſet! Cujus promiſſum Regis obitus inſecutus, quàm parum fidei in medicorum opere reponi oporteat, documento extitit. Ingreſſi mane cubiculum amici, defuncti Regis corpus perquam ſimile ſpiranti reperiunt, adeò priſtinum habitum retinente vultu, ut nec rigore contractum, nec horrore mutatum cerneres, rubicundis oris notis vivi hominis ſpeciem aſpectumq; reddentibus.

Incer-

incertum an deceſſiſſet, priſtini caloris habitus totis adhuc membris retentus, relinquere videbatur. Sero tandem pallore mortis fidem faciente, mandatur feretro corpus, Ringſtadiumq; funerandi gratia devehendum curatur. Hic vicus non veſtutate modò, ſed etiam paternæ ejus ſepulturæ titulo conſpicuus habebatur. Acceſſit luctui matrum miſerabilis planctus, ſparſis comis funeri occurrentium, iterumq; ſe priſtinum ſervitutis onus experturas dicentium, extinctum illum, qui civium capitibus captivitatem detraxerit, qui patriam piratarum metu vacuefecerit, maritimasq; ſedes perinde ac domeſticas à prædonum incurſu tutas præſtiterit. Agreſtes quoque funebri ipſius pompa conſpecta, ruſtico opere, quo occupati erant relicto, conſentaneis arva querelis replebant. Cui etiam ut ſupremi officij decus præſtarent, funebri ejus lecto humeros ſubijcere jocundum ducebant, everſam Regis morte patriam, miſeriſq; ſibi commune funus, aut ſi quid funere triſtius eſt, imminere plangentes. Pro cujus ſpiritu ſalutaria Abſalon vota geſturus, inter ſolennium verborum nuncupationem doloris impotens, non temperavit ſibi, quò minus aram lacrymis ſpargeret, vixq; ad rem divinam peragendam vocis aut manus miniſterio ſufficere valuit. Quinetiam tantum ægritudinis animo contraxit, tamq; gravi & periculoſa valetudine ſubitò affici cœpit, ut penè vitam cum ſacrificio finiret. Incredibile videretur tantum virum tam inſigni luctus horrore confectum, ſi non ejus erga Waldemarum affectus fuiſſet notiſſimus. Sed fortuna, altero patriæ lumine extincto, reliqvum perire paſſa non eſt, ne deeſſet, cujus ductu Daniæ pedibus Sclavia ſubijceretur, aut gens, quæ ſub tantis ducibus ad excellentem honoris habitum provecta fuerat, tutore vacua remaneret. Cujus lacrymis precum loco defuſis reſperſa altaria, non parvulum promptiſſimæ ejus erga Regem benevolentiæ indicium præbuere. Ijsdem quoq; madefacta thura, gratum Deo odorem dediſſe crediderim.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMIQVINTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANICÆ
LIBER DECIMUSSEXTUS.

PERACTIS inferijs, corporeq; Regio honoratiſſimè funerato, Canutus, monentibus arbitris, feſtinatione, quâ regnum peti firmariq; oportuit, in Jutiam ſeceſſit, paternos ſibi milites obligaturus. Neq; enim illi nomen Regium ambiendum reſtabat, quod unctionis ſuæ tempore ſolenniter adeptus fuerat. In concione Wibergenſi benevolos civium animos expertus, apud Wrnenſem tacita quorundam ſimultate compreſſa, pari cæterorum favore excipitur. Atq; ita patriæ conſenſu, Regni hæres efficitur. Interea Scanorum populus laxata ſibi priſtinæ petulantiæ frena Regis morte gaviſus, cladis apud Dyſiam pontem peractæ piacula à principibus exigere conſtituit, per quos chariſſimis neceſſitudinum ſolatijs orbatus fuerit. Sed & Ako quidam, Tubbonis filius, plenis temeritatis eloquijs, flagrantiſſimam civilibus malis facem ſubijciebat, extinctæ & jam penè ſepultæ Scanicæ ſeditionis reliquias ſuſcitando. Cujus mali impediendi gratia Abſalon in Scaniam transgreſſus, apud plenam malignitatis concionem oratione liberius quàm

CANUTUS VI.

efficacius habita, à plebe deseritur, factionis principes alium concionandi locum complexos petente. Quorum tam petulans, ac præcepes audacia erat, ut eqvis insidentes cunctam Scaniæ plebem ad eundem locum semestri spacio exacto, quasi tuendæ libertatis gratia armatam redire sub edicto juberent. Quæ res Absaloni Sialandiam repetendi causam præbuit. Ob cujus secessum popularis sevitiæ procursus temeritatis incrementis evectus, inque Thordonis & Esberni penates effusus, eosdem prius rapinæ, deinde incendio subjecit. Complures quoq; Scanicæ nobilitatis, sequentibus diebus, ædes crematæ. Siquidem factionis duces, quò promptiore plebis audaciâ uterentur, petulantiam ejus principum bonis pascendam curabant, dulcedine prædæ & assiduis fatigationis præmijs, jucundiorem atque alacriorem ejus operam reddituri. Igitur nobilium complures, æqualium exemplo, vim penatibus suis inferendam timentes, bona omnia amicorum custodiæ mandabant. Pars fretum navibus complexa, se & opes undis, quàm ædibus, credere præoptabant. Pars apud Absalonem exulare solatij & lenimenti loco duxit. Cujus atque Canuti eqvites suam æque ac dominorum fortunam afflictari cernentes, cum injuriam armis propulsandam duxissent, seditionis principes frustra à se sine duce res novari superiore tumultu experti, Haraldum quendam regij sanguinis sed obtusi cordis, impeditique sermonis, è Svetia adsciscunt, hominem prorsus regno imparem cum in eo nihil præter generis nobilitatem natura aut fortuna commendabile reddidisset. Igitur majore cum opprobrio talem virum Svetia miserit, an Scania receperit, incertum est. Quo rumore attoniti perpulsiq; magnates, prout se hostium adventus fama variabat, dubijs Absalonem legationibus fatigant: nunc opem ejus transitumq; poscentes, nunc eundem cum tota manu supersedere jubentes. Nondum enim Scaniæ partes Haraldus irruperat. Quas cum Canuti Svetiæ Regis, ejusdemq; Satrapæ Byrgeri, præsidijs irrupisset, ad novi principis opinionem cupidè congestum, vulgus incredibiles ei copias sociabat. Quibus fretus, Lundensi urbi portas sibi claudenti excidium minatus est. Igitur ex magnatibus complures alternis internuncijs contracti, fortiq; invicem cohortatione firmati, propter Lummam amnem castra constituunt: alijs regiorum militum per ignorantiæ simulationem venire supersedentibus. Quos tantus pugnandi ardor ceperat, ut per summum non solum periculorum, sed etiam popularium contemptum, absq; paucitatis suæ respectu, ut quemq; equi pernicitas adjuvabat, sine imperio aut ordine effusis habenis in hostem contenderent. In quo quidem impetu, majorem venti (quem fortè adversum habebant) quàm hostium, quos impetebant, sævitiam experti sunt. Ille enim magnitudine sua clypeos cursitantibus decussit, hi ne pectora quidem irrumpentibns obvertere ausi fuere. Ita popularium acies numero hominum quàm animis præstantior, incruentam de se victoriam dando, plus periculi an ignominiæ senserit, dubietati subjecit. Enimvero quo expeditius fugam, quâ pugnam præcurrebat, intenderet, seipsam scutis exuere non erubuit, armorum onus objiciendo, quorum usus experiri confisa non fuerat. Hac igitur partim cæsa, partim capta, Haraldus cum Akone, quem affectati regni autorem habuerat, Svetiam refugus petebat. At Lundenses suspensis ad belli eventum animis in neutram partem auxilia commodabant, favorem victoribus erogaturi. Qui Regi successu conspecto, perinde ac victores victis insultare cœperunt, cupiditate laudis & prædæ alienis se virtutibus inserentes. Nec contenti popularium Spiritus bis bellum potentibus intulisse, collecta concione tertium adversum eosdem indicere gravati non sunt, suscepti vulneris dolorem consternationis furori permixtum communi nobilitatis exitio pensaturi, tantamq; provocandi perseve-

rantiam

CANUTUS VI.

rantiam sive pudore cladis, sive cupidine ultionis animis insitam gestantes. Neq; enim illos aut illustrium virorum respectus, aut vulnerum suorum memoria, quo minus seditionis studia sectarentur, domare potuit. Quod periculum cunctorum Scaniæ magnatum capitibus contiguum, præproperus Absalonis cum Sialandensibus adventus dispulit. Siquidem sublatis vexillis deputatum concioni locum ingressus, non solum turbulentissimo plebis proposito obstitit, sed etiam leges, quæ iniquissimis ejusdem suffragijs convulsæ fuerant, pijssimo judicij decreto ad pristinæ autoritatis habitum reduxit. Sed neque Haraldum, quò minus à magnatibus damnaretur, absentiæ patrocinium protegere potuit. Hunc certè bis à Scaniensibus multatum dixerim, semel armis, iterum sententijs. De quo quidem discernere arduum est, ferro an suffragijs punitior fuerit. Plebs quoque nihil hostile ausa, armis summa cum propositi dissimulatione depositis, Absalonis se turmis tranquillo concionandi more jungebant, singulis judiciorum suffragijs alacrius quàm libentius succlamando. Ita terribilis illa ac diutina seditio simul cum concione finem habuit, funesto plebis conatu ulterius adversum principum collegium insolescere non audente.

Interea Canutus excitati in Scania belli nuncio, Fioniam è Jutia petere coactus, Esbernum ab Absalone fratre nunciandæ regiarum partium victoriæ gratiâ transmissum, obvium accipit. Cujus inopinato occursu tristia afferri ratus, hærente animo, dejectoq; vultu, quicquam ex eo cognoscere verebatur. Postmodum non solum ejusdem plena hilaritatis fronte meliora sperare jussus, verumetiam jucunda ac libenti narratione de suorum victoria doctus, in Scaniam ovans processit, ac primum ejus provinciam Frostam rapinæ & incendio opportunam exhibuit, vastassetque, nî Absalonis erga illam studium gerentis interventu prohiberetur. Quo mediante effectum est, ut ab his, qui in Regem Haraldica factione deliquerant, æra tantum pœnæ nomine exigerentur. O immensam clementiam, cujus beneficio hominibus evidenter noxijs, maximi facinoris culpam parvulo censu redimere licuit! Quo exemplo cæteri ad spem veniæ erecti mitissimâ Absalonis operâ parem Regis mansvetudinem experti sunt. Egregium tunc Canutus moderati animi specimen dedit, cum ultionem, quam universorum crimen meruit, unius amici precibus donavit. Indignum adolescentem, cujus virtus externi principis acumine tentaretur. Compluribus enim Cæsaris legationibus curiam adire, paternæq; amicitiæ successionem expetere jussus, intercedente amicorum consilio, quàm modestissimè rescripsit, excusationis verbis à regnandi novitate quæsitis. Siquidem arbitris ejus excussa atq; explorata Cæsaris calliditas erat; hisdem perfidiæ laqueis filij simplicitatem circumvenire studentis, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerat. Cui cum Cæsar erepturum se regnum, alijq; daturum, plenâ minarum epistolâ, respondisset, solum hoc rescribere contentus fuit, quærendum videlicet Cæsari esse, priusquam sibi regnum adimat, qui Daniam in ejus beneficio reponere cupiat. Qua responsi libertate, non solum minantem elusit, verumetiam plurimum à se fiduciæ in civium animis reponi docuit. Apud quem Cæsar frustrà monitis egisse se videns, Syfridum, qui sororem ipsius in matrimonio habebat, subornat, quod literarum suarum instinctu nequibat, alienæ vocis supplemento persvasum haberi conando. Qui ubi Daniam intravit, quanta Regis charitate ob sororis ejus matrimonium teneretur, quantisq; Cæsar viribus esset exposito, Absalonem, Sunonem & Esbernum, qui soli ex amicis cum Rege admittebantur, tùm fidei, quam Canuto, cujus tutores existerent, deberent, tùm fiduciæ, quam ejusdem pater in eorum

CANUTUS VI.

pectoribus reposuerat, admonitos orare cœpit, nè amicorum nomine hostes agendo, creditum sibi pupillum annis & consilio tenerum, grave & intolerabile belli onus suscipere jubeant, eumq; sub titulo tuendæ libertatis regno exuant: qui potius salutaribus illum consilijs formare curæ habeant, Romaniq; Imperatoris curiæ asscribi deforme non ducant. Respondet Absalon, de se dubium non esse, quin utiles si nosset monitus, Canuto libenter fuerit porrecturus: à quo ita Cæsaris amicitiam expeti velit, ut propriæ ejus majestatis decus incolume servaretur. Nam & Waldemarum Frederici partes amicitiamque secutum, nihil fide ejus aut promissione fallacius repperisse. Proinde Sifridum nosse debere, Canuto Cæsariq; æqvum regnandi jus esse, neq; minore cum libertate hunc Danici regni, quàm illum Romani imperij gubernacula continere. Igitur indignante Sifrido, plenaq; minarum ac fastus responsa fundente, an tu, inquit, ex temetipso Daniam pensas, eamq; ut Thyringiam à Cæsare, cum volet, quàm facillime capi posse existimas? Proinde abi, Imperatoriq; tuo perfer, Danorum Regem nè minimam quidem obsequij partem dignitati ejus ac nomini delaturum. Dignum hoc contemptu dixerim, qui propior alieno imperio quàm propriæ affinitati, tam invisam Danicæ libertati legationem suo monitu administrare sustinuit. His auditis Cæsar, spernenti se Regi, quia bellum nequivit, odium inflixit, animo non ferro contemptum ulturus. Spe tamen potiendæ Daniæ non omissa, civilium in ea malorum motum exspectandum putabat, seditione dividuam gentem, minore cum virium suarum periculo oppugnandam sperando. Quam opportunitatem aliquandiu quæsitam à fortuna sibi negari conspiciens, Sclaviæ Satrapam Bogiszlavum, quem nuper Cazimari fratris decedentis orbitas hæredem effecerat, crebris muneribus amplissimisq; promissionibus in Danica bella sollicitat. Cujus hortatui Bogiszlavus pronius quàm prudentius obsecutus, sed bellum adversum Daniam palàm atque apertè profiteri non ausus, primùm avunculi sui Jarimari Rugiæ præfecti, quæsitis simultatum causis, hostem agere cœpit, Cæsarianæ militiæ respectum arctissimis affinitatis vinculis præferendo. Qua de re Canutus per Jarimarum certior factus, mitti curavit, qui causam à Bogiszlavo tam subitæ læsionis inquirerent. Ille non Regem, non Daniam à se lædi, sed injuriam à Jarimaro illatam repelli testatus, communem controversiam per utriusq; legatos, armis interim depositis, ad Regis cognitionem, referri deposcit, eundemq; pacis inter se faciendæ autorem flagitat, verbis benevolentiam simulantibus, simplicitatis fidem prætendere cupiens. Igitur Rege nihil insidiarum aut perfidiæ metuente, causæ dictionis dies locusq; decernitur. Apud insulam deindè Samsam, non solum hujus negocij explicandi, sed etiam Juris Civilis emendandi gratiâ, ingenti nobilitate contracta, amborum legatos excepit. Quorum altercatione solenniter audita, cum in Jarimarum complura loquacius quàm verius objectarentur, ac propter principalium personarum absentiam sententia impediretur, à Bogiszlavi legatis ultro jurejurando promissum est, eum, cum primum Regi placitum foret, in rem præsentem venturum. Ita in eludendo Rege non minor legatorum, quàm ejus, à quo missi erant, calliditas versabatur. Quorum promissis Canutus securius quàm cautius æstimatis, concilio ocyus dimisso, in Jutiam secessit, fortissimis quibusque Scanorum ac Sialandensium tantam otij tranquillitatem causantibus, seq; nimia jam quiete in desidiam provolvi querentibus, longo delitiarum usu enerves animos gerere, qui sub Rege Waldemaro totius ferme anni tempus multiplici rerum agitatione, varioq; militiæ genere deducere consveverint. Nam militaris roboris nervos sicut otio hebetari ac remitti,

ita

CANUTUS VI.

ita negotio intendi excitariq;. Igitur acuendæ virtutis gratia piraticam adversum Estones in commune decerni placuit. Inter hæc Bogislavus, hortante Cæsare, non solùm patrijs ac domesticis viribus instructus, sed etiam à finitimis latè præsidia mutuatus, adversum Rugiam quingentarum navium classem ingenti belli apparatu refertam contraxerat. Quibus copijs nihil hostilium virium obstaturum ratus, Prebislavum quendam legati nomine Cæsarem petere jubet, qui tantum à se exercitum adversum Daniam contractum nunciaret, ut dubitare non possit, quin Canutus resistendi fiduciâ defectus, quam citissimè Romano se foret imperio traditurus. Delectatus promisso Cæsar, laudato Bogislavo, legatum imperatorijs donis prosequitur. Jarimarus tam subiti inopinatiq; belli fama perculsus, Absaloni in Sialandia se continenti magnitudinem periculi Rugianæ genti imminentis, propinquitatemq; denunciat. Qui protinus festinatione, quanta sociorum expugnationem præcurri oportebat accinctus, missis per Sialandiam epistolis, omnem ætatem armis habilem in classem confluere jussit, minores rates majoribus, onerarias piraticis sociavit, plebiq; demum ac nobilitati promiscuum corripiendarum navium usum concessit. Eodem edicti genere conjunctis Sialandiæ insulis imperatum. At Fioniensibus Scanisq; sextum intra diem præfixum portum petere, alioqui supersedere jussum. Neq; enim ulteriores apparatui inducias convenire. Adeò autem in his, quibus expeditionis societas mandata fuerat, obsequendi solicitudo flagrabat, ut egregio alacritatis certamine constitutum sibi tempus aut implerent, aut præcurrerent. Canutum verò tametsi nuncium in Jutia recepisset, ingens locorum distantia denunciati temporis angustijs permixta, Absalonici operis consortem existere non patiebatur. Sex solas naves Fionia, quatuordecim Scania, cæteris tarditate impeditis, transmisit. Quarum insignis paucitas culpæ obnoxia videri potuisset, si non longinquitatis patrocinio defenderetur. Penthecostalis festi pervigilium erat, quando prænominatum sinum Absalonica classis injerat. Eadem die ne quid segnius aut cunctantius gereretur, Hythym insulam adnavigari curatur. Illic obvij Rugianorum nuncij præstolandum docent, quoad sciri possit in quam Rugiani soli partem hostilis irruptio tenderet. Jam enim Bogislavo ad insulam Cozcam Rugiæ prætentam esse perventum. Qui quanquam hostilia jam penè rura pulsaret, non temperavit sibi, quò minus sobrietatem effusa crapulæ licentia violaret. Tanta siquidem epularum indulgentia exercitum aluit ac corrupit, ut convivium magis quàm bellum amplexus videretur. Verum Absalon nunciorum monitis obsecutus, hisdem postera luce regressis, Bogislavumq; ex adverso Strelæ insulæ copias expositurum docentibus, quanquam crepusculum appetebat, correpto signo ocyssime littus scapha petivit. Gubernatorum deinde, collegio per præconem vocato, nuncioq; quàm brevissimo militibus edito, ingenti cohortationis cura, alacritate exercitum replevit, quietem suam certis victoriæ imaginibus adumbratam præfatus. Nec alia militum responsio fuit, quàm pugnam se optare: quam si accipiant, non dubitare quin vincant. Quem animorum calorem tum à longa vincendi consvetudine, tùm etiam ab ingenita Danico sangvini virtute traxerunt, digni qui vocis suæ augurio non fallerentur. Igitur Absalon incertæ navigationis metu, quòd fretum dubiæ profunditatis esset, diluculum præstolatus, cum inde soluturus esset, aliquandiu retentus est, arenis anchora altius insidente. Quo evenit, ut ab universis infinitum procedendi ardorem gerentibus, relinqueretur. Sed neque se ab exercitu præcedi indecens existimabat, à quo plus hortationi suæ quàm cunctationi tributum cernebat. Quem meritò his gratulatum crediderim, qui justæ celeritatis

quàm violentæ moræ conſortes exiſtere maluerunt. Quam tarditatis jacturam impedimento ſolutus tanta remigij velocitate penſavit, ut penè prima navigia occupaverit, diſpendium caſu invectum præliandi cupidine redimendo. Hunc publicæ feſtinationis procurſum miſſa à Rugianis ratis excepit, quæ aliquanto remiſſiore navigatione utendum doceret, quòd, Bogiſzlavo adhuc inſulam Coztam tenente, incertus irruptionis locus exiſteret. Sed & Jarimarus ſeceſſum hoſtium domeſtico milite ſuccinctus operiebatur. Igitur ceſſata impetus cura ad littus Dreccenſe divertitur. Illic affertur hoſtes domum petiſſe, nuncijs incidentis forte nebulæ errore deceptis. Ijdem noſtris portum Darſinum petere juſſis, Jarimari cum eis conſiliaturi Rugiano exercitu vallatum pollicentur occurſum. Quo loci adnavigato cum neć Jarimarus, nec quisquam ex ejus ſatellitibus repertus fuiſſet, placuit Nicolaum Falſtricum, quòd Sclavicæ gentis linguam calleret, explorandi hoſtium ſeceſſus gratiâ ad Jarimarum dimitti.

Quo abeunte, cum Abſalon divinæ venerationi vacaturus littus ſcapha petiſſet, repentino nuncio per Jarimari familiarem ſuſcepto, cognoſcit Pomeranicam adventare claſſem, quæ ſi nebulæ denſitas non obſtaret, cerni cominus poſſet. Igitur revocatis, qui ſacra geſtabant, cupide concitatam claſſem obviam hoſti in altum direxit, armis non precibus Deo libamenta daturus. Quod enim ſacrificij genus ſceleſtorum nece divinæ potentiæ jucundius exiſtimemus? At Pomeranis non tam hoſtile ſolum repentè invadendi, quàm Rugianorum equitatum, defendendi littoris ſtudioſum, varijs navigationis ambagibus ludificandi propoſitum erat. Qui Danicam conſpicati claſſem, Borwegium occidentalibus comitatum Sclavis, auxilij ſibi ferendi gratia, adventare credebant, aëris nubilo noſtrarum navium numerum habitúmque dignoſci non patiente. Neque enim eorum animos ſubire poterat, Danos per tot locorum ſpacia à Sclavia remotos, intra tanti temporis anguſtias eò loci fuiſſe provectos, ſpeculatoribus ob nimiam ſecuritatem excubandi officia parùm curioſè gerentibus. Igitur Bogiſzlavus Rugianam claſſem appelli ratus, à centum & quinquaginta myoparonibus circuiri deſiderat, reliquam claſſem veluti in aciem jactis anchoris componit; naves, quibus alimenta vehebantur, aliquanto piraticis præſtantiores, inter ipſas & continentem admovit, armatæ multitudinis ſpeciem vacua lignorum effigie adumbraturus. Quo vultu deceptus Suno Bogiſzlavum auxilia à Theutonibus mutuatum credebat. Rareſcente tandem nebula, Abſalon ab exiguis hoſtium ſcaphis præteriri ſe videns, ne omnes quidem tutò redituras per jocum ajebat. Igitur ſocijs ingenti cohortatione firmatis, in hoſtilem claſſem, ut imperio, ita ductu & navigatione, primus invehitur. Monitus à Sunone, ne eam perinde ac Germanicis roboratam auxilijs, præproperâ feſtinatione inceſſeret, ſed temperato remigio militem armari juberet, minimè cunctandum ajebat, præfatus eo jam loci concluſum hoſtem, ut nec bellum tutò conſerere, nec fugam ſalubriter edere poſſet. Itaque nihil impedimento fore, quò minus promptiſſimam ſibi victoriam eſſet ceſſurus. Eo deinde monitus iterante, milites, Abſalonis munimenta corporibus aptare cœperunt, parte remigium continuante. Quorum apparatus nimiæ ac perſeverantis nebulæ beneficio hoſtem fallebat. At ubi propiùs ventum, Danorum juventus ut cunctationis, ita ſilentij impatiens, ſublatis vexillis, non temperavit ſibi, quò minus concitatiſſimum præliandi ardorem celſo cantilenæ genere proſequeretur. Abſalonis quoq; ſignum nunquam ſine hoſtium fuga ſpectari ſolitum, Sclavis pariter & Danorum præſentiam prodidit & confligendi diffidentiam incuſſit. Igitur ſumma cum trepidatione ſublatis anchoris, cupidè claſſem concitare cœperunt, quantum navigationis longo temporis tractu protulerant, exiguo horarum ſpacio remenſi. Innumeri, quorum

fugam

CANUTUS VI.

fugam aut navium magnitudo, aut anchorarum ſublatio retentabat, profundum petendo fluctibus quam ferro vitam finire maluerunt. Horum rate, eodem penè temporis momento refertas ac vacuas conſpicareris. Sed neque prolapſos natandi uſus ſervare poterat, ſubjectarum voraginum eluvie merſorum corpora tenacius apprehendente. Quantas igitur timoris vires exiſtimemus, qui quos nimio ſui hauſtu repleverit, ne proprio quidem ſpiritui parcere compellit? Decem & octo navigia nimiæ multitudinis in ſe confugientis concurſu rupta, receptis exitio fuere. Paucis hoſtem operiendi animus fuit. Illius verò etiam ridicula formido extitit, qui ſociale exemplum peroſus, nexo ex rudentibus laqueo ſuſpendio ſe conſumere, quàm hoſti necandum præbere maluit. Quod factum complures prius admiratione deinde ludibrio proſecuti, dulcedine ſpoliorum lentius hoſtibus inhærere cœperunt. Quibus Abſalon præteritis, monitiſq; ne prædam quàm hoſtem inſequi mallent, ſeptem ſolis navibus totam pene fugacium claſſem inſectari non deſtitit, illa nimirum fiducia uſus, qua toties ſibi hoſtium terga aſpicere contigit. Neque enim à palantibus in illa inſequentium paucitate numerus, ſed virtus æſtimabatur. Centum ferme navium turba maritimæ fugæ diffidentia terreſtrem cœpit, perq; horridos ac deſertos ſaltus inermis attonitaq; diſcurſum habuit. Jarimarum quoq; hoſtilis ſangvinis quàm prædæ avidiorem concitatior tuendæ patriæ cupido reddiderat Quinque ac triginta navigijs vehementi remigio concitatis, hoſtilis Abſalonem nobilitas devitabat. Quæ cum ſeptem ſola ſibi inſtare animadverteret, fugam ſuam non ſolum triſtem, ſed etiam erubeſcendam rata, bis navigationi perinde ac pugnam confectura laxamentum dare conata eſt. Igitur Abſalon, quanquam ab amicis cæteræ claſſis adventum opperiri rogaretur, nulla ex parte ceſſato remigio progredi perſeveravit, plus hoſtium trepidatione quàm ſociorum auxilijs utendum præfatus. Quo cognito Sclavi ſumma cum exanimatione metum rubori prætulerunt, naveſq; ſuas, quò fugæ habiliores eſſent, arma & equos in profundum abijciendo, oneribus vacuefacere cœperunt. Acrius deinde converberato pelago, Penum amnem perſeveratæ fugæ receptaculum habuerunt. Quos Abſalon eouſque vacuo cunctationis remigio inſecutus, veſpera ad ſocios, qui prædæ incubuerant, revertit. Cujus ne particeps quidem fore ſuſtinuit, gloriam ad ſe, ſpolia ad milites redundare ſpecioſum ducendo. Igitur ex quingentarum navium numero quinque ac triginta delapſis, decem & octo confractis, cæteræ in Danorum poteſtatem ditionemq; ceſſere. Illa igitur dies, quæ Abſalonis claritate obcæcatam hoſtium claſſem aut fugam aut exitium pati coëgit, tot errores, tot maritima diſcrimina finivit, Sialandicos portus ac Balticum fretum peſtifero piratarum incurſu vacuefecit, efferatam barbarorum ſævitiam jugi patientem reddidit, patriamque noſtram vix libertate ſua potientem Sclaviæ dominam effecit. Efficax & inuſitatum genus victoriæ, quo cunctas hoſtium vires funditus everti contigit. Eadem ut Sclavici cruoris plena extitit, ita nullum Danici impendium habuit. Quatuor duntaxat ex Rugianis ſociorum an hoſtium telis perierint, incertum eſt. Die poſtero decem & octo Scanienſium navigia ſuperveniunt, quos Abſalon non moræ eorum, ſed voluntatis æſtimatione facta, prædam cum victoribus communicare præcepit. Quid deinde Sclavis conſilii foret cognoſſe cupiens, callidum ſpeculationis genus amplexus, Bogiſzlavum ſub ſimulatione benignæ & veteris amicitiæ, perfidiæ per legatos arguendum curat, nimiamque Regis offenſam obnixo placationis ſtudio præcurri poſtulat. Ad hæc Bogiſzlavus tantam receptæ cladis diſſimulationem agere ſuſtinuit, ut laudata monitoris benevolentia, facturum ſe, quod ab ipſo ſvadebatur, promitteret. Tantum autem timoris Sclavorum vulgus ob priſtinam fugam animis inſitum habebat, ut

CANUTUS VI.

etiam novam, visa rate, quæ legatos vehebat, edere non erubesceret. Post hæc Absalon rerum â se gestarum famam illustri nuncio præcurri magnificum ratus, Tachonem, claro Fioniæ loco natum, cum tentorio Bugiszlavi, quod ei portionis nomine cesserat, remitti curat, nec solum victoriam suam Regi indicaturum, sed etiam fidem assertis celebrioris prædæ gestamine facturum. Per eundem quoq; nè Sclaviæ vires novis copijs instruerentur, messis tempus expeditione præcurrendum hortatur. Quem Canutus, Jutis Wibergica concione contractis, Absalonici operis eventum digno relationis officio repræsentare præcepit, expeditionis hortatore usurus, quem nuncij autorem habuerat. Quo facto omnium animis maximam educendæ classis curam ingeneravit.

At Cæsar tantæ cladis nuncio recepto, postquam solo Absalonis ductu rem gestam cognovit, omnem non solum obtinendæ Daniæ spem, verum etiam attentandæ fiduciam mente deposuit, proprias vires damnando, quod alienis parum efficaciter usus fuisset. Eandem victoriam suam Absalon apud Byzantium incredibili famæ velocitate vulgatam, postmodum ab equitibus suis tunc temporis in ea urbe stipendia merentibus accepit. Sed novæ frugis accessio labentibus hostium alimentis opitulata est: hisdem ex regiæ profectionis cunctatione instruendorum frumento vicorum perquàm utile sibi laxamentum sumentibus. Hujus expeditionis opinione perciti Walogastenses, profundiora Peni amnis loca crebro lapide complent, mœnium suorum aditum navigijs negaturi. Quos Absalon hisdem alvei locis egerere cupiens, trahendæ secum juventutis gratia corpus aquis immergere non dubitavit, easq; lapidibus vacuefaciendo, quantum transmittendæ classi satis erat, ad patientem navigationis habitum perduxit, quanquam oppidani machinas suas tali temperamento librassent, ut eadem amnis spacia certis ictibus destinarent. Quibus obstaculis transitu vacuefacto, facilem socijs petendæ circumsidendæq; urbis aditum struxit. Obsidione cœptâ, refixi sub aquis stipites, quorum frequentiâ oppidum erat vallatum, navigia propius appellere passi non sunt. Hanc oppugnationis difficultatem, Danorum juvenes virtute superare cupientes, non temperavere sibi, quò minus navigijs à profundo remotis, pedibus in aquam descenderent, vadaq; gradu lustrarent. Contra oppidani in subjectos cominus tela jacere, navigiaq; tormentis procul incessere cœperunt. Quorum eximios jactus eludere quàm excipere satius existimares. Anceps incertumq; vitatu periculum erat, prægrandibus saxis in consertas puppes cadentibus, in fuga ac declinatione cautoq; corporis motu, magis quàm in ulla armorum ope frustrandorum ictuum remedium ducebatur. Absalon mediotenus navigij progressus, egesta tormentis robora crebra corporis declinatione fallebat. Quem Barbarus forte præsidio egressus, postquam ex clypei notis agnitum habuit, tormentorum præsidibus manu significavit, ut eum impeterent. Igitur interrogatus à quodam, an perspectum haberet, qualiter ipsum barbarus denotaret, curam sui illius animo insitam respondit: eodem ludubrio hostem & monitorem excipiendo. Intrepidi animi dixerim, in medio salutis discrimine pericula sua jocoso dicto prosequi voluisse. Adeo certissimum fortitudinis & constantiæ experimentum necessitas tribuit. Expugnatione non procedente, nova adoriendæ urbis ratio, autore Esberno, excogitata est. Siquidem inusitatæ magnitudinis navigium varijs ignis nutrimentis completum, solo ventorum remigio, opportunis incendio mœnibus adigendum curabant. Quod latenti in undis stipiti illisum, sine ulla oppidanorum jactura propriæ cum materiæ discrimine conflagravit. Ita exigui ligni impedimento, spes ingentis victoriæ subruta est: hostiumq; salus parvulo fortunæ momento ab imminente exitio protecta. Post hæc

Bogisz-

Bogiſzlavus in dedecorum ſuorum ultionem dolos mente ſcrutatus, Abſalonis colloquium ſimulata pacis affectatione per legatos poſcendo, cum ingenti equitatu deſtinatum conventui locum petivit. Quam binis obviam ſibi navigijs venientem, ut continentem aſcenderet, obſecravit, commodius in tentorio quàm navi colloquendum præfatus. Obſequentem illum navigioq́; excedere volentem, Erlingus quidam illuſtri inter Noricos loco natus, horridioris ſomni narratione retinuit, haud dubiè fraudem ſenſurum ſi ſalutem, ſuam hoſtibus crederet, auguratus. Cujus vocem Abſalon perindè ac divinitus ſibi dati indicij miraculum veneratus, vocanti ſe Bogiſzlavo, minorem à majore peti non oportere perhibuit, pontificem duci dignitate præſtare aſſeverando. Ita hoſti impotentiam objiciendo, fraudis materiam ademit. Ille ſtricta navis ſpacia cauſatus, repentino diſceſſu fallaciam detexit. Nam qui aliàs ultro navigium Abſalonis ingredi conſvevit, nunc ejus aditum perinde ac fatale ſibi domicilium, conſcientiæ malignitate confuſus, exhorruit. Gaviſus Abſalon quod ſalutem ſuam ſomnio, quàm hoſti credere præoptaſſet, ad claſſem ſe recepit. Igitur cum exercitus noſter communem agrorum vaſtationem unius urbis excidio anteponens, exhauriendæ provinciæ conſilium cepiſſet, inq́; pontis pertranſeundi anguſtijs noſtri hærerent, crebris oppidanorum myoparonibus inceſſuntur. Qui mox ſagittariorum ab Abſalone, Regeq́; miſſorum opera deturbati, infeſtandæ commodius claſſis gratia continenti ſe tradunt, noſtroſq́; clamore non minus quàm jaculis inſecuti, per ſummam ignaviæ exprobrationem perindè ac victis inſultare cœperunt. Quo viſo reliqui ex oppidanis paſſim correptis ſcaphis, mœnibus etiam, quæ tuebantur, deſertis, in ripam ſe conferunt, relicta à Danis tabernacula prædaturi. Neq; enim regios equites, navium tranſitum in terra operientes, fumus tabernaculorum, quæ Dani diſcedentes cremabant, incendio ortus, ab ipſis diſcerui patiebatur. A quibns cum inopinati attonitiq́; incurſarentur, pars in ſcaphas refugit, pars armis in ripa, aut aquis in amne exitium habuit. Natantes à ſagittarijs interfecti, navigantes everſi, juſtas irriſis à ſe Danis pœnas luerunt. Ita Walogaſtenſes paulò ante falſis noſtrorum opprobrijs exultantes, nunc civium in conſpectu ſuo necatorum miſeranda fata luctu proſequebantur. Quod Oznenſes famâ experti, ſuburbanos penates ocyus cremandos curant, ne ijsdem hoſtes ad mœnium ſuorum incendium uterentur. Igitur dum ultro ſe tectis ſpoliant, ingens urbi ſuæ tutamentum conciliant, quo domibus tenuiores, hoc mœnibus tutiores effecti. Rus Regi rapinæ extitit. Cujus ſententia Abſalon Julinenſium finium, arciumq́; Zuinenſium expugnationem peragere juſſus, Esbernum fratrem Zuinam cum commiſſæ ſibi claſſis parte præmittit, aut arces ipſas (ſi fors ſineret) capturum, aut earum cuſtodibus, quoad ſe Julino reverti contigiſſet, fugam intercluſurnm. Quorum januæ venienti Esberno vacuæ patuere, propugnatoribus nimirum adventum hoſtium furtivo diſceſſu præcurrentibus. Ambæ itaque incendio datæ. Qua de re Abſalon Julinenſium rebus abſumptis, non ſolum longinqui fumi contemplatione, verumetiam ſociorum inde revertentium affirmatione certior factus, ad Regem revertit, lætatus ſe magna curarum parte fraterna opera liberatum. Rex vicos neceſſarijs uſibus abundantes captu difficiles fore, vacuóſque tantum à ſe penates exuri conſpiciens, remeare conſtituit: qui nunc deſertos inopesq́; lares adortus fuerat, exacto meſſis tempore referta copijs horrea conſumpturus. Cúmque non minus capiendarum urbium difficultate, quàm vacuarum ædium incendio fatigatus, Zuynam amnem abducendæ expeditionis gratia petiviſſet, exuſtarum arcium reliquias ſolo æquari juſſit. Et ut omnia earundem monimenta demoliretur, etiam lapides fundamentis egeſtos in profundum jactandos curavit,

CANUTUS VI.

ravit, quanquam ijdem recenti adhuc incendio torridi, vix se manu contingi paterentur. Cujus laboris idem atque expeditionis finis extitit.

Autumno domi peracto, duodenis millibus è Rugia contractis, Tribusanam provinciam ditioni suæ parentem peragrat. Post hæc Circipenensium devexam paludem paternæ militiæ æmulatione permensus, ad urbem Lubeckincam pervenit. Qua præterita, dum Diminum petere statuisset, in abundantem potione vicum incidit, Barbaris illic tanta animorum securitate convivantibus, ut nullum prorsus hostilis adventus formidarent impetum. Quantam porró gentis illius intemperantiam pacis tempore extitisse putemus, quæ ne hoste quidem liminibus imminente, quo minus vires suas ebrietatis illecebris labefactaret, abstinuit? Itinere deinde nostrorum ad naves converso, convellendæ prædæ, spargendiq; passim incendij gratia, Danica manus disijcitur, mentem Regis longinquæ viæ dispendijs à petendi Dimini proposito retrahentibus. Qui triginta solos sibi comites asservasse contentus, qvum ingentem Barbarorum cohortem opimam villam tueri satellite nunciante cognosset, Absalonem suo forte vexillo conjunctum, dimidio cum præsentium equitum numero, opem socijs laturum dimittit. Qui imperium amplexatus, obscurandæ paucitatis gratia laxius militem incedere jubet, multitudinis justar confusam agminum speciem præbiturus. Quin etiam vehementius irruptionem edere curæ habuit, quò plures insequi crederentur. Jamq; Barbarorum relicta villa, nemus tenentium manipulos contemplatus, qvum se longe viribus inferiorem animadverteret, ideoq; sociorum augmentum simulare vellet, complures ex suis furtim discedere monitos, apertè subinde redire jussit, idq; sæpenumero faciendum curavit. Igitur auxiliorum incrementa sensim recipere existimatus, non suppetentibus qui prædam asportarent, contractas vici opes ingenti pyra constructa cremavit, flammis insequendo, quod usui commodare non poterat, etiam ministris incendij tantæ pecuniæ consumptionem animi dolore prosequentibus. Ea re gesta ad Regem se retulit. Qui propter Lubynam pernoctatione habita, deletis vicorum reliquijs, lacunam, per quam arduo labore iter fecerat, ponte à Rugianis consterni curat, eamq; nullo penè negocio remensus, conscensis navib. in proximum Peno amni portum pervenit. Ubi diutina ac vehementi tempestate vexatus, Bogiszlavum pacem à se per legatos petentem repulit, quanquam jam labentibus alimentis expeditionem remittere cogeretur.

Exactis domi hybernis per Zuynam ingenti cum expedirione regressus, Grotzvinam lacerat. Ubi cum Jarimarus hostium occursum ex eorum lituo deprehensum Regi nunciandum proponeret, idq; ab Absalone, nisi ijdem in conspectum venissent, exequi vetaretur, ancipiti malo circumventum se dixit, qui si quid inopinati periculi, se tacente, socijs incidisset, incuriæ damnari, sin maturius indicium afferret, timiditatis notari posset, qvum & præpropero nuncio uti probrosum, & nimis lento desidiosum videatur. Hujus provinciæ præda parum satiatos Pomeranicarum opum fama sollicitat, quæ ut eximiæ, ita intactæ prædicabantur. Nulli tam longinquam militiam ingredi difficile visum, quanquam perferendæ inediæ, peragrandæq; solitudinis prædicebatur asperitas, ardore prædæ periculorum metum levante. Imbellis populus urbiumq; & armorum inops regio ferebatur. Et quoniam nostris propositum ex sententia cedere consveverat, pergendi cupiditas animos inflammabat. Nec fraudandos præsentibus votis felicia tot successuum experimenta spondebant. In qua profectione, pabulo parum suppetente, non solum equos, verumetiam pedites commeatibus onustos, attritæ labore vires deficiebant. Hæ res convertendi itineris, repetendiq; classe Julini causam dedere. Illic Rex adoriendi per insidias Camyni consilium nactus, apertæq; ejus irruptioni latentem præferens, ductanti-

ſtantibus locorum peritis, per ignotos ac devios ſaltus, plenum difficultatis iter corripuit. Errantibus cæteris, Sialandenſes ac Scanienſes Alexandro (Abſalonis hic ſorore editus erat) primipilo uſi, Rugianisq́; ducibus rectam & compendiariam viam ſecuti, Caminum venêre, occupaſſentq́; niſi incolas incendio cautiores feciſſent. Quorum paucitatem Bogiſzlavus, qui in eodem tunc forte oppido moram agebat, effuſis manipulis irrumpendam ratus, Esberno, qui talium rerum experientia uſuq́; callebat, quo longius hoſtes urbe evocarentur, de induſtria cedendum monente, diu terga præbentibus inſtitit. Ad poſtremum intellectis inſidijs, effuſius ruentes in aciem revocat, tam improbum ab urbe exceſſum amaræ reprehenſionis ſalebris inſecutus. Quod videns Esbernus, abjecta fugæ ſimulatione, ſigna ad hoſtem reflexit, effecitq́; ut Bogiſzlavus caballo delapſus, pavido recurſu intra vallum confugeret, celeritate pedum ſalutem quæſiturus, quàm aut armis aut equi velocitate tueri fiduciam non habebat. Alexander illato portis ſigno, neminem à quo repelleretur invenit, tanta trepidatione captis hoſtibus, ut ne urbis ſuæ quidem limina ab injuria vindicare præſumerent. Qua gloria ſatiati Danorum juvenes, paulatim in aciem ſe recipere, quàm ulterius urbi inſultare maluerunt, paucitatis æſtimatione temeritatem domante. Hunc juventutis procurſum Rex reliquo milite ſubſecutus, propter muros equo deſcendit, expugnandæ urbis habitum curioſiore contemplationis officio luſtraturus. Quo reſidente, vallumq́; vexillis ſtipante, Canonicæ vitæ clerici contuſi dejectiq́; animi mœrorem pedum nuditate teſtantes, digeſta ritè proceſſione, cum inſignibus ſuis adveniunt, eoq́; paternæ ſanctitatis admonito, genib. niſi ſacris ædibus abſtinendum precantur, orando nè divinos penates humanis incendio jungat, neq; ita in hoſtes ſæviat, ut publicæ religionis domicilia conſumat; tot ſuas, tot majorum virtutes teterrimo facinore corrupturus. Adjectum ab ijs eſt, Bogiſzlavum, Regis tutò petendi gratia, familiaris fidei patrocinium poſtulare. Reſponſum à Canuto, homines ſibi, non Deum inceſſendi propoſitum eſſe, ut juſtum, ita alienum ſacrilegij bellum geſturo. Quibus, ſi civitatis partem extra municipij mœnia collocatam cremaret, eccleſias mortalium ædificijs permixtas communibus flammis implicandas, dicentibus, iram precibus remiſit, hoſtilesq; lares inviolatos relinquere, quàm divinos humanis injuria æquare maluit. Illi urbem precibus ſuis donatam gaviſi, gratijs pro beneficio actis, lætitia ovantes diſcedunt, eamq́; ſacro concentus genere proſeqvuntur. Bogiſzlavus quod petebat obtento, quæſitum Abſalonem die poſtero obviam ſibi cum Jarimaro venturum precatur, eosdem faciendæ cum Rege pacis arbitros habiturus, quos tot colloquijs amicos expertus fuerat. Quem Abſalon fraude potius quàm ſyncera verborum fide agere ratus, negavit ſe intercedere, quo minus igni provincia vaſtaretur, ne tantum iter expleſſe fraudi fuiſſe videatur. Ille nihil à ſe extra municipij mœnia poſſidere confeſſus, ſacris tantum domicilijs, eorumq́; gratia vicinis tectis abſtinendum oravit. Quod beneficium eodem voto petitum promiſſumque eſt. Reliqvum lucis avidiſſima vicorum vaſtatione conſumptum. Bogiſzlavus præſentium periculorum impulſu promiſſum revertendi tempore ſectatus, Abſalone & Jarimaro dextras præbentibus, ad Regem perducitur, ingentisq́; ſummæ pecuniâ multæ nomine pactâ, non alias pacis conditiones aſſequi potuit, quàm ut procurationem hactenus patrimonij titulo adminiſtratam, è manu Regis beneficij jure ſuſciperet, libertatemq́; ſervitute mutaret, Rugianæ gentis tributum obſequijs æquaturus. Hanc pactionem obſidibus firmandam pollicitus diſcedit, redeundi comitibus utendo, quos adveniendi duces habuerat. Et ne venerationis expers dimitteretur, ab Abſalone convivio cum amicis exceptus potu nimis avidè ſumpto adeò vires ſenſumq; exuit, ut vix mente conſtare putaretur. Qua intemperantia amiſſæ maje-

CANUTUS VI.

majestatis oblitus, deflendæ servitutis loco, libertatis gaudia repræsentavit. Igitur nimio ebrietatis haustu obstupefactis nervis, nave egestus in tentorio collocatur, Absalone quadraginta armatos ante tabernaculi fores excubare, nocturnæq; ejus custodiæ vacare jubente. Tanta siquidem apud Danos servandorum hospitum sedulitas existere consvevit, ut eorum saluti perinde ac propriæ studere curaretur. Quo beneficio obligatus Bogiszlavus, Sclavorum animos Danis applicando, debitam Absalonis meritis gratiam retulit. Quibus cum pulso manè somno oculos inseruisset, Danorum fidem exosculatus, aptissimoq; laudationis genere proseqvutus, plus voluptatis se ex percepta Absalonis humanitate, quàm amaritudinis ex patriæ jactura sentire dixit. Igitur ad locum, in quo milites eum præstolabantur, relatus, postero die Sclavicæ nobilitatis proceribus adductis, genibus annixus cum conjuge se & liberis ad pedes Regis suppliciter abjecit, veniamq; diutinæ rebellationis precatus, obsidibusq; ex parte datis ex parte promissis, avitæ paternæq; procurationis summam beneficij loco suscipere non erubuit, quod patromonij erat, alienæ largitionis indulgentia possessurus. Rex principis huc necessitatis deducti miseratione permotus, satis jam graves eum sibi pœnas dedisse existimavit, regnumq; ejus in munere quàm in usu suo constituere maluit, ac demum humi jacentem erexit. Nec minus Regem maternæ erga Bogiszlavi filios necessitudinis respectus tangebat. Ita Sclavicarum rerum dominium assiduis Waldemari laboribus negatum, parvulo Canuto negotio contributum est, felici ejus militia paternam supergrediente fortunam. Eodem temporis momento, ingenti nubium volumine colliso, per summam utriusq; gentis exanimationem, fracta crepuère tonitrua. Quo eventu Sclavici regni interitum portendi à conjecturarum sagacibus existimatum est. Bogiszlavi quoq; animus constantiæ pignoribus refertus, accepti beneficij memoriam ad ultimum usq; vitæ tempus inviolabilisi de exhibuit; adeò ut cum supremo morbo correptus in lectulo laberetur, adhibitos amicos jurejurando obstringeret, eos conjugem suam ac liberos ad Regem perducturos, eumq, dividendi inter pupillos regni autorem habituros, & quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, custodituros: nihil se de Danorum fide hæsitare testatus, quorum egregia toties experimenta susceperit. Succurrebat enim illustri viro, quantos fructus Rugianis constantis erga Danos amicitiæ custodia peperisset.

SAXONIS GRAMMATICI

HISTORIÆ DANICAE

LIBRI XVI. ET ULTIMI FINIS.



INDEX RERUM IN SAXONE GRAMMATICO MEMORABILIUM;

Cæteris, qui antehac prodierunt, Indicibus longè accuratior & locupletior.

in

Caro- Dano-

eum

filiâ

oppresso

Hathe-

à Si-

ad


 Saxo-

Skiol-

votum

Mona-

FINIS.



ERRATA TYPOGRAPHICA
GRAVIORA SIC EMENDANDA.

Pag. Lin.	*Lege.*
Pag. 1. l. 1. 2.	Saxonis Grammatici in
p. 2. l. 10.	ceu quibusdam.
p. 5. l. 4.	Dan igitur & Angul.
p. 11. l. 52.	compacto.
p. 16. l. 43.	caliginis.
p. 24. l. 25.	nobilitate.
p. 29. l. 2.	Sveones.
p. 29. l. 13.	efficaciores
p. 29. l. 41.	conceſsum.
p. 30. l. 26.	demiſsumq;.
p. 31. l. 30.	manum.
p. 32. l. 23.	quemq;.
p. 33. l. 35.	rictibus.
p. 38. l. 7.	earundem.
p. 40. l. 20.	re prior.
p. 43. l. 43.	abſumpſit.
p. 43. l. 48.	ſtrepitu.
p. 46. l. 6.	uſu calluiſſe.
p. 46. l. 55.	complurium.
p. 50. l. 12.	eluſit.
p. 58. l. 14.	complexuum.
p. 60. l. 13.	trajectis.
p. 61. l. 12.	acqvieſcentes.
p. 62. l. 36.	pereundi.
p. 63. l. 27.	vacuam.
p. 64. l. 27.	facinore.
p. 64. l. 38.	fruſtatim.
p. 68. l. 55.	torqve.
p. 70. l. 21.	turbam.
p. 71. l. 35.	ſtivam.
p. 73. l. 7.	lucis.
p. 73. l. 35.	Sialandia.
p. 73. l. 43.	Sialandicis.
p. 77. l. 30.	Hanundæ.
p. 77. l. 32.	aſcriptos.
p. 77. l. 40.	cruſta.
p. 82. l. 34.	paratus.
p. 83. l. 37.	diſtrictis.
p. 84. l. 48.	expleſſe.
p. 85. l. 35.	corruperat.
p. 85. l. 54.	ſtipendia.
p. 87. l. 3.	opperitur.
p. 87. l. 6.	callere.
p. 89. l. 36.	Ruſsiæ.
p. 91. l. 46.	conſervi.
p. 97. l. 37.	incito.
p. 97. l. 42.	turbidatis.
p. 98. l. 9.	exſpectare.
p. 98. l. 13.	intuito.
p. 98. l. 53.	curatione.
p. 100. l. 53.	rabidi.
p. 102. l. 12.	Juritham.


Pag. Lin.	*Lege.*
p. 106. l. 17.	indies.
p. 107. l. 10. 11.	(quem quidam ipſius ſorore editum aſſeverant.)
p. 107. l. 43.	opperiri.
p. 108. l. 47.	Pannoſum.
p. 109. l. 18.	impulit.
p. 109. l. 36.	recoqvuntq;.
p. 110. l. 15.	definitionis.
p. 113. l. 30.	circumferentem.
p. 127. l. 31.	majores.
p. 131. l. 5.	ſolicitat.
p. 132. l. 34.	adidusq;.
p. 136. l. 29.	cæde.
p. 136. l. 48.	præviſa.
p. 154. in margine	BUTHLUS regni adminiſtrator.
p. 157. l. 21.	præproperè.
p. 160. l. 55.	famem.
p. 161. l. 7.	præaltis.
p. 162. l. 39.	inextricabili.
p. 163. l. 7.	panduntur.
p. 164. l. 47.	numinis.
p. 164. l. 47.	extramundani.
p. 165. l. 47.	ſopitâ.
p. 178. l. 33.	certè.
p. 179.	*HISTORIÆ DANICÆ LIB. IX.*
p. 179. l. 10.	Angliam.
p. 179. l. 26.	libidinoſo.
p. 179. l. 37.	percontantibus.
p. 181. l. 49.	illapſum.
p. 184. l. 7.	probator.
p. 191. l. 48.	locupletanda.
p. 193. l. 33.	Continuò.
p. 194. l. 38.	officii.
p. 195. l. 10.	diſertiſsimo.
p. 211. l. 23.	impotentis.
p. 212. l. 54.	veneranda.
p. 215. l. 55.	Præpoſito.
p. 217. l. 12.	ſubrepſit.
p. 217. l. 42.	exiſtimans.
p. 217. l. 43.	Lymici.
p. 218. l. 1.	generoſi.
p. 219. l. 51.	abeſſe.
p. 223. l. 8.	finitimis.
p. 225. l. 8.	privatæ.
p. 224. l. 27.	laborantibus.
p. 224. l. 44.	adamari.
p. 226. l. 24.	furori.
p. 226. l. 43.	convulſis.
p. 227. l. 22.	regiis.
p. 227. l. 53.	majorem.

Pag. Lin.	*Lege.*
p. 230. l. 40.	acad.
p. 232. l. 28.	Freſones.
p. 232. l. 31.	Eqvi.
p. 234. l. 22.	ornamentis.
p. 236. l. 29.	excipere.
p. 236. l. 29.	illa.
p. 237. l. 48.	negotio.
p. 238. l. 4.	collocatis.
p. 238. l. 4.	Canutinæ.
p. 239. l. 22.	occurſus.
p. 239. l. 34.	de induſtria.
p. 240. l. 14.	exaſperandam.
p. 240. l. 20.	Ringſtadium.
p. 240. l. 25.	lamentum.
p. 248. l. 21.	altum.
p. 248. l. 46.	Archoham.
p. 249. l. 53.	concilium.
p. 249. l. 54.	concionem.
p. 250. l. 21.	populo.
p. 250. l. 28.	protexit.
p. 256. l. 46.	impedimentis.
p. 259. l. 6.	eminus.
p. 261. l. 20.	eqvo.
p. 267. l. 28.	vaſtârant.
p. 271. l. 19.	commilitonum.
p. 273. l. 44.	Atqvi.
p. 276. l. 27.	Ramsò vicum.
p. 276. l. 29.	qvam.
p. 279. l. 21.	qvam.
p. 282. l. 27.	qvam
p. 283. l. 37.	deſvetudo.
p. 283. l. 46.	ac.
p. 289. l. 40.	Jutenſium.
p. 292. l. 43.	trabis.
p. 300. l. 48.	Rolandum.
p. 313. l. 29.	defoſsis.
p. 318. l. 25.	amœniſsimæ.
p. 327. l. 26.	unius.
p. 349. l. 12.	deficientibus.
p. 350. l. 16.	latere.
p. 353. l. 30.	putaretur.
p. 364. l. 27.	exaudire.
p. 365. l. 40.	repetendæ.
p. 367. l. 44.	Helſingo.
p. 368. l. 24.	ſeveritati.
p. 370. l. 4.	feliciaq;.
p. 371. l. 36.	fore.
p. 381. l. 28.	diſcerni.
p. 382. l. 15.	tueri.
p. 383. l. 25.	nixi.
p. 383. l. 29.	poſtulare.

STEPHANI JOHANNIS STEPHANII

NOTÆ VBERIORES IN HISTORIAM DANICAM SAXONIS GRAMMATICI.

UNA CUM PROLEGOMENIS AD EASDEM NOTAS.




SORÆ

TYPIS HENRICI CRUSII, ACADEM. TYPOGR.

ANNO MESSIÆ

cIↄ Iↄ C XLV.



STEPHANI JOHANNIS STEPHANII
IN VBERIORES NOTAS SUAS
AD
SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANICÆ LIBROS XVI.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

Varia Librorum fata. Saxo vicinus occasui. Ei Stator quidam Jupiter fuit M. Christiernus Petræus. Primæ Editionis occasio.



Uam cæteris mortalium operibus necessitatem pereundi severa fatorum lex imposuit: eandem quoq; egregiis doctorum virorum monumentis, invictâ quadam potentiâ, constituit. Varij etenim casus in Librorum perniciem ab omni memoriâ conspirârunt: nec ulla fortunæ sævientis rabies conficere destitit ingeniorum hosce partus. Plurimos ex oculis nostris vetustas, quæ omnia consumit, subduxit. Multum in alios flammis licuit. *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt*, inquit Seneca, *pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum.* Innumeros Bellonæ furor militum direptionibus objecit. Deniq; non pauci, Invidiâ sic jubente, blattis ac tineis larga præbuêre pabula.

Hæc tàm violentæ sortis iniquitas florentissimum rerum Danicarum Scriptorem, SAXONEM GRAMMATICUM, pænè nobis eripuisset; nisi si eum diligens nostratium cura ab imminente interitu, non sine cœlesti Providentiâ, maturè vindicasset. Nam trecentos, & amplius, annos pulvere ac situ obrutus, in tenebris delituerat; priusquàm memorabili ad omnem posteritatem studio ac industriâ Clarissimi Viri, & eo nomine de patriâ universâ optimè meriti, M. CHRISTIERNI PETRÆI, diâs in luminis oras, veluti ex Orci faucibus, protraheretur. Cui primùm rei satis amplam dedit occasionem non ità pridem reperta librorum typis excudendorum ars nobilissima; cujus beneficio cum popularis ille noster, bonis tùm literis in Academiâ Parisiensi operam navans, aliarum nationum Historicos, summo Reipubl. literariæ commodo, indies divulgari animadverteret; nihil magis in votis habuit, quàm ut pari ope reviviscеret sepultum hoc patriæ decus, inq; manus hominum Auctor sine exemplo maximus perveniret. Placuit vehementer illustribus in Daniâ Viris tàm laudabile institutum; & extitêre multi, qui præclaris adeò conatibus acriores subindè stimulos subderent. Quos inter præcipuus fuit genere ac virtute juxtà Nobilissimus Heros, LAGO WRNE, Episcopus Roschildensis: qui datis ad Petræum literis [quas posteà in medium proferam] ad maturandam Saxonis editionem magnoperè eum instigabat. Sed utilissimi propositi cursum, tanquàm validissimus obex, id unicè sistebat, quòd nullum planè divini istius Operis exemplar ad manum haberet Petræus, quod prælo committere posset. Quocircà non solùm proprijs sumptibus tabellarium bis in patriam ablegavit, qui exemplum adferret: verùm ipse etiàm illius causâ domum se contulit, Bibliothecas omnes sedulò excussit; nec tamen Saxonem eruere potuit: tàm arctâ custodiâ possessores eum occluserant. Tandem BIRGERUS, Archiepiscopus Lundensis, voti eum compotem reddidit, benignè communicato Codice Saxo-

nis manuscripto: quem in Gallias reversus, accedente auctoritate Serenissimi Danorum Regis, CHRISTIERNI II, imprimendum tradidit JODOCO BADIO ASCENSIO, Viro doctissimo, & Typographo suæ ætatis eminentissimo. Parisiis igitur, Anno fundatæ salutis, CIƆ IƆ XIV, felicibus auspiciis, primum in lucem prodiit Saxo noster: quem, si per invidos stetisset, æterno squalore damnatum longinqua temporum spatia penitus abolevissent, ac notitiæ posteritatis, irreparabili prorsus damno, subtraxissent.

Atq; hæc primæ Editionis occasio fuit: quam sequentes te literæ plenius, Benevole Lector, edocebunt.

CAPUT II.

Literæ Lagonis VVrne ad Christiernum Petræum. Epistola amœbæa Petræi ad Lagonem. Epistola itèm Dedicatoria Jodoci Badij Ascensij ad eundem Lagonem: quæ hactenùs editioni Saxonis Parisiensi præfixæ fuerunt.

I. INscriptio prioris Epistolæ ità habet:

LAGO VVRNE, Dei gratiâ, electus ad Ecclesiam Roschildensem, Præstantissimo Viro, Magistro CHRISTIERNO PETRI, Metropolitanæ Lundensis Ecclesiæ Canonico, amico nostro syncero, S.

Sequitur ipsa Lagonis Epistola:

Venerabilis Vir, Doctissimi ac Clarissimi SAXONIS nostri fulgentissimum opus, qui divinissimo dicendi genere Daniæ Regum Historias conscripserit, multis retrò annis in obscuro delituisse dolemus. Cujus dignissimas laudes & præconia, cujus disertissimum ac facundissimum scribendi genus, sicuti nos studiosissimo honore semper excoluimus & amplexati sumus: ita quoq; universi docti & illustres Viri Saxonem, Danorum Historicum, summis venerationis officijs prosequuntur. Igitur, mi Christierne, qui torpentibus commilitonibus tuis, percipiendarum litterarum gratiâ, sicuti vetustatum es vigilantissimus indagator; ità etiam illustrandæ patriæ nostræ pro viribus, desiderio mirabili te flagrasse comperimus: affectuosissimâ prece rogantes, ut tàm divinum latinæ eruditionis culmen & splendorem, Saxonem nostrum Sialandicum, jam [ut accepimus] à te diligenter castigatum elimatumve, ut in lucem feliciter prodeat, ad manus accuratissimorum Bibliopolarum promoveas; ne vel tàm eximius sapientiæ fulgor atrâ posthac nube delitescat, ne vel invicta perpetuò Danici nominis virtus oblivione invidâ obumbretur. Quo tibi honorem summum, & patriæ gloriam concilies immortalem. Vale. Ex castro nostro Hiortholm, Decima Maji, Anno duodecimo suprà Millesimum quingentesimum.

II. Inscriptio & Contextus secundi Epistolij hic est:

CHRISTIERNUS PETRI, liberalium artium Magister, Metropolitanæ Lundensis Ecclesiæ Canonicus, Reverendo in Christo Patri, Dn. LAGONI VVRNE, Dei gratiâ Roschildensi Episcopo, Domino suo præstantissimo, cum omni veneratione ac observantia, Salutem.

Cursitanti mihi spontè, peneq; volanti, admovit Præstantia tua, Præsul Clarissime, non parvi momenti calcaria, dùm ad Saxonis nostri Historiam Chalcographâ arte divulgandam excitare dignata est; ad quam provinciam, nemo [uti arbitror] mortalium me fuit unquàm propensior paratiorq;: quippè qui Parrhisijs agens, bonisq; litteris operam navans, proprio impendio tabellarium bis miserim, qui exemplum fidele, quantivis emptum ad me referret. Quâ viâ cum nihil proficerem, ipse illius ergò patriam repetij, bibliothecas omnes visi & revolvi, nec tamen Saxonem blattis, tineis, situ & pulvere obsitum eruere potui; tàm obstinato animo ejus possessores eum occluserant. Unus omnium, & is religione ac doctrinâ insignis, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor eximius, Magister noster Andreas Christierni, natione Jutus, Professione autem Carmelita, & provinciæ Daniæ, Ordinis intemeratæ virginis, ac Christi matris Mariæ, de monte Carmelo Prior dignissimus, conatus meos miseranti respexit oculo. Qui cum nullo ære redimendum videret exemplar; potius se id manibus suis transcripturum obtulit, quàm tantum totius Daniæ lumen amplius delitescere sineret. Habui tamen tantæ dignitatis rationem, nec conditionem accepi, sperans faciliorem aliundè tandèm emersuram. Reverendissimus ergò in Christo Pater, Dn. Birgerus, Dei gratiâ Archiepiscopus Lundensis, Sueciæ Primas & Apostolicæ Sedis Legatus, mirabili ad Daniæ gloriam accensus amore, exemplar pio tandèm repperit compendio, quod ad publicam utilitatem fidei meæ transcribendum, imprimendumq; commisit. Deerat itaq; sola auctoritas tanti operis divulgandi, quam liberalissimè mihi imper-

impertivit Illustrissimus Princeps noster CHRISTIERNUS, *Dei providentiâ, Daniæ, Sueciæ, Norvagiæ, Sclavorum, Gothorumq́; Rex potentissimus, Dux Slesvicensis & Holsatiæ, Stormariæ, ac Dithmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst; id solum imperans, ut à docto peritoq́; Chalcographo excuderetur. Norat etenim indignum fore, tantum virum ineptis aut minus fidelibus characteribus impressum iri; præsertim id affirmantibus consultissimè, Reverendissimo in Christo Patre, Dn. Erico VValkendorff, Archiepiscopo Nidrosiensi, & Apostolicæ Sedis Legato dignissimo, nec non Regio Cancellario, Viro Nobilissimo, Magistro Avone Bilde, Ecclesiarum Lundensis & VVibergensis Præposito. Mandatis itaq́; Regiis, Sapientiæq́; tuæ, Præsul dignissime, adhortationibus gravissimis obtemperans, Saxonis imprimendi munus commisi Excellentissimo Viro, Magistro Jodoco Badio Ascensio, litterarum bonarum apud Parrhisios interpreti, chalcographoq́; peritissimo, qui quale nunc vides opus, tuo nomini felicissimo præscriptum emisit, Regum omnium Catalogo, & totius Historiæ Indice literario illustratum. Quapropter effeci, ut qui ab unis, & iis paucis Danis hactenus legi potuit; ad Italos Hispanos, Gallos, Germanos, omnes deniq́; Christianos facilè possit perferri. Habe itaq́; molimina mea commendata, ac Vale Daniæ decus, præsidiumq́; meum. Ex Parrhisiorum Academia Clarissima. 14 Martij, 1514.*

III. Tertia & ultima Jodoci Badij Ascensij Epistola unà cum Inscriptione hæc est:

Jodocus Badius Ascensius LAGONI VVRNE, *longè Reverendo, & cum primis docto sapientiq́; Roschildensis Ecclesiæ Antistiti S.*

Probabili plausibiliq́; conjecturâ ducor, Præsulum Clarissime, ut Optimi Maximi Dei nostri providentiâ, arcanoq́; fatorum calculo contigisse rear; inclytam Danicorum Regum Historiam à Saxone Grammatico Sialando, viro disertissimo, abhinc annos suprà trecentos conscriptam, iis potissimùm diebus in lucem chalcographâ arte prodiisse, quibus invictissimo animo, præclaris pro ætate gestis & spe eximiâ, CHRISTIERNUS, *certissima Danorum Regis proles, Danica jamjam recturus est sceptra, accepturusq́; regnorum insignia: Tuq́; Heros, ut antiquâ* HURNORUM *nobilitate nulli secundus, itaq́; facundâ sapientiâ, & magnarum rerum prudentiâ, apud Danos facilè primus, Roschildensis Ecclesiæ episcopalem susceperis gubernationem. Siquidem uti sub VValdemaro, Rege invictissimo, jubente Absolone, itidem Roschildensi Episcopo prudentissimo, & duce ac bellatore in Christiani nominis hostes incomparabili, olim edita est: ita sub Christierno, Illustrissimo Rege, VValdemarum illum & factis & animis æquante, tuo ejusdem diœceseos Episcopi meritissimi faustissimo auspicio nunc demum emittitur, non sinè melioris doctiorisq́; in Dania seculi præsagio. Quemadmodum enim sub* CHRISTI *Domini nostri cunctis mortalibus adorandum natalem claruerunt Romæ summa Latinæ linguæ lumina M. Cicero, M. Varro, Q. Hortensius, & sexcenti alij; & inclyta cùm pacis, tùm belli culmina, Cn. Pompejus Magnus, C. Julius Cæsar, Octavius Augustus; aliiq́; prætereà multi: In Daniâ verò, [quam diversam à Daciâ puto] Frotho tertius, belli pacisq́; justitiæ & militaris disciplinæ splendor conspicuus: ità nunc Christierni Regis, vel nomine amabilis, singulari felicitate, tuoq́;, Præsul generose, ductu & auspicatâ dexteritate, propediem fore confidimus, ut Dania non solùm armis & imperio, quibus semper excelluit, liberaq́; fuit; sed & literis cultioribus evadat perspicua, multosq́; Saxones & Canutos, viros, inquàm, doctrinâ præstantes educet. Quod idcircò jamjamq́; futurum autumo, quod ut illi, quos modò dixi, in Parrhisiorum clari evaserunt Academiâ: ita nunc quoq́; non pauca in eadem è Daniâ conspicimus ingenia; quorum bona pars est Magister Christiernus Petri, Lundensis Ecclesiæ Canonicus, mihi longâ consvetudine & amicitiâ clarissimus: cujus præcipuâ curâ & singulari impendio hoc opus tuo nomini nuncupatum emittimus: illud Lectores ignotos, ne forsitan errent, præmonentes,* Saxonis *istius vocabulum, non patrium esse nomen [in Sialandia enim, quæ pars Daniæ, non in Saxonia, fuit ortus] &* Grammatici *titulum, professionis quidem esse, sed neq́; leve, neq́; contemptibile præconium. Enimvero, auctore Svetonio, Grammaticus est, qui diligenter, acute, scienterq́; norit aut dicere aut scribere. Quo nomine Cornelius Nepos appellandos censuit Poëtarum Oratorumq́; interpretes, qui tantum auctoritatis apud priscos obtinuerunt, ut censores & judices essent scriptorum omnium soli,* Critici *ob id vocati: sic ut non versus modo, [ità enim Quintilianus ait] censoriâ quadam virgulâ notarent: sed libros etiàm, qui falsò viderentur inscripti, tanquàm subdititios è familiâ submoverent. Ideoq́; summi Poëtarum interpretes & urbium magistri, ut Servius, Donatus, aliiq́; non pauci, Grammatici nuncupatione contenti bracteatis phaleratisq́; plus æquo abstinuerunt titulis. Quocircà iniquo ferendum est animo tantæ professionis gloriam ad ineptulos primorum elementorum recidisse præceptorculos. Curavi itaq́; Saxonem non eo fraudandum titulo, quem tanto judicio sibi delegisse visus fuerit. Utcunq́; autem hæc acceperint imperiti, præstantia tua, Pater doctissime, boni consulet, nostramq́; opellam hanc probabit; quod præsertìm exoratum volui. Vale. E chalcographia nostrâ apud Parrhisios, ad Idus Martias. M. D. XIIII.*

CAPUT III.

Secundæ & tertiæ Editionis occasio. De ijs judicium nostrum. Quæ nos causa impulerit ad novam Editionem,

A primâ Saxonis editione anni circiter viginti effluxerant, cum alteram, Basileæ, Johannes Oporinus adornaret, consilio & adhortatione Johannis Sphyractis Basileensis, qui insignem hunc Historicum à Nobilissimo Juvene, ERICO KRABBE, Dano, Lutetiæ dono acceptum eo fine in patriam transmiserat.

Demum post annos quadraginta duos, Andreas Wechelus, Typographus & civis Francofurtensis, operâ Philippi Loniceri ac Johannis Fichardi adjutus, eximium hunc Scriptorem ex officina sua publicam in lucem, nitidissimis typis, emisit.

Magnæ equidem optimis istis viris debentur gratiæ, quod in conservando Saxone nostro tantopere desudare voluerint: verùm longe majores deberentur, si incomparabile hoc Opus paulo curiosiore limâ politum, nec tàm innumeris mendis deformatum, publici juris fecissent. Uude fit, ut potius turpis lucri cupiditate, quàm rei literariæ juvandæ studio, toties illud publicasse videantur.

Quæ cum invitus adverterem, toto animo in eam curam ac cogitationem incumbere cœpi ut Saxonem nostrum accuratius, quàm antehac, elimatum, debitæq; integritati restitutum, in vulgus, procuderem. Quapropter cum antè aliquot annos, Athenas Batavas, studiorum gratiâ, incolerem, optimum visum fuit, saltem contextus emendandi causâ, in antecessum, minutias quasdam NOTARUM præmittere; quibus diligentiam Typographorum ad novæ editionis laborem alacrius suscipiendum excitarem. Illis verò consuetæ desidiæ indormientibus, serio constitui, alias insuper Notas, quæ uberioris instar commentarij essent, consignare: certâ spe fretus fore, ut aliquando, veluti Jupiter ex machinâ, insperato emergeret, qui illis unà cum ipso Auctore excudendis propitiam admoveret manum.

CAPUT IV.

Quinam fuerint præcipui novæ hujus Editionis svasores & adjutores.

INtereà verò, dum erectus eam in spem animus vanâ ac inani defatigatur exspectatione, plus quàm totum circumagitur decennium.

Non defuère tamen è proceribus ac Optimatibus inclyti regni hujus, qui crebris me exhortationibus incitârunt, ut novam hanc Saxonis Editionem, quam moliri me fando iuaudiverant, quantum in me esset, maturarem. Sed ego quum contrà causarer, nevtiquam me sustinendis esse sumptibus, quos tanti operis consummatio requireret: nonnulli eorum, Boni publici juvandi causâ, haud exiguam argenti summam largâ & liberali manu suppeditarunt.

Quos inter facilè familiam ducunt, Perillustris & Magnificus Heros, νῦν ὁ μακαρίτης, Dominus CHRISTIANUS FRIIS, de Kragerup, Eques Auratus, Serenissimi Danorum Regis Cancellarius, & literati Ordinis, dum vixit, Patronus incomparabilis: Vir itidem Illustris, Generosus, & Magnificus, Dominus JUSTINUS HØEG, de Gjordslef, Eques Auratus, antehac Regiæ & Equestris Academiæ, Scholæq; Soranæ Præses atq; Director eminentissimus, nunc regni Daniæ Cancellarius, & Senator amplissimus; quem Deus Opt. Max. Ecclesiæ & Reipubl. commodo diu superstitem præstet ac incolumem! Generosus deniq; & Beatæ memoriæ Dominus, PALÆMON ROSENCRANTS, de Krenckerup, Vir sapientiâ & doctrinâ excellentissimus. Quorum nomina, jamdudum æternitati, egregia in patriam universam merita, consecrarunt.

His tandem accessit, veluti cœlo demissus, Heros Pietate, Eruditione, Prudentiâ, Gravitate, ac cæteris, quæ in generosi stemmatis Virum cadere debent, Virtutibus nulli secundus, Perillustris & Magnificus Dominus, Dominus CHRISTIANUS THOMÆUS, de Stougaard, Eques Auratus, Serenissimi Daniæ Norvegiæq; Regis Cancellarius Magnus, Regni Senator primarius, totiusq; literati Ordinis Mæcenas & Fautor benignissimus.

Cui de Typographorum tergiversatione, in novo Saxonis Opere propriis impensis excudendo, quum multoties conquestus essem; is suis consiliis Serenissimæ Regiæ Majestatis clementissimam voluntatem eo flexit atq; adduxit, ut non modicam vim pecuniæ, ad institutum nostrum celerius perficiendum, suo de fisco nobis erogandam imperaverit.

O verè

O verè Regiam, & ad omnem posteritatem summis evehendam laudibus munificentiam! Ibit in secula, fuisse in Dania Regem potentissimum, DN. CHRISTIANUM IV, cujus augusto sub imperio non solum regna gentesq; Boreales exoptata pace & securitate, omniq; prosperitatis genere floruerint; sed & optimarum literarum studiis amplissimus honos, gratia, autoritas, præmia atq; decora constiterint.

Vestrum deinceps erit, quibuscunq; SAXONEM, Patrem Historiarum Septentrionalium, novo splendori nostrâ operâ utcunq; restitutum, evolvere contigerit, Patri patriæ munificentissimo immortales agere gratias, crebraq; pro salute tanti Principis vota nuncupare, ut diu mortalium cœtibus intersit, ac serus in cœlum redeat!

CAPUT V.

Breviter indicatur, quid in nova hac Saxonis editione præstare conati simus.

Quamvis autem non sum ità Suffenus, ut proprias in laudes diffundere me cupiam, & jactantius edissertare, quid in nova hac Saxonis nostri Editione præstiterim: nemo tamen vitio mihi vertet, si verbo uno aut altero subindicavero, quid saltem præstare conatus fuerim.

Omnem igitur industriam nostram in tribus præcipue duximus occupandam. Prima cura fuit, contextum, ut vocant, dare, quàm fieri potuit, emendatissimum, & variis corruptelis, quîs priores scatebant Editiones, omnimodis expertem.

Deindè vitiosam Interpunctionem, quâ perperam distincti erant Codices antehac excusi, hinc inde corrigendam censui, ne vel genuinum autoris sensum obscuraret, vel animo Lectoris spissiores offunderet tenebras.

Ad ultimum, Notis Philologicis, Historicis, atq; Politicis, Scriptoris sic satis intellectu difficilis, loca dubia & obscura illustrare tentavimus. Num vero propositi mei finem sim assecutus, aliis dijudicandum relinquo.

Nec ullus dubito, quin reperientur nonnulli, qui Chronologiam, Schemata Genealogica, singulorum librorum Breviaria, Notas marginales, & forsitan alia, desiderabunt. Verum, ut paucis respondeam, ea quod attinet, actum, quod dicitur, agere, & aliorum labores, qui sedulitatem hac in parte meam prævenerunt, mihi vendicare nolui. Curiosi Lectoris desiderio abundè satisfacient editis antehac monumentis ac scriptis suis eruditissimis nostrates Historici, Viri famâ super æthera noti, M. Johannes Svaningius, M. Andreas Wellejus, D. Johannes Isaacius Pontanus, M. Claudius Lyschander, & M. Johannes Svaningius Junior, hodieq; in Samo Balthica Præpositus Regius dignissimus, cujus *Chronologiam Danicam* utinam segnities Typographorum nobis diutius non invideret.

CAPUT VI.

De MS Codicis defectu querela: deq; infelici jacturâ duorum manu exaratorum Codicum, quam fecit Nobilissimus CASPAR BARTHIUS. *Rogatur ad ultimum Lector, ut Catone nostro contentus sit.*

CÆterum quibus ego inpræsens querimonijs miserandum illum defectum manuscripti Saxonis prosequar; qui me hactenus ex difficilium locorum Labyrinthis, non secus ac Ariadnæum filum, eduxisset, inq; spissis illis & plusquàm Cimmerijs rerum Danicarum, præsertim antiquiorum, tenebris, sublustre saltem lumen mihi prætulisset! Mirerne an indigner detestandam majorum nostrorum incuriam, qui in propaganda Saxonis memoriâ tam strenue negligentes se præstitere, ut ejus manuexarati in tota Dania, imo cæteris quoq; ad Arcton regnis, nec vola nec vestigium, quod equidem sciam, hodiè appareat?

De Tacito Imperatore memoriæ proditum est, quod cognominem sibi Historicum *Patrem* suum appellaverit, tantumq; dilexerit, ut in omnibus Bibliothecis libros ejus collocari juberet, institueretq;, ut singulis annis decies publicè scriberetur, nè ejus monumenta perirent. Quanto majore curâ ac sollicitudine Dani popularem suum cum veterum quovis comparandum, antè exortum Typographicæ artis compendium, transcribere, & ad seram usq; posteritatem transmittere debuissent? Zonaras auctor est in Bibliothecâ Byzantinâ repertum Draconis intestinum CXX pedes longum, cui avreis litteris Homeri Ilias atq; Odyssea fuerunt

 inscri-

inſcripta. Juſtiore certè jure in omnibus Daniæ bibliothecis, avreis literis avrea Saxonis Homero non inferioris Hiſtoria deſcripta extaret.

O nos felices, ſi bina illa exemplaria MS nobiſcum tempeſtivè communicaſſes, quibus te, Nobiliſſime BARTHI, benignior fortuna beaverat! Id quod de humanitate tua facilè nobis polliceri licuiſſet, niſi ſi volubilis deæ inconſtantia, eâdem, quâ dedit, celeritate invidendum hoc munus tibi abſtuliſſet. Itâ enim conqueruntur literæ ad me Anno Chriſti M. DC. XXXIII. ſcriptæ: *Saxonis veſtri exemplaria duo manuexarata in villâ propè hanc civitatem* (Lipſiam) *cum ipſo Codice, cui varia margines compleverant, & majore parte inclutæ meæ Bibliothecæ, funeſto flebiliq; incendio perierunt.* O verè funeſtum ac flebile incendium! absque quo fuiſſet, Saxone caſtigatiſſimo, omnibusq; numeris abſolutiſſimo [abſit dicto jactantia] jamdudum literatus orbis frueretur. Hac verò expectatione meâ falſus,

Qualis populeâ mœrens philomela ſub umbrâ
Amiſſos queritur natos, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoq; ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet:

talis ego nunc cogor inſignem hanc jacturam in ſinu dolere & plangere, omnemq; planè ſpem recuperandi tanti theſauri abjicere. Tuum propterea erit, Candide Lector, emendationibus hiſce noſtris, benignè acquieſcere: quas licet ingenium nobis & conjecturæ dictârunt, ſpondeo tamen plerumq; tales eſſe, ut vel aliter ſcripſiſſe Saxonem vix dubitare poteris, vel certè ad ſcopum & mentem ejus quàm proximè collineare videantur. Nunc ad Vitam Saxonis breviter enarrandam orationem convertam.

CAPUT VIII.

Accedimus ad Vitam Saxonis enarrandam: ubi primùm agimus de progenitoribus ſaxonis.

SI grata poſteritas parem cum Saxone calculum poſuiſſet, & ſaltim redhoſtimenti vice, quanquam ſic ſatis exigui, de Vitæ ipſius ortu ac decurſu aliquid comperti nobis tradidiſſet; noſtræ jam operæ neutiquam relictus fuiſſet locus. Nunc quia non ſint nulla, quæ induſtrium ac curioſum Lectorem pleniori aliqua earum rerum cognitione imbuere poſſe videantur, quæ hactenus altiſſimo obrutæ ſilentio publicam latuerunt noticiam: faciundum putavi, ut ſequentia documentorum fragmenta hinc inde per Satyram edecumata, & veluti tabulas ex ingenti naufragio ſuperſtites, collecta, hoc loci in medium producerem.

Ac primùm omnium de Parentibus Saxonis noſtri ut diſpiciamus, nihil planè, quod equidem ſciam, in literas de iis relatum extat, præterquam quod ipſe Saxo ſub initium Operis ſui prodidit, videlicet in Præfatione ad Andream Sunonis, Archiepiſcopum Lundenſem, ubi Sereniſſimum Daniæ Regem Valdemarum, ejus nominis Secundum, his compellat verbis: *Cæterùm priſco atq; hæreditario obſequendi jure, ſaltem ingenij viribus tibi militare conſtitui, cujus clariſſimi patris caſtrenſem militiam parens avusq; meus fidiſſimis bellici laboris operibus coluiſſe noſcuntur.*

Quibus apertè indicat Saxo avum patremq; ſuum ſub Valdemari II. patre, qui Valdemarus Primus fuit, ſtipenda meruiſſe, ceu milites ſtrenuos, & inſignitâ fortitudine conſpicuos.

Et fortean haud falſam capere conjecturam licebit, nobili ortos ſangvine fuiſſe progenitores Saxonis; quales iſtâ potiſſimum ætate caſtrenſem Principum militiam ſectabantur.

Certè non deſunt, qui conſtanter aſſerant, Saxonem genus & proſapiam ducere ex vetuſta & ſplendida apud Danos familia LANGIORUM, quam noſtrates de Langers appellant. Hos inter principem obtinet locum M. Claudius Lyſchander, Hiſtoricus quondam Regius, qui idipſum in Præfatione Operi Genealogico Regum Daniæ, vernaculâ à ſe linguâ edito, præfixâ, diſertis teſtatur verbis: ſed quibus, ad firmandam hanc ſententiam ſuam, nitatur documentis, fideli ſilentio prætermittit. Cui aſſentiri video Hiſtoricum itidem Regium, M. Jonam Venuſinum, Virum cætera doctiſſimum, ſed Saxoni, populari ſuo, nimis injurium, in Diſputatione ſua de Fabula, quæ pro Hiſtoria quàm ſæpiſſimè venditatur, Theſi LXXIV. *Cupimus*, inquit, *nobis ignoſci, ſi non omnia, quæ ſcriptis ſuis Saxo Longus conſignavit, approbemus.* Quorum etiàm tuetur ſententiam Excellentiſſimus Vir, Dn. D. Johannes

Iſaa-

Isaacius Pontanus, Historiographus Regius eminentissimus, in Chorographia sua Danica, de Saxone sic scribens : *Tunc etenim suis tantummodo notus, interq; frigora atq; Arcton studia fovens, sine exemplo maximus, longeq; admirabilis rerum Danicarum scriptor emicuit Saxo Grammaticus, Ecclesiæ Roschildensis Præpositus, è vetusta atq; inclyta Langiorum familia oriundus.*

Asservatur quidem in Regia Bibliotheca Hafniensi Codex Vetustus MS. cujus ad calcem hæc leguntur : *Saxo cognomine Longus, miræ & urbanæ eloquentiæ Clericus.* Quibus Lyschandrum pariter ac Venusinum, eosq; secutum Pontanum, in eam fuisse opinionem adductos arbitror, ut Saxonem ex nobilissima *Langiorum* stirpe oriundum statuerint.

Utcunq; se res habeat, non invidemus tanto viro tàm generosam originem, quâ se præstitit dignissimum: nec est, quod rubori sibi ducat illustris Langiorum domus in sanguinis consortionem admittere, quem præclara ingenij monumenta, quà viget eruditionis honos, nobilitarunt.

CAPUT VIII.

De nomine Saxonis.

SErvius, non ignobilis Grammaticus, rectè monet, primum interpretis munus esse, de Autoris, quem quis sibi explicandum proposuit, nomine inquirere. Qvum vero nobis jam liquido & indubitanter constet, florentissimo huic rerum Danicarum scriptori, quem Notis nostris utcunq; illustrandum suscepimus, nomen SAXONIS, à parentibus inditum obvenisse : paucula admodum in præsens de eodem commentabimur.

Multis sanè nomen SAXONIS hucusq; imposuit, ansamq; non parvi erroris præbuit perperàm existimantibus, *gentilitium* illud esse, non *proprium*. Id quod inde factum arbitror, quod cæteris nationibus rarissimo in usu hoc fuisse nominis animadverterent, & *Saxonem* Historicis, alijsq; autoribus, eum duntaxat dictum, qui ex gente Saxonica originem traheret. Unde & externi quidam scriptores vehementer hallucinati sunt, dum Saxonem hunc nostrum *Johannem de Saxonia* nominarunt : quemadmodum id antè me observavit Historicus olim Regius, Vir Clariss. M. Johannes Svaningius, in Prolegomenis Saxoni suo illustrato præfixis : *Nonnulli*, inquit, *quod cumprimis ridiculum videtur, ut gloriationem hujus autoris nobis Danis omnem præriperent, proprium ejus nomen in gentilicium convertentes, eum,* Johannem de Saxonia *appellarunt, ut non in Dania, sed in Saxonia eum natum esse, vulgò hominibus persvaderent.*

Meminerunt Cicero, Paterculus, Florus, & alij, SAXÆ cujusdam, qui legatus Antonij fuit in bello Philippensi, & in Syria contrà Parthos. *Accedit Saxa*, inquit Cicero Philippicâ XI, *quem nobis Cæsar ex ultimâ Celtiberia Tribunum plebis dedit, castrorum anteà metator, nunc, ut sperat, urbis.* Et Philippica XII. *Saxam verò præterire qui possum? hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum tribunum plebis videremus.* Paterculus : *Saxa legatus, nè veniret in potestatem, à gladio suo impetravit.* Sed cognomen id fuit Decidiæ familiæ plebejæ, ex quâ oriundus etiam fuit Decidius hicce, cognomento Saxa, Antonij legatus.

Posteà Romanis Italisq; non inusitatum fuisse SAXONIS nomen, indicare videtur Baptista Platina in Vita Honorij II Pontificis Romani, ubi *Saxonis* cujusdam, Cardinalis S. Stephani, mentionem injicit, quem Calixto Papa defuncto, Anno M. C. XXIV. Populus Romanus Pontificem percupidè nimium optabat. Verba Platinæ ità habent : *Mortuo Calixto, cum de legendo novo Pontifice ratio haberetur, Leo Fregepanis omnibus Cardinalibus interdixit, nè usq; ad diem tertium, Pontificem crearent, quò & maturius deliberare, & Canones inspicere liceret. Quamvis non eâ mente id fecerit homo acutus, & ad fallendum vafer, quam verbis præ se ferebat: sed ei tantisper disponere hominum suffragia liceret, quibus Lambertus Pontifex crearetur. Nam populus ipse Saxonem, S. Stephani Cardinalem, Pontificem percupidè nimium optabat. Id quoq; se cupere Leo Fregepanis ostendebat, quò & populum & patres neglegentes & incautos in sententiam sui quâvis arte pelliceret. Atverò cum id velle Leonem Cardinales quidam cernerent, nè ex ejus sententiâ Pontificem legerent, omisso Saxone, Thebaldum, S. Anastasiæ Presbyterum Cardinalem, Pontificem deligunt, quem Cœlestinum appellarunt.*

Quin antiquis Germanis hanc frequentatam fuisse appellationem, ostendit Catalogus nominum propriorum, quibus Alamanni quondam appellati, ex vetustissimo Codice Monasterij S. Galli, ordine Alphabetico descriptis, qui extat Tomo II, parte prima Antiquitatum Alamannicarum, quæ ex Bibliotheca Melchioris Goldasti prodierunt, Cap. 1. & 2. pag. 133. & sequent. Lit. S : *Sadepreht, Sahso, Sasso, Shasso, Sazo, Saxo, Saxunus.*

Verum-

Verumenimverò vix ulli nationi idipſum, quod toties diximus, SAXONIS vocabulum, frequentiori in uſu fuiſſe reperio, quàm Danicæ genti ac nationi. Illud etenim apud noſtrates neutiquam hodiè aut heri natum eſſe, ſed ab antiquiſſimâ hominum memoriâ celebratum, & longo temporis uſu frequentatum, innumera nos Antiquitatum noſtrarum edocere poterunt monumenta. Inter quæ vix dari poſſe reor antiquiora, quàm muſcoſa illa ſaxa, quæ Runicis cælata literis, & priſcis Heroum buſtis, ſub liquido æthere, impoſita, undiq; ſecus in Dania noſtra hodieq; viſuntur. Tale eſt inprimis Monumentum Sjórupienſe in provincia Scaniæ Linuſia, vulgo Liunitzherrit/ quod nobis Vir Excellentiſſimus, & fugientis Antiquitatis veluti Stator Jupiter, D. OLAUS WORMIUS, Lib. III. Monumentor. Danicor. pag. 185. hunc in modum repræſentat :




Inſcriptionis hæc interpretatio eſt : *Sagſi ſeti Stin deſi euftir Osbium ſin Filaga, Tufas ſun, ſem fóti egi at Upſalum: Anva maden vabn efdi.* Hoc eſt: SAXO LAPIDEM HUNC POSUIT ESBERNO SOCIO SUO, TUFÆ FILIO, QUEM EGO UPSALIÆ ENUTRIVI; ANVA INSIGNIA ET ORNAMENTA ADDIDIT.

In qua inſcriptione loco X, pontiur ᚴ & ᛋ ; quia Literatura Runica duplicibus dictis literis deſtituitur : & *Sagſi*, ſive *Saxi*, juxtà veterum pronunciationem effertur, quod nos jam *Saxe* dicimus.


Sic & in monumento Avinſlóenſi, quid in pago quodam Fioniæ Awinsløff/ in Vindingenſi provincia extat, & ab Excellentiſſimo D. Wormió Lib. IV. Monument. Danicor. pag. 245. expreſſum reperitur, manifeſta ejuſdem appellationis veſtigia apparent ; quamvis in voce ᛋᛅᛋᛁ, *Saſi*, per ſculptoris incuriam, omiſſa ſit litera ᚴ.

Hoc



Hoc est: *Ruulff hardi hug : Sasi sati Runir stein* : RUDOLFUS DURUS TUMULUM FECIT : SASI (pro SAXI) RUNICUM LAPIDEM POSUIT.

Sed clarius id nobis exhibet Oldgarense in Sognedalia Norrigiæ monumentum à Wormio prolatum Lib. VI. Mon. Dan. pag. 501.



Sachsi ristd stin dina : SAXO LAPIDEM HUNC POSUIT.

His proximâ vetustate accedunt nonnulla ipsius Saxonis nostri loca, in Historia Danica hinc inde obvia, in quibus clara & luculenta SAXONIS agitur mentio. Sic Lib. VIII, in recensu Ducum, qui Ringoni Sveciæ Regi adversus Daniæ Regem Haraldum Hyldetand, in bello Bravico, militarunt, SAXI quidam inter cæteros occurrit: *At ex parte Ringonis,* inquit, *computantur Ulf, Abgi VVindar, Eyil luscus, Gotar, Hildi, Guti Alf patre genitus, Stur robustus, Steen Vienicæ paludis accola. Applicantur hisdem Geert Alacer, Gromer VVermicus. Post quos septentrionalis Albiæ finitimi supputantur, Saxi, Fletir, & Saligothus, Thor nutabundus, Throndar nasutus. &c.* Bellum autem hocce Bravicum incidit in annum Christi CCCXXVI, juxtà Lyschandri calculum. Ita & Libro XIII, sub Nicolao Rege, qui obijt A. C. M. C. XXXV. nominatur Magnus *Saxonis* filius: *In cujus apparatu Magnus Saxonis filius Erici miles, singulare fidei specimen edidit.* Libro itidem XIV, regnante Waldemaro I, circà Annum Christi M. C. LVI. Saxoni & Jurisio navales copiæ committuntur: *Quod quum VValdemarus per transfugarum quendam expertus fuisset, auxiliaribus, quâ poterat celeritate, contractis, ad exturbandam hostium classem, Saxonem & Jurisium cum navalibus copiis mittit.* Libro deniq; XV, sub finem imperij ejusdem Waldemari I. Anno Christi M. C. LXXX: *A quibus eundem precari rogatus, nè Saxonem, Athonem, Sunonem, & Esbernum, homines extrà Scaniam ortos, ejus rebus præesse pateretur.*

In mea quoq; Bibliotheca asservatur Codex membraneus MS. Novi Testamenti, charactere & Idiomate Russico, ante quadringentos, ut videtur, & fortean plures, annos descriptus; cujus ad calcem adjuncta est vetustissima variorum cujuscunque ordinis hominum, designatio & recensio, qui Monasterio Fratrum Minorum, in urbe Roeschildensi, donaria & *χαριστήρια* olim contulerunt; in qua etiam SAXONIS non omittitur mentio. Initium sic habet:

Nomine signatos, & munere conciliatos
Fratribus exiguis, jungito, Christe, tuis.

Regem Haroldum, Reginamq; Margaretam. Seqvuntur longâ deinde serie aliorum beneficorum nomina: *Knuto Rex, Athala Regina. Eiric. Margareta Regina & Soror nostra. Sveno Episcopus. Ricardus Præpositus. Sveino Decanus. Hermannus. Ascerus. Luitgerus. Boso. Livo. Isaac. Arnfastus. Nicolaus. Saxi. Ako. Clemens. Toco. Joseph. Kanutus. &c.* Ex quibus Saxo noster Hermannum, Isaacum, Arnfastum nominat Lib. XI. Histor. Dan. ubi de tumulo Wilhelmi Episcopi Roschildensis, Ascerianæ sepulturæ gratiâ, ab iis violato, agit: *Quamobrem diu postmodum intactus VVilhelmi tumulus mansit, donec nostris eum temporibus Hermannus majoris Sacrarij Præses, Arnfastusq; Scholæ magisterio functus, connivente Isaaco, ruralis sacerdotij Præposito, parabilem magis, & inter cæteros cultissimum advertentes, Ascerianæ sepulturæ gratiâ, aperiri jusserunt.* Unde per conjectu-

jecturam colligere posse videor, Saxonem illum, cujus Designatio superius adducta mentionem facit, nullum fuisse alium, quàm Saxonem Grammaticum, incomparabilem rerum Danicarum scriptorem, quippe qui disertis ostendit verbis violationem sepulchri Wilhelmiani suis contigisse temporibus. Obijt autem Ascerus Episcopus, cujus sepulturæ gratiâ, tumulum Wilhelmi, modo nominati Triumviri aperiri jusserunt, Anno Christi M. C. L. quo anno vixisse Saxonem nostrum tàm certum est, quàm quod certissimum.

Cæterùm priusquam finem Capiti huic imponam, hoc etiàm observationem nonnullam mereri videtur, videlicet, mediam hujus vocis syllabam in omnibus obliquis productè, non breviter, esse pronunciandam; qvum *τὸ Saxo*, quando gentilicium est, penultimam habet correptam. Hac de re elegantissimum nunc Epigramma exhibemus Nobilissimi Viri, Dn. Willichij Westhovij à Westhovven, Canonici Lundensis, Poëtæ Laurigeri, & Comitis Palatini Cæsarei, quod cum Beatissimo Parente meo M. Johanne Stephanio, tùnc temporis Regiæ Scholæ Soranæ Præside, communicavit, Anno Christi M. DC. XIV, ad diem XI Maji, ut ipsius Nobiliss. Westhovij Avtographum testatur, repertum inter Schedas ejusdem Parentis mei τοῦ μακαρίτου:

In Olonem Noricum Ἐπίγραμμα.

Saxonis *libros, [qui te compellat Olonem]*
Correpto Historiam Saxònis *ore vocas.*
Nominis at maribus proprij, cui terminus O est,
Flexibus obliquis, [dummodò crescat ijs]
Syllaba perpetuò longa est penultima, testes
Varro, Cato, Cicero, Scipio, Naso, Maro.

Quamvis diffiteri nequeam, medij ævi scriptores, SAXONIS vocem pro eo, qui ex gente Saxonica oriundus, mediâ productâ usurpasse. Sic Rosvita, Poëtria Saxonica, sub initium Historiæ suæ metricæ, de Vita & rebus gestis Othonum Imperatorum:

Postquam Rex Regum, qui solus regnat in ævum,
Per se cunctorum transmutans tempora Regum,
Jussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum [nomen habentem
A saxo, per duritiem mentis benè firmam]

Ità & Anonymus quidam Poëta Arnolfo Imperatori σύγχρονος, Lib. III. Annal. de gestis Caroli Magni, ad An. Chr. DCCXCV. Indict. II.

Cum nimium suspecta foret gens facta rebellis
Saxonum toties, crebro quoq; fœdere rupto
Sub justâ Regis ditione quiescere nolens.

Et paulò pòst eodem Capite:

——————— *Regem dum vellet adire,*
Incidit insidias, illi quas antè pararunt
Saxones, quoniam Francis novêre fidelem.

CAPUT IX.

De Cognomine Grammatici.

G*rammatici* cognomentum, quod Saxoni nostro in omnibus gentis nostræ Antiquitatibus passim ascriptum legimus, nemo existimabit, ipsum sibi ex superbia quadam, & φιλαυτίᾳ, instar jactabundi Palæmonis, arrogasse: sed potius hoc ipsi affinxisse istius ævi librarios, sive librorum recensitores ac descriptores, qui vel professionis, vel vitæ, vel morum, generisvè notandi gratiâ, autoribus cognomina quæpiam, è medio plerumq; sumta, in titulis apponere consveverant. Sic in manuexaratis libris Plauto inditum est vocabulum *Asinij*; quia videlicet rumor erat, Plautum ad participandum victum, ob egestatem, ad molam se vendidisse. Nam id genus lapideas machinas, veteres *Asinos* appellaverunt. Pari ratione *Getam* cognominaverunt Philologi veteres Ovidium, ex illo versu Elegiæ XIII. Lib. IV. de Ponto: *Carmina quæ facio pænè Poëta Getes.* Pari modo ab altitudine carminis & dicendi genere, Statius cognomen à librarijs *Aquilini* meruit. Avsonius cognominatur *Pæonius* in Fastis Græcis, cum pater ejus fuerit Medicus. Non alia ratione *Navtre* cogno-

cognomentum Propertio quoq; affinxerunt, quia nescio quid tale carmine illi quopiam exciderat. Pari prorsus modo Cœlij libelli de re culinaria, *Apicij* titulum sunt sortiti, cum ad Apicium illum prodigum non pauca referantur. Ità & ingeniosissimo & disertissimo Poetæ Martiali cognomentum *Cocus* adhæsit, quòd multa de *Coquis* loquatur, nec pauca recenseat, præcipuè ultimis libellis, quæ ad rem culinariam pertinere possunt. Ità Petronium non dubito ex Taciti loco, qui eum *Arbitrum* noctium voluptatumq; Neronis nominat, id cognomen obtinuisse. Ità veteres libri Persium *Severum*, ab austeritate castigandi, & invectione in malos mores, nominant. Sic luculentissimus Christi vates Prudentius à priscis descriptoribus *Amœnus* cognominatus est, quod omnium Christianorum Poetarum amœnitate & varietate Lyricorum carminum longè sit princeps. Sic Apollinaris Sidonius à vita moribusq; *Modesti* nomen apud librarios accepit. Sic eloquens ævo suo & eruditus Declamator Radulfus, Normanniæ Ducis Concionator, *Ardentis* titulo conspicuus exstat. Sic Sulpicius Severus cognominatur *Rhetor*, quia comtius loquitur.

Ad eundem modum sequioris ævi librarij, quoties exempla Historiæ Danicæ à Saxone conditæ transcriberent, honorifico illo *Grammatici* cognomine, tantum scriptorem, ἐξοχῆς gratiâ, omnino condecorandum putarunt, non solùm ob variam, elegantem, & reconditam eruditionem, quæ tum temporis, in summâ nempè barbarie, erat rara avis in terris, nigroq; simillima cygno; sed etiam propter sublime & inimitabile dicendi genus, quo Historiam suam contexuit.

Juxtà mecum sentit Clarissimæ Doctrinæ Vir, & verè ὁ πανεπιστήμων, Daniel Heinsius, in Prolegomenis suis ad Aristarchum sacrum: *Ætate sequiori*, inquit, *Saxo illustris ac ætate illa facundissimus Danorum Historicus, vir plurimarum rerum gnarus*, Grammaticus *dictus est.* Cui consentit Nobilissimus Vir, & Philologus eminentissimus, Caspar Barthius Adversarior. Lib. XXIV. Cap. VIII. *Conditore Annalium apud Danos suos Saxone, cui Grammatico, ab eruditione recondita, receptum est nomen, suo ævo nihil sperari majus potuit. In summa barbarie, in terrâ à cultu literarum tùm aversissima, Latinè, eleganter, eruditè scribit, citrà parem quidem omnia.*

Grammatici verò antiquis dicebantur, non solùm illi Technici, qui Grammaticam, & præcipuè τὴν τεχνικὴν, quæ de literis, de lectione, scriptione, ac pronunciatione agit, adolescentulos docebant; quos etiam *Grammatistas literiones, pædagogos literarios, magistros literarios* nominare solebant: sed & inprimis illi, qui plenam & exactam omnium disciplinarum cognitionem sibi comparaverant, qui omnis scientiæ liberalis periti, ac universæ eruditionis complexu instructi essent.

Hinc *Grammaticus* Svetonio Tranquillo, libello de Illustribus Grammaticis, is propriè dicitur, qui diligenter, acutè, scienterq; norit aut dicere, aut scribere. Quo nomine Cornelius Nepos appellandos censuit Oratorum Poëtarumq; interpretes; qui tantum autoritatis apud priscos obtinuerant, ut soli scriptorum omnium Censores & judices essent, *Critici* ob id vocati, sicut non versus modò censoriâ quadam virgula notarent, sed libros etiam, qui falsò viderentur inscripti, tanquam subdititios è familia removerent. Ideoq; summi Poëtarum interpretes, Servius, Donatus, Acron, alijq; non pauci, *Grammatici* nuncupatione contenti fuere.

Idcircò & eodem nomine Appion, Joannes Philoponus, C. Julius Solinus, *Grammatici* passim ab antiquis vocantur. Joannes quoq; Balæus, Anglorum doctissimus, in Centuriis suis, quatuor recenset illustres suæ gentis scriptores, qui hoc titulo insigniti fuere. Primus *Alfridus*, *sivè Ælfricus, Grammaticus*, Archiepiscopus Cantuariensis, qui obijt A. C. M. VI: alter *Galfridus Grammaticus*, qui claruit Anno M. CD. XC: tertius *Joannes Grammaticus*, & quartus *Serlo Grammaticus*, qui floruit Anno M. C. LX. Quorum duo priores ob studium Grammaticæ, præsertim τῆς τεχνικῆς, quod calidè tractarunt, scriptaq; Grammatica in lucem edita, *Grammatici* dicti sunt: sed posteriores illi, ob singularem & raram ista ætate eruditionem, cognomen ejusmodi, haud aliter ac Saxo noster, meruêre. Uterque enim Rhetor, & insignis sui seculi Poeta habebatur, teste eodem Balæo, pag. 198. & 525.

Sed ut hoc etiam obiter adjungam, paulò minus in spissum me errorem induxerat Nobilissimus Vir, ac illustre Britanniæ suæ decus, Henricus Spelmannus, ut existimarem, eundem hunc *Alfridum*, sivè *Ælfricum*, cujus modò mentionem egimus, Prologum, & forsitan Notas, atq; alia, in *Saxonem* nostrum *Grammaticum* scripsisse, & propterea *Grammatici* obtinuisse nomen. Nam in aureo isto Opere de Concilijs Ecclesiarum Britannicarum, [quod mihi nuper è Bibliotheca suâ, varijs ejusmodi Antiquitatibus refertissimâ, suppeditavit Excellentissimus Vir, D. Olaus Wormius, Regiæ Academiæ Hafniensis Professor celeberrimus] & quidem in Notis ad Capitula incertæ editionis, verba nonnulla adducit ex Prologo Ælfrici ad

Sax. Gram. [ità enim ad oram Codicis interiorem adſcriptum extabat, *in Prologo ad Sax. Gram.*] quæ ego deſumpta putabam ex *Prologo ad Saxonem Grammaticum.* At ubi rem pauló accuratius expendere cœpi, dimidiatas iſtas voces *Sax. Gram.* nequaquam de *Saxone Grammatico*, verùm potius de *Saxonicâ Grammaticâ*, ad quam forte Prologum ſcripſiſſet Ælfricus, intelligenda duxi. Quam ſententiam meam validè confirmant Lelandus, Balæus, & Pitſæus, qui hunc ipſum Ælfricum, præter alia Opuſcula varia, Saxonicâ Linguâ conſcripta, *Grammaticam* quoq; *Saxonicam* edidiſſe teſtantur. Quinimò repugnat utriusque Scriptoris ætas, quò minus Prologum in Saxonem noſtrum ſcribere potuerit is, de quo Spelmannus loquitur, Ælfricus. Etenim hic ſummum obijt diem Anno Chriſti 1006, ſecundùm Balæum & ipſum Spelmannum. Saxo verò noſter integris poſt ducentis annis in fata conceſſit, nempè Anno Chriſti 1203. Quomodò igitur in Saxonis Hiſtoriam, quæ tum in rerum natura non erat, Prologum ſcribere potuerit Ælfricus, non video.

CAPUT X.

De Patria Saxonis, quæ Dania fuit, non Saxonia.

GEnte verò *Danum* ſe eſſe, multis in Hiſtoriæ ſuæ locis clarè & apertè profitetur Saxo. Sic Libro IV, ubi de ſcriptorum Danicorum penuria conqueritur, Danorum gentem, SUAM non obſcurè indigitat: *Tam brevi factorum ejus proſeqvutione animadverto, quot illuſtrium gentis NOSTRÆ virorum ſplendorem ſcriptorum penuria laudi memoriæque ſubtraxerit. Quod ſi patriam hanc fortuna Latino quondam ſermone donaſſet, innumera Danicorum operum volumina tererentur.* Clarius autem id ipſum innuere videtur Lib. V: *Dani igitur (ut PATRIÆ pace loquar) ſiccandis certatim calicibus aſſveti, ingenti ſe oneravêre vino.* Huc adde, quæ de feriarum ſerie apud Danos antiquos obſervata, juxta ac deorum gentilium nominibus, extant Lib. VI: *Quo evenit, ut legitima feriarum ſeries apud NOS* (id eſt, Danos) *eorundem nominibus cenſeatur.* Et mox: *Eos tamen qui à NOSTRIS* (noſtratibus Danis) *colebantur, non eſſe, quos Romanorum vetuſtiſſimi Jovem Mercuriumq; dixêre &c.* Et pauló poſt: *Ea enim, quæ apud NOSTROS Thor, vel Othini dies dicitur, apud illos* (Romanos) *Jovis vel Mercurij feria nuncupatur. Si ergò Thor, Jovem; Othinum, Mercurium; juxtà deſignatæ interpretationis diſtinctionem accipimus: manente NOSTRORUM aſſertione, Jovem Mercurij filium extitiſſe convincitur.* Ità & ſub finem Lib. VIII. quæ reperiuntur verba, idem omninò evincunt: *Quod ſi novum Saxonibus ducem variata rerum ſucceſſio peperiſſet, is quóq; prædictæ penſionis obſequio poteſtatis principium Danicæ majeſtatis titulis inclinaret: quò & gentis NOSTRÆ fateretur imperium, & ſubjectionis ſuæ ſolenne præberet indicium.* Illud etiam arguit votum Saxonis Lib. X. de religionis & Juſtitiæ cultu: *Et utinam adultæ jam religioni ea apud NOSTROS vis autoritasq; conſtaret, quam inter antiquos tenera atque enervis habuerat.* Et quæ mox ſeqvuntur de Anglia Danis fraudulenter erepta: *Ea nox parvulo temporis momento vetuſtam Danorum dominationem, diuq; majorum virtute elaboratum finivit imperium. Sed neq; id poſtera NOSTRIS fortuna reſtituit.* Huc refer & illa Libro XI: *Sed & gentis NOSTRÆ verecundia ſummam in vinculorum pœna turpitudinem reponere conſvevit.* Et nè plura hic accumulem, inſtar ἐπιμέτρȣ hoc erit, ex Libro XIV, de Friſia minore: *Adminiſtratio deinde provinciæ ſub NOSTRIS Regibus eſſe cœpit.* Sub NOSTRIS, inquit; id eſt, Danicis: ergò Saxo, Danus.

Natale autem ſolum *Selandiam*, (ſive ut veteres pronunciabant) *Sialandiam* ſe inſulam habuiſſe, inſulam dico cunctis regionis noſtræ provincijs amœnitate præcellentem, nuſpiam ab ipſo Saxone, quod equidem ſciam, diſertis verbis aſſertum conſtat: verùm antiquiſſimi patriæ noſtræ Annales, juxtà ac omnes Saxonis Editiones id firmiter ac conſtanter aſſeverant. Quibus ſuum addit calculum *Johannes Svaningius*, quem ſæpius laudavi, in Prolegomenis ad Saxonem illuſtratum: *Hiſtoriam de rebus geſtis Danorum, quam Saxo Grammaticus, juxtà vulgarem hominum noſtrorum opinionem Cimber, ſed juxtà antiquos regni Annales, natione Sialandus, deſcripſit, in XVI Libros digeſſit.*

Hinc non immeritò Nobiliſſimus ac Doctiſſimus Vir, Petrus Parvus Roſefontanus, Eques Danus, in Apologia ſua & Refutatione calumniarum Joannis Magni Gothi, Archiepiſcopi Upſalenſis, eundem vehementer ſugillat, quòd præter nefanda convicia, quibus inclytam gentem Danicam ubiq; in ſcriptis ſuis atrociſſimè proſcindit, etiàm nobis eximium illud decus præripere conatus ſit, dum Saxonem hunc noſtrum *Joannem de Saxonia* falſò nominet. Verba Roſefontani ita habent: *Quis, quæſo, tantum odij, mendacij, ac calumniarum, in eo viro* (Joanne Magno Gotho) *latuiſſe non obſtupeſcat, qui Archiepiſcopalis dignitatis titulo præfulgens,*

gens alijs pietate, innocentiâ vitæ, ac morum integritate prælucere debuerat, nisi hæc nefanda convicia ex Historia Saxonis, quem ille, nè talem nobis virum faveat, sed alijs persvadeat, eum sub hoc crassiore nostro cœlo natum minimè esse, Joannem de Saxonia *falsò quidem nominat: maximè, cum Saxo non gentilicium, nec familiæ, sed apud Danos sit nomen proprium: nisi, inquam, hæc calumniosè excerpta, ac diu occultata ipse tandem aliquando impudenti ore evomuisset, quis in tantam rabiem converti talem potuisse virum sibi persvadeat?*

I nunc, & Cimbris suas objice tenebras, Danis suam barbariem! Hic est ille Saxo Grammaticus Danus, qui toti terrarum orbi testatum fecit:

Claros posse viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patria, crassoq; sub aëre nasci.

CAPUT XI.

Quòd Saxo Præpositus fuerit Roëschildensis.

JAm quod attinet amplissimam illam sacri muneris dignitatem, ad quam, haud dubiè ob stupendam eruditionem, & admirandam eloquentiam, evectum fuisse Saxonem nostrum accepimus, videlicet, quod *Cathedralis Ecclesiæ Roëschildensis Præpositum* (ut Ecclesiastici Scriptores loqui amant) egerit: eam nemo unquam in dubium vocare jure poterit, qvum tot apud nos supersint incorruptæ fidei documenta, quæ de rei hujus veritate quemquam dubitare non facilè permittunt. Et è multis ut pauca saltim in medium adducam, primùm omnium ad testimonium citabimus Vitam S. Wilhelmi Parisiensis, Abbatis Monasterij D. Thomæ, in Dioecesi Roëschildensi, à quodam ejus discipulo, qui Saxonem in Dania aut vidit, aut videre potuit, conscriptam, in quâ hæc inprimis occurrunt verba: *Per id tempus Roschildensi Ecclesiæ cum multâ laude præsidebat Absalon Episcopus, Vir magni consilij, Cleri decus, mœrentium & afflictorum consolator, religiosorum pius amator, totius populi rector modestus, advenarum & pauperum benignus sustentator, VVandalorum strenuus debellator, Religionis Christianæ ornamentum, exemplar sobrietatis, forma pudicitiæ, veræ nobilitatis & probitatis insigne speculum, lucerna fulgens in templo Dei, ejusque columna fortis & immobilis. In ejus Dioecesi erat Cœnobium Canonicorum, in Insula, quam Eschilsò vocant, non longè distante ab oppido Roschildensi, mari undiq; cincta. Et ipse quidem locus peramœnus erat, pratis virentibus, & diversis nemorum arboribus oblectans oculos animosq; illic degentium: attamen id temporis pauci illic morabantur Fratres, & ij ipsi frustrà Regulares dicti, cum à regulari disciplina multum deflexissent. Cernens autem Venerabilis Episcopus Absalon illorum mores ab omni religione prorsus abhorrere, moerebat animo, ferebatq; indignè Diabolica fraude deceptos vitam prorsus mundanam vivere. Cœpit itaq; crebrò secum pertractare, quâ ratione posset illi Ecclesiæ consulere, atq; illic degentium mores in melius reformare. Redit tandem in memoriam familiaritatis & amicitiæ, quæ illi olim intercesserat cum VVilhelmo, Viro religioso, cum literis Parisijs operam daret: sciensq; illum virtutibus & sanctis moribus ornatum, deliberavit illi ad se accito tradere locum memoratum. Mittit itaq; in Gallias Saxonem, Præpositum Roscildensem, virum honestum, qui ab S. Genovefæ Collegio petat D. VVilhelmum cum alijs tribus fratribus mitti in Daniam, quibus etiam locum opportunum se Episcopus daturum pollicebatur. Abbas verò Ecclesiæ S. Genovefæ animadvertens tanti Præsulis æquas & bonas esse preces, de Fratrum suorum consensu ablegavit VVilhelmum cum tribus alijs in Daniam, deducente eos Saxone Præposito.*

Deinde alterum indubitatæ fidei testimonium nobis suppeditat Codex antiqvus MS. qui in Bibliotheca Regiæ Academiæ Hafniensis asservatur, à quo sequentia excerpsimus: *Anno Domini M. C. LXI. misit Absolon, Episcopus Roschildensis, Saxonem, Præpositum Roschildensem, Parisios, ad Ecclesiam Beatæ Genovefæ: & adduxit Fratrem VVilhelmum, cum alijs tribus fratribus, in Daniam. Et factus est Abbas S. VVilhelmus in Eschilsió, ubi erant Canonici Regulares, nihil præter nomen & habitum habentes, qui anteà habuerant Priorem pro Prælato. Obijt autem S. VVilhelmus XL anno, postquam curam Pastoralem suscepit, & sepultus in Monasterio D. Thomæ, in oppidulo Selandiæ Ebbelholt dicto, Anno M. C C. II.*

Sed quem, quæso, in hanc rem producamus majoris autoritatis, certiorisq; fidei testem, quam ipsum Saxonem? quippe qui suâ manu, Literis ac Codicillis Regijs & Episcopalibus subscriptâ, eminentissimum huncce dignitatis gradum sibi asseruit ac vindicavit. Bono etenim fato non ità pridem nactus sum Codicem MS. antiquissimæ notæ, cujus hæc erat Inscriptio: *Hæc sunt Rescripta Privilegiorum Sanctæ Othoniensis Ecclesiæ, quæ de sua dignitate & libertate, ante incendium, habuit.* Complectitur autem varia Diplomata literasq; Regum Daniæ, Pontificum Romanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, quibus Ecclesiæ Othoniensi eximias olim Immunitates & Privilegia aut indulserunt, aut indulta confirmarunt.

In ijs unum aut alterum ſeſe offert, cui, unà cum cæteris teſtibus, nomen ſuum ſubſcripſit Saxo, tum temporis *Præpoſitus Roſchildenſis.* Ejus generis illud eſt, quo Rex Daniæ, Waldemarus Primus, Othonienſi Eccleſiæ Privilegia à majoribus ſuis conceſſa confirmat. Id quod integrum, curioſi Lectoris in gratiam, heîc ſubjiciendum duxi, nè iſthic tantùm legeretur, nevè planè interiret, quod alioquin futurum augurabar. Ita verò habet: *In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis! Ego VValdemar, Dei gratiâ, Rex Danorum, univerſis Sanctæ matris Eccleſiæ filijs, tàm futuris quàm præſentibus in perpetuum. Quoniam Regi Regum omnium, in cujus diſpoſitione Univerſitas rerum conſiſtit, ſceptrigeram regni Danorum cenſuram noſtro regimine gubernari complacuit, licet omnibus regionis noſtræ Eccleſijs neceſſariam defenſionem impendere debeamus; tamen ſanctæ Othonienſis Eccleſiæ profectui & proficuo attentius conſulere ac patrocinari ſpeciali jure advocatiæ tenemur: tum eò, quòd venerandæ Sanctorum Reliquiæ in eâ continentur; [quos ſicuti noſtros extitiſſe propinquos, ità pios apud Deum patronos eſſe gaudemus] tùm quòd non ſolum in Monaſticæ religionis cultu antiquior, verùm etiàm in animarum fructu cæteris fœcundior fuiſſe dignoſcitur, quod uterque ſexus tàm Monachorum, quàm Monialium, qui primordialem ſuæ profeſſionis normulam ab eâ contraxêre, veraciter conteſtatur. Exemplo igitur anteceſſorum noſtrorum regum admodum informati, qui eandem Eccleſiam conſervari fecerunt, & probabili Monachorum converſatione inſtitutam, ab omni jugo ſervitutis ac importunis Angarijs, alienam fore ſanxerunt: talem eidem Eccleſiæ, & Monachis ibidem Deo militantibus, libertatis legem pron[ul]gamus; ut univerſæ ipſorum poſſeſſiones ſivè in villis, ſilvis, prædijs, pratis, ſivè in alijs quibuslibet terræ generibus, quas Regum, Epiſcoporum, aliorumq́ fidelium largitione, pecuniæ emptione, ſeu terrarum cambtione, uſq́ in diem hodiernum, id eſt, VIII. Idus Februarij, menſis videlicet ſecundi, Anni incarnationis Dominicæ, Milleſimi, Centeſimi, Octogeſimi, intrà Daciam, cum idoneo teſtimonio acquiſitas poſſediſſe dignoſcuntur, ab omni jure exactionario, regijsq́ pertinentijs, immunes penitùs, & omninò liberæ, perpetuò permaneant. Quodcunq́ itaq́ ad noſtram Curiam, apparatum, transvecturam, expeditionem, ſeu ad aliud quodlibet regij juris, obſequij, vel obſequiale debitum, à præfatæ Eccleſiæ Colonis exigendum erat, & exhibendum, tàm in quadraginta, quàm trium Marcharum exactione; hoc totum, eodem jure & quantitate, ipſorum uſibus Monachorum, in perpetuum pertineat. Verùm ne jus regiæ dignitatis, ex tàm largâ conceſſa eis libertate, à noſtris Succeſſoribus exterminari videatur, Quadrantem terræ & dimidiam in Quarſtathe, & villam, quæ Sundrus nominatur, cujus collationem ſub tenore Privilegij, in computatione medietatis noſtræ capitalis portionis in Scania, à nobis habuerunt, noſtræ noſtrorumq́ Succeſſorum vendicationi, ipſorum conſenſu, mancipavimus. Et ut ijdem Fratres, quotieſcunq́ nos ipſi in propria Curia Othonienſi fuerimus, decem Equitaturas nobis habeant paratas eorum beneplacito diffinivimus. Statuimus etiam, ut decem Marchas Argenti de Inſula Sild annuatim reddendas, & Cenſum æſtivalem de Othenſee, quæ utraque ad ſupplementum veſtituræ, à noſtris anteceſſoribus habuêre; non noſter exactor, ſed ipſorum tutor àmodo ſuſcipiat. Quod ſi quis vel viventium, vel ſuccedentium, quocunq́ modo, quod hic ſtatuimus, infringere tentaverit; Dei omnipotentis indignationem incurrat, & Excommunicationis ſententiâ percellatur, & ejus qualiscunq́ calumnia infructuoſa & irrita permaneat. Cunctis autem eidem monaſterio juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis, & apud diſcretum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Datum Hiuleby, VIII Idus Februarij, Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXX. Indictione XIII. In præſentia & aſſenſu filij Regis, Canuti: præſentibus idoneis teſtibus, Henrico Skerp, Thuri Skalmi filio, Nicolao Stigh filio, Petro Palni filio, Strangone Unge, Tako Algoti filio Rether, Esberno Haconis filio, Nicolao Torkilli filio. Ego Symon, Othenienſis Eccleſiæ Epiſcopus, propriâ manu ſubſcripſi; Ego Karolus, Cancellarius Regis, ſubſcripſi. Ego Einerus, Capellanus Regis, ſubſcripſi. Ego Jonas, Clericus Regis, ſubſcripſi. Ego Andreas, Clericus Regis ſubſcripſi. Ego Magiſter Johannes ſubſcripſi. Ego Baldvvinus, Clericus Regis, ſubſcripſi. Ego Esgerus Præpoſitus ſubſcripſi. Ego Thomas, Abbas Inſulæ Dei, ſubſcripſi. Ego Saxo, Roſchildenſis Eccleſiæ Præpoſitus, ſubſcripſi.*

Subjungam & aliud, in eandem ferè ſententiam, Diploma Regis Daniæ Canuti, Waldemari filij; cui itidem nomen ſuum ſubſcripſit Saxo noſter, cùm Præpoſitum ageret Roſchildenſem:

In nomine Sanctæ Trinitatas, & individuæ Unitatis! Ego Kanutus, Dei gratiâ, Rex Danorum, Univerſis Sanctæ matris Eccleſiæ fidelibus, tàm poſteris, quàm præſentibus, in perpetuum! Inter cætera regni noſtri negótia, & ſollicitudines, quibus occcupamur, Eclesiarum dignitatibus, & piorum Cœnobiorum proficuo intendere, ſanctæq́ religionis amatoribus attentius conſulere, ſalutari ſuggeſtu juſtitiæ & æquitatis inſtigamur, divinæq́ autoritatis monitu inſtruimur. Inde eſt, quod Sanctam Eccleſiam Othenienſem ad honorem Dei, & ſalutem animarum, proficere cupientes, quam pij Patris mei, Regis VValdemari, Deo nota devotio ab omni ſervitutis gravamine liberam fecit, ſuæque hæreditatis con-

consortem cum hæredibus statuit: ejusdem Ecclesiæ Privilegia, pro dignitate sui & libertate, undecunq; sibi concessa, non solùm debito affectu approbamus, & regia autoritate confirmamus; verùm etiàm sub divinæ & nostræ qualiscunq; gratiæ obtentu, ea irrefragabili jure conservari decernimus. Cæterùm dilectis Deo famulis, præfatæ Ecclesiæ Monachis, ad votum satisfacere volentes, pro redimenda dimidietate totius capitalis portionis, secundum sui æstimationem in Phionia, quam memoratus piæ memoriæ pater meus eisdem Monachis solempni donatione contulerat, mansionem nostram in Vurótorp, & aliam in Syndrup, quam Saxo Grijs à patre meo emptam, pro animæ suæ salute, ipsis fratribus skóttavit, quamq; itidem fratres, unà cum quadrante terræ & dimidia in villa Quarstatte dicta, pro possessionum suarum omnimodâ libertate obtinenda & privileganda, patri meo contulerunt; ipsis Monachis possidendas obtulimus. Enimverò ne perversorum cavillatione, de iterata ejusdem mansionis in Syndrup collatione, ulla calumniarum occasio in posterum nascatur; alias possessiones viciniores & securiores, quas pro majori sui commodo ac futurorum cautela maluerunt, pro duobus prædictis mansionibus ab Astrado Trugulsi filio satis carè emimus, & eas ab omni jure exactionario liberas, perpetuò eorundem Monachorum usibus contulimus: sex videlicet quadrantes terræ in Arstegtorp, dimidiumq; Mansum in Esetoft, & prata, quæ Astradus ab hæredibus Gunneri empta possedit, terramq; dimidiæ Marchæ annonæ seminabilem, cum pratis XII plaustrorum, quæ à Petro Lukki emit, cæteraq; quæ idem Astradus ibidem habuit. Has possessiones, viginti scilicet Marcharum auri, secundum pecuniariam pretij earundem pensitationem, æterno Regi nostro Christo, Sanctoq; Martiri & Regi Kanuto, & fratrum eis militantium sustentatione, pro salute & remedio animæ patris mei, stabili jure possidendi & utendi, dedidimus. Deo itàq; auctore, cujus gratiâ Regio fungimur regimine, statuimus, ut si quis præsentium vel futurorum, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, & has ejus, vel alias cujuslibet generis possessiones auferre, sev ablatas diminuere, vel aliquibus angarijs & injurijs opprimere præsumpserit, & non emendaverit; divinæ ultionis & perpetuæ maledictionis plagâ feriatur, & ejus qualiscumq; calumnia apud Deum & homines, irrita & annihilata habeatur. Igitur ne hujus donationis, vel deliberationis stabilitas alicujus contentionis turbine in posterum pulsetur, sigilli nostri testimonio corroboravimus, in præsentia & assensu Matris meæ, Sophiæ Reginæ, & fratris mei Valdemari. Hujus rei testes idonei interfuerunt, Pincerna Regis, Thuri Camerarius Regis, Henricus Skerp, & Tako Advocatus Ripensis, Strangi juvenis, Tove Hale, Ebbe Hirtorp, Esgerus villicus. Acta sunt hæc Hiulby, XII Kal. April. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXXIV. Indictione I. Epactis Viginti quinque, Gloriosi Regis Danorum Kanuti IV Anno 1°. regnante Domino nostro Jesu Christo. Data per manum Eineri Capellani. Ego Simon, Otheniensis Ecclesiæ Episcopus SS. Ego Omerus, Ripensis Episcopus, SS. Ego Svveno, Arusiensis Episcopus SS. Ego Nicolaus, Vibergensis Episcopus, SS. Ego Henricus, Hethlandensis Episcopus, SS. Ego Marcus, Abbas Ecclesiæ omnium Sanctorum, SS. Ego Thomas, Abbas de Insula Dei, subscripsi, propriâ manu. Ego Ako, Abbas de Herivatho, propria manu SS. Ego Góto, Abbas de Horó, SS. Ego Andreas, Ottoniensis Præpositus, SS. Ego Esgerus Præpositus SS. Ego Saxo, Præpositus Roskildensis, subscripsi. Ego Symon, Abbas de Sora, subscripsi.

Ad ultimum, pro asserendo sacro illo Saxonis munere & dignitate, producamus Diploma Absalonis, Archiepiscopi Lundensis, quo ad exemplum Regum Daniæ Waldemari & Canuti, Privilegia & Immunitates Ecclesiæ Othoniensis confirmavit; quod etiàm Saxonis, Præpositi Roskildensis, nomen subscriptum habet:

Absalon, Dei gratiâ, Lundensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, Svvetiæ Primas, Universis Sanctæ matris Ecclesiæ filijs, tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum! Ex injunctæ dispensationis officio & sollicitudine nobis incumbere cognoscimus, ut ea, quæ rectè ac piè ordinata & facta comperimus, pio favore prosequamur atq; approbemus, approbata quoq;, nè quorumlibet iniquorum sev fraudulentorum versipelli malitia sev versutia perturbari, aut immutari, vel irritari valeant, indultâ nobis à Deo autoritate confirmemus, & manenti stabilitati Apostolorum clave, id est, Banno, sev Anathemate, corroborando signemus: ut & perversitas, si contrà ea, quæ recto ordine sunt sancita, & justitiæ robore vallata, temerario ausu præsumere tentaverit, inveniat ubi offensa in se resiliat, & amplectenda religionis tranquillitas habeat, quò, scaturiente impetu malitiæ & assultu, secura refugiat. Proinde ergò nos ea, quæ à Dn. Valdemaro, Danorum Rege illustri, & venerando pietatis intuitu antecessorum suorum Regum laudabilibus ac probabilibus exemplis inducto ac informato, Ecclesiæ Othoniensi collata, & sancita cognovimus, nostri Sigilli attestatione, ac indultâ à sede Apostolica auctoritate confirmare decrevimus. Volens itaq; prædictus Rex præfatæ possessiones Ecclesiæ, vestigijs majorum suorum inhærendo, ab omni regiæ exactionis onere eximere, & Monachos in ea Ecclesia, sub regula & habitu Beati Benedicti constitutos, ut oratione & contemplationi sincerius vacare, & Deo liberius militare possint, sublatis Angarijs exactionarijs, quibus eos quorundam insolentia & incuria indebitè & importunè sollicitabat, & vexabat, liberos atq; securos reddere, adhibito honestarum & nobilium personarum,

 tàm

tàm Clericorum, quàm Laicorum, testimonio, quorum nomina in hac pagina inferius sunt annotata, nec non filio ejus Kanuto præsente & assentiente, libertatis & immunitatis legem eis decrevit statuere, & regiâ autoritate sancire. Statuit igitur, ut universæ possessiones prædictorum Fratrum, quas in Phionia habent, quæ juxta æstimationem, triginta mansorum numero respondent, sivè in villis, silvis, prædijs, pratis, & agris, ab omni jure exactionis, & quibuslibet angarijs penitus immunes & omninò liberæ perpetuò permaneant: ita tamen, ut quicquid prædictæ Ecclesiæ coloni exactionis Regiæ Curiæ prius erant exhibituri, scilicet, apparatum, transvecturam, expeditionem, aut quodlibet aliud regij juris obsequium, nec non satisfactiones tàm ad quadraginta, quàm ad tres Marcas pertinentes, hæc præmissa, eodem jure & quantitate, quo regiæ dignitati noscuntur pertinere, ijdem Monachi per suum tutorem exigant, recipiant, & in proprios usus convertant. Præterea decrevit, ut Decem Marcas argenti, de insula Sild annuatim eis reddendas, & censum æstivalem de Othense, quæ utraq; ad supplementum vestituræ constat collata fuisse, non regius exactor, sed eorum tutor amodò suscipiat. Verum tamen nè quasi ex tàm larga & affluenti immunitate ac libertate à regia munificentia eis concessa & indulta, regalis jura dignitatis amplius æquo imminuta & extenuata à suis successoribus fortè viderentur & causarentur, in hujusmodi recompensationem, quadrantem terræ & dimidium in Quarstathe, & villam, quæ Sundróse dicitur, quam à jam dicto Rege, sub æstimatione medietatis, sivè capitalis portionis, sub tenore Privilegij collatam & confirmatam receperant, ut diu aspiratam libertatem præscriptam consequi possent, ipsi & successoribus suis possidendam contulerunt. Insuper quotiens Rex in propria Curia Othense fuerit, ut Decem Equitaturas ad opus ipsius habeant paratas, ijdem Fratres ex Regis arbitrio diffinierunt. Porrò superius annotatis XXX Mansis præscriptæ libertate legis communitis, reliquæ possessiones seu terræ, quas præfata Ecclesia processu temporum, à Regum, seu Episcoporum, munificentia obtinuerit, aliorumq; fidelium largitione, vel pecuniæ emptione possederit, regio juri & exactioni subjacebunt, nisi quavis conventione à præfatis Fratribus fuerint ab Angarijs exemptæ, aut regiæ clementiæ largitate consimili libertatis lege in posterum extiterint donatæ & emancipatæ. Fuerunt autem huic regiæ constitutioni testes adhibiti hi: Henricus Skerp, Thuri Scalmi filius, Nicolaus Stigh filius, Petrus Palni filius, Strange Unge, Tako filius Algoti Vettier, Esbernus Haconi filius, Nicolaus Torkilli filius. Hi autem subscripserunt, Symon, Othoniensis Ecclesiæ Episcopus, Thomas Abbas, Karolus Cancellarius, & reliqui plures. Quisquis igitur Ecclesiastica secularisvè persona, annotatæ paginæ Constitutioni ausu temerario contra ire tentaverit, semel, ac secundò, tertiovè commonita, si non destiterit, autoritate Dn. nostri Jesu Christi, nec non autoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, anathematizamus, & à perceptione Corporis & Sangvinis Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi sequestramus, & à communione fidelium separamus, ut sortem cum Dathan & Abyron, quos terra vivos absorbuit, recipiant, & in opprobrium & scandalum vivi perveniant, nisi resipuerint, & condignè satisfecerint. Qui verò præmissa sancita servaverint, & inconcussa firmiter tenuerint, partem cum Sanctis Dei in cœlesti patria percipiant, diesq; suos in pacis tranquillitate perficiant. Ego Absalon, Lundensis Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, Svvetiæ Primas, propria manu subscripsi. Ego Stenarus, VVexoniensis Episcopus, propria manu SS. Ego Marcus, Abbas Ecclesiæ Omnium Sanctorum, SS. Ego Johannes, Abbas Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis, SS. Ego Hugo, Abbas de Tummetorp SS. Ego Nicolaus, de domo Sancti Laurentij Decanus, propria manu SS. Ego Ascricus, Prior Monialium Ecclesiæ Sanctæ Mariæ & Sancti Petri in Lundis, SS. Ego VValbertus, Abbas de Esrom SS. Ego Johonnes, Notarius Archiepiscopi Absalonis, SS. Ego Andreas, Diaconus Dn. Archiepiscopi, SS. Ego Pain, Abbas Rincstadensis, SS. Datum Lundis, IV Idus Maji, Anno Domini M.C.LXXX. Indictione XIII. Epacta XXII. Ego Saxo, Roskildensis Ecclesiæ Præpositus, SS.

CAPUT XII.

Quod Saxo in contubernio Absalonis Archiepiscopi Lundensis vixerit, & ab eo non solùm ad res magni momenti gerendas adhibitus, sed & ad scribendam patriæ Historiam impulsus fuerit.

AB omni memoria generosis id animis, ac illustribus præcipuè Magnatibus in more positum fuit, ut præcellentes ingenio Viros domi militiæq; circà se habuerint, eorumque quotidianâ conversatione impendiò sese oblectaverint. Sic Alexander Magnus Aristotelem, Scipio Africanus Polybium Panætiumq;, Pompejus Magnus Theophanem Mitylenæum semper secum habuerunt, eosq; non solùm eximiâ dignatione atq; honore affecerunt, verùm etiam amplissimis beneficijs præmijsq; ditarunt ac ornarunt. Ità nullum est dubium, quin Heros maximæ olim apud Danos existimationis, dignitatis, & auctoritatis, ac elegans liberalium studiorum, omnisq; doctrinæ, inprimis Historiarum, admirator & fautor, ABSOLON HVIDE, Archiepiscopus Lundensis, Saxonem Grammaticum, magno

magno & excellenti ingenio virum, ob ſtupendam & incomparabilem eruditionem, prudentiam, ſapientiam, & in rebus gerendis dexteritatem, [quæ rariſſimæ erant iſta ætate dotes] in familiam ſuam aſciverit, & tanquam interioris admiſſionis amicum, ac individuum quaſi comitem, in eodem juxtà ſecum contubernio, familiarem & domeſticam vitam vivere voluerit. Id quod non obſcurè ipſe innuit Saxo, ſub initium Præfationis ſuæ in Hiſtoriam Danicam; dum *extremum* ſe *comitum* Abſalonis nominet: *Mihi*, inquit, *comitum ſuorum extremo, cæteris operam abnuentibus, res Danicas in Hiſtoriam conferendi negotium intorſit.* Ubi per *comites* intelligendos dixi, qui Principis aut Optimatis alicujus in contubernium aſciti, & in interiorem familiaritatem admiſſi, ei velut à conſilijs eſſent, rebusq; magni momenti gerendis præeſſent; in Notis meis ad eum Saxonis locum. Sed & Sveno Aggonis, primus Danicæ gentis Hiſtoricus, [cujus Opuſcula ante biennium publici juris feci] unà cum Saxone, in eodem Abſolonis Archiepiſcopi contubernio ſvaviter ſe vixiſſe teſtatur, in Hiſtoria Canuti Magni, Daniæ & Angliæ Regis: *Quorum geſta ſuperfluum duxi plenè recolere, nè idem crebrius repetitum faſtidium pareret legentibus: qvum illuſtri Archipræſule Abſolone referente, contubernalis meus Saxo, elegantiore ſtilo omnium geſta prolixius exponere decreverit.* Nonnihil huc facere videtur, quod in Teſtamento Abſalonis, quod extat in Codice MS. Regiæ Bibliothecæ Hafnienſis, Saxo, *Clericus Abſolonis* nominatur. Verba ità habent: *Saxoni Clerico ſuo, duas Marcas argenti, & dimidiam conceſſit, quas ſibi donavit. Clericus* autem, veteri loquendi conſvetudine, non is ſolùm dictus, qui ſacris Principum inſerviret: cujuſmodi Clericos, certis diſtinctos gradibus, olim Conſtantinopolitana habuit aula: de quibus videatur Georgius Codinus Curopalata de Officijs magnæ Eccleſiæ, Cap. VI. verùm etiam ille, qui *à Commentarijs* eſſet, ſive, *Commentarijs ſcribendis præfectus*, quem ὑπομνηματογράφον Orientales appellarunt; quâ notione Belgis hodieque vocabulum Klerck in uſu eſt. Tales verò Clericos propius circà Dominos ac Heros ſuos verſari, eos, velut contubernales, quocunq; irent, comitari, & gravioribus in negotiis tractandis frequentius adeſſe, neceſſe fuit. Certè Saxonem noſtrum ſæpenumero ab Archiepiſcopo Abſalone ad res magni momenti gerendas adhibitum conſtat. Ita illi Legatio in Gallias, Anno Chriſti M.C.LXI, arceſſendi in Daniam S. Wilhelmi Abbatis cauſa, tanquam Legato à latere, ut vocant, hoc eſt, fido Achati, & viro ad ardua negotia expediunda maxime idoneo, demandata fuit: cujus etiam partes ſumma cum prudentiæ laude exeqvutus eſt. Ejus meminit Caput proximè antecedens: *Mittit itaq; in Gallias Saxonem, Præpoſitum Roſchildenſem, virum honeſtum, qui à S. Genovefæ Collegio petat D. VVilhelmum cum alijs tribus fratribus mitti in Daniam &c.*

Sed nullum majus, nullum auguſtius, nullum ſplendidius tanto viro injungi potuit munus, quàm ſcribendæ Hiſtoriæ patriæ provincia.

Qvum etenim laudatiſſimæ memoriæ Heros, Abſalon invitis videret oculis, patriam noſtram, cujus illuſtrandæ maximâ ſemper cupiditate flagrabat, meliore ſui parte, hoc eſt, prudenti ac docto Hiſtoriarum ſcriptore, deſtitutam, finitimis interim factorum traditione gaudentibus, rerumq; ſuarum titulos, non ſinè magnâ inertiæ noſtræ exprobratione, jactantibus: in id omni cura ac cogitatione incumbere cœpit, nè regna Boream ſpectantia eo claritatis & monumenti genere diutius fraudarentur, nevè ingenio vinceremur, quorum arma viceramus. Et quo maturius ſanctiſſimum propoſitum ſuum exequeretur, in fundatione Monaſterij Sorani, cujus cœptam à Patre & Patruo ædificationem, ſub Annum Chriſti M.C.LXI. unà cum fratre Esberno perfecerat, ſumptus planè liberales atq; magnificentiſſimos illorum deſtinavit ſuſtentationi, qui iſthoc loci à turba rerum hominumque ſemoti, quaſi in alto quodam ac pingui ſeceſſu, rebus Danicis in Hiſtoriam conferendis unicè vacarent. Inter alios inventus eſt *Sveno* quidam *Aggonis*, Vir prudentiæ ſingularis, &, ut illa fluebant tempora, egregiè diſertus, qui, ejuſdem Abſalonis conſilio ac juſſu, Operi cuidam Hiſtorico manum admovit. Sed ei jam inchoato immortuus, pauca duntaxat ad poſteritatis noticiam transmiſit; quæ non ita pridem publicam per me lucem aſpexerunt. Hinc tandem mandatu itidem Abſalonis, ad *Saxonem Grammaticum* Hiſtoriæ patriæ contexendæ negotium devolvitur: qui, quòd religio eſſet tanti Herois imperio, tanquam dedignatione quâdam parendi, refragari & obniti; fiduciam ab hortatoris amplitudine mutuatus, arduum illud opus aggreſſus eſt. Idipſum nos edocet Saxo ſub initium Præfationis ſuæ in Hiſtoriam Danicam: *Cum cæteræ nationes rerum ſuarum titulis gloriari, voluptatemq; ex majorum recordatione percipere ſoleant: Danorum Maximus Pontifex Abſalon patriam noſtram, cujus illuſtrandæ maximâ ſemper cupiditate flagrabat, eo claritatis & monumenti genere fraudari non paſſus, mihi comitum ſuorum extremo, cæteris operam abnuentibus, res Danicas in hiſtoriam conferendi negotium intorſit, inopemq; ſenſum majus viribus opus ingredi, crebræ exhortationis imperio compulit.* Et mox: *Quo*

evenit, ut parvitas mea, quamvis se prædictæ moli imparem animadverteret, suprà vires niti, quàm jubenti resistere præoptaret. Et paulo post: *Igitur oneri cunctis præteriti ævi scriptoribus inexperto, rudes laboris humeros subjicere coactus, imperiumq; negligere veritus, audacius quàm efficacius parui; quamq; ingenij mei imbecillitas fiduciam negabat, ab hortatoris amplitudine mutuatus.*

Autore igitur & suasore Absalone Archiepiscopo Historiam patriæ scribendam suscepit Saxo Grammaticus. At quanta ingenij dexteritate, quo genio, qua Venere & venustate, quanto Musarum Gratiarumq; favore & dictamine, idem ille perfecerit, quis non videt, quem quid videre obtusior mentis non vetat acies?

O te felicem Daniam, quæ usq; eo vetustatis oblivijs respersa jaceres, donec divinum hocce & sine exemplo maximum Saxonis tui ingenium illucesceret, quod tanto te famæ celebritatisq; splendore circumfunderet, & non aliter ac parva & exilia sidera validiorum exortus obscurat, omnium finitimarum gentium Historicis caliginem induceret! Certe de Saxone, optimo & florentissimo rerum Danicarum Scriptore, dicere licebit, quod de summo Philosopho Panætio olim jactare solebat Rutilius Rufus, ut est apud Tullium Lib. III. Officior. Ut nemo pictor est inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, absolveret; (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat) sic ea quæ Saxo prætermisit, & non perfecit, propter eorum, quæ perfecit, præstantiam, nemo persecutus est. Quod & olim in mentem venisse video Clariss. Viro M. Johanni Svaningio, Historico Regio, qvum ita de Saxone loquitur sub initium Commentariorum suorum: *A primo itaq; Danorum Rege Dan, descriptionem Historiæ exorsus, omnium Regum Daniæ, usq; ad Valdemari I, ejusq; filij Canuti tempora, res gestas adeò copiosè ornateq; descripsit, ut magis homines nostros, viribus ingenij diffisos, à scribendo absterruerit, quàm ad Historiam rerum posteà gestarum stylo continuandam suo invitaverit exemplo.*

CAPUT XIII.

Quando vixerit ac scripserit Saxo, & quousq; Historiam perduxerit suam.

EX his jam omnibus, quæ ità strictim præmisimus, juxtà ac alijs indubitatæ fidei documentis, quæ modo subjungenda duximus, facilimo quis negotio tempus & ætatem colligere poterit, quâ vixerit, scripserit, & floruerit in Dania Saxo noster. Vixisse autem Saxonem circà Annum Christi M. C. LVI. ex illis evinci potest verbis, quæ exstant Lib. XI. Historiæ Danicæ, de tumulo Wilhelmi, Episcopi Roschildensis, quem SUIS TEMPORIBUS, Ascerianæ sepulturæ gratiâ, apertum scribit: *Quamobrem diu postmodùm intactus VVilhelmi tumulus mansit; donec NOSTRIS eum TEMPORIBUS, Hermannus, majoris Sacrarij Præses, Arnfastusq; Scholæ magisterio functus, connivente Isaaco ruralis Sacerdotij Præposito, parabilem magis, & inter cæteros cultissimum advertentes, Ascerianæ sepulturæ gratiâ, aperiri jusserunt.* Obijt autem Ascerus, Episcopus Roschildensis, Anno Christi M. C. LVI; vel ut alij supputant, M. C. L. Post quem eligitur Absalon, ipso teste Saxone Lib. XIV. Hinc clarum emergit testimonium de Saxonis ætate, nempe, quod vixerit, qvum Absaloni, post defunctum Ascerum, sacri honoris culmen decerneretur.

At objiciat fortè aliquis, hunc minùs accuratè positum esse calculum; quum eodem loci commemoret Saxo Absalonem, tùm Maximum Pontificem, ad visendum Arnfastum accessisse, qui in lectulo æger, in pœnam violatæ Antistitis sepulturæ, graviter decumbebat. Ergò inter obitum & sepulturam Asceri minimùm viginti annos intercessisse. Absalon etenim sacram illam Pontificatus Maximi dignitatem suscepit Anno Christi M. C. LXXVII. Saxonis ità verba habent: *Nec leviorem Arnfastus excessum habuit. Qui quum impotentium nervorum hebetudini mederi vellet, potione per incuriam sumptâ, quo salutem conciliare debuerat, langvorem instruxit. Sed & rupti tandem jecinoris partes frustatim egestas vomitu protulit: quas à Medico pelvi exceptas Maximus Pontifex Absalon, dum ad visendum eum humanitatis officio venisset, aspexit. Quo præsente, æger, hæc se ob violatos VVilhelmi cineres perpeti protestatus, manifestas neglecti imperij ejus pœnas pependisse dicebat.*

Respondeo, vero non absimile videri, quòd Arnfastus ille, aliquot annos, pòst violatam Ascerianam sepulturam, superstes fuerit, & fortean ad illum temporis articulum, quo jam creatus erat Archiepiscopus Absolon, quod contigit Anno Christi M. C. LXXVII. Nisi si quis dicat Asceri funus totos viginti annos insepultum jacuisse; aut saltem Sarcophago inclusum in Sacrario quodam ad sepulturam fuisse sepositum; quomodo hodieq; Nobilium apud

apud nos funera asservari solent; & tandem, post designatum Absolonem Archiepiscopum, terræ mandatum. De quo sentiat ac judicet quisque, quid voluerit.

Deindè ætatis Saxonianæ momenta nobis aperit Codex MS. Regiæ Bibliothecæ Hafniensis, quem suprà Cap. XII, & proximè sequente XIII, ad testimonium citavimus. Is etenim Legationem Saxoni nostro ab Absolone commissam, ut ex Gallijs Wilhelmum Abbatem in Daniam arcesseret, refert ad Annum Christi M. C. LXI. quo Pontificatum Roschildensem administravit Absolon, & ab eodem Saxo, virtutis suæ summæq; eruditionis gratia, Roschildensis Ecclesiæ Præpositurâ donatus erat.

Sed inprimis floruit Saxo, rerum in Daniâ potiunte Waldemaro Rege, ejus nominis Primo, ejusq; filio Canuto, circà Annum Christi M. C. LXXIX. ac deinceps. Nam & ipse Saxo tempora sua ad imperium VValdemari restringit. Sic Lib. X. Hist. Dan. in Historia Svenonis Tiuffveskeg, VValdemari meminit, SUA ÆTATE regnantis: *Quem incursationis morem, NOSTRIS ANNIS, VValdemari Regis, Maximiq; Pontificis Absolonis, propensæ pro civibus excubiæ domuerunt.* Et Libr. XI. Waldemarum SUI TEMPORIS Regem nominat: *Eidem postmodùm* [Waldemaro Rutenorum Regi] NOSTRI TEMPORIS *Rex*, [Waldemarus I.] *ut sanguinis, ità & nominis hæres, ex filia nepos obvenit.*

Quo verò tempore Historiæ contexendæ primam Saxo imposuerit manum, non adeò accuratâ assequi licebit conjecturâ. At verisimile videtur factum id esse post Annum Christi M. C. LXXI. Nam Lib. VII. Histor. Dan. mentionem injicit oppidi ab Esberno Snare, Absolonis fratre, constructi, nempè Kalundeburgi, quod illo anno conditum est: *Sed & Hako plus damni in fratrum nece, quàm pugilum defectione reponens, in portum, qui Danicè Herwig, Latinè Exercituum sinus dicitur, classe collatâ, militem exponit. Quo loci NUNC oppidum ab Esberno constructum, munimine suo præsidium accolis facit, aditumq; barbaræ feritatis eliminat.* Ergo post hoc oppidum exstructum scripsit Saxo. Cæterùm quo ea civitas tempore sit condita, ostendit Saxo Lib. XIV. Hist. Dan: *Eâ tempestate* [videlicet regnante in Dania Waldemaro I, & circà Annum Christi M. C. LXXI, ut Annales nostri tradunt] *Esbernus urbem Kalundam molitus, novi munimenti præsidio, portum hostili piraticâ liberum præstitit.*

Certè Saxonem ante Annum Christi M. C. LXXVII. vix ullam divino illi Operi suo admovisse manum, id confirmare videtur, quòd mox in ipso limine Historiæ testetur impositum sibi hoc muneris fuisse ab Absolone, Danorum tùm Maximo Pontifice. Pontificatus autem Maximi titulo insignitus Absolon, eo, quem dixi, Anno M. C. LXXVII. Archiepiscopo Lundensi Eschillo, cui successit, Pontificale culmen dimittente, & in Monasterium Clarevallense discedente, ut ex Annalibus Ecclesiæ Lundensis constat.

Quinimò circà Annum Christi M. C. XCIII. maximam partem Historiæ Danicæ à Saxone absolutam, & fortassis ultimum finem spectasse totum Opus, indicare nobis videntur verba Lib. XI. propè finem, quæ sic habent: *Hæc audiens Regina patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus. Ex quibus Ingertha Folconi, Svetiæ gentis nobilissimo, nupta, Benedictum Canutumq; filium habuit, hisdemq; mediantibus, Birgerum, qui ET NUNC EXSTAT, cum fratribus suis nepotem accepit.* At Birgerus ille, Ostrogothorum Dux, Regi Daniæ Canuto VI, Waldemari I. filio, συγγενὴς fuit; qui regnare cœpit Anno Christi M. C. XCIII. Si igitur, hæc scribente Saxone, etiamnùm in vivis superaret Birgerus, omninò post hunc Annum M. C. XCIII Undecim Libros Historiæ Danicæ, Saxonis operâ jam tùm elaboratos, & extremum ad colophonem perductos, reliquis tantùm Quinque ultimam exspectantibus manum, non absurdè colligas.

Cæterùm Historiam suam perduxit Saxo usq; ad Annum Christi M. C. LXXXVI, quo Bugislavus Senior, Pomeraniæ Dux, Homagium Canuto Daniæ Regi præstitit, & cum conjuge ac liberis ad pedes Regis suppliciter flexis genibus procumbens, non solùm veniam diutinæ rebellionis precatus est; verùm etiàm obsidibus ex parte datis, ex parte promissis, aviti paterniq; Ducatus præfecturam beneficij loco ab ipso suscipere haud recusavit. Vehementer ergò fallitur Vir plurimùm Reverendus, Aubertus Miræus, qui sub initium Chronici sui, Saxonem ad Annum Christi M. CC. historiam suam perduxisse scribit: *Anno M. CC. Saxo Grammaticus, Sialandicus, floret, qui ad hæc usq; tempora historiam Daniæ perduxit.*

CAPUT XIV.

De Conjugio & prole Saxonis.

DE Conjugio Saxonis, & quæ ex conjugio progignitur, ſobole, altiſſimum in Antiquitatibus noſtris ſilentium eſt. Vir tamen Nobiliſſimus, Arwidus Hvitfeldius, Regni Daniæ quondam Cancellarius, Chronographus doctiſſimus & accuratiſſimus, nec non etiam de Hiſtoria patriæ noſtræ præclarè meritus, Saxoni geminam potioris ſexus prolem, neſcio quibus edoctus monumentis, attribuit, in Continuatione Saxonis, Parte prima, Pag. 112. *Eodem Anno M. CC. XXII*, inquit, *Archiepiſcopus Lundenſis Andreas, poſtquàm lepræ morbo infectus fuit, in ſacri muneris conſortium allegit Petrum Saxonis Grammatici filium, Præpoſitum Lundenſem, Virum admodùm literatum & ſapientem: qui unà cum eo Archiepiſcopatum integro bienniј ſpatio, & pòſt ſolus toto quadriennio, adminiſtravit, conſecratus Anno M. CC. XXIV. mortuus Anno M. CC. XXVIII. Hic Petrus fratrem habuit Septimium, vel Siffvendam, Canonicum Roſchildenſem, qui obiјt Anno M. CC. XXV.*

Verùm, [ut Generoſiſſimi Domini pace & veniâ loqui liceat] Petrum hunc non *Saxonis*, ſed *Sunonis* de Knarderup filium fuiſſe, quem frater Andreas, leproſus jam factus, in ſocietatem muneris fortean aſſumſerit, ex Annalibus Eccleſiæ Lundenſis liquidò conſtat: vel, ſi fuerit *Saxonis* filius, haud equidem *Saxonem Grammaticum*, nobiliſſimum Scriptorem, quem uxorem unquam duxiſſe ex nullis documentis evinci poteſt, ſed alterum quempiam *Saxonem*, parentem eum habuiſſe, omninò exiſtimo: vel deniq; hunc Petrum, cum fratre Siffvenda, Saxoni Grammatico ex fratre, aut ſorore, nepotes fuiſſe, ſtatuendum erit. Rariſſimè etenim per ea tempora Eccleſiarum Præpoſiti, Canonici, ſivè in alio ſacræ dignitatis faſtigio conſtituti Viri, virgines vel fœminas ſibi matrimonio jungebant, ſed cœlibem plerumque vitam ducere ſolebant. Quid multis? *Fides ſit penes autorem*; quomodo de rebus dubiјs dici ſolet. Mihi ſanè tanti Herois autoritati fideiq; quicquam derogare religio ſit.

CAPUT XV.

De Saxonis exceſſu, & ejus in memoriam conſcriptis Elogiјs.

IN fata conceſſiſſe dicitur Saxo Grammaticus, (qui non modò longiore vitâ, ſed propè immortalitate dignus fuit) ſecundùm pleroſque Anno Domini M. CC. I. Sed accuratior certiorq; M. Andreæ Welleji, Hiſtorici quondam Regiј, & aliorum noſtratium, calculus videtur, qui Saxonem Anno M. CC. IV. deceſſiſſe ſcribunt. Nam Hiſtoriam ſuam inſcribit Andreæ Sunonis, Archiepiſcopo Lundenſi, qui Abſoloni cognato ſuo ſucceſſerat circa Annum Chriſti M. CC. II. & ſimul in eadem Præfatione Sereniſſimum Daniæ Regem Waldemarum II compellat, qui ab exceſſu fratris Canuti, Anno M. CC. III. ſummam imperiј Danici obtinuit. Nam poſtquam Abſalonis, ejuſq; ſucceſſoris, Andreæ Sunonis Archiepiſcopi, jam modò laudati, mentionem feciſſet honorificentiſſimam, ſubjecit continuò, versâ ad Waldemarum oratione: *Te igitur, ſalutaris Princeps, ac parens noſter, cujus illuſtriſſimam à priſcis temporibus proſapiam dicturus ſum, clariſſimâ lux patriæ VValdemare.* Et ſtatim exinde ad eundem: *Tuo igitur ductu reſpectuq; &c.* ut nihil ſit certius, quàm mortuo ac conſecrato jàm Canuto, fuiſſe hæc à Saxone, de fratre ſucceſſore Waldemaro commemorata. Adde quòd Achilles Pyrminius Gaſſarus, Chronologus diligentiſſimus, Saxonem floruiſſe annotet ad Annum Chriſti M. CC. II. Tunc autem Scriptores *florere* dicuntur, qvum ſcribunt, non qvum moriuntur, aut propter ſenectutem, aut ἐλάττωμα, utiles eſſe deſierunt.

Saxoni verò noſtro tale Epitaphium à Nobiliſſimo Viro, Dn. Lagone Wrne, Epiſcopo Roëſchildenſi, ut putatur, poſitum, hodieq; in templo Cathedrali Roëſchildenſi aureis literis tabulæ ligneæ inſcriptum, & ad partem ejus Auſtralem parieti affixum viſitur:

Qui vivens alios æternum vivere fecit,
Saxo Grammaticus mortuus hic recubat.
Mortuus extincto ſed tantùm corpore, mente
Quâ valuit, magno vivit & ingenio.
Unde hanc, deſcripſit, gens Danica venit in oram,
Quæ jacet Arctoö proxima pæne polo;

Dano-

Danorum Regum repetens ab origine stirpem,
Et quæ quisque suo tempore fata tulit;
Qui regni tractus terraq; mariq; patentes,
Qui populi mores, vitaq; qualis erat:
Tùm quæ præstabant Heroum in pectore vires,
Quæq; Giganteæ corpora molis erant:
Quàm sanctis patriæ firmatæ legibus urbes,
Quod studium veræ relligionis erat.
Hinc quâ DANUS *erat virtute invictus & armis,*
Qui tenuit regnis regna subacta suis:
Non modò vicinis metuendus gentibus; ipsa
Hoc ne Roma quidem libera ab hoste fuit.
Nec tantùm ista stylo deduxit facta soluto,
Sed vario ornatum carmine pinxit opus.
Quæ nunc perpetuâ premerentur nocte, nisi hujus
Conspicua ingenij lumine facta forent.
Ergò locum hunc, qui funus habet, venerare Viator,
Eximium patriæ nam decus ille fuit.

Huic adjungam aliud Epitaphium, quod nobis exhibet Vir Clariss. Laurentius Asserous, Inscriptionum Danicarum Lib. I, conscriptum, ut videtur, à Nobilissimo Viro, Dn. Willichio Westhovio, Canonico Lundensi, Poëta Laurigero, & Comite Palatino Cæsareo:

Epitaphium Saxonis Grammatici Dani, literatissimi (omnium sui temporis) viri, Anno M. CC. II. in patria mortui, ac Roëschildiæ, (ubi Canonicus erat) sepulti.

Historias quotquot Latij scripsêre triumphi,
Cedant in Latij nobis splendore cothurni.
Hinc mihi Grammatici *deductum ex omine nomen*
Adcrevit: quasi non, SAXONEM *præter, haberet*
Terra alium, pennam cui Svada Latina dedisset.
Me fera barbaries à Danis, vindice, migrat:
Vindice, mens cujus patrium tenet æthera, Christo:
Mentis at hospitium Roëfontia contegit ædes.
Ringatur Latium! cælo se Dania tollat.

W. W.

Et quis mihi vitio vertet, si sequentes de Saxone Versus Rhythmicos, in vetustissimo Codice MS. repertos, addidero? qui licet barbari sint & inficeti, suo tamen non carent genio:

DANIA *flos florum, rosa mundi, spina malorum,*
Fructibus, ætate, doctrinâ, Nobilitate,
Singula præcedit, & ei quasi mundus obedit.
Utilibus plenus, gratus locus est & amœnus;
Absit ibi luctus, ibi regnat copia fructus.
Ecce viros tales producit DANIA, *quales*
Vix modò nascantur, bello vel si arte probantur.
SAXO GRAMMATICUS, *Danorum flos & amicus,*
Gesta canit plura Regum, per carmina pura.
OVIDI, TULLI, VIRGILI, *vos quasi muli*
Illi cedatis, qui dum loquitur, taceatis:
ROSKILDIS *viguit, Præpositusq; fuit.*

Atq; hæc paucula de Vita Saxonis inpræsens dicta sufficiant. Reliqvum nunc est, ut ad alia nonnulla, quæ ipsam Historiam concernere videntur, stylum sermonemq; transferamus.

CAPUT XVI.

De Stilo Saxonis.

QUod ad Saxonis dictionem, in hoc Docti omnes consentiunt, scripsisse eum stilo eleganti, florido, terso, sublimi, splendido, atq; magnifico. Quâ de re nonnulla heîc in medium producamus variorum autorum judicia & testimonia. Hos inter jure merito principem sibi locum vendicat magnus illè Des. Erasmus Roterodamus, cujus in Dialogo de optimo dicendî genere, quem *Ciceronianum* inscripsit, luculentissimum exstat de Saxone Encomium: *In Daniam navigare malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis Historiam splendidè magnificeq; contexuit. Probo vividum & ardens ingenium; Orationem nusquam remissam aut dormitantem; tùm miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem: ut satis admirari non queam, unde illâ ætate homini Dano tanta vis eloquendi.* Huic jam & alij succedant, non minus, quàm ille, de Saxonis dictione, rectè judicantes. Gerardus Joannes Vossius Lib. II. de Histor. Latinis, Cap. LV. *Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus est elegantia, ut ætatis illius captum planè excedat: imò cum antiquiorum, & nostri seculi plurimis certet.* Johannes Isaacius Pontanus Histor. Dan. Lib. VI. pag. 293. *Saxo Grammaticus, Præpositus Roschildensis, in gratiam ac decus suæ gentis, Historiam, quæ hodieq; est in manibus, Latinè contexuit, stilo ac dicendi genere, suprà quàm illud ferebat seculum, florenti ac terso: adeò ut Erasmus exinde haud satis mirari potuerit tantam eo ævo eloquij vim atq; elegantiam.* Caspar Barthius Lib. XXIV. Adversar. Cap. VIII. *Conditore Annalium apud Danos suos Saxone, cui Grammatico ab eruditione reconditâ, receptum est nomen, suo ævo nihil sperari majus potuit. In summâ barbarie, in terra à cultu literarum tùm aversissimâ, Latine, eleganter, eruditè scribit, citrà parem quidem omnia.* M. Johannes Svaningius Fionensis, Regis Daniæ Historiographus celeberrimus Lib. I. Commentar. *Historiam de rebus gestis Danorum, quam Saxo Grammaticus, natione Sialandus, descripsit, in XVI libros digessit, atq; à primo Danorum Rege Dan auspicatus, ad VValdemarum I, ejusq; filium Canutum, puro elegantiq; stilo accuratissimè eam persequutus est.* Joannes Oporinus in Epistola Dedicatoriâ ad Dominum Philippum, Episcopum Basileensem, præfixâ editioni Saxonis Basileensi: *Quâ quidem re, inter medij temporis Historicos, haud scio an quisquam alius, quantum ego judicare possum, hoc Saxone Grammatico, Danicarum rerum scriptore, excellat magis: quivè cum veterum etiàm quolibet, sivè dictionis elegantiam spectes, sivè rerum, consiliorumq;, ac eventuum varietatem requiras, conferri melius possit.* Philippus Lonicerus editioni Saxonis Wechelianæ hunc præfixit titulum: *Danica Historia, Libris XVI, summâ verborum elegantia, magnâ sententiarum gravitate, rerum deniq; admirandâ varietate, conscripta, autore Saxone Grammatico, Sialandico Dano, Historico laudatissimo, & quod eâ ætate mirandum, tàm verbis quàm rebus politissimo.*

CAPUT XVII.

Quos præcipuè autores imitatus sit Saxo.

DIonysius Longinus, Rhetorum Græcorum præstantissimus, in Libello περὶ ὕψους, rectè præcipit atq; hortatur, ut, quando utile & præclarum aliquid molimur, magnorum, qui antè nos scripserunt, Auctorum imitationem, tanquam scopum, firmiter antè oculos nobis proponamus.

Quemadmodum etenim (inquit) fama est Pythiam, Apollinis sacerdotem, tripodi admotam, divinoq; spiritu afflatam, numinis instinctu, consulentibus oracula reddere: sic ab illis priscorum magnis ingenijs in animos, imitantium ipsos, tanquam ex sacris ostijs, rivi quidam feruntur, à quibus afflati etiam, qui suapte naturâ non isto Phœbeo aguntur furore, aliorum magnitudine impulsi concitantur rapiunturq;. Sic Homeri, Principis Poëtarum, præter Stesichorum, Archilochum, Herodotum, omnium studiosissimus imitator fuit Plato, ab illis Homericis laticibus ad se deductos rivos quamplurimos transferens.

Demosthenes sanè quàm diligens fuerit Thucydidis imitator, cùm tàm multa indicant, quæ Pæaniensis ille Orator ex Thucydide desumsit; tùm quòd eum octies sua manu descripserit. Virgilius Lucretium adeo imitatus est, ut non verba sola, sed versus propè totos, & locos quoq; ejus plurimos sectatus sit, teste A. Gellio Lib. I. Cap. XXI. Imo plurima carmina Virgilius ab Homero, Theocrito, Ennio, Pacuvio, Furio, Nævio, Vario, Catullo, & Actio mutuatus est. Quid dicam de Livio, qui integras non modo sententias, sed longam

gam rerum gestarum seriem, eisdem Polybij verbis è Græco conversis, sæpius narravit? Quid de Macrobio, qui totas paginas in opus suum ex Gellio transtulit? Sic Cicero Demosthenem, Ciceronem Valerius Maximus, Virgilium Silius Italicus imitando exprimere conati sunt.

Ità & duos præcipuè autores, ex omni antiquitate, imitandos sibi proposuit Saxo, ad quorum se dictionem exprimendam vel maximè conformavit: VALERIUM MAXIMUM; cujus non modò formulas loquendi, sed & argutias, in hoc præcipuè genere excellentis, per universæ Historiæ contextum repræsentavit: & MARTIANUM CAPELLAM, à quo voces hausit rariores, & abstrusiores dicendi modos.

Nè vehementer dubites, Benevole Lector, en tibi exempla luculentissima; sed tamen ex innumeris pauca!

CAPUT XVIII.

Παραλληλισμὸς variarum Locutionum & vocum singularium, in quibus Valerium Maximum imitatus est Saxo.

1. *Saxo in Præfatione, pag. 1.* Quo evenit, ut parvitas mea, quamvis se prædictæ moli imparem animadverteret, suprà vires niti, quàm jubenti resistere præoptaret.	1. *Valerius Maximus in Prologo.* Si excellentissimi Vates à numine aliquo principia traxerunt; mea parvitas eò justius ad favorem tuum decurrerit.
2. *Saxo loco dicto:* Quamq; ingenij mei imbecillitas fiduciam negabat, ab hortatoris amplitudine mutuatus.	2. *Valerius Maximus Lib. VII. Cap. IV.* Misertus est tunc profectò Jupiter Romanæ virtutis præsidium ab astutia mutuantis.
3. *Saxo l. d.* Cujus fatis cœpti mei metam præcurrentibus.	3. *Valerius Lib. V. Cap. II.* Ille, adventum Scipionis fatis suis præcurrentibus &c.
4. *Saxo l. d.* Te potissimum, Andrea, penes quem saluberrimus suffragiorum consensus, honoris hujus successionem esse voluit, materiæ ducem deposco.	4. *Valerius in Prologo:* Te igitur huic cœpto, penes quem hominum deorumq; consensus, maris ac terræ regimen esse voluit, Cæsar, invoco.
5. *Saxo l. d.* Tu Galliam percipiendæ literarum disciplinæ gratiâ perscrutatus.	5. *Valerius Lib. I. Cap. I.* Ut decem principum filij singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratiâ, traderentur.
6. *Saxo l. d.* Officium mediocritatis limitibus contentum, tantis industriæ operibus exornasti, ut idem postmodùm amplissimæ dignitatis viris beneficij nomine expetendum relinqueres.	6. *Valerius Lib. III. Cap. VII.* Mirificâ deinde procuratione abjectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit.
7. *Saxo l. d.* Quamobrem Scaniam tripudio dissultare compertum est, quòd Pontificem potius à finitimis mutuata sit, quàm ex indigenis legerit.	7. *Valerius Lib. III. Cap. IV.* Præclaris virtutibus effecit, nè hæc civitas pœnitentiam ageret, quòd Regem à finitimis potius mutuata esset, quàm de suis legisset.
8. *Saxo l. d.* Itaq; cum genere, literis, ingenioq; niteas.	8. *Valerius Lib. V. Cap. VIII.* Juvenem & ingenio, & literis, & formâ, inter æquales nitentem.
9. *Saxo pag. 2.* Nec ignotum volo, Danorum antiquiores conspicuæ fortitudinis operibus editis.	9. *Valerius Lib. IV. Cap. III.* Cum, editis conspicuæ fortitudinis operibus, apud milites laudatus.
10. *Saxo l. d.* Quorum thesauros historicarum rerum pignoribus refertos.	10. *Valerius Lib. V. Cap. II.* Massanissæ pectus grati animi pignoribus refertum.

11. *Saxo l. d.*

Quia propositi pondere constrictus, vereor ne magis ingenij debilitatem patefaciam, quàm tuam, sicut par est, originem repræsentem.

11. *Valerius Lib. II. Cap. VII.*

Quia animadverto fore, ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei detegam, quàm vestram virtutem, sicut par est, repræsentem.

12. *Saxo l. d.*

Cumq; fortitudine & liberalitate instructissimus habearis.

12. *Valerius Lib. II. Cap. VI.*

Vir ille, ut omnibus virtutibus, ità humanitatis quoq; laudibus instructissimus.

Et Lib. V. Cap. III.

Eloquentia & integritate instructissimus.

13. *Saxo l. d.*

Ex cujus sanctissimis vulneribus plus virtutis, quàm cruoris, effluxit.

13. *Valerius Lib. III. Cap. II.*

In quâ ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quàm sangvinis manavit.

14. *Saxo Lib. I. pag. 5.*

Testis est Beda, non minima pars divini styli.

14. *Valerius Lib. VIII. Cap. XII.*

Asinius Pollio, non minima pars Romani styli.

15. *Saxo Lib. I. pag. 6.*

Præcurrebat igitur Skjoldus virium complementum animi maturitate; conflictusq; gessit, quorum vix spectator ob teneritudinem esse poterat.

15. *Valerius Lib. III. Cap. I.*

Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate; duplicemq; laudem è prælio retulit, cujus eum vix spectatorem anni esse patiebantur.

16. *Saxo l. d.*

In quo annorum virtutisq; procursu.

16. *Valerius Lib. III. Cap. II.*

Nos quia jam initia procursusq; virtutis patefecimus.

17. *Saxo l. d.*

Primus rescindendarum manumissionum legem edidit.

17. *Valerius Lib. II. Cap. VI.*

Qui tres in eodem manumissiones rescindi permittunt.

18. *Saxo l. d.*

Affirmare solitus: pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere.

18. *Valerius Lib. IV. Cap. III.*

Nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset.

19. *Saxo Lib. I. pag. 8.*

Hunc pater ultimæ jam ætatis.

19. *Valerius Lib. V. Cap. IV.*

Quæ patrem suum jam ultimæ senectutis. *Lib. I. Cap. VIII.* Cùmq; ad ultimam ætatem pervenisset.

20. *Saxo l. d.*

Hunc pater, ultimæ jam ætatis, ob res egregiè gestas, imperij consortione donavit.

20. *Valerius Lib. IV. Cap. II.*

Ne si, diffidente animo, consortionem imperij usurpare voluisset.

21. *Saxo Lib. I. pag. 9.*

Henricum inter sacra mensæ & amicorum amplexus obtruncat.

21. *Valerius Lib. II. Cap. I.*

Apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum.

22. *Saxo l. d.*

Inauditi generis miracula exercuisse.

22. *Valerius Lib. V. Cap. VI.*

Novi & inauditi generis prodigium incidit.

23. *Saxo Lib. I. pag. 11.*

Tanto juvenis amore flagravit, ut virili more culta prosequi non dubitaret, laboribusq; ejus ac periculis interesse voluptatis loco duceret.

23. *Valerius Lib. IV. Cap. VI.*

Hipsicratea Mithridatem conjugem effusis charitatis habenis amavit: propter quem præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem convertere voluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis equo se & armis asvefecit, quò facilius laboribus & periculis ejus interesset.

24. *Saxo Lib. I. pag. 13.*

Statuam in crepidine collocavit.

24. *Valerius Lib. IV. Cap. III.*

Quemadmodum erat in crepidine collocatus.

25. *Saxo l. d.*

Hoc loci quid aliud adjecerim, quàm tale numen hac conjuge dignum extitisse?

25. *Valerius Lib. IV. Cap. VI.*

Hoc loci quid aliud adjecerim, quàm dignas fuisse, quibus Minyæ nuberent.

26. *Saxo Lib. I. pag. 16.*

Apud quam diversante Hadingo, mirum dictu prodigium incidit.

26. *Valerius Lib. V. Cap. VI.*

Portam egredienti novi & inauditi generis prodigium incidit.

27. *Saxo*

27. Saxo Lib. I. pag. 19.

Extinctoq; supereſſe non paſſus, ſuſpendio ſe, vulgo inſpectante, conſumpſit.

27. Valerius Lib. V. Cap. VIII.

Silanus lucem ulterius intueri non ſuſtinuit, ſuſpendioq; ſe, proximâ nocte, conſumpſit.

28. Saxo Lib. II. pag. 22.

Ut varijs periculorum generibus implicaret.

28. Valerius Lib. III. Cap. I.

Athenienſes finitimo implicati bello. Lib. II. Cap. VII. Animis deſperatione vitæ implicatis.

29. Saxo Lib. II. pag. 29.

Magna viri ſolertia, leniendi ardoris præſidium à clypeo mutuantis.

29. Valerius Lib. VII. Cap. IV.

Miſertus eſt Jupiter Romanæ virtutis præſidium ab aſtutia mutuantis.

30. Saxo Lib. III. pag. 49.

Eoq; calliditatis genere ingenium texit.

30. Valerius Lib. VII. Cap. III.

Eâq; fallaciâ maximas virtutes ſuas texit.

31. Saxo loco dicto

Nec credi poterat obtuſi cordis eſſe.

31. Valerius l. d. & Lib. VI. Cap. IX.

Obtuſi ſe cordis eſſe ſimulavit.

M. Torquatus adeo hebetis atque obtuſi cordis.

32. Saxo l. d.

Qui tàm exculto manus artificio calluiſſet.

32. Valerius Lib. VIII. Cap. XII.

Qui quotidiano ejus uſu callebant.

33. Saxo l. d.

Fuere ergò, qui illum vegetioris ingenij aſſerentes.

33. Valerius Lib. VII. Cap. III.

Fratrem ſuum, quòd vegetioris ingenij erat, interfectum.

34. Saxo Lib. III. pag. 50.

Pari igitur ſtudio petitum ac promiſſum eſt ſilentium.

34. Valerius Lib. I. Cap. VIII.

Pari namq; ſtudio petitum ac promiſſum eſt præſidium.

35. Saxo l. d.

Ut ſalutem Amlethi vaframenti ſui beneficio conſtitiſſe monſtraret.

35. Valerius Lib. VII. Cap. III.

Lampſacenæ verò urbis ſalus unius vaframenti beneficio conſtitit.

36. Saxo Lib. IV. pag. 55.

Me tàm piæ ultionis æmulum patricio ſuſcipite ſpiritu.

36. Valerius Lib. VI. Cap. I.

Virginius plebeji generis, ſed patricij vir ſpiritus.

37. Saxo Lib. IV. pag. 63.

Subitò velut ex muto vocalis evaſit.

37. Valerius Lib. I. Cap. VIII.

Indignatione accenſus vocalis evaſit.

38. Saxo Lib. IV. pag. 64.

Ut ſe linguæ prorſus officio defectum.

38. Valerius Lib. V. Cap. IV.

Quæ etiam Crœſi filium loquendi uſu defectum.

39. Saxo Lib. IV. pag. 66.

Sed & paterna bona flagitijs disjiciebat.

39. Valerius Lib. III. Cap. V.

Dolenter enim homines ferebant, pecuniam flagitijs disjici.

40. Saxo, loco jam dicto:

Opes voracibus ſumptuum impenſis tribuens.

40. Valerius Lib. VII. Cap. I.

Exercitus, & arma, & equitatum voracibus impenſis oneroſum.

41. Saxo Lib. V. pag. 70.

Virginibus nubere non licebat, niſi quarum caſtitas eis ante delibata fuiſſet.

41. Valerius Lib. IX. Cap. I.

Ac ne qua virgo ingenuò nuberet, cujus caſtitatem non antè ex numero ipſorum aliquis delibaſſet.

42. Saxo Lib. VI. pag. 97.

Sed quoniam tradita magis, quàm cognita referuntur, fidem arbiter penſet.

42. Valerius Lib. I. Cap. VIII.

Sed quia non nova dicuntur, ſed tradita repetuntur, fidem autores vindicent.

43. Saxo Lib. VI. pag. 98.

Interfecti corpus auro ſe repenſurum edixit.

43. Valerius Lib. IX. Cap. IV.

Quia Opimius Conſul caput Gracchi auro ſe repenſurum edixerat.

44. Saxo Lib. VI. pag. 113.

Apparatiſſimis dapibus inſiſtens, luxurioſo menſas epulo cumulavit.

44. Valerius Lib. IX. Cap. I.

Cum immanibus epulis apparatiſſimos interponi ludos ſinebat.

45. Saxo l. d.

Quibus cum Starchaterus oculos inſeruiſſet.

45. Valerius Lib. III. Cap. III.

Si huic miraculo Darius inſeruiſſet oculos.

46. Saxo l. d.

Erat enim fortitudo ejus frugalitatis amatrix, aliena nimiæ ciborum abundantiæ, & ab immoderato dapum uſu averſa.

47. Saxo l. d.

Utpote quæ aliquo in momento ponendi luxuriam nunquam vacavit.

48. Saxo Lib. VI. pag. 114.

Famem eò ſapidius, quò ſimplicius pepulit.

49. Saxo l. d.

Ne veræ virtutis nervos externarum deliciarum contagione remitteret.

50. Saxo l. d.

Poſtquam ſe Theutoniæ moribus permiſit, effœminatæ ejus laſciviæ ſuccumbere non erubuit.

51. Saxo l. d.

Benevolentiam ejus, quia virtutem hebetare nequiverat, mercari cupiens.

Et mox infrà:

Regina verò virtutem, quam debilitare nequiverat, ſtupens.

52. Saxo Lib. VI. pag. 115.

Nimio ſaturitatis uſu oſcitans.

53. Saxo l. d.

Adeò virtute vacuus, ut ne minimam quidem ejus umbram conſectaretur.

54. Saxo Lib. VI. pag. 118.

Molli ac teneræ juventæ animoſitatis ſpiritum ingeneravit.

55. Saxo Lib. VII. pag. 128.

Omnia penè temporum momenta ad excolendam militiam conferebant.

56. Saxo l. d.

Ne virtutis nervos luxuriæ contagione hebetari paterenrur.

57. Saxo Lib. VII. pag. 142.

Quem familiaritatis gradum educationis & crepundiorum conſortione adeptus fuerat.

58. Saxo Lib. VIII. pag. 143.

Neq; mihi multitudinem complectendi cupido inceſſit.

59. Saxo Lib IX. pag. 175.

Quâ quidem humanitate magnus Ruthenis injectus eſt rubor ulterius adverſus eum ſæviendi Regem, quem ne injuriarum quidem acerbitate ad infligendam captivis mortem impellere potuerunt.

60. Saxo Lib. IX. pag. 176.

Quem quid aliud, quàm duas inter ſe fortunas partitas eſſe dicemus? Alteram quæ ei incolumen claſſem, propenſum imperium, præcipuas piraticæ vires adjiceret: alteram quæ claritatis ruinam, commilitonum necem, acerbiſſimum vitæ exitum irrogaret.

46. Valerius Lib. II. Cap. V.

Frugalitas inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris uſu averſa.

47. Valerius Lib. IV. Cap. III.

Quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit.

48. Valerius Lib. II. Cap. V.

Ex libamentis victus ſui deos eò efficacius, quò ſimplicius placabant.

49. Valerius Lib. II. Cap. VI.

Tenaciſſimos patriæ nervos externarum deliciarum contagione ſolvi noluerunt.

50. Valerius l. d.

Ut primum ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuam effœminato ejus cultu mollire non erubuit.

51. Valerius Lib. IV. Cap. III.

Benevolentiam Populi Romani mercari, quia virtutem debilitare nequiverat, cupiens.

52. Valerius Lib. IX. Cap. I.

Transmarinorum ſtipendiorum abundantia oſcitantem.

53. Valerius Lib. VII. Cap. II.

Ut homines ipſam potius virtutem, quàm umbram ejus conſectarentur.

54. Valerius Lib. V. Cap. III.

Qui æternum Romano Imperio ſpiritum ingeneraverat.

55. Valerius Lib. VIII. Cap. II.

Omnia temporum momenta ad percipiendam & exercendam doctrinam conferens.

56. Valerius Lib. II. Cap. VI.

Tenaciſſimos patriæ nervos externarum deliciarum contagione ſolvi & hebetari noluerunt.

57. Valerius Lib. IV. Cap. V.

Illorum amicitia in conſortione delitiarum contabuit.

58. Valerius in Prologo:

Nec mihi cuncta complectendi cupido inceſſit.

59. Valerius Lib. I. Cap. I.

Quâ quidem conſtantiâ magnus cœleſtibus injectus eſt rubor ulterius adverſus eam ſæviendi gentem, quæ ne injuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu abſterreri potuerit.

60. Valerius Lib. VI. Cap. IX.

Jam Alcibiadem quaſi duæ fortunæ partitæ ſunt: altera, quæ ei nobilitatem eximiam, favorum civium propenſam, præcipuas potentiæ vires aſſignaret: altera, quæ damnationem, exilium, odium patriæ, violentam mortem infligeret.

61. Saxo

61. Saxo l. d.

Itaq; ex ſpecioſiſſimo victore ad miſerabilem captivi ſortem deductus.

61. Vlearius Lib. I. *Cap.* I.

M. Atilius Regulus ex victore ſpecioſiſſimo ad miſerabilem captivi fortunam deductus.

62. Saxo Lib. IX. *pag.178.*

Verùm quoniam hujuſce muneris advocationem præſtare pleriſque vel invidioſum, vel arduum videbatur.

62. Valerius Lib. II. *Cap.* IX.

Accedit his, quod etiam fortunâ longam præſtandi hujuſce muneris advocationem eſtis aſſecuti.

63. Saxo Lib. IX. *pag.178.*

Nam fatis ſuis Romanæ legationis præcurrit adventum.

63. Valerius Lib. V. *Cap.* II.

Ille adventum Scipionis fatis ſuis præcurrentibus.

64. Saxo l. d.

Poſt hunc Gormo arcem obtinuit: *id eſt, rerum ſummam, imperium.*

64. Valerius Lib. VI. *Cap.* II.

Quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit.

65. Saxo Lib. IX. *pag.179.*

Quippe profuſo in ſomnum animo, exiſtimavit.

65. Valerius Lib. I. *Cap.* VII.

M. Cicero, animo in ſomnum profuſo, putavit.

66. Saxo Lib. IX. *pag.180.*

Salùs namq; Danorum in ultimas anguſtias deducta, ac penè deſperationis periculis implicata.

66. Valerius Lib. II. *Cap.* VII.

Animis deſperatione vitæ implicatis.

Et Lib. I. *Cap.* VI.

Triſtitia implicatis militum animis.

67. Saxo Lib. X. *pag.181.*

Voluntarium pro duce ſpiritum erogavit.

67. Valerius Lib. V. *Cap.* IV.

Pro parentum alimentis ſpiritum erogantes.

68. Saxo Lib. X. *pag.183.*

Eadem quoq; cum ſub ſpecie fæminæ virilem animum gereret.

68. Valerius Lib. VIII. *Cap.* III.

Quam quia ſub ſpecie fæminæ virilem animum gerebat, Androgynem appellabant.

69. Saxo Lib. X. *pag.188.*

Svenonis fortunam crebris detrimentorum incurſibus laceſſitam.

69. Valerius Lib. IV. *Cap.* VII.

Detrimentorum incurſu quaſſatis ſolatia erogabantur.

70. Saxo Lib. X. *pag.192.*

Nec ſolùm fortitudinem ipſe pleniſſimam præbuit, ſed etiam ex ſociorum animis pænè profugam revocavit.

70. Valerius Lib. V. *Cap.* VI.

Pietatemq; non ſolùm ipſe pleniſſimam exhibuit, ſed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit.

71. Saxo Lib. X. *pag.193.*

Ut nuptiarum deformitatem ſeminis aptitudine coloraret.

71. Valerius Lib. VIII. *Cap.* II.

Libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando.

72. Saxo Lib. X. *pag.194.*

Adeò ſcrupuloſo cultu levia quoq; religionis momenta ſervavit, cujus detractæ triſtem à ſe ipſo pœnam exigere cunctatus non eſt.

72. Valerius Lib. I. *Cap.* I.

Quod tàm ſcrupuloſa curâ parvula quoq; momenta religionis examinare videntur.

Et eodem Libro:

Hercules quoq; detractæ religionis ſuæ gravem pænam exegiſſe traditur.

73. Saxo Lib. X. *l. d.*

Cujus facti circumſpectiſſimâ ſanctitate æternam cognomine memoriam uſurpavit.

73. Valerius Lib. I. *Cap.* XX.

Decretiq; circumſpectiſſimâ ſanctitate impium opus cenſoris retexuit.

74. Saxo loco dicto:

Ab eodem quoq; pauperibus protectio, pupillis tutela, ſacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentiâ laceſſitis ſubſidia præbebantur.

74. Valerius Lib. IV. *Cap.* VIII.

Et cum hæc univerſis, privatim alimenti inopiâ laborantibus, dotes virginibus paupertate preſſis, detrimentorum incurſu quaſſatis ſolatia erogabantur.

75. Saxo Lib. X. *pag.196.*

A quo Ulvo, tempore, quo rerum autor nobiſcum immortalitatem ſuam partiri voluit, annuo feriarum circuitu repetito.

75. Valerius Lib. II. *Cap.* I.

Quid attinet divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit.

Et Lib. II. *Cap.* II.

Cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repititur.

76. Saxo Lib. X. *pag. 201.*

Ejus famam gloriæ quæstu opulentissimam tenacissima posteritatis cognitio comprehenderit.

76. Valerius Lib. IV. *Cap.* I.

Quo evenit, ut reprehensionis morsu sit vacua, & laudis quæstu opulentissima.

77. Saxo Lib. X. *pag. 203.*

Nocte vero, quam belli dies inseqvutus est, quietem ejus certæ prædictionis species adumbravit.

77. Valerius Lib. I. *Cap.* VII.

Referam, quàm certis imaginibus multorum quies adumbrata sit.

Et paulò pòst:

Annibalis quoq; certæ prædictionis somnium fuit.

78. Saxo Lib. XI.

Post hæc Daniæ status varijs rerum casibus fluctuatus est.

78. Valerius Lib. IX. *Cap.* VIII.

Ita exiguo momento maximæ rei casus fluctuatus est.

79. Saxo Lib. XI.

Magno cum indolis experimento ætatem animo præcucurrit.

Et paulò pòst:

Rerumq;, quarum ob infirmam adhuc ætatem vix spectator esse potuit, auctor haberi præsumpsit.

79. Valerius Lib. III. *Cap.* I.

Præcucurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate, duplicemq; laudem è prælio retulit, cujus eum vix spectatorem anni esse patiebantur.

80. Saxo Lib. XI.

Nocte igitur, quam dedicationis dies insecuturus putabatur, Sacristæ somnum capienti, quidam per quietem præcepit.

80. Valerius Lib. I. *Cap.* VII.

Artorio somnum capienti nocte, quam dies insecutus est, quo Romani exercitus inter se concurrêre, Minervæ species oborta præcepit.

81. Saxo Lib. XI.

Abstersis lacrymis, depositisq; doloris insignibus, cultum regium resumere jussit.

81. Valerius Lib. I. *Cap.* I.

Abstersis lacrymis, depositisq; doloris insignibus, candidam induere vestem.

82. Saxo Lib. XI.

Hinc Danicis, indè Norvagicis oculis, incredibilem, nisi spectareris, operam edidisti.

82. Valerius Lib. III. *Cap.* II.

Hinc Romanis, illinc Britannicis oculis, nisi cernereris, spectaculo fuisti.

83. Saxo Lib. XI.

Exulasse hujus animum in nequitia non habitasse credimus.

83. Valerius Lib. VI. *Cap.* IX.

Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.

84. Saxo Lib. XII.

Quamobrem tanta ciborum penuria incessit.

84. Valerius Lib. VI. *Cap.* VI.

Tanta in Bosphorano tractu commeatus penuria incessit.

85. Saxo Lib. XII.

Nobilibus in eundem usum ingenuitatis insignia erogare rubori non fuit.

85. Valerius Lib. V. *Cap.* VI.

Pueri insignia ingenuitatis, ad sustentandam temporis difficultatem, contulerunt.

86. Saxo Lib. XII.

Inops epularum convivium principum oculis subjicere erubescebat.

86. Valerius Lib. I. *Cap.* IX.

Effectum religionis suæ oculis Regis subjecit.

87. Saxo Lib. XII.

Qvum non minorem personarum, quàm civitatum respectum egisset.

87. Valerius Lib. III. *Cap.* VII.

Majorem ejus autoritatis, quàm suorum alimentorum respectum egerunt.

88. Saxo Lib. XIII.

Ne patriam sumptuosa clientela, ac voracibus oneraret impensis.

88. Valerius Lib. VII. *Cap.* I.

Exercitus, & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum.

89. Saxo Lib. XIV.

Lætatusq; est, quod salutem suam alienæ rati, quàm proprio navigio credere maluisset.

89. Valerius Lib. I. *Cap.* VII.

Ipse lætatus est, quòd vitam suam somnio, quàm navi credere maluisset.

90. Saxo Lib. XIV.

Quo evenit, ut obscura & ignobili cæde spiritum deponeret, quem honeste in acie profundere noluisset.

90. Valerius Lib. VI. *Cap.* III.

Effecitq;, ut quem honestè spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

91. Saxo Lib. XV.

Fridericus perfectissimum honestatis specimen.

91. Valerius Lib. IV. *Cap.* III.

M. Curius fortitudinis perfectissimum specimen.

92. Saxo Lib. XV.

Publicæ religioni, quàm privatæ amicitiæ propiorem.

93. Saxo Lib. XV.

Igitur patricij spiritus Pontifex.

94. Saxo Lib. XVI.

Quo beneficio obligatus Bogislavus, Sclavorum animos Danis applicando, debitam Absolonis meritis gratiam retulit.

95. Saxo Lib. XVI.

Hisdem perfidiæ laqueis filij simplicitatem circumvenire studentis, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerat.

96. Saxo Lib. XVI.

Quibus cum pulso mane somno oculos inseruisset.

97. Saxo Lib. XVI.

Bogizlai quoq; animus constantiæ pignoribus refertus.

98. Saxo l. d.

Accepti beneficij memoriam ad ultimum usq; vitæ tempus inviolabili fide exhibuit.

99. Saxo l. d.

Adeo ut cum supremo morbo correptus in lectulo laberetur.

100. Saxo l. d.

Eumq; dividendi inter pupuillos regni autorem habituros.

101. Saxo l. d.

Et quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, custodituros.

92. Valerius Lib. I. *Cap.* I.

Propior publicæ religioni, quàm privatæ charitati.

93. Valerius Lib. VI. *Cap.* I.

Virginius plebeji generis, sed patricij vir spiritus.

94. Valerius Lib. IV. *Cap.* III.

Quâ continentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis ejus debitam gratiam retulit.

95 Valerius Lib. VII. *Cap.* IV.

Aciem Pop. Rom. compluribus astutiæ implicatam laqueis ad tàm miserabilem perduxit exitum.

96. Valerius Lib. III. *Cap.* III.

Si huic miraculo Darius inseruisset oculos.

97. Valerius Lib. V. *Cap.* II.

Massanissæ Regis pectus grati animi pignoribus refertum.

98. Valerius l. d.

Memoriam inclyti muneris ad ultimum vitæ finem constantissimâ fide perduxit.

99. Valerius l. d.

Ille qvum jam ætate deficiente in lectulo laberetur.

100. Valerius l. d.

Eumq; dividendi regni arbitrum haberent.

101. Valerius l. d.

Quod is statuisset, perinde ac testamento cautum, immutabile ac sanctum obtinerent.

CAPUT XIX.

Παραλληλισμὸς Vocum & Locutionum rariorum, in quibus Martianum Capellam imitatus est Saxo.

De Martiano Capella idem esto judicium. Ejus tamen non tàm integra loca, nec diffusas Periodos, quàm voces rariores, & singulares loquendi formulas, quæ minimè publici sunt saporis, imitandas sibi proposuit Saxo. Ante omnia id clarum erit, si quis diligentem collationem instituerit inter ea, quæ Capella potissimum Lib. VI, de latitudine, rotunditate, ac divisione Terræ, alijsq; eo pertinentibus, edisserit; & Daniæ illam descriptionem Chorographicam, quam Historiæ suæ præfixit Saxo. Profectò non lac lacti, non ovum ovo poterit esse similius, quàm utriusque Autoris, circà eandem ferè materiam occupata, oratio. Agedum, videamus.

1. Saxo Præfatione, pag. 2.

Hujus itaq; regionis extima propinqui maris fluctibus includuntur. Interna vero circumfusus ambit Oceanus.

2. Saxo pag. 3.

Subsidentium camporum recessu.

3. Saxo l. d.

Pari spatiorum intercapedine disparata.

1. Martianus Capella Lib. VI. p. 200.

Rotunditatis autem ipsius extima circumfusus ambit Oceanus.

2. Mart. Capella l. d.

Hinc defluxere per diversos sinus, subsidentesq; campos.

3. Mart. Capella l. d.

Quod cum antea natura terris maria disspararet.

4. *Saxo pag. 2.*	4. *Martinus Capella pag. 202.*
Hujus itaq; regionis extima partim soli alterius confinio limitantur.	Divulsoq; confinio camporum: *Et mox:* Asia itidem Nili alveo limitatur.
5. *Saxo l. d.*	5. *Mart. Capella l. d.*
Ex his Jutia granditatis inchoamentiq; ratione Danici regni principium tenet.	Evropæ tamen principium inchoamentiq; limen Hispaniæ contributum.
6. *Saxo l. d.*	6. *Mart. Capella l. d.*
Fluminis Eydori interrivatione discreta.	Iberi fluminis interrivata tractu. *Et pag. 213.* Verum hæc angustiora quâdam interrivatione distenduntur.
7. *Saxo pag. 3.*	7. *Mart. Capalla l. d.*
In Norici freti littus excurrit.	In Gaditani freti littus excurrit.
8. *Saxo l. d.*	8. *Mart. Capella pag. 203.*
Cum aliquanto latitudinis excremento.	Diffusior adjacet in latitudinis excrementum.
9. *Saxo pag. 2.*	9. *Mart. Capella l. d.*
Tevtoniæ finibus admovetur.	Ex alio latere Galliarum finibus admovetur.
10. *Saxo pag. 4.*	10. *Mart. Capella pag. 205.*
In hiantium rimarum penita provoluti.	Mersus in penita telluris: *Et pag. 195.* Qui in ejus penita præcipitatur.
11. *Saxo l. d.*	11. *Mart. Capella pag. 195.*
Scopulis undiq;secus obsita.	Aëris halitus undiq;secus diffusus. *Et paulò post:* Tantundem undiq;secus à terris abesse cælum.
12. *Saxo l. d.*	12. *Mart. Capella pag. 214.*
Multiplex diversitatis Barbaricæ consertio.	Littus consertum multiplici diversitate Barbarica.
13. *Saxo l. d.*	13. *Mart. Capella pag. 224.*
Ab hujus ortivo latere.	Sol ortivus in læva conspicitur.

Plura heîc accumulare exempla, brevitatis causâ, in præsens supersedeo. Saxonem etenim Martiani Capellæ felicem ac diligentem fuisse imitatorem, Notæ & Observationes nostræ, si quis accuratius eas pervolverit, porro plenius certiusq; testari poterunt.

CAPUT XX.

Encomia & Testimonia Virorum Doctorum, nostri & superioris seculi, de Saxone Grammatico.

TAmetsi Saxo noster omni propè laude major sit, deq; eo præstet omninò tacere, quàm pauca dicere, quod olim de Carthagine Sallustius usurpavit; [quicquid enim dixeris, id omne incomparabili ipsius eloquentiâ, & eruditione longè admirabili, minus erit:] in medium tamen adducam luculenta quædam Virorum Doctorum de tàm divino Scriptore Encomia & Testimonia; ex quibus perspicuum erit, quanti Saxonem fecerint, etiàm illi, qui Danicis ingenijs non adeò benignos se fautores præbere solent.

Auctor Vitæ S. Wilhelmi Abbatis: *Mittit itaq; in Gallias Saxonem, Præpositum Roschildensem, VIRUM HONESTUM; qui ab S. Genovefæ collegio petat dominum VVilhelmum, cum alijs tribus fratribus, mitti in Daniam.*

Auctor vetustissimus, cujus meminit Codex MS. Regiæ Bibliothecæ Hafniensis: *Saxo cognomine Longus, miræ & urbanæ eloquentiæ Clericus.*

Cornelius Aurelius, magni illus Erasmi Præceptor, Lib. II. Bataviæ suæ, ubi de domo tributaria à Gotrico Danorum Rege in Frisia erectâ loquitur: *De hac Saxo Grammaticus miranda ponit in Historia sua, quam de gestis Danorum ACCURATISSIME scripsit.*

Desid.

Desid. Erasmus Roterodamus Dialogo, cui titulus *Ciceronianus*, sive, *De optimo dicendi genere* : *In Daniam navigare malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis Historiam splendidè magnificeq; contexuit. Probo vividum & ardens ingenium, orationem nusquam remissam aut dormitantem ; tùm miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem : ut satis admirari nequeam, unde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi suppetiverit.*

Albertus Crantzius Daniæ Lib. I. Cap. I : *Nunc Antiquitates renovaturi, rerum gestarum ordinem narratione complectamur ; Saxonem, virum Sialandicum, mirâ diligentiâ suæ gentis Antiquitates perscribentem, sequentes autorem : cujus diligenti verborum curæ parem indagandæ veritatis credere promptum est vigilantiam extitisse.*

Idem Norvagiæ Lib. V. Cap. XIII : *Hæc ad verbum libuit ex Saxone nostro transferre & inserere, ut per intervalla, autoris, quem in his Antiquitatibus seqvuti sumus, vocem intermisceamus: ut videant posteri, quæ cura scribendi fuerit, jam tùm eâ tempestate, Danici generis hominibus. Non vibebatur tanta literarum instructio neq; seculo congruere, neq; regioni : quando in ultimâ (ut vocant Itali) barbarie, illis temporibus, quando illustrium literarum memoria videbatur etiàm in Italia (bonarum artium matre) jamdudùm intermissa ; Saxo tamen Danus in patria sua tùm ea scripsit, quæ admiramur. Et nisi manifestis attestationibus rem in propatulo cerneremus, non facile persvasum haberemus, illis temporibus, in eis regionibus tale aliquid compertum iri. Judicet quisque, ut volet. Ego temporum & locorum facta collatione, hominem demiror, & laude sua non fraudo.*

Idem Sveciæ Lib. I. Cap. I. pag. 204 : *Et quoniam promiscuè Gothorum atq; Sveonum res gestas in ordinem digerere propositum est, principium à Gothis sumere ex re visum est, quod eorum egressio vetustior est, quàm ulla rerum in Svecis commemoratio, ab autore, quem sequimur. Is est Saxo Grammaticus Sialandicus, vir inprimis disertissimus, & (ut confidimus) antiquitatum in gente sua fidelissimus renovator.*

Eodem Libro pag. 225 Saxonem vocat *memorabilem scriptorem* : *Nam Daniæ quoq; gesta memorabilis ille scriptor, per aliquot secula transilijt.* Et Norvagiæ Lib. I. pag. 352. *virum diligentissimum* : *Miror autem his de rebus Saxonis nostri silentium &c. Sed non est ea culpa viri diligentissimi, quod per eam ætatem (ut apparet) nulli annales scriberentur.*

Cardanus de rerum varietate Lib. XV. Cap. LXXX. *Neq; id vitiosum Historico : sed ubi Historia per se sterilis est, licet eam jocis ac fabulis exornare. Quamobrem & jure ab his abstinuit T. Livius, & Herodotus justè damnatur, & Saxo Grammaticus laudatur.*

Olaus Magnus, Archiepiscopus Upsalensis, Lib. II. Cap. XXIV : Histor. Septentr. *Hanc insulam Gotlandiam Saxo Grammaticus, Danorum insignis Historicus, in pluribus suis scriptis ad Sveciam sinè quavis hæsitatione spectare attestatur.*

Idem Lib. III. Cap. XII : *Saxo Danorum Historicus, Antiquitatum diligentissimus indagator.*

Idem Lib. V. Cap. I. *Quid verò Saxo Grammaticus, diligentissimus Historicus, de sua tellure Danica in hac materia asserat, curiosus Lector præfationem Historiarum ejus, circa finem, inspiciat.* Et paulò post : *Fortè si superioris Svetiæ atq; Gothiæ cautes & saxa examinasset, præclarissima veterum gesta MIRABILI SUO INGENIO ad posteros transtulisset.*

Idem Lib. V. Cap. III : *Asserit clarissimus Danicarum rerum scriptor Saxo, superius allegatus, ac inferius frequenter allegandus.*

Antonius Possevinus Apparatus Sacri Pag. 197. Edition. Venetæ : *Saxo Grammaticus, Sialandicus, è Daniæ regno, Rothschildensis Ecclesiæ Præpositus, scripsit Historiæ Danorum Libros XVI. ad Andream Episcopum Daniæ, illos quidem perelegantes, si præsertim ævum, quo vixit, attendas. Quippe Philippo Cæsare vixit, deq; suæ gentis vetustate, usq; ad Annum 1200, quo vixit, eandem Historiam pertexuit ; quæ Basileæ apud Bebelium Anno 1534., atq; Parisiis prodijt. In quâ licet, præter alia, intueri, quænam antè enatas Lutheri, & aliorum, Hæreses, religio, nempè Catholica, semper apud Danos, post illorum ad fidem Christianam conversionem, enituit.*

Christophorus Colerus Epist. de studio Politico ordinando : *Miror Saxonem Grammaticum, qui ævo barbarissimo eloquentissimè & comptissimè scripsit Historiam Danicam. Atq; utinam ita diligenter etiam, qui de rebus Germanicis commentati sunt : licet ipse multas fabulas miscuerit.*

Joannes Picartus in Notis ad Lib. II. Gvillelmi Nevbrigensis de rebus Anglicis : *Saxo Grammaticus Lib. I. Hist. Dan. à Dan, primo Danorum Rege, vult dici Danos. In quam sententiam pedibus eo lubens, quippe pronunciatam à Scriptore Dano diligentissimo juxta ac disertissimo.*

Thomas Dempsterus, Scotorum doctissimus, in Indice Scriptorum, quos in Paralipomenis suis ad Antiquitates Romanas Johannis Rosini, in testimonium advocat : *Saxo Grammaticus luculentus, ut tempora ferebant, Historicus.*

Daniel

Daniel Heinsius in Prolegomenis ad Aristarchum Sacrum: *Quod nomen* (Grammatici) *sibi præstantissimus Philosophi interpres, qui Theologiam quoq; professus est, assumpsit. Qui Grammaticus ab universæ eruditionis contemplatione ac complexu dictus est: quemadmodum ætate sequiori Saxo, illustris ac ætate illa facundissimus Danorum Historicus, vir plurimarum rerum gnarus, Saxonem Grammaticum se dici voluit.*

Gerardus Joannes Vossius Lib. II. de Historicis Latinis: *Saxo Grammaticus, Sialandicus, Rotschildensis in Dania Ecclesiæ Præpositus, ad Andream, Daniæ Episcopum, Historiam scripsit Libris XVI: in quâ non pauca sunt fabulosa: ut haud cuncta recipi debeant ἀβασανίςως. Nec tamen tantus est fabulator, ac nonnullis videtur, qui eum nullo habent loco. Inter hos est Goropius Becanus: de quo minus est mirandum, cum argumentum tractet, non παράδοξον modò, sed etiam ἄδοξον. Rejicit igitur, non quicquid debet, sed quicquid obest causæ semel susceptæ. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus est elegantia, ut ætatis illius captum planè excedat: imò cum antiquiorum, & nostri seculi plurimis, certet. Perduxit Historiam suam usq; ad tempora Philippi Cæsaris, sub quo non inglorius vivebat. Mentio ejus fit ab eo, qui Saxonem in Dania aut vidit, aut videre potuit; discipulo dico S. Gvilhelmi, Roschildensis in Dania Abbatis, apud quem in præceptoris vitâ hæc legas: Mittit itaq; in Gallias Saxonem, Præpositum Roschildensem, virum honestum; qui ab S. Genovefæ Collegio petat Dominum VVilhelmum, cum aliis tribus fratribus mitti in Daniam.*

Johannes Isacius Pontanus in Epistola Dedicatoria ad Serenissimum Daniæ Regem, Christianum IV: *Eorum præcipuè priores* (Reges) *Saxo Grammaticus, Sialandicus Danus, illustri Langiorum prosapiâ oriundus, ante quadringentos, & quod excedit, annos, mirabili rerum varietate, nec minori dicendi ubertate &c. accuratius pertractans &c.*

Idem Historiæ rerum Danicarum Lib. VI. pag. 293: *Quin & eo* (Absalone Archiepiscopo) *præcipuè impulsore & veluti ergodiocte usus Saxo Grammaticus, Præpositus Roschildensis, in gratiam ac decus suæ gentis, Historiam, quæ hodieq; est in manibus, Latinè contexuit, stilo ac dicendi genere, suprà quàm illud ferebat seculum, florenti ac terso; adeò ut Erasmus exinde haud satis mirari potuerit tantam eo ævo in homine Dano eloquii vim atq; elegantiam.*

Idem in Chorographica Daniæ descriptione, Cap. de Danorum ingenijs, studijs, ac moribus, pag. 781: *Talibus viris, sivè sidera potius appellem, lucentibus, nihil mirum & alia extitisse clara ingenia. Sanè Italiam, Galliam, Germaniam, cæteramq; ferè Europam universam, barbaries tum occuparat; adeò ut in isto propemodùm terrarum angulo, extremoq; Borea, quod mirandum, elegantia ac decus literarum steterit. Tunc etenim suis tantummodò notus, interq; frigora atq; Arcton studia fovens, sinè exemplo maximus, longeq; admirabilis rerum Danicarum scriptor emicuit Saxo Grammaticus, Ecclesiæ Roschildensis Præpositus, è vetusta atq; inclyta Langiorum familia oriundus. Quem exinde seculis aliquot, ubi emergere è vepribus, ac tenebris ignorantiæ densissimis cœpisset doctrina cultior,* admirati sunt viri *doctissimi, & in his magnus ille Desiderius Roterodamus, illo ævo hominem Danum non modò splendidè magnificèq; gentis suæ Historiam contexuisse, sed ad id exsequendum attulisse insuper ingenium vividum & ardens, orationem nusquam remissam aut dormitantem, tùm mirificam verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem; ut exputare iterum iterumq; haud potuerint, unde homini ad axem propemodo extremi Boreæ posito tanta vis eloquendi eâ ætate promanarit. Habuit ille operum suorumq; studiorum impulsorem præcipuum, ac veluti ergodiocten, Absalonem Hvide, Lundensem Archiepiscopum. In cujus quoq; gratiam, ac decus suæ gentis, Historiam, quæ hodieq; est in manibus, Latinè contexuit. Unum optandum fuisset, si adjectâ annorum ærâ, lucem majorem rebus addidisset, & inductis quoq; ævi illius incerti ac vetustissimi nonnullis, quod ad libros præsertim primores attinet, historiam magis, quàm fabulas, quod ei Vives impingit, posteris tradidisset. Nam cætera sanè (licet & ista quibus tueatur, habet) ejusmodi sunt, quæ à legibus legitimæ Historiæ nihil abeant. Estq; egregium hoc pacto felicemq; rerum suarum præconem nactus Rex VValdemarus, eiq; proximus Absalon, qui haud satis existimarunt summa cum gloria, maximoq; patriæ emolumento, res præclaras perpetrasse, nisi earum quoq; egregium hunc scriptorem sibi familiarem reddidissent &c.*

Caspar Barthius, in Notis ad Claudianum, pag. 35: *Ita Saxo Grammaticus, Latinus & disertus Historiæ Danicæ conditor.*

Idem pag. 131: *Scitum etiam est illud Saxonis Grammatici, Historiæ Danicæ non adeò antiqui, sed mirùm quàm diserti & docti scriptoris.*

Idem pag. 436.: *Usus hoc verbo, etiam ævo extremo, Saxo Grammaticus, Danorum Historiæ auctor, ad priscorum multos politus.*

Idem Lib. XVII Adversariorum, Cap. IV: *Eodem usus verbo Sidonius Panegyrico Majorani: ---- Crassatur vertile tergum Flatibus. ---- & ævo ultimo scriptor admirandus, Saxo Grammaticus, Lib. 1. Daniæ suæ:*

Vertilis inq; novos converti cerea vultus.

Idem

Idem Lib. XXIV. Cap. VIII: *Conditore Annalium apud Danos suos Saxoni, cui Grammatico ab eruditione recondita receptum est nomen, suo ævo nihil sperari majus potuit. In summâ barbarie, in terrâ à cultu literarum tùm aversissimâ, Latinè, eleganter, eruditè scribit, citrà parem quidem omnia.*

Idem Lib. L. Cap. XII: Vetustatem *pro* Senectute *dixit Saxo Grammaticus, Danorum eloquens & eruditus Historicus, Lib.* XIII. *his elegantissimis versibus:* Ipse ego quàm noceat, didici, damnosa vetustas.

Idem Epidorpidum Lib. VIII. qui inscribitur Bibliotheca; Epigr. LXXXVII:

SAXO GRAMMATICUS

Adoptat huncce Phœbus ultimum natum,
Sed ingenI vigore nobilem in multis.

CAPUT XXI.

SAXOMASTIGES.

A conditis literarum monimentis nemo tàm felicis industriæ fuit, in quocunque studiorum genere, quin ejus scripta ac lucubrationes in varias reprehensiones incurrerent. Sic Homerus Zoilum, Virgilius Carbilium, Horatius Mævium, Demosthenes Demadem, Cicero Antonium, Herodotus Plutarchum, Josephus Egesippum, alij alios, suorum scriptorum habuerunt obtrectatores. Ità & Saxoni nostro sui no defuerunt vituperones, vitiligatores, iniqui Censores, & acerbi nimis Aristarchi, qui se adversus memoriam ac merita tanti scriptoris prorsus malignè atq; impudenter gesserunt. In his præcipui sunt:

Hieronymus Cardanus Lib. XVII. de Subtilitate: *Poterat sanè hujus inventi autor silentio præteriri, quandoquidem nesciam, an in illis totis tribus libris, quos de Occulta Philosophia conscripsit, quicquam aliud veri sit. Adeò illum insanisse, dùm hæc scriberet, existimo: longè magis, quàm in Danorum Historia, qui illam totam* (quod falsissimum est) *fabulis plenam conscripsit Saxo Grammaticus nescio quis.*

Ludovicus Vives, (cujus tamen de Saxone judicium cum temperamento mitioris censuræ conjunctum est) de tradendis disciplinis Lib. V. pag. 389 Edit. Colon. in 8: *Saxo Grammaticus de Danis ea scribit, quæ fabulositatem resipiunt, ut in admirationem aliarum gentium conficta credas. Sed mireris quoq; in illo seculo, atq; illa regione, verba & elegantiam dictionis. Fabulosa sunt magis quæ de Britanniæ originibus quidam est commentus, à Bruto illo Trojano deducens, qui nullus unquam fuit.*

Johannes Goropius Beccanus, acerrimus omnium & iniquissimus Saxomastix, Lib. 7, quem Goto-Danica vocat, Edit. Antuerpiensis, anni 1569 pag. 708. *Hactenus certe, quæ Saxo Grammaticus, & eum secuti, prodiderunt, pro vanissimis delirijs habeo: propterea quod nihil prorsus cum Græcis scriptoribus, & migrationum Germanicarum perpetua quadam successione, apud idoneos autores celebrata, consentiant, sed meras nugas, & vana somnia, & aniles fabulas, citra omnem & utilitatem & eruditionem, inculcent.*

Idem pag. 755: *Sed excusetur hic error* (Cranzij) *cum cæteris quàm plurimis, Saxonis Grammatici autoritate, quos ex cæco quodam amore deprompsit; nulla nec linguæ Cimbricæ, nec veterum Græcorum, è quibus Plinius suam Nerigon hausit, habita reverentia. Hos tamen potius ob insignem diligentiam & venerandam antiquitatem, & curiosam rerum externarum pervestigationem & sequi & interpretari, & si qua parte lapsi essent, adjuvare debuisset, quàm vanum illum fabulatorem, cujus historia minus habet, quàm Ariosti Orlandus, veritatis: similior certè veris Luciani narrationibus, & Apuleji milesiis fabulis, & Heliodori Æthiopicis, quàm veræ rerum gestarum expositioni.*

Hinc jam per aliquot paginas Saxonem ex professo refutare aggreditur. Longum nimis foret singula describere. Demum pag. 758: *Multas nugas me legere & audire memini: sed oderit me Mercurius, si unquam ullas frigidiores, quàm egregius hic historiæ scriptor contexuit, æstimarim, &c.*

Joannes Bodinus Methodi Historiarum Cap. IV. de Historicorum delectu, pag. 96: ubi de Procopio agit: *Quæ prodigia sapiunt Græcam vanitatem, & historicis non modò profanis, verùm etiàm Ecclesiasticis, fidem sæpè derogarunt. Plenus est ejusmodi fabulis Nicephorus Callistus, quibus etiam Zonaras, alioqui probatus Historicus, & Nicephorus Gregoras sæpè delectantur; ac interdùm Eusebius Cæsariensis. Talibus nugis referti sunt Antonini, Adonis, Saxonis Grammatici, Sigeberti, Freculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Urspergensis, Annonij, Turpini, Guagnini, ac veterum Annalium libri; quibus omninò carere non possumus, in eo genere tamen alij alijs longè præstant.*

Scripto-

Scriptores Centuriarum Magdeburgensium Centur. X. Cap. XIII. pag. 693: *Inter Metamorphoses Ovidij referri posset, quod Saxo Grammaticus de Urso nugatur, quem ait in agro Suetico virginem quandam rapuisse, & in latebris suis ejus concubitu usum esse. &c.*

Joannes Wierus de præstigiis Dæmonum Lib. III. Cap. XV: *Stulticia hæc phantastica ut omnium oculis evidentissimè pateat, ex Joanne Grammatico* (itâ perperàm Saxonem nostrum nominat) *asscribam bonâ fide Historiam, ab eo ut veram inter reliqua intextam: quam tamen merè mendacem, aut mendacijs egregiè excultam, (quod equidem cum docti alioqui viri venia dictum cupio) facilè is judicabit, qui ad rationis trutinam revocarit, num grato, imò virulento epuli gustu, rationis atq; eloquentiæ summum munus, ac manuum feliciter conserendarum donum consequi quis possit. Ità scribit Lib. V. Historiæ Danicæ &c.*

Et paulò post: *Mirandum interim summoperè, tàm manifesta mendacia à præclaris illis ingenijs inter res verè gestas describi citrà præmonitionem commenti alicubi lecti vel auditi: sic tutior earum foret lectio.*

Joannes Magnus, Archiepiscopus Upsalensis, Lib. IV. Cap. XXVII. Historiæ Gothorum Sveonumq;: *Neq; illud verum est, quod Saxo affirmat, hunc Ericum, primum ejus nominis Regem, Svecis præfuisse.* Et mox: *Præterea non satis probabilis videtur illa Saxonis assertio, quâ Frothoni centum septuaginta Reges subjectos commemorat.* Ubi ad oram Libri excusum extat: *Saxo multa falsa suis Historijs immiscuit.*

Idem Historiæ Lib. VIII. Cap. XXVII: *Albertus Crantzius circà hunc passum insurgens, queritur Saxonem Danicas Historias nimis mutilatas tradidisse. Quod etiam nulla ratione negari potest.*

Idem Historiæ Lib. XVII. Cap. I: *At de illa ingenti auri summa, quam Saxo in expiationem necis vulpeculæ à Sveonibus expositam fuisse affirmat, ità sentio, ut potius sileam, quàm me indigna respondeam.* Ubi simul ad marginem legitur: *Saxonis Danici in Sveones impostura.*

Janus Douza Annal. Holland. Lib. I. fol. 71: *Magnus certè apud me Albertus ille, industriæq; ac fidei præclarus inprimis; nisi quà Saxonis illius, non indiserti quidem, quantùm potuit in tali ævo, sed verò nimiùm fabulosi scriptoris, sequitur autoritatem.*

Cromerus Lib. I. Polonicæ Histor. Cap. IX. *Saxoni parum fidei habendum* dicit, *cum de re à sua memoriâ remotâ, nullo autore, scribat.*

Johannes Lampadius in Continuatione Mellificij Historici Pezeliani, Parte III, pag. 62: *De Saxone extat Cardani judicium de Subtilitate Lib. 17. ubi inquit: Cornelium Agrippam in libris de occulta Philosophia non minus delirasse, quàm Saxonem Grammaticum, qui historiam Danorum totam fabulis refertam condiderit. Alij Lucianicis figmentis similimam esse dicunt, quibus D. Chytræus astipulari videtur. Verùm ut, quod res est, aperiam, vera falsis misceri contendo.*

M. Jonas Jacobus Venusinus, Historicus quondam Regius, in Thesibus de Fabula, quæ pro Historia sæpissimè venditatur; Thesi LXXIV: *Cupimus autem nobis ignosci, si non omnia, quæ scriptis suis Saxo Longus, vel alius quispiam consignavit, approbemus. Quædam enim ejusmodi sunt, ut apertæ veritati vim faciant; quæ si pro veris acceptaremus, næ nos in Historiâ nihil vidisse videremur.*

Idem Thesi CXXXV: *Fatendum igitur Saxonem Scaldrorum carminibus & cantilenis nimiùm tribuisse: neq; opere suo Historico, quod pollicetur, fidelem veritatis noticiam posteritati reliquisse.*

Idem Thesi CLVI: *Hos ego Historicos majoris profectò fecero, quàm Saxonem nostrum, qui ex meris hominibus regum Danicorum genus diducit. Immò, quod opinor ex Noricorum antiquitatibus hausit, Regum haud paucos originem ex bellua quadam, Urso nimirùm, detexit. Notius est enim quàm cuperemus, enorme atq; infandum illud commentum de Urso, qui raptam virginem Norvegicam compresserit, quæ deinde, occiso marito, Trugillum peperit &c.*

M. Andreas Fossius, Episcopus quondam Bergensis, in Epistola ad M. Desiderium Fossium: *Saxo noster autores scriptoresvè exterarum Historiarum vel nullos, vel paucos admodùm evolvisse, fideliterq; legisse mihi videtur; licet Bedam, Dudonemq; atq; Paulum Diaconum citet. Verùm si vel eosdem, vel alios legit; eorum tamen Historias narratione inversâ nimis corrumpit: ut cuivis sagaci historiarum variarum indagatori, sivè πολυίστορι, facile est videre. Quid autem Saxonem moverit, ut id faceret, aliud haud video, nisi ut gentis suæ Danicæ gloriam, non autem rerum, temporum, personarumq;, & similium circumstantiarum historicas annotationes veritatemq; venaretur. Finis enim scriptionis Saxoni propositus fuisse videtur, non ut veritatem delitescentem è tenebris in lucem erueret: sed ut Danicam nostram gentem non simpliciter illustraret, sed & ut Danos suos rerum gestarum magnitudine (à se tamen in Antiquitatibus suis primis omninò conficta) omnibus alijs, etiàm illustrissimis, gentibus atq; nationibus vel pares, vel etiàm superiores, imò Heroas, & tantùm non Deos faceret. At longè modestiores sunt plerique scriptores Germani, Galli, Hispani, Ungari, Boemi, Poloni, Angli, mei quoq; Norvegij. Ij enim veris ut plurimùm contenti, quæ in regnorum suorum initijs incerta aut incognita sunt, intacta*

quoq;

quoq; relinquunt. At longè aliter fecisse mihi videtur noster Saxo. Et paulò pòst : *Nam & (ut ad Saxonem redeam,) est ubi suam is meretur laudem, veritatiq; ipsum satis consonare affirmavero : verùm id pro parte tantùm operis ipsius est. Atq; id in ultimâ saltim sui parte, qvantumq; ad 150 circiter annorum suo seculo proximum historias attinet, quas & dilucidè, & copiosè atq; verè conscripsit. At si 150 plus minus annorum antecedentium narrationes ab ipso conscriptas observes, pleraq; etiam illis vera scripsisse, in nonnullis verò etiàm hallucinatum fuisse deprehendo. Rursus 100 alios annos, qui prædictos antecedunt (nempè ab 800 ferè Christi, usq; ad 900 circiter) partim Historicâ, partim fabulosa falsáq; narratione persequitur. Reliqua verò ipsius (quæ vocatur) Historia, (a principio nempe regni Dan usq; ad 800 Christi annum, temporaq; Gottrici Regis) fabula potius Poësisq; est, quàm historia ; Saxoq; in ista sui parte (si non in universum) fabulator magis est quàm Historicus. Maximâ enim ex parte (si non in universum) Poëticam atq; à semet ipso confictam conscripsit Historiam à Dan usq; ad Gotricum, (quod tempus plusquam 2000 annorum complectitur) non aliter quàm olim Virgilius Æneæ, Didonis, Turni, Nisi, Evriali, Mezentij, cæterorumq; suæ Æneidos Heroum confictas à se fabulas, tanquam Historias, carmine celebrat. Quid enim, quæso, aliud est Saxonis Torkillus per mare, per terras, per saxa, per ignes suum Ugartilochum quæritans, quàm Æneas ad inferos descendens ? &c. Ut & innumera ejusmodi alia, quæ Saxo nobis pro Historijs venditat, cum tamen splendidissima sint mendacia, ipsiusq; Saxonis saltem commenta atq; somnia. Atq; breviter : Saxo est Oceanus fabularum, mendaciorumq; : imò mera continuaq; fabula totus ferè est à principio sui ad Gottricum usq; Regem. Et in tantâ sui parte, hoc est, 2000 circiter annorum descriptione non tantùm ut Poëtam, & non Historicum, ipsum reputo, sed & Poëtis ferè vaniorem. Poëtæ enim ut plurimùm veras Historias suarum commentationum fundamentum habent, easq; fabulosis involucris, figmentisq; suis, ad delectandum, interspergunt. At Saxo (meo judicio) nullam ferè habet veritati innitentem Historiam, antè annum Christi 800, aut circà id tempus. Id autem intelligi volo de Regibus ipsis, quos in Dania regnasse, his illisvè temporibus asserit ; deq; rebus illis gestis, quas ipsis, ex suis inventis, commentisq;, aut somnijs, Saxo affingit.*

CAPUT XXII.

Arngrimi Jonæ Islandi & Johannis Lyscandri Bramensis Censura & Judicium de Saxone Grammatico.

TAntùm non hos etiam Duumviros in numerum eorum, qui Saxoni nostro rigidi nimis Aristarchi contigerunt, retulissem, nisi si paulò mitiores, & non de industriâ, sed nonnihil invitos, ad eum accessisse carpendum, re diligentius pensiculatâ, animadvertissem. Hoc igitur loco seorsim ipsorum Censuram & Judicium de Saxone nostro commemorare & in medium producere placuit.

Arngrimus Jonas Islandus in Supplemento Historiæ Norvagicæ MS : *Quamvis autem viro de sua patria benè merito, Saxoni Grammatico, nihil derogatum velimus, ac nè contradictum quidem, (in gratiam scilicet celeberrimæ Danorum gentis) si id per rerum veritatem liceret : tamen causam non subesse putamus, nec videmus, cur à nostrarum Antiquitatum, quas benè multas ad manus habui, unanimi consensu discedamus ; idq; tantò minus, quod nullum occurrat uspiam, nè unum quidem, quod Saxonis narrationibus suffragetur, aut universali nostorum consensui, quoad rerum summam, contradicat ; cum ille tamen interim asserat, multa se à nostris mutuatum. Nihil hic necesse discrepantia loca, seu narrationes, producere, vel operosè recensere. Id enim ex ipsa Historiarum collatione cuivis obvium. Unum tamen aut alterum attingam. Lib. VII. Hist. Dan. Saxo commemorat Ringonem quendam, Inghaldi filium, qui Haraldum Hyldetand prælio victum occiderit. Ille autem Ringo Haraldi Hyldetandi victor, fuit Sigvardus Ring, Lodbrochi pater, nostris id passim asserentibus. Id quod etiam Saxo nobiscum fatetur imprudens, eodem nomine loci, in quo depugnatum est ; quem VVellejus Danicè vertit* Bravelse, *ut nos. Eundem hunc Sigvardum Ring affirmat Saxo natum patre Sigvardo quodam Norvego, Lib. IX : sed neutrum verum est. Etenim Sigvardus Ring, Lodbrochi pater, parentem habuit Randverum nomine, debellavitq; patruum Haraldum Hyldetand, in loco* Braffuelle. *Itaq; hic Saxonem sibi contrarium judico, eundem Ringonem nunc Inghaldi, nunc Sigvardi filium, statuentem. Similiter Lib. X. crassi deprehenduntur errores. Svenonem* Tiuffaesteg / *Regem Daniæ, ait natum Gyrithâ, filiâ Biórnonis, Sveciæ Regis ; cum is vilem ancillam Foci Baronis in Fionia, Aasam nomine, matrem habuerit. (Æquè autem veteres legitimos ac illegitimos plerumq; curabant filios, præcipuè si qui legitimos nullos reliquerunt, ut istius Svenonis pater Haraldus) Bjórno autem ille, quem Sveciæ Regem appellat Saxo, qui alios nostris* Styrbiorn/ *à turbis, dicitur, (* Styr *enim* tumultum *notat) quamvis regnum Sveciæ nunquam adeptus est, sed conatus sit patruo Erico illud vi eripere, Haraldi Gormonis, Regis Daniæ, patris Tiuffgeskeg, gener fuit, non socer, non multò post nuptias cæsus à patruo.*

Svenonis etiam prius conjugium cum Gunhilda, Vandalorum Regis Burislai filia, Saxo omisit; ex quâ Canutum Magnum & Haraldum suscepit; non autem ex posteriore conjugio cum Sigrida Storrada, Erici Victoriosi, Regis Sveciæ, relicta vidua, quæ cum marito adhuc vivo divortium illegitimum fecerat, quam Saxo male Gyritham. Ex hac Sveno, Rex Daniæ, Astridam, Svenonis Estritij, vel Astritij, matrem, qui & Ulfonis Regis Daniæ. Eodem quoq; libro non ritè asserit Saxo, Emmam Angliæ Reginam, ex Canuto Magno, Daniæ Rege, Eduardum suscepisse; quem illa ex Adelredo, priore marito, quem Canutus debellavit, susceperat. Id quod Vellejum non animadvertisse miror. Hactenus Arngrimus.

Johannes Lyscander Antiquitatum Danicarum Sermone VIII. pag. *69*: *De Gothico autem regno, rebusq; Gothicis, pauca nimis edita sunt, plurima & præcipua antiquorum negligentiâ intermissa, plurima incuriâ eorundem malè scripta.* Et cum unus sit Saxo Grammaticus, qui aliqua publicè reliquerit posteris, ex quo cæteri multa mutuò accipiunt; tamen ea ipsa in pluribus manca & imperfecta sunt. *In sermone summus ornatus est; ipsæ verò Antequitates minus diligenter investigatæ. Neq; qualis prima fuerit Aquilonarium populorum Politia, neq; quomodo regna enata sint, neq; qualiter eadem aucta & mutata sint, neq; migrationes populorum, neq; imperiorum conjunctiones, neq; temporum seriem uspiam exponit. Vix in toto opere Cimmeriorum aut Cimbrorum meminit, cum nemo unquàm benè & convenienter de populis Arctois disserat, qui non usq; ad Annum Christi tresentesimum nonagesimum quintum continuam Cimmeriorum, Dacorum, & Getarum mentionem faciat. Reges tantùm à Danao Baltheo, qui initijs Regnorum Cimmericorum annis mille recentior est, descendentes recenset, quod non potest perfectam historiam absolvere. Nec sanè videtur ille Vir animadvertisse ullam unquam fuisse regnorum Borealium constitutionem aliam, quàm quæ tùm fuit, cum in Dania viveret. Igitur de multis gentibus parùm prosperè docet, Sveonasq; & Gothos inter se confundit, quod non erat faciundum. Ita enim laus Cimmeriorum & Getarum diminuitur, primumq; exiguis, & his minoribus, adscribitur. Ea in Saxone observanda sunt; & potius tantum infortunium, Scriptorumq; penuriam Cimbricæ condolemus genti, quàm ut in aliquam, qui quod sibi possibile erat, præstitit, ferociter invehamus.*

CAPUT XXIII.

Breves ὑπερθεσίαι, sive Aphorismi Apologetici pro Saxone Grammatico.

TOtum accusationis negotium, quâ nobilissimum & planè incomparabilem rerum Danicarum scriptorem, Saxonem Grammaticum, tàm acriter & acerbè insectantur maligni ipsius Aristarchi & Censores; duabus potissimùm nititur criminationibus: quod *fabulas Historiæ suæ interseruerit*; &, *quòd Chronologiam neglexerit.* Quæ licet solidâ & prolixâ egeant refutatione; nè tamen vestibulum ipsis ædibus spatiosius hic exstruere videar, nevè longiore Procœmio Lectorem ad alia properantem plus justo diutius in ipso quasi limine morer ac detineam: paucis hisce Aphorismis Apologeticis, quæcunque ad *Saxo-μαστίγων* cavillationes breviter respondenda duxi, tanquam cancellis includam, & uno veluti fasciculo complectar.

I. Nequaquam diffiteri possumus, quin priores Saxonis libri Historiæ Danicæ, pauca admodùm repræsentent, quæ prodigiosa, abstrusa, miranda, imò fabulis propriora, quàm veris rerum gestarum narrationibus, videntur: constanter tamen negamus, ea omnia prorsus incredibilia, aut impossibilia, esse dicenda.

II. Multa enim fiunt, quæ fieri posse negantur. Idcircò non omnia pro fabulis censenda, quæ fidem veri excedere primâ fronte videntur.

III. Aureola prorsus in hanc sententiam verba sunt Philosophi Madaurensis, L. Apuleji, Lib. I. pag. 2. Edit. Colv: *Minus herculè calles, pravissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu nova, vel visu rudia, vel certè suprà captum cogitationis ardua videantur: quæ si paulò accuratius exploraris, non modò compertu evidentia, verùm etiam factu facilia senties.*

IV. Certè, sicut vetus & prima sapientiæ lex esse dicitur, NON TEMERE CREDERE: ita & culpâ non caret nimium obstinata ἀπιστία, præsertim quæ sine discrimine passim rejicit & ἀδιακρίτως repudiat omnia illa, quæ in Historijs falsa aut fabulosa apparent, sub quibus tamen multa delitescunt vera.

V. Elegans hac de re locus est eminentissimi JCti, Francisci Baldvini, de Institutione Historiæ Universæ pag. 49. & *50*: *In lectione*, inquit, *Historiarum adhibere oportet judicium & delectum, ut neq; confusè (quod quidam faciunt) vera cum falsis repudiemus; neq; rursus temerè falsa cum veris complectamur. Nam sicut fatua & temeraria est nimia & facilis credulitas: ita est etiam quædam nimium morosa, nimiumq; diffidens ἀπιστία. Quæ quidem nisi facessat, nullum ulli Histo-*

Historiæ locum relinquet. Et verò non ingenui, sed impudentis atq; præfracti hominis est, etsi quid probabiliter dicatur, quod & gravem autorem testemq; habeat, tamen id contumaciter, tanquàm falsum, repudiare; cum quidem, neq; quod affirmatur, refellere, neq; cur illud repudiet, causam dicere possit. Quid pluribus opus est? Illud semper teneamus, & perpetuò meminerimus, nos in lectione Historiarum esse debere, quales ab Aristotele esse dicuntur, qui neq; pueri, neq; senes sunt, qui, inquam, ad credendum neq; nimium faciles, neq; nimium difficiles sunt: οὔτε, inquit, πᾶσι πιςεύοντες, οὔτε πᾶσιν ἀπιςοῦντες.

VI. Rectissimè igitur Philostratus lucrum esse putavit, neq; omnibus fidem adhibere, quæ ab Historicis proferuntur, neq; omnia, tanquam impossibilia, aspernari.

VII. Et singularem meretur observationem regula Clarissimi Historici, Bonfinij, Decad. IV. rerum Ungar. Lib. IV: *Quodcunque fieri potest, & per-quàm verisimile est, à veritate non potest esse alienum.*

VIII. Audiamus, quæso, Doctissimum Virum, Fridericum Tilemannum, de fabulosis non temerè rejiciendis, sed cautè discernendis, egregiè differentem Discursus Philologici pag. 258, & sequ: *Fabulositatis averruncandæ prima cura esse debet, ut constanter nobis persvadeamus, PLURIMA VIDERI INCREDIBILIA, QUÆ CERTISSIME CONTIGERUNT. Idq; scriptores historici haud rarò profitentur. Ea nos fecimus, ait Plinius, quæ posteri fabulosa arbitrabuntur. Quæ loquendi formula apud Livium, Josephum, & cæteros, sæpè multumq; occurrit, ac hortatur omnem Lectorem, nè nimiùm incredulus judicio suo indulgeat, verùm rectissimâ sententiâ statuat, PLURA OLIM EVENISSE, QUAM QUÆ HODIE CREDIBILIA VIDENTUR. Neq; convenit illa ἀπίςως ἔχειν, ut loquitur eadem phrasi Pausanias in Bœoticis; sed à veteribus tradita ἱςορικῶς dijudicare convenientissimum est. Nonnè in omnibus disciplinis frequentissimè compertum est, quod penitissima illarum adyta imperiti tanquàm absurda rejiciant ac rideant? Imò, quod majus est, quotidiana, omniumq; sensibus obvia, non aliter ac si ἄδοξα essent, docti aspernantur.* Hinc recitat exempla quædam Geometrica & Astronomica, atq; ità demùm concludit: *Itaq; ex his, & alijs quamplurimis, aptè & conclusè definiemus, nihil mirum accidere, si in historicis narrationibus fabulosa putamus, quæ per se verissima sunt, quia idem accidere in omnibus disciplinis manifestissimum apparet.* Mox subjungit: *Quis Æthiopas, antequam cerneret, credidit? aut quid non miraculo est, cum primùm in noticiam venit? quàm multa fieri non posse, priusquam sint facta, judicantur?* ut habent verba Plinij Lib. VII. Natural. Histor. Cap. I. *Videlicet, quæ non vidimus ipsi, nec fieri potuisse suspicamur. Idemq; est, si quæ coràm intuemur, veterum historicorum traditis dissidere animadvertimus, mox omne judicium præcipitamus, & scriptores falsitatis* damnamus. Et post pauca: *Quod si ergò lector historiarum ad prædictum modum incredulus est, & quæ non videt esse, ea non fuisse concludit; næ ille vitiosè allucinatur, & stupidus merito suo redarguitur. Imperitiam quoq; ejusdem nonnunquam subaccusare, non de nihilo est. Reperiuntur enim, qui τὰ ἱςορικὰ judicaturi, judicium suum, vel si mavis, imperitiam suam maximis rebus dijudicandis facillimè sufficere putant, & quæcunque suo malesano cerebro nequeunt complecti, aut discernere, illa tanquàm fabulosa insectantur.* Sequuntur deinceps multa lectu dignissima, quæ brevitatis causâ silentio transmittere cogor. Tandem ità definit: *Hactenus allata satis evincunt, quod diligentes historici, & imperiti rerum censores, inter se sordeant alteris; ut pernecessarium sit, ad res dijudicandas adhibuisse non quodlibet atq; vulgare judicium, (hoc enim sæpius fallere certum est) sed judicium exactum Theologi ad explicandam divinam historiam, Physici ad naturalem, Politici ad humanam rectè censendam, adhibeatur oportet, siquidem omnem fabulositatis suspicionem cupimus extirpatam.* Hactenus Tilemannus.

IX. Inprimis verò id nescire non debent rigidi Saxonis Aristarchi, leviculâ temporum, locorum, personarum disparitate gravissima momenta maximarum rerum converti.

X. Circumstantiæ etenim variant actiones, quæ propterea in lectione Historiarum diligenter sunt considerandæ, utpote quæ historicam veritatem prorsus absolvunt.

XI. Sic illa, quæ apud Saxonem fabulosa videntur, si ad normam & trutinam circumstantiarum examinentur, non adeò absurda, incerta, & suspecta ijs erunt, qui æquo expendunt judicio, ad quæ tempora, loca, personas, ea sint referenda.

XII. Tempus quod attinet, in confesso est, Saxonem Grammaticum ab ultimâ antiquitate, rebusq; à sua memoriâ longissimè remotis, Historiæ suæ initia deduxisse.

XIII. At de Antiquitate, hæ tenendæ sunt regulæ:

1. In rebus antiquis, si quæ similia veri sunt, pro veris accipienda. Livius Lib. 5. Decad. 1.
2. Plura olim evenerunt, quàm quæ hodie credibilia videntur.
3. Antiqua nequaquam ex ijs, quæ jam geruntur, sunt examinanda; quippe omnia temporum vicissitudinibus subjacent. Diod. Sicul. Lib. 4. Cap. 2.

4. Moribus etiam nostris, tempora ac ingenia cultiora sortitis, multa antiqua abhorrent. Q. Curtius Lib. 7.

XIV. Nec humanis lectoribus mirum erit, magnam Diabolo fuisse potentiam in filios incredulitatis, multasq; ejus auditas & visas esse illusiones, ijs potissimum temporibus, quibus populus Borealis in tenebris sedebat, & sine luce veritatis cælestis, ab Otthino, Thorone, Frigga, Metotthino, Baldero, alijsq; impostoribus deceptus ambulabat.

XV. Quamobrem ad hæc tempora sunt referenda, quæ hinc inde in Saxone occurrunt varia incantationum & præstigiarum Magicarum exempla, queîs miseras mortalium mentes densissimis errorum tenebris obrutas & occæcatas, sic permittente Deo, vel ipse Sathanas, vel per organa sua, potenter ludificabat.

XVI. Deinde varius cultus, habitus, & situs locorum, summam conciliant rebus gestis varietatem.

XVII. Unde multa in Islandia, & in regionibus Boream spectantibus vera esse possunt, quæ Indiam utramque, vel Thraciam, aut Italiam incolentibus falsa & absurda omnino videbuntur.

XVIII. Varia deniq; hominum ingenia, mores, conditiones, dotes animi & corporis, qualitates & affectiones, rerum gestarum narrationibus veritatem sæpius addunt vel adimunt.

XIX. Ita inconsiderantiam suam atq; imperitiam manifestè prodit, si quis de ijs dubitaverit, quæ à Starchatero, Hartbeno, alijsq; Gigantibus, & monstrosæ staturæ, stupendiq; roboris ac fortitudinis hominibus, quorum subinde mentionem injicit Saxo, olim sunt patrata admiratione dignissima: vel si ea falsa & fabulosa pronunciaverit, quod ejusmodi rebus gerendis nequiquam sufficiant.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

XX. Adde quod in nonnullis, quæ apud Saxonem fabulosa videntur, mirari liceat immensam summi Numinis omnipotentiam, providentiam, & sapientiam, & quæ indè emanat, Naturæ imperscrutabilem vim atq; *ἐνέργειαν*.

XXI. Unde tale emergit Axioma Historicum: NON OMNIA, QUÆ NOBIS INCREDIBILIA, DEO ET NATURÆ SUNT IMPOSSIBILIA.

XXII. Sed esto! Concedamus fabulas nonnullas inseruisse Saxonem Historiæ suæ, quas tamen non ipse studiosè, fallendi aut delectandi lectoris gratiâ, effinxit; verùm ex antiquissimis Septentrionalium gentium monumentis, bonâ fide, deprompsit. Sed quales? Haud equidem planè falsas, aut eas, quæ meræ nugæ & φλυαρίαι dici poterunt: at maximam partem VERISIMILES, & quæ totæ ἀλληγορούμεναι, hoc est, quæ vel ad vitam rectè informandam, vel ad naturam rerum cognoscendam comparatæ sunt, vel etiam sacra quædam mysteria occultant.

XXIII. Talis videri poterit narratio illa Saxonis de Gormone Daniæ Rege, qui Torchillum Adelfar ad inquirendam Geruthi Dæmonis sedem ablegaverat. Hæc etenim ostendit virtutem, fortitudinem, & industriam Regis in novis regionibus inquirendis, quod illo tempore insolitum fuit: demonstrat fidelitatem ministrorum tot tantisq; se periculis committentium amore Regis & patriæ illustrandæ: aperit detestabilem religionis Ethnicæ fœditatem; quæ circà tàm impuras & portentosas occupationes distinebatur: extollit laudabilia opera, & peracre, solers, atq; acutum ingenium Torchilli rerum exterarum peritissimi: cujus tamen seriæ ac salutares admonitiones cum parùm valerent apud stupidos & intemperantes comites ad deserendam gentilem religionem, opere ipso demonstravit, de Deo aliter esse sentiendum: monstrosum cultum Diaboli miseros conjicere admiratores in tristes tenebras & perpetuò duratura incendia; contrà, veri numinis, ac universi Creatoris cultum, cum summa conjunctum esse securitate, felicitate, & demùm æternâ beatitudine.

XXIV. Quòd autem liceat ejusmodi fabulas Historijs interdum (sed admodùm parcè, cautè, & prudenter) immiscere, præsertim quod & ad vitæ morumq; honestatem faciant, & lectorem sapientiorem melioremq; reddant, & sapientum animos svavissimâ jucunditate afficiant; non desunt, qui magnorum Historicorum exemplo & autoritate adducti, seriò contendunt.

XXV. Quos inter Hier. Cardanus est, cujus hæc verba legere est Lib. 15. de rerum varietate Cap. 80: *Neq; id vitiosum Historico: sed ubi Historia per se sterilis est, licet eam jocis ac fabulis exornare. Quamobrem & jure ab his T. Livius abstinuit, & Herodotus justè damnatur, & Saxo Grammaticus laudatur.*

XXVI. At

XXVI. *At objiciat mihi aliquis ista:* (inquit Joachimus Camerarius Procœm. in Herodotum) *incorruptam, sanctam, castam, ut virginem, debere esse historiam. Non corrumpunt* (scilicet fabulosæ narrationes; de ijs etenim hæc præcesserunt: *Sed paulùm etiàm ad fabulas illas revertamur; quæ, obsecro, cur offendant animum cujusquam, qvum veritati & integritati historiæ minimè officiant?*) *non violant hæ illam, sed EXORNANT, ut aurum & gemmæ pudicissimarum quoq; corpora, purissima illa quidem. Nam ut malæ & profligati pudoris fœminæ insigniorem reddunt comptu turpitudinem suam: ità, quamvis varia copiosaq; sit quasi emblematis quibusdam, summa historiæ falsa & commentitia, meritò in sua hæc infamia quasi superba improbetur. Itaq; non inornatam, non nudam, non contractam, sed splendidam, vestitam, explicatam (dummodò integram, & ut ita dicam, probam & incorruptam) decet esse historiam.*

XXVII. Notatu sanè dignissima sunt, & apprimè huc etiàm faciunt, quæ de fabulosis apud Herodotum narrationibus idem Camerarius paulo ante præmisit: *Nonnulli fabulosas quasdam narratiunculas insertas passim historiæ, ut hujus gravitate indignas, rejiciunt, & propter illas autorem mendacij damnant. Sed de ijs quæ memorantur ab Herodoto propter magnitudinem nobis incredibilia, periniqvum fuerit judicium, si non vera esse ideò statuemus, quod notis cuique rebus, moribus, disciplinæ non similia, neq; rationibus nostris congruentia esse videantur, siq;, nonnisi ijs, quæ facilè intelligere & animo complecti possimus, fidem habendam esse ducemus. Quàm multa illi ipsi, qui hæc antiquiora falsa fictaq; esse affirmare audent; se vidisse referunt, & pro certis commemorant, à quibus assensio legentium refugit? Etiàm posteris hoc nostris accidet, ut multa, quæ nunc nimis verè fiunt atq; geruntur, expositione inflata & amplificata esse suspicentur. Sunt sanè quædam inaniora (non enim nego) in talibus, ut in peregrinatorum, qui adière illa loca, quæ tellus extrema refuso summovet Oceano, sermonibus. Cujus inhumanitatis tamen fuerit, universum genus narrationum istarum semel abjicere, ut futile & vanum? Quod si fiat, omnem historiæ rationem confundi, habitumq; perverti necesse est.*

XXVIII. Et paucis interjectis: *Sunt autem hæc* (quæ fabulosa videntur apud Herodotum) *etiàm distinguenda. Alia enim ad utilitatem aliquam legentium, vel explicationem eorum, de quibus narratio fit, referuntur atq; pertinent: ut Babylonis descriptio, & copiarum Xerxis enumeratio, de quorum altero facilè perspiceretur, meritò fuisse securos cives in tali & ita munita urbe: alterum & potentiam regni Asiatici, & in quod tùm periculum Græcia venerit, demonstrat. Utrumque autem documentum quoddam dat, nullas, quamvis magnas, vires, infractas, neq; opes invictas esse. In alijs nihil quæritur, nisi vel delectatio, vel ut audientium animi moveantur novâ mirabiliq; narratione: ut de gryphibus, formicis Indicis, Phœnice, & his similibus. Horum, ut illa omni equidem mendacij crimine planè libero; ita haud facilè concessero, in horum ullo mendacij manifesti autorem redarguendum esse: quum tot derisa quondam, & exibilata, penè jam comperta esse existimentur; qvumq; non minus istis à veritate abhorrentia multa asseverentur ab ijs, qui non audivisse de alijs, sed seipsos aspexisse dictitent; ut nihil sit tàm absurdum, quin fidem reperire posse videatur.*

XXIX. Statim subjungit: *Ob fabulosas quidem narratiunculas, tantum abest ut quasi mendacem incessi vituperariq; autorem hunc (Herodotum) debere putem, ut etiàm, qvum & aptissimè illas inseruerit, & bellissimè concinnarit, & venustissimè composuerit, admirandus: qvumq; instructionem in singulis aliquam vitæ, consiliorum, actionum, comprehenderit, eximiam gratiam quoq; ab omnibus meritus esse videatur.*

XXX. Idem de Saxone cujusvis candidi ac prudentis lectoris esse debet judicium; eum videlicet, non ideò carpendum, vellicandum, lacerandum venenatis calumnijs, quod fabulosas quasdam narratiunculas, quomodo à majoribus accepit, quæ tamen admodum paucæ sunt, & ipsi historiæ valdè affines, Historiæ suæ inserere non dubitaverit.

XXXI. Verè & eleganter, ut omnia, Gerardus Joannes Vossius, seculi nostri Varro, causam expressit, cur ignosci debeat Historicis, si veritatis lineâ excidant, inprimis in rebus vetustis, aureo illo libello de Arte Historica, Cap. IX: *Quæcunque de historicis diximus, ità accipi debent, ut eos etiàm homines esse cogitemus, nec statim respuamus, si uspiam aliquid se immisecat falsi. Nam ut pauxillum aquæ marinæ, non dico Eridanum, aut Rhenum, sed ne fluentum quidem, salsum efficere potest: ITA NEC HISTORIA MENDAX dici debet, CUI FABULOSI ALIQUID IRREPSERIT. Imò nec fieri potest, ut non interdum fallamur in ijs, quæ longissimè à memoria nostra sunt remota, præsertim in exterarum gentium rebus. Ubique enim de patriâ quædam per manus incolæ à majoribus acceperunt, quæ & posteris suis ipsi tradunt: horum qui antiquitates scribere velit, haud aliter ea referre possit, quàm ab incolis ipsis acceperit. Ac eam quidem causam adfert Dionys. Halicarnass. cur historici veteres fabulosa quædam scriptis suis inserere haud dubitarint. &c.*

XXXII. Cum eo consentit doctissimus JCtus, Franciscus Baldvinus, de Institutione Historiæ universæ pag. 43. 44: *Atqui audio vix ullam historiam esse, cui non aliqua fabula, tanquam labes aspersa sit. Ità est fortasse. Sed aliud est, fabulam studiose fingere: aliud, historiæ per imprudentiam aliquid interdum affingere. Non erubuit olim Flavius Vopiscus, cum historiam alioqui scribere in-*

stitueret, confiteri, nullum historiæ scriptorem esse, qui non sit aliquid mentitus. Sed minimè nos abduci propterea ab omnium scriptis debere, judicavit. Fieri profectò vix potest, quin aliquid falsi aliquando in historiarum monumenta irrepat. Sed nimis illi, non jam dico morosi, sed importuni & intemperantes Censores sunt, qui statim atq; quippiam ejus generis in aliquo scriptore notare possunt, totum scriptorem superbè ac fastidiosè abjiciunt, vel contumeliosè lacerant, non secus atq; qui cum aliquem in pulchro alioqui corpore nævum deprehenderunt, totum illud corpus tanquam deforme & fœdum cadaver conspuunt, sepeliendumq; & obruendum esse impotenter clamitant. Atqui si agere ita velimus, ecquam tandem historiam habebimus reliquam? Notate diligenter hæc verba, ô Saxomastiges, & erubescite!

XXXIII. Sapienter profectò & graviter Cicero monet, non statim propter aliquod vitium abjiciendos esse historicos. Quis, (inquit) non dixit Eupolin ab Alcibiade navigante in Siciliam, dejectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes. Adfert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum Locris leges scripsisse non dixit? Num igitur jacet Theophrastus, si id à Timæo tuo familiari reprehensum est? Timæum negasse ullum unquam fuisse Zaleucum: sed Theophrastum, auctorem meliorem, contrà affirmare, ait libro II de Legibus. Non rectè ergo Theophrastus à Timæo reprehensus erat. Sed fingamus eum, & merito, aliquâ in re esse reprehensum, & aliquando falsum esse atq; fefellisse; tamen negat Cicero propterea abjiciendum planè esse. Cur enim reliqua, quæ bona sunt, amitteremus?

XXXIV. Idem Cicero eodem libr. 1. de Legibus, Herodotum vocat patrem historiarum. Atqui libro 2. de Oratore, non negare videtur, multas apud eum esse fabulas. Sed nimis profectò intemperanter sæviunt, qui illius libros & Musas eo nomine supprimere vellent. Nam quales tenebras, hoc lumine extincto, antiquissimis historijs offunderent? Imò vero quàm atrocem injuriam facerent historiæ Propheticæ, cum quâ Herodotus habet communia plura, quàm ullus scriptor Ethnicus?

XXXV. Haud igitur temerè abjiciendus est Historicus, si quædam in eo reperiantur peccata & παρόραματα: sed simul considerandum, quàm multa recta, præclara, eximia, & utilia in historiam retulerit; & saltem propter illa amplectendus & in numerum probatorum scriptorum recipiendus erit. Id quod de Saxone nostro dictum cupimus: qui licet quasdam narrationes, ab alijs acceptas, recitet, fabulis non absimiles; totum tamen Historiæ corpus singulari fide, & diligenti veritatis studio coagmentatum est.

XXXVI. Ut verba conferam ad compendium, si propter paucas admodùm narratiunculas, quæ fabulosæ videntur, atro carbone notandus ac rejiciendus Saxo: profectò eodem exemplo non pauci Historici tàm veteris, quàm medij & inferioris ævi, planè conculcandi sunt penitusq; jugulandi.

XXXVII. Herodotum, antiquissimum scriptorem, omnis antiquitas mendacij coarguit. Julianus Desertor λογοποιὸν vocavit, quasi fabulas fecerit, non historiam condiderit: qua ratione & ab Agellio, Lib. 3. Cap. 10. audit homo fabulator.

XXXVIII. Ex libris XL Diodori Siculi, quorum vix duodecim integros habemus, quinque priores pænè ex fabulis conflati videntur, ut Lud. Vives nihil eo scriptore nugacius esse putet: tametsi primus est inter Græcos, qui Plinij judicio nugari desijt.

XXXIX. Plutarchus sæpè incredibilia & planè fabulosa narrat: licet utatur verbo φασὶ, nè quis temerè assentiatur. Ut in Licurgo scribit puerum Lacedæmonium crudelissimam lacerationem ad necem usq; pertulisse, ne vulpis furtum detegeretur.

XL. Cæsar ipse prodigia interdum planè incredibilia narrat; ut cum bello civili Tralibus statuas sudasse scribit.

XLI. In quo genere T. Livius, nimis religiosè dicam, an superstitiosè, omnes superavit. Nihil enim frequentius, quàm boves loqvutos, scipiones arsisse, statuas sudasse, quod pluvio cælo frequenter accidit: Deum Annibali apparuisse, infantem semestrem triumphum clamasse &c.

XLII. Cornelium Tacitum, Tertullianus, gravis & severus scriptor, dixit aliquando, esse mendaciorum loquacissimum: Orosius adulatorem appellavit.

XLIII. Quid dicam de Diodoro, de Strabone, de Trogo vel Justino, clarissimis historicis? Quid illi de Mose, deq; Judæis? Quàm ineptè, quàm falsò, quàm impudenter!

XLIV. Procopius sæpè commemorat, quæ omnium fidem superant. Ità cineres Vesuvij montis, qui citrà Neapolim situs est, Byzantium usq; vento delatos scribit. Sic finxit unum aliquem Isaurum, vel Thracem suâ sagittâ fugasse universum Gothorum exercitum.

XLV. Ple-

XLV. Plenus eſt ejusmodi fabulis Nicephorus Calliſtus; quibus etiam Zonaras, alioqui probatus Hiſtoricus; & Nicephorus Gregoras ſæpè delectantur; ac interdum Evſebius Cæſarienſis.

XLVI. Talibus etiam nugis referti ſunt Antonini, Adonis, Sigeberti, Freculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Ursbergenſis, Annonij, Turpini, Gvagnini, ac veterum Annalium Libri.

XLVII. Hiſtorias itidem portentis ac miraculis refertas ſcripſerunt Gregorius Turonenſium, & Gulielmus Tyri Pontifex.

XLVIII. Paulus Venetus (ut ad ſecula nobis propiora deſcendamus) de Tartarorum geſtis exigua, ſed fabulis confuſa, compoſuit: cujusmodi ſunt, quod mare Caſpium piſcibus ſemper vacuum ſit, præterquam jejunij temporibus: quod urbis Quinſeæ ambitus ſuperat milliaria ſeptuaginta: quod eadem duodecim millia pontium habeat, tantæ altitudinis, ut naves onerarias explicatis velis facilè admittant. &c.

XLIX. Paulus Jovius, quæ veriſſimè ſcribere potuit, noluit; puta res in Italia geſtas: quæ voluit, non potuit; ſcilicet externa. Quàm vera ſunt illa, quæ ipſe affirmat, ducentos amplius leones à Muleaſſe interfectos: ex agro Brixiano ſexcenta millia minoris pecoris, majoris vero ducenta millia à Gallis abducta.

L. Petrus Bembus multa falſa pro veris tradere convincitur: ut cum ſcribat in Apulia, bello Veneto, corvos ac vultures tanta ex aëre vi, tantisq; agminibus inter ſe conflixiſſe, ut carri duodecim eorum cadaveribus explerentur.

LI. Quid multis? Actum eſt de præcipuis omnium ferè ſeculorum hiſtoricis, ſi propter paucas narratiunculas fabuloſas, hiſtorijs, varijs de cauſis, admixtas, rejiciendi ſint, & contemptim ac negligenter habendi.

LII. Sin autem retinendi, & eo, in quo hodieq; ſunt, pretio æſtimandi, profectò non video, cur eodem jure Saxonem noſtrum æquus & candidus rerum æſtimator privaverit.

LIII. Heic jam manum de tabula, ut eſt in proverbio; niſi ſi unicum etiamnum crimen, meo judicio graviſſimum, cujus Saxonem reum faciunt maligni quidam Cenſores, refellendum nobis ac refutandum ſupereſſet: quòd omnia, quæ apud Saxonem fabuloſa videntur, ab ipſo ſint, decipiendi lectoris gratiâ, ſtudiosè conficta; vel ut ipſorum verba habent, quod ipſius ſint mendacia, figmenta, inventa, ſomnia, commenta &c.

LIV. Sed facilis & in expedito eſt reſponſio. Nonne ipſe Saxo, nè fucum facere aut Lectori imponere videatur, fabulasvè pro veris narrationibus de induſtria venditare; in Præfatione Operis ſui ad Andream Sunonis, ingenuè fatetur, & longâ ſerie recenſet omnia documenta, quæ in contexenda hiſtoria Danicâ ſeqvutus ſit: videlicet 1. Carmina patrij ſermonis à Danorum antiquioribus vulgata. 2. Inſcriptiones veteres hinc inde in ſaxis ac rupibus repertas. 3. Iſlandorum (quos ille ſuo more & loquendi modo *Thylenſes* vocat) Antiquitates. 4. Abſalonis Archiepiſcopi aſſerta & narrationes. Et rationem addit: *Quia præſens opus non nugacem ſermonis luculentiam, ſed fidelem vetuſtatis noticiam pollicetur.*

LV. Carmina quod attinet, (id verò antiquiſſimum fuiſſe Annalium genus tàm apud Romanos, Gallos, Germanos, Britannos, quàm Danos, & alias nationes, nemò adeò hoſpes in hiſtoria eſt, qui ignorat) non ea fuerunt frivola ac futilia τερετίσματα, à quovis Poetaſtro ſive Rhythmiſta, à quavis anicula, vel tibicine decantata: ſed potius Odæ Rhythmicæ, juxtà leges veterum Poëtarum, concinnè & artificiosè compoſitæ & elaboratæ à viris Danicæ Poëſeos peritiſſimis, quos *Scaldros* & *Runas* appellarunt, complectentes res ſui ſeculi præclaras & memoria digniſſimas.

LVI. Hi etenim SCALDRI, graves & magnâ autoritate viri, fortium Heroum res præclarè geſtas rhythmis ejusmodi Poëticis conſignarunt: eoq; loco apud Reges ac principes antiquitus fuerunt, quò jam conſiliarij, literati, alijq; prudentiâ ac rerum uſu præſtantes. Nam quò quis laudis & æternitatis amore ardentius flagrabat, eò plures ac præſtantiores in hoc genere ſibi devinxit, ſecumq; domi foriſq; tàm pacis, quàm belli tempore circumduxit, ut res geſtæ melius, aptius, ac illuſtrius deſcribi ac delineari ab illis poſſent.

LVII. Interdum tamen hi ipſi Scaldri aliquid humani patiebantur. Nam vel principum metu territi, vel præmio corrupti, vel odio aut gratiâ diſtracti, veritatem apertam in lucem proferre, diſertisq; verbis exprimere nolebant, verùm fabularum involucris & obſcuris figmentorum integumentis res verè geſtas occultabant. Et hic fons atq; origo eſt unius aut alterius fabuloſæ narrationis, quam fortean in Saxone reperire licebit. Maluit etenim Saxo narrationes ejusmodi, quomodo à majoribus acceperat, ità ad poſteritatis noticiam transmittere, quàm committere, ut eas penitus ignoraret.

LVIII. Sic narratio ista Lib. X. Saxonis, de urso, qui vitium virgini attulerit, nihil aliud innuit, quàm raptorem & insidiatorem, ursi, seu Björnonis nomine. Fuit etenim hic ursus, latro aliquis nobilis, qui id facinus perpetravit: postea hoc seclus Poetæ tali modo pinxerunt, & cum Saxone ut loquar, colorarunt, cum autorem potentem aperte non auderent reprehendere.

LIX. Islandorum monumenta, quibus usus est Saxo, præter Scaldrorum carmina, quorum paulò aute facta est mentio, constabant partim varijs Mythologijs, partim varijs & integris Historijs in certa volumina redactis. Cunctarum quippe nationum res gestas cognosse memoriæq; mandare, voluptatis loco reputarunt Islandi; non minoris gloriæ judicantes alienas virtutes disserere, quàm proprias exhibere; ut Saxo ait in Præfatione.

LX. Mythologijs ut apud alias gentes, sic & Islandos, veteres sapientes vel deorum gentilium mysteria, vel arcana naturæ, vel philosophiæ dogmata, vel aliarum rerum vitæ humanæ necessariarum scientias comprehendere solebant.

LXI. Tales Mythologias abundè suppeditat Liber veteri Islandica linguâ à Snorrone Sturlæsonio, Islandiæ Nomophylace, circà Annum Christi M.CC.XV, conscriptus, qui EDDA vulgò dicitur, variarum Antiquitatum penu instructissimum. Quâ tamen longè antiquiorem EDDAM in Islandia extitisse ipsi non diffitentur Islandi, eamq; Otthino autori ascribunt.

LXII. Deindè (ut porrò ad criminationem superius allatam respondeam) nè Saxo falsa & fabulosa pro veris obtrudendo ignarum incautumq; lectorem circumveniat, quàm verecundè fabulosa commemorat, quoties, ad exemplum Herodoti, fidem suam in his liberat; quàm crebrâ utitur præmonitione!

LXIII. Herodotus enim, ne quis simplicior decipiatur, addit semper hujusmodi quiddam; *Ut ferunt, Ut ego audivi, Quod veri mihi quidem simile non fit.* In Polymnia verò, quod meminisse in tota historiâ vult lectorem, *Ego,* inquit, *quæ fando cognovi, exponere narratione mea debeo omnia: credere autem esse vera omnia, non debeo.*

LXIV. Ità & Saxo, si quid fabulosi, aut incerti, subindè occurrat, candidè præmunit. Sic mox sub initium Libri 1, pag. 5: *Verùm à Dan (ut fert antiquitas) regum nostrorum stemmata &c profluxerunt.* Eodem Libro pag. 10. in vita Svibdageri, cum de Magis Danorum operosius egisset, tandem subjicit: *Hæc idcircò tetigerim, nè cum præstigia portentavè perscripsero, lectoris incredula refragetur opinio.* Lib. VI. pag. 97. ubi agit de cane Bjornonis, inusitatæ ferocitatis bellua: *Sed quoniam tradita magis, quàm cognita referuntur, fidem arbiter penset. Hæc siquidem, ut accepi, deliciarum quondam loco habita.* Eodem Libro, pag. 103. de ortu & origine Starchateri: *Fabulosa autem & vulgaris opinio quædam super ipsius ortu rationi inconsentanea, atq; à veri fide penitus aliena confinxit.* Eodem libro, pag. 110: *Si famæ credi fas est.* Et pag. seqv: de saxi cavâ superficie, ac si illam Starchateri decubantis moles conspicuâ corporis impressione signasset: *Ego autem hanc imaginem humanâ arte elaboratam reor; cum veri fidem excedere videatur, insecabilem petræ duritiam ità ceræ mollitiem imitari potuisse, ut solo innitentis contactu sessionis speciem repræsentaret, habitumq; perpetuæ concavitatis indueret.* & id genus alia passim per totum Opus.

LXV. Venio nunc ad alteram criminationum partem, de Chronologia neglecta. Optandum equidem esset temporum seriem expressam fuisse à Saxone, ut minus obnoxius esset cavillationibus adversariorum. At quomodo Saxo annos & tempora assignare potuit rebus obscuri & incerti ævi, & à sua memoria longissimè remotis? Deindè arbitror illum exiguam temporum rationem habuisse, quia non adeò usitatum fuit illo tempore, & antè, tempora consignare: vel quia difficile esset, quòd certas non haberent Epochas, à quibus numerarent Ethnici, præsertim nostrates, qui ignorarunt Græcorum Olympiadas, aut aliarum nationum Chronologias. Ideò Saxo illa præterijt, contentus mentione vicinorum Regum, Principum, Ducum & fortium virorum; qui cum ex se essent celebres, Æram videbantur constituere peculiarem. Verbi gratia: Gotrici Danorum Regis tempora à Carolo Magno sunt perspicua: Hemmingi, à pace cum Ludovico Cæsare initâ: & Haraldi, qui ab eo ad fidem Christianam conversus: Haraldi itidem, ab Otthone, à quo Ottesund.

LXVI. Sic olim, qui tempore Herculis vixerunt, illum ceu metam habuerunt, ad quam Antecessores & posteri limitari poterant. Quem morem sequitur etiam Plutarchus in Vitis illustrium virorum, à Theseo, Lycurgo, Romulo, Numa, ad Ottonem Imperatorem. Cum enim illa habentur certa, licet ab illis exordiri & continuare historiam quamvis. Sic cum Romanorum Imperatorum fit mentio, facilis reductio temporum illic est perspicua. Ita Livius orditur historiam Romanam, ab Ænea, Latino, Rege Aboriginum, & Ascanio, ad Sylvios & Romulum. Ac Libr. 2. à Bruto. Tertio à Consul. T. Æmylio & Q. Fabio. Et ita dein.

deinceps: & si tertia decade tempus attingat conditæ Romæ. Quare non debet in Saxone esse insolitum, quod cum alijs multis habet commune.

LXVII. Concludam tandem Epigrammate Clariss. Viri, M. Erici Pontoppidani, P.L.C. in Saxonem Grammaticum:

Grandisonis DANUS se tollit SAXO cothurnis,
Et, nisi sint hominis saxea corda, movet;
Vindice barbaries exul SAXONE recessit,
Et cultè hic didicit barbara lingua loqui:
Est dignus SAXO diuturnâ luce beari,
Qui patrijs lucem fœnerat historijs.
QUISQUIS SCRIPTA FERO CARPIS SAXONIA MORSU,
ADMORDES SAXUM: DENS TIBI FRACTUS HEBET.

CAPUT XXIV.

Vota, ἐυφημίαι, acclamationes, applausus, gratulationes, Carmina encomiastica & epidictica in novam hanc Saxonis editionem, à Viris doctis & Amicis, tàm in exteris, quàm in patria, conscripta.

I. Ἐυφημίαι & Acclamationes &c. Virorum doctorum & Amicorum in exteris.

1. Danielis Heinsij, in Epistola ad me scriptâ Lugd. Batavor. XVIII Novembr. cIↃ IↃ CXXVI.

Præstantissime Vir,

ANimo attollor & assurgo, quoties præclarum aliquod ingenium emergere ad æternitatem video. Quod de te pronuntiare possum, quem & candor dictionis, & susceptain scriptore magno (Saxone) *opera, talem esse ostendunt. Quem ante annos aliquot cum tanta admiratione legi, ut toti suo seculo convicium dixisse, sic scribendo, videretur.*

Et paulo post: *Saxonis præter unicam Basileensem penes me editionem nullam habeo. Tua si momento unico carere poteris, de loco, de quo quæris, respondebo. Quod serius respondeam, ignosces si me amas, & si occupationes meas cogitas. Aristarchum nostrum sacrum, Orationes, Scaligeri Epistolas, & alia typographi excudunt. Adhæc infinita alia accedunt, quæ non patiuntur, subinde ut sim meus; & quod gravius hoc ipso duco, ut sim amicorum. In quorum numero & eruditio & virtus tua, suo te merito reponunt. Vale Vir amicissime, & me ama.*

Tui studiosiss.
Daniel Heinsius.

2. Gerardi Joannis Vossij Carmen inscriptum Albo meo, Lugd. Batav. Postridie Eid. Jan. Anno cIↃ IↃ CXXX.

Multa tibi Saxo, Stephani doctissime, debet;
At totum optamus debeat ille tibi.
Dimidium cœpisse fuit. Nunc incipe rursus,
Perficies illud, quod superesse vides.

Optimo, doctissimo, amicissimo STEPHANO STEPHANIO, Liberalium Artium Magistro, eruditissimi historici Saxonis Grammatici Sospitatori, magnum affectum minuto hoc symbolo testabar
Gerardus Joannes Vossius.

Ejusdem ἐυφημισμὸς in literis ad me suis, Amstelodami, Anno cIↃ IↃ CXXXVIII. Prid. Id. Junias.

DE Saxone Grammatico jam uni alteri Typographorum sum locutus. Sed nihil certi responderunt. Negant se quicquam statuere posse, priusquàm constiterit, quantum id est, quod præstiteris in nobilissimo gentis vestræ scriptore. Dixi ego, quicquid molitus sis, sinè dubio non deterius

rius fore egregiis Notis, quas elucubrasti jam ante annos plusculos. Ajunt ad istoc, non diffugere se judicium meum de tuis; sed tamen necessum esse, ut videant, quæ futura sit moles operis, & statuere queant, quæ expensarum futura sit ratio, & quantum chartæ unius generis sit comparandum. Non potui ijs hac parte satisfacere, quia nescirem Mercatorem, cui superiori autumno thesaurum illum commiseras. &c.

Ejusdem, in literis Amstelodami scriptis eodem Anno, III. Kal. Octobr. Stylo Gregoriano.

DE Saxone Grammatico edendo nondum hic cuipiam potui persvadere. De præstantia scriptoris non vocant in dubium, quæ dixi: sed ajunt opus fore perpaucorum hominum: se autem omnia splendido illo luto metiri. Debebat is scriptor non alibi edi, quàm in ipsa Dania, idq; luculentis & elegantibus typis; chartâ etiàm optimâ. Hoc ex honore esset Daniæ: ac si typographi non sufficiunt, impensis Regijs, vel Nobilitatis, aut Academiarum sumtibus, fieri conveniret. Quæso si quid horum jam fuerit decretum, vel simile aliud, fac me quamprimùm certiorem. Jam à multis annis sic amo Saxonem, ut nihil æquè exoptem, quàm eum esse in plurium manibus: nec alium scio, qui medicam illi manum admovere felicius possit, quàm te popularem ejus doctissimum, & jam à tàm longo tempore non minore judicio, quàm industria, in hoc versatum. &c.

Ejusdem, in literis Amstelodami scriptis Anno cIɔ Iɔ CXLI. X. Augusti.

CLarissime & amicissime Stephani, Multa me in literis tuis delectarunt, præcipuè quòd scribis, jam totum te esse in Saxone tuo, eumq; propediem visurum lucem. Benè de te operâ hac mereberis; melius de patria Saxonis, tuaq; optimè de omni Rep. literaria, ac posteris universis. Semper mirificus me amor tenuit tàm nobilis scriptoris; nec mirari satis potui, eum dictionis cultum barbaris temporibus conspici in gente adeò ad Arctum remota, quem frustrà desideraremus ijs in locis, ubi vernaculus fuisset sermo Romanus. Nec debuit scriptor ille debere alteri salutem, quàm civi suo, inq; his, ante omnes, Stephanio; cùm multis alijs nominibus, tùm inprimis τὸν ςέφανον promerenti ob civem servatum. Quid enim aliud censeam, qui jam ante annos XIV ex Castigationibus tuis, Heinsio mihiq; (qui & illo tempore amor ergà nos fuit tuus) inscriptis, imò ut tu scribere non dubitas, dicatis, satis perspicere mihi visus fui, nihil à te profecturum, nisi ingenio tuo doctrinaq; dignum, ac magnâ industriâ elaboratum. Applausum totius eruditæ caveæ jamnunc tibi ausim polliceri. &c.

Ejusdem in literis Amstelodami scriptis Anno cIɔ Iɔ CXLII. VI. Kal. Martias.

TAndem à tui amantissimo Vossio magni ac veteris amoris minutum novumq; symbolum accipe, libros quatuor de Theologia paganica, & Philosophia Christiana. Placituros confido. Cur inquies? Quia confido affectui tuo, quo & me aliquem esse putas. Et si eloquendum, quod sentio, etiàm confido exactissimo judicio tuo. Probè enim mihi conscius sum permulta me attulisse ad hoc opus vel alia, vel aliter dicendo. De hoc nolim me submittere judicio hominum exiguæ lectionis: quales distinguere nesciunt inter dicta, indictaq; nostra & aliena. Ipsi interim sibi placent, licet nihil adferant, nisi millies dictum, quia sperant latere posse, quæ exscripserint. Malim igitur tui similibus placere: quia jam ab eo tempore, quo Lugduni unà viximus, abundè memini, quàm φιλομαθὴς καὶ πολυμαθὴς fores. Eoq; avidè desidero nosse, quid de Saxone tuo fiat. Hic scriptor & genti tuæ multum gloriæ, & tibi æternum parabit decus. Tantùm nè moras ulterius necte, ne & patriæ, & propriæ gloriæ malè consulas &c. Vale summe Vir, & porrò amemus nos inter nos.

3. Johannis Isacij Pontani, in literis ad me suis, Hardervici, Anno cIɔ Iɔ CXXVII. XXIX Junij.

DOmo aberam, Vir ornatissime, cum ad ædes tuæ literæ perferrentur. Abijtq; triduum aut quatriduum circiter, priusquam ad lares regressus eas videre ac legere potuerim. Legenti autem omniaq; circumspicienti oppidò acceptum ac volupe accidit intelligere præclarum illud tuum in illustrandis patriæ rebus non studium modò, sed industriam quoq;, testatam Notis, quas simul mittis, in popularem nostrum, rerum Danicarum florentissimum scriptorem, Saxonem Grammaticum. Nam & ipse eum authorem, cum antiquis certantem, diurnâ, ut sic dicam, nocturnâq; manu jamdudum versando haud temere mihi charum familiaremq; reddidi, dùm præsertim historiam Danicam, per prima illa seculorum volumina ad nostra usq; deducendam tempora, texo retexoq;. Et verò illud non semel in animo fuit, ut ipsum Saxonem, summarijs unicuiq; librorum additis, tum & observatâ Regum serie, nomini-

nominibusq; ipsorum majusculo charactere præscriptis exornatum evulgarem cum annotationibus sub calcem nostris. Sed otium hucusq; obfuit, aliisq; factum curis, quo minus utilissima hæc opera optimo authorum præstita fuerit. Tibi, Vir eruditissime, cui ingenium & liber animus otiumq; superest, ut emittam esse civis servare civem, eam exornandam Spartam libenter tradimus: quamvis nec defuturi interim simus nostra observata tuis jungere, aut communicare tecum, ut lubet. Unus est locus, quem à te, præter cætera, adnotatum reperio, nec aliter quàm explicas, explicandum semper putavi, Regem nimirùm Svencnem, vulgò Tiweskeg *dictum intelligi libro XIV. ubi inquit:* Quam (*Svantoviti statuam*) Rex etiam Danorum Sveno, propitiandi gratiâ, exquisiti cultus poculo veneratus est &c. cujus postmodùm sacrilegij infelici nece pœnas dedit: *nisi quod postrema ea verba,* ob id sacrilegium infelici nece pænas dedisse, *pugnent cum verbis ac relatione, quam idem, de extremis ejusdem Svenonis loquens, prodit lib. X, ubi hæc legas.* Cæterùm Sveno senilis animæ laboribus fessus divinis rebus infatigabilem ultimi temporis curam tribuit, nec spiritu, quàm religione diuturnior fuit. Siquidem omni humanâ concussione vacuus, in ipso perfectissimæ vitæ fulgore decessit. *En Rhodus saltusq;. Nam superioribus ea planè contraria vides, Vir humanissime. Et plura talia, aliaq; sunt; quorum à te haud pauca feliciter animadversa; & multa præterea animadvertenda superant.*

4. Johannis Kirchmanni, in literis Lubecæ scriptis Anno cIɔ Iɔ CXXXIV, Cal. Junij.

CLariss. Vir, domine & amice honorande, Cum doctorum virorum amicitias ultrò expetere soleam, certè valdè inhumanus sim, & instituti mei immemor, si non oblatam à te amicam voluntatem lubens amplectar atq; exosculer. Ego verò id facio, & meam tibi benevolentiam vicissim offero, si modò aliquid à me proficisci possit, quod tàm honorifica tua de me opinione sit dignum. Quod Saxonem Grammaticum Notis illustrare decrevisti, laudo propositum tuum, & de illarum specimine mecum communicato, plurimùm te amo. &c. *Quare nihil est, quod te ab hoc proposito deterrere possit; tu modò manum operi seriò admove, & Saxonis Notis illustrati nova editione Daniam tuam, atq; adeò totum orbem literatum tibi obstringe.*

Ejusdem, in literis Lubecæ scriptis, eodem Anno XVIII Augusti.

DEus clementi oculo nos respiciat, & te, Vir Clarissime, diu sospitet, ut quam paras, Saxonis editionem bonis avibus absolvere, & benè de Repub. literaria mereri possis. &c.

5. Francisci Vossij, G. F. Carmen inscriptum Albo meo, Lugd. Bat. Kal. Jan. Anno cIɔ Iɔ CXXX.

Allusio ad nomen STEPHANI.

Viderat in cœlo Tellus splendere coronam,
Atq; ait, hæc quondam nostra corona fuit.
Nunc aliâ capior, Cimbris quæ venit ab oris,
Quamq; polus vellet me tribuisse sibi.
Astrologi laudent Cretensis signa coronæ:
Gratior historicis Cimbrica semper erit.

Magnæ eruditionis, majorisq; expectationis Viro, STEPHANO STEPHANIO, amicitiæ *μνημόσυνον* posuit.

Franc. Vossius. G. F.

CAPUT

CAPUT XXV.

II. Applausus & εὐφημίαι &c. Doctorum Virorum, & Amicorum in patria;
& primò quidem
Clariss. Professorum Regiæ Academiæ Hafniensis pariter ac Soranæ.

Quæ ceteri voce aut stilo Tibi vovent,
Optantq; Amice, prospera.
Optantur & voventur à me millies:
Vota expleat summus pater.

HENRICUS ERNSTIUS, J. U. D.
& Profeß. Reg. Acad. Soranæ.

Meritis
Viri Clarißimi,
DN. M. STEPHANI STEPHANII,
Historici Regij, & in Academia Sorana
Profess. P.
Notas doctißimas
IN SAXONEM GRAMMATICUM EDENTIS.

Hactenus ingenti, quis volvit pondere Saxum,
Et polijt gemmas, maxime Saxo, tuas?
Queîs proceres ornas Danos, queîs divite venâ
Regum priscorum facta stupenda refers?
Hactenus intactum jacuisti nobile Saxum,
Rerum magnarum pondere, mole grave:
Scilicet antiquos ritus, monumentaq; Patrum
Non erat è tenebris tollere qui potuit.
Aut dignè doctæ scrutari nomina linguæ:
Abdiderat flores Danica Svada suos.
Donec in hoc magnâ sudaret laude Theatro,
Aonij STEPHANUS docta corona chori.
Eddicus hunc Scalder, sapiens quoq; Runa beavit,
Cimbrorum linguâ nobiliore loqui.
Quâ fretus docuit SAXONIS mystica primus,
Quicquid & obscuri Dania prisca tulit.
Majorum ritus, mores, decretaq; pandens,
Quæ tenebris fuerant obsita Cimmerijs.
Est igitur dignus quem Dania tota coronet
Laudibus, & meritis hoc ferat alloquium:
Unus homo priscam scrutando restituis rem:
SAXONIS saxum volvis & unus homo.

OLAUS WORM, Med. D.
& Profess. Reg. Acad. Hafniens.

Ἱστορεῖ ἱστορέοντα βορειάδος ἔργματα γαίης
Ἀρχαίη στέφανος παγκλυτὸς ἠνορέη.
Ἀγλαΐη φωτίζει ἀφεγγέα τὴν πάρος οὖσαν
Πατρίδ᾽, ἑῆς στέφανος πατρίδος ἀγλαΐη.
Οὐ τάδε γηράσκοντος ἔην παραλήρεα κόσμου,
Ἀλλ᾽ ἥβης θαλερὸς θαρσαλέης κάματος.

Γήραι

Γήρᾳ δ' ἁμετέρῃ γενεὴ ναρκῶσ' ἀπόφασι
Τοῖσι τοπρὶν πίστιν, τοῖσι τονῦν σοφίαν.
Ὧτινι δ' οὐ τάδε τερπνὰ παλαίφατα θυμὸν ἰαίνῃ,
Ἢ φρέσιν, ἢ νεαροῖς ἤθεσίν ἐστι παῖς.

HIstoricè explicat historicè explicantem Borealis gesta terræ
Antiquâ STEPHANUS inclytus virtute:
Splendore illustrat obscuram olim existentem
Patriam, suæ STEPHANUS patriæ splendor.
Non hæc senio confecti fuerunt deliramenta mundi,
Sed florens juventæ animosæ labor.
At senectute nostra ætas torpens, denegat
Rebus antiquitus gestis fidem, ijs quæ nunc geruntur, sapientiam.
Cuicunq; autem hæ jucundæ antiquitates non oblectant animum,
Aut ingenio aut novitijs moribus est puer.

JOANNES LAURENBERGIUS D.
Mathem. in Regia Sorana Profess.

DAnia læteris, tua grandia facta perissent,
SAXO GRAMMATICUS si modò nemo foret.
Incola Grammaticus, Rhetor, juxtaq; Poeta,
Primus qui Patriæ scripserat Historias.
En nihil abjectum, dormitans, atq; remissum,
Nil rude, SAXONIS pagina docta dabit.
Hoc olim fuerat, quod te commovit, ERASME,
Navigio Danos visere velle magis.
Sed licet abjectum, dormitans, atq; remissum,
Nil tibi SAXONIS suave recenset Opus;
Dum tamen interdum varias res ordine gestas
Tempore neglexit commemorare suo:
Quis non gestiret, STEPHANI Doctissime, doctas,
Quas Huic addideras, posse videre NOTAS?
Sic magno MAGNUS SAXO cumulatur honore,
Intricata nimis dum tua lima polit.

Christianus Severini f. Longomontanus,
Mathem. in Reg. Acad. Hafniensi Profess.

Ad
Clarissimum & Excellentissimum Virum,
DN. M. STEPHANUM STEPHANIUM, In Equestri ac Regia Sorana Academia Historiarum Professorem P. Regium Historiographum, Floridi ac profundi Danorum Scriptoris
SAXONIS GRAMMATICI
Felicem vindicem, fidelem interpretem, ac primum in Dania editorem, amicum plurimùm honorandum,
ELEGIDION
Gratulabundus scripsit
THOMAS BANGIUS Sanctæ Ebr. Linguæ Prof. P.
in Regia Havniensi Academia.

NUlli audita cano. Fuerat mea DANIA priscis
Temporibus LATIUM: DANque LATINUS erat.
Ut vili latuit Latialis Jupiter Alba;
Ut LATIUM dicta est terra latente Deô:
Sic latuit longîs ævi damnata tenebrîs
DANIA, perpetuæ noctis imago fuit.
Mox rutilô fulgens surgit jubar aureus ostrô:
Mox radiant Phœbô squalida sceptra novô.

GRAMMATICUS mox unus erat, qui dispulit umbras:
    SAXO suâ DANOS luce micare docet.
DANORUM priscâ repetens ab origine gesta
    Condidit augustum Martis & artis opus.
GRAMMATICO magno Laurô sed texta CORONA
    Defuit: en STEPHANUS florida scripta legit.
Aurea mox torques, viridisq; CORONA NOTARUM
    Nectitur: est STEPHANUS LAUREA GRAMMATICI.
O quem te memorem! te vindice SAXO revixit:
    Est STEPHANUS patrij magna CORONA soli.
Est STEPHANUS meritæ studiis pars maxima laudis:
    Est patriæ Historiæ Bibliotheca loquens.
Stabit honos DANIS, redivivaq; gloria gentis
    Te auspice SAXO cluet, dum vehit astra polus.
Stabit ovans DANUS folijs ornatus olivæ:
    Te scriptore ætas DANICA sceptra fugit.
Annorum secura, nec ulli obnoxia seclo
    Clarescet scriptis DANIA sera tuis.
Quæq; triumphavit juvenis de gentibus olim,
    Per te de seclis cana triumphet anus.
Si ignari jactet Tempus spolia orbis opima:
    Tu spolia è gnaro Tempore opima refers.
Sicq; triumphatô tibi Tempore adorea parta:
    Tempora victoris clara CORONA beat.
Romuleô posthac non horret PORTUA culmô:
    Non stabunt humiles in Jovis arce casæ.
DANIA non LATIUM posthac erit, haut rudis Alba
    HAVNIA: SORA ROSA EST, HAVNIA ROMA NOVA.

Ἱστορίας ΔΑΝΩΝ ἀρχαίας τ' ὠφελίμους τε,
Οὐνόμαθ' ἡρώων κυδίστων ἠδ' ἀγακλειτά,
Τῶν τε καλιπτολέμων ἀναγνῶναι ὅστις ἐέλδῃ
Ἔργα παλαιγενέων πολεμήϊα τ' ἀξιάγαστα;
Χ' ὅσσα πρὸ παμπόλλων ἐτέων περικαλλέ' ἄεθλα
Θῆκαν ΧΡΙΣΤΙΑΔΩΝ ἡγήτορες ἠδὲ μονάρχαι,
Ῥυσάμενοι τε πάτρην στῆσαν τ' ἔνδοξα τρόπαια.
Δεῦρ' ἴθι, τὴν βίβλον τοῦ ΣΑΞΟΝΟΣ ἠδ' ἀνελίττε
ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ προγόνων δηλοῦντος πρήγματ' ἀγαστά.
Κάλλος γὰρ τάδε γ' ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πύθεσθαι.
Ἐξήγησιν αὐτὰρ ΣΤΕΦΑΝΟΣ, φῶς πατρίδος, ὧγε
Κρείσσω, ἐπισταμένως κατέλεξέ τε ἠὲ πάροιθεν,
Καὶ σχολίοις οὐ μὴν σκολιοῖς, πινύτοισι δὲ μᾶλλον
Ἐξεπόνησε σαφῶς τὸν ΣΑΞΩΝΑ, εὖ κατὰ τάξιν.
Ἐνθάδε καλλίστῃ μεθόδῳ ξυναπάντα ἔγραψεν
Ἱστοριῶν τε θύρας πατρικῶν νῦν κλεῖθρα ἀνοίξας.
Εὖγε, φέριστε Ἀνερ κλυτοδαίδαλα γράπτα παλαιῶν
Ἔκφερε εἰσγε φάος παμπόλλα καὶ ἔξοχα πάντα
Σπέρχεο ἐς πάτρης ἐρικυδέος εὖχος ἀγαυόν
Εὐπρεπέει τάξει συγγράμματα πλεῖστα φαείνειν.
Οὕτω σεῖο κλέος μεγάλην δόξαν τε ἀέξεις.
Οὕτω μουσόφιλοι μέλλουσιν ὁμόφρονες αὖθις
Πλέξαι τε στεφάνους περί τε κεφαλῆφι βαλέσθαι.
Ἠδὲ πόνων δώσει ἀγαθὴν θεὸς αὖθις ἀμοιβήν,
Στέμμα δικαιοσύνης καὶ μακροῦ κλῆρον Ὀλύμπου.

εἰς τὸ τῆς φιλοφιλίας τεκμήριον παρέθηκε Collegæ Collega
ALBERTUS MEJERUS G. L. P.

Hostiles

Hostiles dum bis REX MAXIMUS æquore utroq;
Persequitur classes classe fugatq; suâ:
Armaq; fert contra tumidos ultricia Suecos:
Atq; animi validus dira pericla subit.
Ad quæ post seros stupeat Gens nata nepotes,
Vix credens, talem secla dedisse VIRUM.
Tu, STEPHANE, interea priscorum facta recensens
Danorum, Errori bella subinde moves.
Obductas siquidem tenebras & menda Librorum
E Saxone tuo mente sagace fugas.
Unde reviviscens emuncto redditur orbi
Splendidior curâ, splendidus ipse, tuâ.
Limpidior multò celsis de montibus amnis
Ut, bene purgato fonte, meare solet:
Sic, quando illustras nostræ primordia Gentis,
Nupera quæq; dehinc lucidiora dabis.
Pergat, sic voveo, REX AUGUSTISSIMUS acri
Mavorte & famâ digna patrare suâ.
Perge, Vir Excellens, multâ cum laude patrata
Genteq; condignè scribere digna tuâ.

GEORGIUS FROMMIUS
in Academiâ Hafniensi Prof. P.

CAPUT XXVI.

Applausus, εὐφημίαι, Carmina Encomiastica &c. Amicorum aliorum in patria.

Prisca jussit exulare Barbarorum factio
Res & acta perduellis, ex & esse finibus
Territorij, quod armis Rex Odinus obruit
Qui tumultus Herculanam posterorum seculis
Intulit cum nube noctem, quam nec ille stertere-
Passer usq; delicatus quem Diana deperit
Vi coacta jure cessit inficeto vindici
Asserente parta nuper regna plebe fortiter.
Lingua gentis ad triones pulsa fustuario
Vidit, ac misertus ibat restitutum supplices
Sordidatos *Saxo* Danus, Regularis arbiter.
Non ovilis arma spurci, nec moratus impetum.
Sed duobus implicatus nemo contra sufficit,
Deficitq; in universis singulos qui despicit,
Hoc probasse Literator adstruet periculo.
Hostium qui præda nuper factus & manubiæ,
Difficulter expeditum corpus ex injurijs
Reddidit, nec illud ipsis agnitum domesticis.
Tum redux ab hoste cæpit hospitali tesserâ
Visitare civitatem præferentes indigo
Et lubentiam penates. Urbs in urbe quæritur
Gratis: Ista namq; simplex tum fuit: nunc advenam
Quisq; postulare pergit symbolam pro tessera
Quæ subisset. Ille vocis obticessit insolens,
Deseritq; non solentes moris incolas sui,
Attrahentes à remotis quicquid est in gentibus
Exteri, velut colores à solo chamæleon.
Unus inter hos & alter obstitere seculo
Decidenti, ne ruina prorsus omne perderet
Nomen ævi, quod retrorsum nostra misit vanitas.
Tu Stephani, Wormiusq;, dignitati Danicæ
Hi fuistis, afferentes Æsculapias manus.
Ille Fastos atq; Runas excitavit inferis,

Aut Asarum, quæ Valhalla dicitur, collegio,
Quo per ingens utriusq; major usus verterat
Dedecus patrum, nepotes qui domi dant hospites
Tu fovendum & obligandum gentis ejus historem
Sustulisti, quam reliquit Baldus Hælam persequens,
Clinicum prius, salute nunc recepta Virbium
Reddidisti. Quò volucrem candidam parario
Debeat tibi, daturus justa sostra gloriam,
Civicamvè nascituris quæ diurnet messibus.

M. BRYNOLFUS SVENONIUS ISLANDUS,
Episcopus Scalholtensis in Islandia Australi.

JOHANNIS SVANINGI
Ripensis, Præpositi Regij in Samo Balthica,
POEMATA,
ad
Virum Clarissimum & Excellentissimum,
DN. M. STEPHANUM JOHANNIS STEPHANIUM,
Serenissimæ Regiæ Majestatis Historiographum & Professorem ordinarium, SAXONIS GRAMMATICI Vindicem, Affinem, Compatrem & amicum, optatum, pium & fidelem:

¶ Disertissimi *Saxonis* & Cl. *Stephanij* comparatio.

SAXONI multum, STEPHANO plus DANIA debet:
LUNA etenim SAXO est, SOL patriæ STEPHANUS.
SAXONI multum, STEPHANO plus DANIA debet:
SAXO etenim fulget, sed radijs STEPHANI.

¶ Disertissimi *Saxonis* & Cl. *Stephanij* commendatio.

SAXONI STEPHANUS, STEPHANO sua DANIA debet:
SAXO cui carus, carior huic STEPHANUS.

¶ Judicium de Notis Cl. *Stephanij* Opera *Saxonis* illustrantibus.

SAXO fuit tantum, Momo jurante, *disertus:*
GRAMMATICUS STEPHANI luce fit Historicus.

Secundum.

GRAMMATICO est STEPHANUS, quod Sol cœlo solet esse:
Cœlo Sol lux est, GRAMMATICO est STEPHANUS.

Tertium.

Ornas SAXONEM, & REGES diademate cingis:
Te STEPHANUM meritò quilibet esse monet.

Quartum.

Regibus antiquis Stephanum *dum porrigis arte:*
Ipse tibi Stephanum *tu (mihi crede) paras.*

Quintum.

Nemo tibi Stephanum; Stephanum *nec te neget esse*
Ullus: nam priscis Regibus es Stephanus.

Sextum.

Parta tibi in terris est Sedulitate *Corona:*
In cœlis firmâ sed tibi parta fide.

Pro Cl. *Stephanio* Votum.

Nominibus multis Stephani *modò nomine gaudes:*
Utq; alijs Stephanus, *sit tibi sic* Stephanus.

Acclamatio ad Illustrissimam DANIAM.

Prima.

Illustres quondam meruerunt Marte *coronam:*
Arte *sed Illustris jam meruit Stephanus.*

Secunda.

Secunda.

ROMA dedit dignis quas promeruere coronas:
DANIA quem meruit da STEPHANO Stephanum.

Tertia.

DANIA redde tuo STEPHANO famamq; coronam;
Nam Stephanum *priscis Regibus ipse dedit.*

ΔΑΝ, ΦΡΩΤΩ, ΡΕΓΝΗΡ, ΚΝΟΤΤΩ, κοσμήτορες ἔθνους,
Καὶ λοιποὶ Βασιλεῖς κλεινότατοι ΔΑΝΙΑΣ,
Τῶν φήμη πέταταί νυ ἐπὶ χθόνα εὐρυάγυιαν,
Καὶ διὰ ἁλμώδους ὕδατος οὐνόματα,
Κείμενοι ἐν δνοφεροῖς, ἄφατοι ὡς, κεύθεσι γαίης,
Μῦθον φθεγξάμενοι ἄμβλεπον ἠδὲ στένον.
Τίς μέλος ἡμετέροις ἐγκώμιον ἔργμασι ζεύξει
Ἄξιον; ἢ προσάγει πατρίδι κόσμον ἑῇ;
Τίπτε δὲ ἀιδίαν ἡμῶν κατεκρίνετε λήθην;
Μηδεὶς γηρύει τὸ κλέος ἡμέτερον.
Ηρώεσσι κλυτοῖς ὅδε πρόσφορός ἐστιν ὁ μισθὸς,
Τῶν κλέος ὡς ποταμοῦ λείβεται αἰὲ ῥοή.
Ὣς ἔφαν. Αὐτὰρ ἐπὶ μήκιστον ἐγείνετο σιγὴ,
Καὶ μηδεὶς πτερόεν φθέγξατο αὖθις ἔπος.
Ὕστερον ἠγέρθη ἀνδρῶν ἀντάξιος ἄλλων
Σαιδλάνδος ΣΑΞΩ δόξα ἑῆς πατρίδος.
Θευμόρῳ οὗτος ἐπὶ μεγάλοις ἔργοισιν ἐγείρων
Ἀγλαΐαν, πολλὸν πατρίδ' ἔτευξε κλέος.
Ἀσφαλεῖ ἀμφ' ἀρετᾷ Ηρώων πολλὰ καμόντων
Ἄθλους θεσπεσίῳ κ' ἄθλα ἄνηρε πτερῷ.
Ἀλλ' ἔμπης τούτῳ μὲν ἐμίχθη καὶ κακὸν ἐσθλῷ,
ΣΑΞΩ ἀμαυροῦται ὥσπερ ἄδηλος ἐὼν,
Ῥίπτεται εἰς μιαρὰς ἀποθήκας, καὶ ποτὶ σιλφῶν
Πιτνεῖ, καὶ στέρεται πατρὶς ἑοῖο κλέους.
Ἀλλά μιν ἀντείλας ΠΕΤΡΑΙΟΣ ἐς ἠελίοιο
Ηγε φάος, κ' ἀστοῖς ἔργον ἔδειξε μέγα.
Καὶ κατὰ μὲν πόδας ἀλλογενεῖς ἄλλοι τῷ ἕποντο,
Σπουδῇ ἐνίκησεν τοὺς δ' ἐμὸς ΣΤΕΦΑΝΟΣ.
Μάρτυρ ἐμοὶ πιστὴ βίβλος ἔσσεται ἥδε παροῦσα,
Ὅττι μιν ἐχθίστοις ψεύδεσι μὴ μιανῶ.
Ηδίστη πατρὶς μήπου ἀναβάλλεο εἴρειν
Σπουδαίως ΣΤΕΦΑΝΟΝ καλὸν ἐμῷ ΣΤΕΦΑΝΩι.

Historiæ Princeps Danorum, gloria Gentis
Arctoæ SAXO, sordibus eripitur.
Splendidus in lucem prodit, quem nuper avarâ
Paucorum texit Bibliotheca manu.
SAXO CORONATUS prodit, STEPHANUSq; CORONAT,
Egregius cultor Principis Historici.
Scilicet inscripsit SAXIS sua gesta vetustas
Corporis atq; animi non peritura situ.
Eruit hæc SAXO SAXIS, ingentia linquens
Divini ingenij non peritura bona.
Hoc opus ingenij STEPHANUS mira arte CORONAT,
Qui roseo SERTO dignus & ipse suo est.
Sparge rosas, florem violarum, necte CORONAS
SAXONI & STEPHANO, Patria, sparge rosas.

Inscri-

Inscribatur opus SAXIS, & plena perennent
Laudibus æternis hæc monumenta tuis.
Sculpe opus in SAXIS, SCRIPTORIBUS adde CORONAS:
Conveniant rebus nomina clara suis.

Bono affectu scribebam.
ERASMUS PAULI VINDINGIUS
Regiæ Scholæ SORANÆ Rector.

Historiæ lumen priscæ invidiosa vetustas
Quondam in Letheas præcipitarat aquas.
Obruta Danorum populi monumenta jacebant
Sordibus, & longo pene sepulta situ.
Ipse suæ Gentis vates sub nube latebat
Arctoâ SAXO primus in historiâ.
Omnia erant densis annorum immersa ruinis,
Barbaries tanti maxima causa mali.
Non tulit hoc ultra generosi cura LAGONIS,
Ecquis, ait, Gentis tot bene gesta meæ
Vindicat à tenebris, & clara in luce reponit,
Gesta vel æternos vivere digna dies?
Quisquis eris, pro vindicijs tibi justa Camænæ
Præmia, sed quondam, quanta merere, dabunt.
Quin & posteritas olim te multa loquetur,
Et nunquam in laudes desinet ire tuas.
Dixerat: ecce subis tantos, Petræe, labores,
Primus & invisis eruis è tenebris
SAXONEM, veterum qui res & fortia facta
Danorum haud humili condidit historia:
Cimbria quo famam tellus æquavit Olympo,
Cedere se & dominæ jam negat Ausoniæ.
Quis satis hoc laudet? tumulo veteri excitus Heros
Sustulit ingenuum rursus ad astra caput.
Sed fædus maculis, quas longa adleverat ætas,
Intactum patiens nil superesse diu,
Nunc huc, nunc illuc æger, miserabilis ibat,
Flens sibi non ullas rite vacare manus.
Sic miserè truncus lucem vix hactenus ipsam
Pertulit, innumeris squalidus ora notis.
Nemo salutiferâ potuit succurrere dextrâ,
Qui vellet nævos tollere, nemo fuit.
Sæpe alios frustra, Stephani doctissime, sed non
Ille tuam frustra sollicitavit opem.
Ergo ne series seclorum incognita, totq;
Magnanimûm fallant inclyta facta ducum;
Tu faculam alluces, tu nobis lampada præfers
Clare Vir, Arctoæ lumen amorq; plagæ.
Atq; ita limatum SAXONEM didis in auras,
Possit ut à pueris & sine nube legi.
Omnia nunc oculis occurrunt obvia nostris,
Ille tua postquam pene revixit ope.
Nunc legimus passim, pariterq; addiscimus omnes,
Nec tantum obstringis tempora nostra tibi:
Postera quin quoq; se debere fatebitur ætas,
Barbaries nobis nec metuenda venit.
Barbaries, quæ nunc facto velut agmine Musas
Paulatim ad Scythicas cogit abire casas.
Hoc satis est. Te fama manet, nos commoda; jamq;
Par pretium tantæ sedulitatis habes.
SAXONI lucem tu pulsa nocte dedisti:
Luce nova famam reddidit ille tibi.

PARO-

PARODIA

Ad XII Libri II Carminum Odam Q. HORATII FLACCI.

Nolo longa feræ bella Alemaniæ,
Nec Celtæ furias, nec profugum Scythen,
Nec pacis dubium Thraca perennibus
Aptari citharæ modis:
Nec vafros Batavos: & nimium sibi
Confisos, domitos Cæsarea manu
Arctoos Sveonas: unde periculum
Præsens contremuit domus
Magnorum Austriadum; tu pede libero
Regum gesta prius Martia Danicûm
Evolves melius, per sua tempora
Annales veteres putans.
Me dulcis bifidi Musa cacuminis
Cultrix, me voluit dicere floridum
Præstantes animas, & proprijs tuum
Fætum pectus honoribus.
Quem nec ferre pedem dedecuit choris
Vatum Pierijs, nec dare lintea
Torrenti Oceano grandia Rhetorum
Doctrinâ celebrem suâ.
Antiquam Latio seu decus asseris,
Et quæ Barbaries intulit horrida
Ostendis populis: seu dare candidas
Tot chartis animas lubet,
Quæ claro ingenij lumine Daniam il-
lustrarunt STEPHANI, Macte agè gloriâ hac,
Quam nec livor edax, irave temporis
Æternùm eripiet tibi.

JOHANNES MEJERUS
Poëta Coron. Cæs. Scholæ Cathe-
dralis Ripensis Rector.

ΠΑΡΟΡΜΗΣΙΣ

SAXONIS GRAMMATICI & STEPHANI STEPHANII ad scribendum.

ORbis dictator, splendentis rector Olympi
JUPPITER, ut rerum cumulatas pectore curas
Diluat, & mixtis fallat sermonibus horas,
Altisonâ sacrum conclamat voce Senatum.
Ne mora nectatur, TEGEÆUS laxa movendis
Subnectit VOLUCER plantis talaria, pernix
Nubila perrumpit, varias ac transvolat oras,
Divinoq; citat Sanctissima Numina jussu.
Res haud impediunt: pictis vestita tapetis
Stelligeri plenis properatur ad atria tecti
Hinc atq; inde vijs. Venientibus aurea divis
Porta patet; structis speciose fulta columnis,
Irradians auro, nitidis clarissima gemmis
Admittitq; domus: pulchrum mirantur ocelli
Ornatum, quali nec terra nec unda superbit.

JUPPITER, obductis precioso vestibus auro
Incinctus residet crebris radiante smaragdis
In solio, gravitate potens regalia vibrat
Sceptra manu, superamq; Dijs intrantibus aulam
Assurgit. Gemmans solerti mensa paratu
Instruitur; puras manibus pro more lavandis
Dat chrystallus aquas: discumbunt ordine: digna
Subtili patinis sistuntur fercla palato,
Nectareum fundit Ganymedis prompta liquorum
Dextra. Nihil desit quidquid dulcedine lectos
Exhilarare potest convivas, suppetit. Omnis,
Qui videt, ignotam stupefactis haurit ocellis
Regifici luxus faciem. Diversa, locatô
Conciliô, alternis tractantur seria verbis:
Interdum jucunda fluunt. Venerabilis HOSPES,
Res immmota, rogat, quô cardine fata volutent
Cœlo subjectas? humiles quæ sidera tractus
Respiciant? incepta quibus molimina stellas
Auspicijs infra succedant? Dicta capessunt.
Phocaica vitreos devinctus APOLLO capillos
Lauru, præfulgens gemmis auroq; nitenti
Amplifico & Tyriæ velatus tegmine vestis,
Cum Musis, ostro contecta sede levatur,
Dicendiq; petit veniam. Lavinia nobis
Præ reliquis, inquit, meritò, Rex maxime divûm,
Regna placent. Felix ceu quondam Græcia, doctis
Sunt impleta viris. Crebro Parnassius haustu
Si fons depleri posset, qui largus aquarum
Sacros depromit latices semperq; redundat,
Funditus epotis tandem siccesceret undis:
Itala nam plenis gens potat avariter inde
Faucibus, extingui liquido quum nescia rivo
Torqueat ora sitis. Latiæ facundia linguæ
Hyblæis est mixta favis. Romana cothurno
Rostra tonant. Vatum numerosus carmina cœtus
Fundit Musæo stillantia melle, Sophorum
Oenotrijs exculta plagis turba abdita rerum
Pandit Sacra, diu Clario doctiq; recessu
Exercent medicam cum laude Machaones artem.
Hæc silet effatus, repetitq; sedilia Phœbus.
Majestate gravis, sancto spectabilis ore,
Stellatas baccis nec non subtemine flavi
Discretas auri vestes induta profatur
Dictæi Matrona Jovis sic JUNO: Marite
Et frater duplici mihi devinctissime nexu,
Hesperias alijs ego longe præfero terras.
Gemmarum, argenti tanta est fulviq; metalli
Copia, vicinos, aliàs qui fortè carerent,
Effusè populos ut ditent. Profluus illic
Egerit aurifluo rutilantia gurgite grana
Despumando Tagus, felicem provocat Hermum
Bætis, & auriferi rubicunda lacessit Iberus
Flumina Pactoli. Nunquam non seria morum
Elucet gravitas: Hispani regia promunt
Verba cothurnatis, quæ possint flectere, linguis.
Nil triviale sonat: tetrici sunt maxima vultus
Pondera. Formoso sine mendis corpore bella,
Scintillans oculis ultro citroq; rotatis
Et solito pallam cesto religata fluentem,
Hinc infit Cytherea VENUS: Gratissima sedes

Est mihi vina ferens laxati Gallia luxus
Nutrix. Incensas à me langvescere flammas
Non unquam patitur: prædulces explet amores
Incola gens, natas, & solvit in otia curas.
Mellitus sermo, captandam factus ad auram,
Gestus, & insolito variè formata tenore
Vestis, philtrorum vicibus funguntur. Aperta
Sponte cupidineas admittunt corda sagittas,
Atq; subinde novas capiunt incendia vires,
Quæ nec festinos obliquans Sequana cursus,
Si vel præstet opem sociato Matrona fluxu,
Nec Ligeris, nec Arar, collectis evalet undis
Sedare: admoto succensus pascitur ignis
Fomite. Votivo semper mihi thure litatur.
Prolixus barbam, viridi præcinctus amictu,
Et capripes amplam meritis PAN laudibus effert
Pannoniam, multo quod gramine fœta torosi
Prata boves implent, & lectæ plena bidentes
Pascua. Lucrosam tradens feliciter artem
MERCURIUS doctor, tumido circumflua ponto
Et prædives, ait, laudanda Britannia. Multæ
Permutantur ibi magno cum fœnore merces,
Adstrictæ impatiens fortunæ marcida vitat
Otia mercator, dubijs vitamq; procellis
Objectat. Tenues augent commercia census.
Adspectu torvus, cristata casside, duro
Umbone, atq; latus gladio munitus eburno,
Et varijs textam nodis auroq; trilicem
Loricam tectus, sua MAVORS ora resolvit,
Et sibi devinctos extollit vocibus orbes:
Nobilitata viget crebris Germania pugnis,
Atq; reportata lauro victrice triumphat.
Dania, vastorum genitrix fœcunda gigantum.
Progressi, adfulgens quò spes atq; ira vocavit,
Cimbri pugnaces domuerunt undiq; gentes,
Horrendæ & factos calcârnnt stragis acervos
Illæsis pedibus. Non pollentissima mundi
Extitit ancipiti dominatrix Roma timore
Immunis, pectus trepidavit forte, secuta est
Et formidatam præstantis bellica famam
Virtutis clades. Compresso substitit ore
Hæc, fuso exultans hominum MARS sangvine, fatus.
Ut facili dictas percepit JUPPITER aure
Laudes, arctoûm miratur facta virorum,
Condigno, dicens, cur belligerando peractæ
Res scriptore carent? vivax expersq; sepulchri
Fit nomen scriptis: indepta est quælibet aptos
Præcones Regio. Sed forsan debita tantis
Cultura ingenijs defecit. APOLLO moraris?
Extimulato virum, divino concitus œstro
Danorum illustret doctis qui gesta libellis.
Nec mora. Castalidum princeps festinat ad Arctos,
Et ciet illustri LANGORUM sangvine natum
SAXONEM, patriæ motus qui vindice penna
Asserit obscura mersas caligine laudes,
Et memoranda notat victuris nomina chartis,
Magnificum laxatq; stilum. Sunt robora verbis,
Ut stupeat lector, multis oratio gnomis
Atq; animata movet, res & designat agendas.
Æmulus irriguæ fudit torrente Roæus

Gur-

Gurgite ſacratos Aganippes inde liquores
Fons, & grandiloquam ſurgens Roeſckildia Romam
Eſt imitata : ſuo celeberrima Præſule tangit
Exerto demum ſublimes vertice cœlos.
Luſtrat hyperboreas peragrans dum Delius oras
PHOEBUS, in Hauniaca ſedem ſibi deligit urbe,
Et Sorana videt ſtudijs aptiſſima tempe,
Atq; fatigatus ſubmiſſis ſæpe clientum
Votis, quum SAXO non ſat proclivia ſcitu
Quædam proponat, Danorum & nixa vetuſtis
Tantum figmentis, divina concitat aura,
Adferat ut calamo libris interprete lumen,
Præclaris STEPHANUM doctrinæ dotibus auctum,
Emeritæ & gnarum linguæ ritusq; ſepulti,
Conveniente ſibi recte qui nomine gaudet,
Dignus honoriferam ſemper geſtare coronam.

ERICUS ERICIUS PONTOPPIDANUS,
P. L. C. & Ph. M.

Fortia Danorum SAXO dum conderet acta,
Creditur aërij montis adiſſe jugum,
Quo ſaxa & ſalebras dehinc ſparſit longius ævum,
Hac facie damnans horridiore viam.
Aſcenſum inſtituit cupidus ſpectator : at ille
Offenſat digitos ; hæret hic ; iſte labat.
Ut vidit STEPHANUS, ſaxa atq; obſtacula quævis
Summovet, ac plano tramite pandit iter.
Dat montis ſuperare apicem, dat lumine certo
Luſtrare optatas Martis & Artis opes.
Quid STEPHANO pretij ? Clario ſuadente Senatu,
Æternæ frondis tempora cinxit honos.
At tu parce chelyn Vatis jactare Riphæi,
Fabula, ſolertem ſaxa movere loco:
Saxa movere loco ſeris memorabitur annis
Non Orphea chelys, ſed STEPHANI Calamus.

PETRUS NICOL. MEHRNERUS.


HActenus externas tantum ſpectavimus arces
Quæq; peregrino ſub Jove nota latent:
Barbara Pyramidum ſi quæ miracula Memphis;
Si qua levis jactet culmina celſa Pharos;
Aut ſtruat invictos meretrix Babylonica muros
Oenotrioq; calent amphitheatra foro:
Miramur Dani. Turpe eſt curare Quirites
Si faciant propriæ dememiniſſe domus.
Altius erigitur STEPHANUS: patriæq; tiaras,
Et proavum illuſtrat ſecula priſca nepos:
Ecce iterum antiquum titulis ſublimibus ævum
Pullulat, atq; nova luce reſultat avus;
Imperij redeunt tot faſces, ſigna, ſecures;
Et diadema ſuam vibrat in orbe facem,
Ingreditur veteres regalis adorea frontes,
Atq; triumfalis tempora lambit honos;
Deniq; Grammatico redit auguſtiſſima fandi
Svada, paludatis invidioſa togis.
Laus STEPHANE illa tua eſt: ſecli penetrale revolvens
Authorem toto jam facis orbe capi.

Si quæ Pythagoræ constat reverentia turbæ,
Illa tuum petijt flamma diserta sonum.
Hoc fatale solum est; hæc tradux lingua potentis
Vocis; & hos habitat vox spatiosa lares,
Quæ rediviva meat sceptrorum fusa per actus,
Et docto Danum flumine tollit ebur;
Hic est, hic dignus reparata voce cothurnus,
Et gravitas natam sensit adesse tubam.

Epigramma posthumum
in laudem
SAXONIS GRAMMATICI,
ingentis historici, & optimi patriæ civis.

HEroum laudes; & linguæ grande sonantis
Fulmen; & Arctoi sceptra verenda soli;
Grammatici quod cernis opus; Quæq; ore beato
Flumina facundi concaluere viri.
Vidit Roma stupens: iterum pulsabimur, inquit:
Jam redit, & tanto vindice Cimber ovat;
Ausonio Cimber nomen fatale timori,
Incœpit Latio doctius ore loqui.
Imperio cecidisse leve est. Nunc sceptra parantur
Eloquij, & regni quæritur inde decus;
Majestas Romana tremit; gentisq; togatæ
Rostra peregrino succubuere polo.
Sic est. Grammaticum *Dani veneramur alumnum*
Atq; ipsi quicquid fertile lingua dedit.
Sive Aquilas & signa refert; animasq; capaces
Martis; hyperboreo classica mota mari.
Seu patriæ fastos: uno dictator ab ore est,
Et regale suum pulpita pondus habent.
Nos sapimus commune alij: pendemus ab ævo,
Et novat inceptum proximus author opus.
Saxo sed emeriti sublimior incola mundi,
In tenebris sparsit barbarieq; diem:
Est aliquid latialis honos, & pagina Livi;
Plus tamen est seclo desipiente loqui.
Collige Roma patres. Laus una est propria Pellæ,
Grammaticoq;: ævi non habuisse parem.

VITUS BERING.



PRæclare Rhetor, flos decusq; Danorum,
Cui jura fandi ac eloquentiæ fasces
Rex Christianus, ille duplicis regni
Ac seculi splendor, Paterq; Musarum
Helicona totum & quicquid est Camœnarum,
Ac eruditæ Antiquitatis indulsit;
Gaude triumphis Victor improbæ curæ,
Et plaude mecum; quodq; laudis est summum
Expone nobis Posterisq; Saxonem,
Illustre pignus, nec diutius differ
Tot Candidatis Arbitrisq; Virtutum,
Et quisquis est æternitatis & Suadæ
Humanioris cultor, id quod expectant:
Nec ipse clarum Nomini tuo nomen,
Et non labantis posthumum decus famæ,
Quam quisq; doctæ mentis Hospes exoptat
Animæq; grandis. Fallor an tuus tandem
Nosterq; Saxo in publicam redit lucem,
Seq; esse gaudet qualis haud potest nasci,
Sublimis Autor, quo nec Alter hoc cœlo
Aut verba rebus rectiora perpendit,
Aut explicatos doctius sinus Regum,
Et quod Deorum est, & quod est Deos infra,
Recludit ævo. Et jam Tibi Novenarum
Princeps Sororum gratulantium voces,
Priscasq; lauros, præmiumq; doctrinæ
Immune lethi nomen, & procul vulgo,
Ignaviaq; dissitas legit laudes;
Nec invidendâ fert in arduum pennâ.
Admitte felix quod mereris, & quod jam
Præstantius laude est, ubiq; Terrarum
Assuesce amari. Si quid Accolæ Belgæ,

Gens

Gens literarum gloriæq; fœcunda,
Debere forsan Vossio meo gaudent,
Quo nil Virorum fama doctius vidit,
Si Meursij Manes coluntur à Danis,
Et qui renasci vester jam solet Saxo:
Hæc tota passim patria, Insulæq; non victæ
Et si quid audis, nulla non suum Civem
Te Terra credit, nulla non colit doctum.
I macte saltem liberalium Vindex
Et Arbiter diserte disciplinarum
Tuasq; laudes publicis bonis junge,
Et quo sacræ Te mentis ille cœlestis
Accendit ardor, desidisq; jamdudum
Ignara vitæ, inglorijq; languoris
Erecta virtus, Indolesq; non vilis,
Assurge felix altioribus curis,
Et si quid est, quod scire publicè refert,
Debere nobis ac Nepotibus perge.
Hac arte pollens altius Deûm sedes,
Cœliq; tractus, arduæq; securum
Æternitatis clarus inveheS portum.
Et nos tuarum turba particeps laudum,
Quos possumus sacros litabimus plausus,
Lenesq; gratæ mentis Indices versus,
Et quos juvat nunc addidisse Scazontes
Si plura poscis, Docte Regis interpres,
Omnisq; tutor gratiæ & venustatis,
A seculis ac conscientiâ sume,
Quæ sola compensatio sui fertur,
Et digna merces, præmiumq; non vanum.

GODEFRIDUS CRETSCHMARUS.

Magnis magna placent, animosus ad ardua tendit
Spiritus, in gravibus sudor anhelus ovat.
Laus in sublimi prostat, vestigia retro
Ferre pudet, refugos maximus error habet:
Impetus in lucro est, nullum tentasse pigebit,
Asperat egregium palma severa decus.
Est honor ingenio trahere in suffragia Divos,
Et merita arbitrio ferre brabia poli.
Ecce tuis, Stephani, *crevit reverentia chartis,*
Divinumq; Helicon totus inumbrat opus.
Saxonem Latiæ commendant syrmata Svadæ,
Sublimemq; decet pompa decora stylum.
Ante quidem galeis Tyberim victricibus hausit
Cimber, & invasit rostra diserta Gothus:
Heic Marti certant Musæ, nam maxima grandis
Æquiparat tumido Saxo trophæa sono.
Duplex noster honor, dominas pepulisse phalanges,
Terribilesq; alijs hic tremuisse globos;
Et Latiæ ancipitem linguæ fecisse Quirino
Palmam, & convelli munere rostra suo.
Carpit at ignavum facunda volumina tempus,
Atq; rudes metuit pagina docta manus.
Saxoni hæc peperit tristes incuria nævos,
Indignas patitur dictio pura notas.
Emendat tantæ Stephanus *dispendia cladis:*
Dedisciq; apices fida litura nothos:
Attollunt numeros rediviva emblemata priscos,
Atq; gravis solito dictio more tumet.
Et ne difficilem involvat facundia sensum,
Interpres totum cura recenset opus.
Negligit obscuros jam lucida pompa cothurnos,
Lectoriq; patent verba rotunda suo.
Hæc duplicem Stephano *molitur adorea laurum,*
Perpetuoq; caput flore corona ligat.
Sis igitur στέφανος, *sobolíq; merere futuræ,*
Agnoscent studium secula grata tuum.

CHRISTIANUS AAGARDUS.

Quum monumenta spargi
Eruditorum videam, mordeo sæpe labra.
Non imitor bonorum
Facta, sed culpo potius, qui meruere laudem,
Egregios labores.
Danicus Heros, patiens pulveris atq; Solis,
Fortiter occupavit
Orbis extremi populo plurima regna victo.
Quæ sua buccinantem
Sæpe Saxonem soleo rodere dente acuto,
Atq; viris peritis,
Credulis illum rudibus reddere fabulosum.
Ut mea comprimantur
Labra, *Soranus* faciet *Vir, Stephanus*, coronâ
Perpetuo virenti
Myrthea dignus. Dubito, laus erit Absoloni
Atq; suo Clientum
Maximo, an detur *Stephano* gloria major! *Ære,*
Rupe, perenniores
Temporum æternâ serie sint Stephani labores.

Invidiam sic loquentem producit

GABRIEL CHRISTOPHORI
S S. T. St.

STEPHANI JOHANNIS STEPHANII NOTÆ VBERIORES

IN HISTORIAM DANICAM SAXONIS GRAMMATICI.

Et primò quidem in Præfationem.

Citè Pindarus Olymp. VI, & ex eo Lucianus in Hippia; Ἀρχομένου ἔργου, πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές: *Incipiente opere, frontispicium oportet facere præfulgidum.* Certè non potuit illustrius frontispicium, vel ut ita dicam, antepagmentum, Historiæ suæ præfigere Saxo, quàm adeo eruditam, & omnibus præclari Exordij numeris absolutam Præfationem. In eà potissimùm hæc tractat: Primò avtorem sibi condendæ Historiæ Danicæ, Absalonem, Lundensem Archiepiscopum, fuisse ostendit. Post ejus se obitum, Andreæ Sunonis, qui Absaloni in Archiepiscopatu successit, Opus suum inscribere coactum. Descendit deinde ad lavdes ipsius Andreæ; quem commendat ab eruditione & sapientiâ, à studio peregrinationis, à duplici munere, uno apud exteros, altero in patriâ lavdabiliter administrato; & demùm à religione, fide, & avtoritate, quâ in sacrâ illâ dignitate versatus fuerit. Hinc pavcis edocet, quæ potissimum documenta in contexendâ Historiâ sequvutus sit: nempe 1. Carmina patrij sermonis, à Danorum antiquioribus vulgata. 2. Inscriptiones veteres hinc inde in saxis ac rupibus repertas. 3. Islandorum Antiquitates; quorum simul singularem in Annalibus consignandis, & rerum vetustarum memoriâ conservandâ, diligentiam extollit. 4. Absalonis Archiepiscopi asserta & Narrationes. Mox Waldemarum II Regem Daniæ compellat: cujus etiam virtutes breviter perstringens, favore suo ut præsens Opus complectatur, rogat: ubi simul brevis S. Canuti Regis commendatio adjungitur. Transit deinceps ad Chorographicam Daniæ descriptionem: in quâ primum attingit Jutiam, utpote Danici regni principium. Cui subtexit provincias cæteras, Fresiam minorem, Fioniam, Sælan-

A diam, Scaniam, Hallandiam, & Blekingiam. In Blekingia meminit rupis admirandis literarum notis exaratæ: quam frustrà Waldemarus I perscrutandam curavit. Persequitur statim Svetiæ Norvagiæq; situm. Tùm Islandiam, ejusq; admiranda describit. Ad ultimum Svetiæ Norvagiæq; descriptionem altius repetens, Gigantesq; in Daniâ olim fuisse demonstrans, orationem ad institutum convertit.

B Pag. 1. vers. 9. *Qvum cæteræ nationes rerum suarum titulis gloriari*] Nulla gens non est lavdis avida; nec ulla est natio, quæ non ardentius gloriâ, quàm divitias diligat. Inprimis vero, si quæ præclara mortales cupiditate gloriæ gesserint, eorum memoriam, ad seros usq; nepotes, literarũ beneficio prorogari cupiunt. Hinc fit, ut, quomodo Saxo loquitur, unaquæque natio non proprias tantùm jactet virtutes, sed & egregijs majorum meritis impendio delectetur. Cæte-
C rùm priusquam Historiæ suæ primam admoveret manum Saxo, omnes fere nationes suos nacti erant Scriptores, qui res ab ijs gestas victuris annalium monumentis consignaverant. Ne dicam de Græcis & Romanis, quos sua antiquitas ad ulteriora retrò secula removit, inde ab Anno Christi Qvingentesimo habuêre Galli *Gregorium Turonensem, Secundum, Avtmarum, Eginhardum, Freculphum, Theganum, Nithardum, Aimoinum, Adonem Viennensem, Rheginonem, Dudo-*
D *nem Nevstrium, Ivonem*: Hispani *Joannem Gerundensem, Maximum Cæsaravgustanum Episcopum, Isidorum Hispalensem, Hildefonsum Archiepiscopum Toletanum, Gavfredum*: Angli *Gildam Sapientem, Nennium, Samuelem Benlanum, Bedam Venerabilem, Alfricum, Sulcardum, Ethelverdum, Turgotum Dunelmensem, Gvilielmum Rhievallensem, Gvilielmum Malmesberiensem, Henricum Huntingdonensem, Simeonem Dunelmensem, Gavfridum Monemutensem*: Germani *VVidichindum, Hrosvitham, Meginfridum, Albertum Metensem, Glabrum Rodul-*

phum, Hermannum Contractum, Lambertum Schafnaburgensem, Sigebertum Gemblacensem, Othonem Frisingensem, Radevicum, Marianum Scotum, Brunonem, Guntherum Poëtam: præter innumeros alios, quorum largam sanè copiam curioso Lectori suppeditabit Clarissimæ doctrinæ Vir, seculi nostri decus, & illustre Belgij sidus, Gerardus Joannes Vossius in avreo Tractatu de Historicis Latinis. Solis Danis non licuit esse tàm beatis. Nam ante Aimoinum, Adamum Bremensem, Helmoldum Butzoviensem, Ælnothum, & pavcos Scriptores Anglicos, qui res Danicas obiter & aliquâ ex parte tantum attingunt, vix unus aut alter inventus erat, ex Danis certè nemo, quod equidem sciam, qui Regum Daniæ absolutam atq; integram nobis Historiam dederat. Cavsam hujus defectus ipse Saxo nos edocet in ipsa hac Præfatione: *Quis enim res Daniæ gestas literis prosequeretur, quæ nuper publicis initiata sacris, ut religionis, ità Latinæ quoq; vocis aliena torpebat. At ubi cum sacrorum ritu Latialis etiam facultas accessit, segnities par imperitiæ fuit, nec desidiæ minora, quàm antea penuriæ vitia extitêre.* Et infrà Lib. IV. *Quod si patriam hanc fortuna Latino quondam sermone donasset, innumera Danicorum operum volumina tererentur.*

Ibid. *Rerum suarum titulis gloriari*] Non solùm Græci suà μνημεῖα, sed & prisci Romani varia habebant *Monumenta*, ut statuas, trophæa, fumosas imagines, & id genus alia, quæ posteros avitæ virtutis admonerent. Hæc ut plurimùm operosis *titulis* & splendidis inscriptionibus insignita erant, quæ rerum à majoribus præclarè gestarum lavdes amplissimas complectebantur. Hinc *Tituli* vox usurpari cœpta est, non modò pro nudâ ἐπιγραφῇ; verùm etiam pro lavde existimatione, encomio, elogio, gloriâ, celebritate, illustri famâ, & quicquid nomen alicujus æternitati consecraret. Ovidius Lib. II. Fastorum:

At tua prosequimur studioso pectore, Cæsar,
Nomina, per titulos ingredimurq; tuos.

Lucanus Lib. VIII. v. 72:

Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo
Fæmina tantorum titulis insignis avorum
Frangis? habes aditum mansuræ in secula famæ.

Valerius Maximus Lib. III. Cap. II. *Reddendus est nunc Romanæ juventuti debitus honos, & gloriæ titulus, quæ hostium exercitum rupit.* Inprimis creberrimus vocis hujus usus eo significatu fuit apud scriptores medij & posterioris ævi. Avrel. Prudentius Psychomachiâ, versu 206:

Non pudet, ô miseri, plebejo milite, claros
Attentare Duces? ferroq; lacessere gentem
Insignem titulis? veteres cui bellica virtus
Divitias peperit? ————————

Sic enim cum Victore Giselino legere malo, quàm cum Johanne Weitzio, Viro alioquin doctissimo, & de Prudentio optimè merito,

A *insignem telis.* Hericus, Monachus Altissiodorensis, qui claruit circà tempora Caroli Crassi, Anno Christi, DCCCLXXX, Libr. II Vitæ S. Germani:

Moribus & meritis spectatus Amator opimis,
Vivere cui Christus fuit, & sors ultima lucrum,
Virtutum plenus titulis ————————

Guntherus Lib. 1. Ligurini, vers. 354:

Pars operum titulos jactant, ævíq; minoris
Vix æquanda viris. ————————

B Eodem Libro, vers. 608:

— *ambo pares factis insignibus, ambo*
Majorum titulis. ————————

Et versu 561.

———————— *cunctos simul ore venusto*
Lavdat, & egregios titulis exaggerat actus.

Et Libr. X. v. 575.

Muneribus lætos, titulis dimittit onustos.

Galterus Libr. II. Alexandreidos. Fol. XX.

C *Pro patria stare, & patriæ titulis, & honore*
Invigilare decet. ————————

Columbanus in Monostichis:

Hæc præcepta legat devotus, & impleat actu,
Virtutum titulis vitam qui quærat honestam.

Ad quem locum Doctissimus vir, & cui plurimas melioris notæ Antiquitates debemus, Melchior Haimisfeldius Goldastus, hæc adjunxit aliorum avctorum loca. 1. Isambardi Diaconi, in charta Traditionis, quam Wago contulit D Monasterio: *cujus vita multis virtutum titulis claruit.* 2. Arnulphi Lexoviensis Epitaphio Mathildis Imp.

Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit Mulier. ————————

3. Papiæ Gloss. *Titulus dicitur inscriptio, vel signum laudis & honoris, vel laus.* Solens verò hac voce utitur eminentissimus seculi sui Scriptor Johannes Sarisberiensis, qui claruit sub Friderico I. Imperatore. An. Ch. M. C. XL. Ut libro III Policratici, cap. X. *Inter cætera clarioribus Avgusti titulis connumeratur, quòd in tantæ pestis congressu manserit invictus.* Et paginâ versâ: *Tractum est hinc nomen, quo Principes virtutum titulis & veræ fidei luce præsignes se Divos audeant, nedum gaudeant, appellari.* Idem Lib. IV. Cap. XI. *Quis enim illos ambigit alijs præferendos, qui quasi naturali probitatis privilegio ampliati majorum titulis invitantur ad virtutem.* Et Libr. VI. cap. VI. *Haraldus quidem armis strenuus, & laudabilium operum fulgens insignibus, & qui tàm suam, quàm suorum posset apud posteros gloriam dilatare, nisi meritorum titulos nequitiam patris imitans, decoloraret.* Et Lib. VII. cap. XXIV. *Nunquid tanti parricidij labes, omnes non modò fortunæ dotes, sed quamvis magnificos virtutis titulos non obliterat?* *Titulus* etiam alicujus Sancti est Basilica, vel Ecclesia, aut Capella [ut Barbari amant loqui] ejus honori dicata & consecrata. Hinc Cardinalium Ecclesiæ Roma-

Romanæ *tituli.* Ecchehardus Junior Cap. 1. *In titulo Apostolorum conditum.* Et statim: *ad titulum S. Petri, qui est in Cœmiterio S. Galli.* Et Cap. 9. *In cella Salomonis circa parietem tituli S. Georgii.* Walafridus de S. Othmaro, Cap. 1. *Cuidam Ecclesiæ, titulo S. Florentini Confessoris, prælatus est. Titulandi* verbo usus est Petrus ille vere Chrysologus, Sermone CLV. de Calendis Januariis, quæ variâ gentium superstitione polluebantur: *Quorum formant adulteria in simulachris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum titulant incœsta picturis.* Item Tertullianus libro de judicio Domini:

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Musas
Et vernis roseas titulabit floribus auras?

Ad quem locum Georg. Fabricius: *Titulare, est veluti insigni quodam ornare. Detitulare* etiam nove dixit mirus verborum artifex, sed tamen Poeta suâ tempestate florentissimus, Josephus Devonius Iscanus Anglus Libr. II. De Bello Trojano, pag. 43.

——— *Propriæ nam venditor artis*
Detitulat titulos, quos ingerit ———

Ex majorum recordatione] Ex memoriâ rerum præclare à majoribus gestarum. Formula imitationem Valerianam referens.

10. *Danorum Maximus Pontifex Absalon*] *Maximum Danorum Pontificem* Saxo hic vocat, qui aliàs *Archiepiscopus Lundensis* vulgò dicitur. Hic verò ille est Absalon, qui ex illustri & generosa *Candidorum* familiâ, quam vernacula de Hvide nominat, oriundus, jam ante Roschildensis Episcopus, post quendam Ascerum, svadente Eschillo Archiepiscopo, qui in Galliam profectus Pontificatu se abdicaverat, approbantibus id simul Valdemaro magno Rege, & Ecclesiasticis atq; plebejis universis, in locum Eschilli surrogatur, fitq; Lundensis Archiepiscopus, retentâ nihilominus, indultu Romani Pontificis, Ecclesia Roschildensi. Ejus rei ipse Saxo meminit infrà Libro XIV. *Absoloni Lundensem Pontificatum assumere jussum, & Roschildensem administrare permissum. Ita geminum Ecclesiæ regimen in ejus jus ditionemq; concessit, alterum præcepto, alterum indulgentiâ sortientis.* Vixit Absalon sub Regibus Daniæ Valdemaro I. & Canuto VI hujus filio, quibus bonam operam navavit in bellis, maximè Wandalico, in quo præclara multa gessit, terrâ mariq;, semper

Consilio pollens, & linguâ promptus & armis.

De qua re Saxo prolixè Lib. XIV. Historiæ suæ, & sequentibus. Cæterum hic non alienum erit locum quendam de morte Absolonis, ejusq; laudibus, adducere ex Arnoldi Abbatis Lubecensis Chronico Slavorum Lib. IV. Cap. XVIII. *Hoc dierum curriculo ex hac vita subtractus est Dominus Absalon, Lundensis Archiepiscopus, vir religiosus & magni consilij sive discretionis, & præcipuæ honestatis. Hujus industriâ omnes Ecclesiæ totius Daniæ, prius discordantes, uniformes in officiis divinis factæ sunt. In Cathedrali sede Crucifixum superaffigi præcepit, ut accedentibus & recedentibus reverentia Crucifixo magis quàm sibi fieri videretur. Præterea largè sua Ecclesiis & monasteriis conferens, maximè Cathedralem Ecclesiam B. Laurentii Martyris Lundis ditare & ornare studebat Coronis preciosis, & campanis maximis, ut nunc cernitur, & diversis ornamentis. Et quia erat, ut dictum est, vir religionis amator, monasterium Cisterciensium Monachorum in Sora ædificare & ditare satagebat, ubi etiam circa finem dierum suorum molestiâ corporis tractus ægrotabat. Ordinatis autem Ecclesiæ rebus, in die B. Benedicti Abbatis, diem clausit extremum. Cujus morte omnis Dania non parum indoluit, & quia multos discordantes ad pacem in vita sua reformaverat, ipsius exitum Jesu Christo, pacis auctori, commendabat.* Multa etiam de Absalone Chronicon MS. quod penes me est, continens seriem Archiepiscoporum Lundensium, in vita Absalonis.

12. *Cujus illustrandæ maximâ semper cupiditate flagrabat.*] Post sincerum Dei cultum, & ingenuum libertatis amorem, nullam equidem viro bono digniorem judico virtutem amore patriæ: cui non solùm vitam impendere, sed & omnia vitæ momenta ad eam ornandam conferre decet. Ea laus verè Absoloni nostro debetur; qui non modo à cervice patriæ externorum hostium vim invicto animi robore sæpenumero propulsavit, proq; Danico imperio augendo custodiendoq; pertinaci semper vigilantiâ excubuit: sed &, ne inimica & infida semper memoriæ noverca oblivio Danorum fortia facta, & laudabilium operum fulgentissima insignia penitus obrueret, scriptorum beneficio æternitatem illis conciliare omni ope conatus est. Eo fine, ut memoriæ proditum extat, in inclyti illius monasterij Sorensis recens à se conditi fundatione, sumptus planè liberales atq; magnificentissimos illorum destinavit sustentationi, qui ibidem loci à turba rerum hominumq; semoti, quasi in alto quodam ac pingui secessu, rebus Danicis in Historiam conferendis unicè vacarent. Hinc tandem mandatu itidem Absolonis, ad Saxonem Grammaticum Historiæ patriæ contexendæ negotium devolutum est.

13. *Eo claritatis & monumenti genere fraudari non passus.*] Cicero Oratione pro Archia: *Plena Exemplorum vetustas: quæ jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet.*

Horatius Lib. 4. Ode IX.

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiq;, longâ
Nocte: carent quia vate sacro.

Inutiliter, ait Sarisberiensis Prologo in Policraticum suum, *Heroicis viris geruntur egregia, perpetuis tenebris obducenda, nisi literarum luce CLARESCANT.* Nec pigebit & cætera adjungere in hanc sententiam verba illius verè aureola: *Jocundissimus*, inquit, *cùm in multis, tùm in eo maximè* est

est literarum fructus, quod res situ dignas situ aboleri non patiantur. Exempla majorum, quæ sunt incitamenta & fomenta virtutis, nullum omninò erigerent aut servarent, nisi pia sollicitudo Scriptorum, & triumphatrix inertiæ diligentia, eadem ad posteros transmisisset. Quis enim Alexandros sciret aut Cæsares, quis Stoicos aut Peripateticos miraretur, nisi eos insignirent momumenta Scriptorum? Quis Apostolorum & Prophetarum amplexanda imitaretur vestigia, nisi eos posteritati divinæ literæ consecrassent? Nullus enim constanti gloriâ claruit, nisi ex suo vel alieno scripto. Eadem est asini, & cujusvis Imperatoris post modicum tempus gloria, nisi quatenus memoria alterutrius, Scriptorum beneficio prorogatur. Quot & quantos arbitraris fuisse Reges, de quibus Sermo nusquam est, aut cogitatio? Nihil ergò consiliosius est [ita loquitur more sui seculi] *captatoribus gloriæ, quàm literatorum & Scribentium maximè gratiam promereri.* Hæc Sarisberiensis.

14. *Mihi comitum suorum extremo.*] Varia vocis hujus apud notæ melioris autores usurpatio. *Comites* olim dicti, qui Magistratus in Provincias euntes comitabantur, quiq; erant ex cohorte Prætoria. Cicero 1. ad Q. Fratrem: *Hos inter, quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa Respublica, duntaxat finibus his præstabis.* Catullus.

Pisonis comites, cohors inanis,

Horatius Sat. 7. lib. 1.

— Laudat Brutum, laudatq; cohortem,
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasq; salubres
Appellat comites. ————————

In tumulo Titi Plautij: LEGATO ET COMITI CLAUDII CÆSARIS IN BRITANNIA. Sic Celsus vocatur ab Horatio *Comes & Scriba Neronis.* Plinius Lib. IX. ubi de Trebio Nigro: *L. Lucullo Procos. comperta, quæ Trebius Niger è comitibus ejus prodidit.* Suetonius in Julio cap. 42. *Nev quis Senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus peregrè proficisceretur.* Juvenalis Sat. 8. *Si tibi Sancta cohors comitum.* Videatur Ludovicus Aurelianus in Novis Cogitationibus ad Taciti Annal. Lib. 1. pag. 99. Ejusmodi ferè & illi, qui *Comites* & *amici Augustorum*, dicebantur, nempe qui à consiliis erant, eosq; in bellicis expeditionibus sequebanter: de quibus Spartianus in vita Adriani: *Quum judicaret in consilio habuit, non amicos suos aut comites solùm, sed juris consultos.* Vetus Saxum Mediolani:

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C. V. COS
AMICO. ET
COM. AVG. N.

Ubi *amicus* & *Comes* Avgusti simul ponitur. Alioquin nomina officiorum erant; *Comes rei militaris: Comes rei privatæ: Comes thesaurorum:* de quibus operæ erit pretium consulere luculentissimum commentarium Viri doctissimi, Cl. Salmasii in Hist. Augustæ Scriptores. Itaq;

A hoc loco per *Comites* intelligendi fortè veniunt non tam illi, qui lateri alicujus individui adhærent, & tantum non contubernales sunt; sed potiùs ejus dici possunt comites esse, quem veluti superiorem agnoscunt, & cui obsequium debent. Sic infra Lib. VI. Starchaterus se *Frothonis comitem* nominat: *Quando Frothonis Comes annotabar.* Simili ferè ratione se *Comitem Senatûs* vocavit M. Tullius in Oratione de Aruspicum responsis. Et Lucretius Libro III Poëtas,

B *Comites Heliconiadum*, hoc est, Musarum, admirabili venustate dixit. Sic Philippum Medicum *comitem Alexandri* nominavit Valerius Maximus Lib. III. cap. VIII. *Qui cum ad unam potionem sententiam direxissent, atq; eam Philippus Medicus suis manibus temperatam Alexandro* [*erat autem ipsius amicus & comes*] *porrexisset.* Plautus Psevdolo Actus 1. Scenâ 1.

——————— *nam tu me antidhàc*
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.

C Ita & condiscipuli Persio dicuntur *Comites* Sat. III. v. 7.


Unus ait comitum

Ad quem locum optimè commentatus est Isaacus Casavbonus: *Fuere, inquit, qui unum Comitum putarunt dici Persio, Philosophum, qui superioribus verbis discipulos suos stertentes increpuit: qui magnus est error. Nam comites heic sunt condiscipuli. Falluntur nimis, qui ad Philosophos referunt, quos Proceres Romani in suo comitatu soliti erant habere.*

D Fuit etiam apud veteres Danos honestissima *Comitis*, [qui illis ᚠᛁᛚᛆᚴᛆ, *Filaga*, dicebatur] appellatio, quâ eos duntaxat insignire solebant, quos in bellis & expeditionibus gravioribus, aut fortasse omni in vita, variorum periculorum & laborum socios se habuisse testarentur. Documento nobis erit Inscriptio monumenti *Gorstangensis*, in Nomarchia Scaniæ *Pherosta*, vulgo *Frosteberrit*, *quæ sic habet:*

E

F



Hoc

Hoc eſt: *Dulfr ug Ulfr ridi ſtino diſi uſtir Osmut liba filaga ſin*

DULFR ET VLFR POSUERUNT LAPIDEM HUNC OSMUTO DILECTO COMITI SUO.


Ubi ᛚIBᛅ, *Liba*, charum dilectumq; notat, quomodo Germanis τὸ Liebe: pro quo noſtrates hodieq; Kiere/ vel Elſkelige dicunt. Multa enim vocabula merè Germanica Danis antiquis in uſu, quæ jam exoleverunt; ut Wiff pro fœmina, & id genus alia. Niſi forſan ᛚIBᛅ, *Liba, vitam* indicet, quam nos Liff dicimus; ut ſignificet Osmutum talem fuiſſe comitem, cui in ſummo vitæ diſcrimine & graviſſimis periculis tutò fidere liceret; eâdem ratione, quâ Liffdreng/ famulum, qui vitæ alicujus curam gerit & quaſi excubias agit: Liffancker/ *ſacram anchoram*, nominamus. Sic Martinus Opitius Notis in Rhythmum de S. Anno- A ne, ad illa verba *Wi ſich liebin wineſcefte*, notat Otfrido S. Galli Monacho in Evangeliorum Libro ante DCCLXXX annos rythmis linguâ Francicâ conſcripto, *Lib* idem eſſe, quod Germanis Leben/ Belgis Leven/ Anglis Live/ Danis Liff/ *Vita*. Vocem autem ᚠIᛚᛅᚴᛅ *Filaga*, nobis jam minus tritam, à verbo Jeg følger/ quod comitari, ac ſocium ſe præbere indicat, traductum ſuſpicor: ut ſic ᚠIᛚᛅᚴᛅ, *Filaga*, comitem aut ſocium denotet, qui fidus Achates, B præcipuè adverſa in fortunâ, cuipiam extiterit. Cæterùm de genuino hujus monumenti ſenſu videatur Clariſſimus Vir, & incomparabilis Antiquitatum Septentrionalium vindex atque aſſertor, D. Olaus Wormius, in aureo Monumentorum Danicorum opere Lib. III. Cap. IV. Qui etiam eodem Libro, Cap. XII. aliud nobis repræſentat Monumentum, in quo vox ᚠIᛚᛅᚴᛅ, *Filaga*, occurrit:



Sagſi ſeti ſtin deſi euſtir Osbjurn ſin filaga, Tufas ſun, ſem ſoti egi at Upſalum, anva maden vabn eſdi. Hoc eſt:

SAXO LAPIDEM HUNC POSUIT ESBERNO COMITI SUO, TUFÆ FILIO, QUEM EGO UPSALIÆ ENUTRIVI: ANVA INSIGNIA ET ORNAMENTA ADDIDIT.

Sic in Hiſtoria Canuti Regis MS. priſco no- C ſtro idiomate: ᚦᛅ ᛘᛁᚿᛁ ᚦᛅᚱᚦᚱ ᛋᚴᛅᚱI ᛏIᛚ ᛏᛅᛚᛅᚱ ᚠᛁᚱᛒIᛚ ᚠI-ᛚᛅᚴᛅ ᛋIᚿ: *Tunc dixit Thoro Skori ad Tolarum Verpil, comitem ſuum*. Eandem vocem in Hobroenſi altero monumento, quod exſtat Lib. V. Cap. III. Monumentorum Danicorum Wormij, invenio; ſed literis paululum mutatis:



Thurir risdi ſtan doaſi ufti Karl hin gudoa fylaka ſin, herde gudian tryg.

THORO LAPIDEM HUNC POSUIT CAROLO BONO COMITI SUO, DIIS EXERCITUUM FIDO.

In Teſtamento Abſalonis MS. quod in mea Bibliotheca aſſervatur, Saxo dicitur *Clericus* Abſalonis: *Saxoni Clerico ſuo duas marcas argenti & dimidium conceſſit, quas ſibi donavit.* *Extremum* vero *Comitum* Abſolonis ſe Saxo agnoſcit, ex ſolenni illâ formulâ, quam humilitatis ſuæ, & honoris alieni gratiâ de ſe uſurpabant vetuſtiſſimi Scriptores Chriſtiani. Exempla quia paſſim obvia, hoc loci ea accumulare non eſt animus.

15. *Res Danicas in Hiſtoriam conferendi.*] Sic Marcus Junianus Juſtinus præloquio Hiſtoriæ ad Antoninum Imperatorem: *Quum multi ex Romanis, etiam Conſularis dignitatis viri, Res Romanas Græco peregrinoq́; ſermone in Hiſtoriam contuliſſent.*

Ibid. *Negotium intorſit.*] Hoc eſt, provinciam Hiſtoriæ ſcribendæ Abſolon mihi ſummo cum Imperio, cui ſine omni parendi dedignatione ſubmittere me coactus fui, injunxit ac impoſuit. Singularis enim Emphaſis eſt in voce hac *intorſit*, quæ violentiam quandam denotat, cui affinis videtur mox adjuncta formula: *Crebræ exhortationis imperio compulit.* Et videtur Metaphora ſumpta à telo, quod in hoſtem intorquere dicimur. Simili ſignificatione τὸ *impegit* uſurparunt Ammianus Marcellinus, & Julius Firmicus. Hic præfatione Lib. 5. ad Mavortium Lollianum: *Da veniam, quod gracilis ſermo ad numinis tui ſecreta pervenit. Non enim ſacrilega cu-*

A *piditas, aut profanæ mentis ardor, ad hoc nos ſtudium nuper impegit.* Ille Lib. XV. pag. 42. Edit. Lindenbrogianæ: *ut abſenti æmulo, quem quietum ſupereſſe adhuc gravabatur, periculoſæ molis onus impingeret.*

16. *Inopemq́; ſenſum.*] Venantio Fortunato, *anguſti ſenſus ingenium* idem eſt quod Saxoni *inops ſenſus*, in Præfatione ad Gregorium Papam. *Senſus* hic pro ipſo animo, ſive mente, quæ varios expromit ſenſus, ut Lucretius Lib. 2. ait,

B poni videtur. Gloſſarium: *Senſus*, αἴσθησις, νοῦς. Math. Martinius in Etymologico ſuo: *Senſus eſt 1. actus ſentiendi*, hoc eſt *cognoſcendi corporalia, eaq́; ſingularia. 2. Facultas ſentiendi. 4. Intellectio, conceptus mentis. 5. Vis intelligendi, ratio. 6. Anima quæ ſentit. 7. Sententia animo concepta. 8. Voluntas, qua ſenſa volumus. Uſitatiſſimè de ſenſibus externis dicitur.* *Inopem* verò, ni fallor, dixit, quaſi deſtitutum omni facultate ea concipiendi, quæ digna luce eſſent & celebratione. Sic

C *inopem linguam*, Cicero 3. de Finibus.

Ibid. *Majus viribus opus ingredi.*] *Ingredi*, pro *Aggredi*. *Diſputationem ingredi*, Cicero pro Cecin. *Orationem ingredi*, Idem ad Atticum lib. 15. *Studia ingredi.* Quintilian. lib. 1. cap. 16.

17. *Res Daniæ geſtas.*] Pro *Danorum*, ſive *à Danis geſtas*, per Metonymiam Subjecti, quæ longè frequentiſſima eſt, cum locus pro ipſis incolis uſurpatur. Sic Cicero in oratione pro Lege Ma-

D nilia, *Italiam, Siciliam, Galliam, Hiſpaniam* poſuit, pro *Italis, Siculis, Gallis, Hiſpanis.* Et *Roma* pro *Romanis* crebrum eſt.

18. *Quæ nuper publicis initiata Sacris.*] Ante Annos circiter centū & quinquaginta, quùm hæc ſcriberet Saxo. Non etenim reſpicit primam illam Chriſtianiſmi in Daniam introductionem, quæ incidit in annum à nato Chriſto DCCCXXVI, quo Haraldus, Klack dictus, cum Erico fratre Moguntiæ baptizatus: ſed illa potius tempora,

E queis Daniæ Rex Sveno, cui à furcatâ barba cognomentum *TyſſveSkeg* inceſſit, Chriſtianorum acerrimus perſecutor, per varia pericula & mala ad pœnitentiam perductus, tranquilla Eccleſiæ Halcyonia conceſſit. Nam poſt ejus converſionem, non modo templa exſtrui frequentia, verùm etiam Epiſcopi per Daniam ordinari cœperunt, univerſo ferè populo ſine tergiverſatione complexo fidem Chriſtianam; abjuratis impietatibus & cultibus Ethnicis: ut liquet ex Saxo-

F nis noſtri Libro X.

19. *Latinæ quoq́; vocis aliena.*] Id eſt, expers, ignara. Sic *aliena conſilij domus*, Salluſtio in Catilin. *Torpebat* autem extremam quaſi barbariem denotat, quâ Dania, proh dolor! tot ſeculis oppreſſa jacebat: ſicut Ingenium *torpere* dicitur incultu atq; ſocordiâ.

Ibid. *Latialis etiam facultas acceſſit.*] Hoc eſt, cognitio, peritia, & uſus lingvæ Latinæ. A *Latio* eſt *Latialis*, ſeu potius *Latiaris*. Unde *Jupiter Latialis* olim

olim dictus, quod Latio præesset, sive in Latio coleretur. Lucanus:

Et residens celsâ Latialis Jupiter Albâ.

Cicero pro Milone: *Tuq; ex tuo edito monte Latialis Sancte Jupiter.* Ubi pro *Latialis* omnino *Latiaris* legendum esse contendit Freigius in notis ad hanc Orationem. pag. 324. & indicasse sibi Cl. Puteanum commemorat, in Lactantio suo MS. Lib. 1. cap. 21. plane scriptum fuisse *Latiaris Jupiter*, ubi vulgo legitur *Latialis*. Idem ex Julio Firmico locum profert, Lib. de er. prof. relig. qui sic habet: *Humanarum te etiam victimarum frequenter sanguine cruentasti, & Latiaris templi cruore, vel ara Carthaginis, rabies tua, & siccarum faucium venena nutrita sunt.* Ubi in Libris vulg. pro *Latiaris* impressum fuit, *Satiaris*. Græci hunc Jovem λαπιάριον δία vocant. Halicarnassæus Lib. 4. θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ λαπιαρίῳ διΐ. Theophilus quoq; Lib. 3. & Tatianus λατεάριον Δία nominant. Hinc Plinius quoq; Lib. 37. Cap. 7. *Latiarium* appellat: *Amplitudo tanta est, ut conspiciatur à Latiario Jove.* Saxo vero Martianum suum Capellam hic expressit, cujus hæc sunt verba, Lib. IV. pag. 96. *Quicquid nosset illa, Latiali promere cœpit facultate.* Et obvium passim apud eundem hoc vocis est. Sic loco jam dicto: *Ni Varronis mei inter Latiales glorias celebrati mihi eruditio industriaq; suppeteret.* Item *Latialiter dissertare*, pro *Latine loqui* dixit Lib. IV. pag. 98. *Qui Grajam dissertare Latialiter compulistis.* Et alibi, Lib. nempe VI. pag. 189. *Inspirans nobis Grajas Latialiter artes.*

20. *Quàm antea penuriæ vicia*] *Penuriam* intelligit Scriptorum, sive *Latinæ vocis*, quâ rerum Danicarum monumenta consignari possent. Transfertur etenim ad res varias *penuriæ* vocabulum, sicut & *inopiæ*. Ita *penuriam consilij* dixit Plinius Lib. VIII. cap. 6.

21. *Quo evenit, ut parvitas mea.*] *Parvitatem* Saxo pro vilitate seu humilitate ponit: quâ in significatione raro hac voce, quod equidem scimus, usi sunt veteres. Primus, ni fallor, Valerius Maximus in prologo ad Tiberium Cæsarem, civitate donavit: *Nam si prisci Oratores à Jove Opt: Max: benè orsi sunt; si excellentissimi vates à numine aliquo principia traxerunt; mea parvitas eò justius ad favorem tuum decurrerit.* Quam ob causam multi in dubium vocare non verentur ætatem Valerij, statuentes, eum minimè Tiberio Imperatore vixisse, cum castitas floreret Linguæ Latinæ; sed potius auctorem esse ævi sequioris. Utitur etiam hoc vocabulo Tullius de Universitate, sed in significatione quantitatis: *Quæ cerni non possunt propter parvitatem.* Justus Lipsius in brevibus ad Valerium Notis vocem hanc omnino vult expunctam, ut Barbaram & minus elegantem: quam audaciam & Stephanus Pighius optimè de Valerio meritus, & Christophorus Colerus, rectè improbant. Intelli-

A git vero Valerius [inquit Colerus] μεταφορικῶς paupertinum ingenium suum, sicut *parvum ingenium* apud Plinium in Epistola quadam. Et *Parvus* etiam pauper, sive egens dicitur. Philargyrus ad illud Virgilij:

——————— *Tibi Delia parvus.* hoc est, vel *puer*, vel *pauper*. Sic Horatius:

——————— *parvi properemus & ampli.*

Id est, *divites ac pauperes.* B. Ennodius Episcopus Ticinensis, qui floruit ætate Zenonis & B Anastasij Imperatoris, Lib. VII. Epist. 24. ad Senarium: *Reddat pro parvitate mea altissimus, quod agnoscit à vobis fuisse collatum.* Rhabanus Maurus, qui floruit Anno Christi DCCCLV. In Præfatione Libro Pœnitentium præfixâ ad Othgarium Archipiscopum: *De cætero quoq;, quia quando hic præsentialiter fuistis, placuit Sanctitati vestræ cum parvitate nostra aliquid tractare ac conferre.* Item Epistola ad Humbertum Episcopum: *Igitur quia à mea parvitate voluisti, quid sen-* C *tirem de hac re, tibi rescribi.* Paulus Diaconus rerum Longobardicarum scriptor vetustissimus Lib. 1. Cap. XXVI. *Ego quoq; pro parvitate ingenij mei ad honorem tanti Patris singula ejus miracula contexui.* B. Eligius Episcopus Homilia 1. *Quam nunc à mea parvitate coram ipso prolatam efficiat exaudibilem Caritas vestra.* Deprimendi sui gratia Christiani auctores sæpe ista Phrasi utuntur. Ita Theodosius, cujus beneficio quædam Dionis habemus apud Xiphilinum non comparen- D tia, nomini suo ubiq; ascripsit ὁ μικρός: quod ineptiunt, qui ad Theodosium Juniorem Augustum trahunt. Eâdem notatione voculam *Batzar* usurpasse videtur Severus Patriarcha, Libro de ritibus sacris: cujus hæc sunt verba, pag. 23. *Misce, Domine, aquas istas per deprecationem*, Debatziruthi, *parvitatis meæ.* Eleganter, ut omnia, auctor cum veterum quopiam comparandus, Johannes Sarisberiensis Policratici Lib. 11. Cap. 22. *Primò, quia divinæ* E *majestatis immensitatem parvitatis humanæ modulo circumscribis, & æternitatis immutabilem statum, labentium rerum imagine, & succedentium sibi temporum varietate distinguis.* *Parvitatis* vox usitatissima est Lupo Abbati Ferrariensi in Epistolis, qui vixit Carolo Calvo Imperatore. ut Fol. 2. Epist. 1. *Quemadmodum vos meæ parvitati vestra tùm probitas, tùm sapientia fecerat claros.* Fol. XI. Epist. 4. *qui absq; respectu vestræ magnitudinis cum mea parvitate conferre tàm seria non horruistis.* Fol. XII. Epistolâ 5. *Atq; si vobis hinc à parvitate mea* F *quicquam persuaderi potuerit.* Fol. XXI. Epist. 14. *Verùm quia meam parvitatem à vestra Excellentiâ separat continens.* Fol. XXII. Epistolâ 16. *parvitatem verò meam ad vestram amorem sincerissimo affectu invitando.* Fol. XXIV. Epist. 18. *Quod parvitatem meam duplici onere gravari, non provehi facilè sentiebam.* Fol. XXVII. Epist. 20. *Ex parvitate mea digneris salutare Præpositum.* Et sic deinceps,

inceps, Fol. XXX. XXXI. XXXIV. XL. XLIII. LVIII. LXV. LXXXVII. LXXXVIII. XCVIII. CV. & CVI. Non aliter Caroli Magni nepos, cordatus sane scriptor, Nithardus alicubi: *Vos verò difficultates, quæ ex eâdem modestiâ parvitati meæ obstiterunt, inspicere deposco.* Rupertus Tuitiensis Prologo in Apocalypsin Johannis: *Agebat hic per nimiam suæ mentis benevolentiam, quâ jamdudum de parvitate meâ sentire cœperat altius, quàm se habet ingenij mei impossibilitas.* Arnulphus Lexoviensis, qui vixit circiter annum Christi MCLXX. Epistola 4. *Licet autem majestas beneficij modulum nostræ parvitatis excedat, dignissimus profectò dicendus est, quisquis totum quod potest, ad gratiarum congerit actionem.*

22. *Supra vires niti, quàm jubenti resistere.*] Valerius Maximus Lib. IV. Cap. 8. *Proni studij certius indicium est supra vires niti, quàm viribus ex facili uti.*

23. *Factorum traditione.*] *Traditio* significare videtur continuatam celebrationem, & quandam quasi per manus & scripta traditam, & veluti propagatam commemorationem. Gellius Lib. XIII. Cap. 21. *Apparet non esse id Poëticè à Plauto dictum, sed eam quoq; traditionem fuisse, ut Nerio à quibusdam uxor Martis esse diceretur.*

Ibid. *Hujus gentis opinio.*] *Opinio*, id est, fama & celebritas; ad imitationem Valerij Maximi, qui solens eo significatu hanc vocem usurpat. Seneca Rhetor Lib. 2. Controversiarum: *Fabianus Philosophus adolescens admodùm, tantæ opinionis in declamando, quantæ posteà in disputando fuit.* Sidonius Apollinaris, ardentissimi vir ingenij, Epistolâ 1. Lib. 1. *Contenti versuum felicius quàm peritius editorum opinione.* Epist. V. Lib. I. *Aut urbes mœnium situ inclytas, aut montes nominum opinione vulgatos.* Sic Epistola X. Lib. 3. & XIV. Lib. 8. IV & XIII, Lib. 7. Paulus, V. Sententiarum, titulo IV. §. XIII. *Interest enim publicæ disciplinæ opinionem uniuscujusq; turpi carminis infamiâ vindicare.* Lib. VII. Quemadmodum testamenta aperiunt. *Optimæ opinionis viri.* Arrianus in L. unicâ Cod. Theodos. de his qui veniam ætat. impet. *honestatis commendat opinio.* Lex ait: *Certa fama commendat.* Opinio ergò est *fama*: Unde *opinati Philosophi* Julio Firmico Lib. 3. Cap. 3. id est famosi & celebres. Sic Cassiodorus in Chronico: *opinatissima civitas.* Eidem Lib. 8. Epistolâ XXXIII. *Opinatissimum Ephesi Dianæ templum.* Jordanes Histor. Gothica: *Hilarion opinatissimus Palæstinæ solitudinis accola.* Aldhelmus de laudibus virginitatis: *David opinatissimus Regum.* Ælnothus de vita S. Canuti, pag. 4. *Et quæ de opinatissimo progenitore vestro, gloriosorumq; germanorum tuorum temporibus adhuc usq; præsentia magnificentiæ vestræ tempora colligendo perstrinxi.* Andreas Abbas de vita Othonis Imperatoris Lib. 3. Cap. 2. *Hic itaq; civitatis Stetinensis gloriâ ex divitiis inter suos opinatissimus.* Helmoldus Chron. Lib. 1. Cap. 15. *Elapsus est ad civitatem opinatissimam Sclavorum, nomine Winnetam.* Opinio item pro fama non raro occurrit apud auctores alios. Lupus Servatus in vita S. Wigberchti, Cap. 3. *Dumq; felix illius ubertim spargeretur opinio, ad clarissimi viri, Bonifacij aures usq; nutu divino pervenit.* Et Arnobius Lib. VI. *Exemplarium fuisse perhibetur cunctarum, quæ in opinione sunt, Venerum.* Galterus Lib. VII. Alexandreidos. Fol. 77.

Quam si distulerit, vel fortè remissius æquo
Egerit, illustris minuetur opinio Regis
Decolor, & famæ multùm diversa priori.

Evgippius in vita S. Severini, Cap. XI. pag. 14. *Tam celeberrima Sancti Severini flagrabat opinio, ut certatim eum ad se castella singula pro suis munitionibus invitarent.*

26. *Audacius quàm efficacius parui.*] Paulus Orosius Præfatione Chronici sui ad Augustinum: *Præceptis tuis parui, beatissime pater Augustine, atq; utinam tam efficaciter, quàm libenter.*

29. *Cujus fatis cœpti mei metam præcurrentibus.*] Hoc est, Qui cum in fata concederet, antequam ultimam Historia mea reciperet manum. Obiit enim Absolon Archiepiscopus Anno Domini CIↃ. CC. I. die Martij XX, vel quod eòdem redit, XII KL. Aprilis, Archiepiscopatus sui Lundensis anno XXIII. Episcopatus sui Roschildensis Anno XLIII. Soræ sepultus.

Ibid. *Te potissimùm, Andrea.*] Andreas natione Sialandus, Sunonis filius, Ebbonis nepos, Schialmonis Candidi Pronepos, Absoloni mortuo in Archiepiscopatu Lundensi succedit. Vir erat hic admodum Literatus, & Theologiæ ac fortasse etiam Juris Doctor, qui post pervagatas à se regiones varias Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Regi tandem Canuto Valdemari filio à secretis libellis fuit. Sedit Canuto & Valdemaro II. Regibus. De eo Chronicon Slavorum Arnoldi Lubecensis Lib. IV. Cap. 18. hunc in modum loquitur: *Absoloni successit Dominus Andreas, regalis aulæ Cancellarius, vir Literatissimus, nec minore gratiâ præditus. Erat autem à primo juventutis suæ tempore studiis deditus, & morum gravitate ornatus. Et cum esset in negotiis regiis continuè occupatus, magnâ tamen abstinentiâ se constringebat. A qua nec in Romana curia negotiis deditus temperabat, ut omni sexta feria nihil gustans crucis Dominicæ bajulus existeret. Ordinatus autem ipsam morum gravitatem non deseruit, humilis & quietus, & pudicus & abstinens permansit. Unde æmulatione sua plurimos provocavit. Doctrinæ etiam adeò insistebat, ut nonnullos tam clericos, quàm Laicos divini amoris flammâ succenderet, & ipse eis candela existens, scintillas verbi Dei ubiq; spargeret. Avaritiam quoq;, quæ est Idolorum servitus, omninò detestans, nihil per vim rapere curabat, sed suis contentus, beatius dare quàm accipere ducebat.*

31. *Qui maximè conspicuis rebus insultat.*] Juxta illud Ovidij sub finem Lib. 1. de remedio amoris, p. 284. Tomo 1. Editionis Heinsianæ:

Summa

Summa petit livor: perflant altissima venti:
Summa petunt dextrâ fulmina missa Jovis.

Livius Lib. VIII. *Invidia, tanquam ignis, summa petit.* Et Lib. XLV. *Intacta invidiâ media sunt, ad summa fermè tendit.* Ammianus Marcellinus Lib. XVII. *Solet amplissima gloria objecta esse semper invidiæ.* Vetus dictum est: τοῖς διὰ τοῦ ἡλίου πορευομένοις ἕπεται κατ' ἀνάγκην σκία, τοῖς δὲ διὰ τῆς δόξης βαδίζουσι ἀκολουθεῖ φθόνος. Josephus Devonius ad Librum suum, Lib. VI. & ultimo de Bello Trojano; versu penultimo, pag. 173.

Sis utinam invidiâ dignus, quæ summa lacessit.

Gemella est Vellei Paterculi illa γνώμη: *Assidua eminentis fortunæ comes altissimisq; adhærens invidia.*

31. *Tanti cognitoris præsidio*] *Cognitor* vocabulum Juris est, & propriè significat, qui alterius causam defendit & tuetur, ut suam. Eleganter Asconius Pedianus, vetus Grammaticus, in Orationem Ciceronis, quæ Divinatio dicitur, pag. 19. *Qui defendit alterum in Judicio, aut Patronus dicitur, si orator est; aut Advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut Procurator, si negotium suscipit; aut Cognitor, si præsentis causam novit, & tuetur ut suam.* Nonnullis *Cognitor* Judicem denotat. Ita Prudentius:

Tum cognitor pronunciat,
Claudatur infans carcere.

Petrus Chrysologus, suavissimus & eruditissimus Scriptor, Sermone XVII. *Interrogat, non ignorat, sed implet Judicem, servat ordinem cognitoris.* Glossæ Isidori: *Cognitor à cognoscenda causâ dictus, executor.* B. Ennodius Declamat. 12. *Ibi cognitoris, quò potissimùm vergeret, hæsit deliberatio, ubi sors extitit delicti.* Item Declam. 13. *Purgare se existimat innocentia cognitorum, & aliquid de manifesti facinoris absolutione surripere.* Sido nius Carm. VIII. Quomodo hic Saxo, pro *Censore* utitur, loquens de Prisco Valeriano.

Cognitor hoc nullus melior, benè carmina pensat
Contemptu tardo, judicio celeri.

Vide lexicon Juridicum Joh. Calvini, pag. 198.

33. *Cœlestium opum Sacrarium*] *Sacrarium*, ædicula sacra. Ammianus Marcellinus Lib. 26. pag. 337. *Subitò dilapsus confugit ad ritus Christiani Sacrarium.* Johannes Sarisberiensis Lib. VII. Policratici cap. 4. *Pythagoræ tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, ipsumq; pro Deo colerent, nacti fortè occasionem, ex verbis ejus dicentis:* MENTEM PHILOSOPHANTIS ESSE SACRARIUM SAPIENTIÆ, ET VERISSIMUM DEI TEMPLUM. Eâdem translatione *fida hominum pectora*, Valerius Maximus, *templa Sancto Spiritu referta*, appellare non dubitavit, Lib. IV. cap. 7. Operæ erit ipsa verba plenius apponere, quia notatu dignissima: *Hæ sunt vires amicitiæ, mortis contemptum ingenerare, vitæ dulcedinem exstinguere, crudeli-*

A *tatem mansuefacere, odium in amorem convertere, pœnam beneficio pensare potuerunt: Illis enim publica salus, his privata continetur: atq; ut illarum ædes sacra domicilia, ita harum* FIDA HOMINUM PECTORA, QUASI QUÆDAM SANCTO SPIRITU REFERTA TEMPLA SUNT. *Sacrarium* igitur veteres appellabant locum in templo, in quo res sacræ reponebantur, ut docet Servius in XII Æneid. Eleganter Seneca Lib. V. Quæst. Natural. *Arcana illa rerum natu-*
B *ræ sacra, non promiscuè & omnibus patent: reducta & in interiore clausa sunt sacrario.* Alioquin pro Sacello usurpatur. Svetonius Augusti Cap. V. *Natus paulò antè solis exortum, regione Palatij, ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habetur.*

34. *Percipiendæ literarum disciplinæ*] Specimen & hoc est imitationis Valerianæ. Nam eadem ferè verba Valerij Maximi sunt Lib. 1. Cap. 1. *Decem principum filij S. C. singulis Etruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia tradebantur.*

C 36. *Splendidissimum externæ Scholæ regimen*] Intelligendum haud dubiè de summo illo magistratu Academico, qui nonnunquam externis etiam hominibus, præsertim qui genere, literis, ingenioq; eniteant, deferri solet. Clariss. Vir Andreas Vellejus, qui Saxonem in vernaculam fideliter ac feliciter transtulit, de Professione publicâ interpretatur: alii de titulo Doctoris in Theologia & utroq; Jure.

37. *Ut potius magisterio ornamentum dare, quàm*
D *ab ipso recipere videreris*] Sic Justinus Libr. VI. pag. 71. de Epaminonda Thebanorum duce: *Recusanti omnia imperia ingesta sunt: honoresq; ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur.* *Magisterium* vero hoc loco significare videtur vel publicum docendi munus, vel Magistratum illum Academicum, quem vulgo *Rectoratum* vocant. Nam *Magisterium* pro *Magistratu* sæpe usurparunt veteres. Petrus Chrysologus Sermone XV. *Videtis centurio-*
E *nem, antequam discipulatus subiret officium, locum magisterij fuisse sortitum.* Svetonius Domitiano cap. 4. *Ex quo sorte ducti magisterio fungerentur.* Idem Caligula cap. 31. *Magisteria Sacerdotij* dixit. Apulejus Metamorph. Lib. 1. p. 113. de Ædilitate: *Jam enim faxo scias, quemadmodum sub nostro magisterio mali debeant coërceri.* Et Lib. VII. pag. 197. *Jam se nequitiæ meæ proclamans imparem, miserrimumq; istud magisterium renuens.* Plautus Bacchid. Actus 1. Scen. 2, v. 40.

F *Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.*

Symmachus Lib. IV. Epist. 45. de Censura: *Nolo mireris gravissimum ordinum magisterium respuisse.* Hinc *Magisteria vini* Cicero alicubi dixit, quæ Horatius *regna vini* indigitavit: potestatem illam scilicet, quam quis olim in conviviis *Magister* seu *Modimperator* creatus obtinebat. Alioquin *magisterij* vox pro *consilio* & *monitu* sumitur; ut in Plauti Mostell. Act. 1. Sc. 1, v. 32.

Virtu-

Virtute id factum tuâ, & magisterio tuo. A

Frequentius vero pro *Disciplina, doctrina, & ipso erudiendi actu.* Apulejus: *Tantùm à cautelâ Pamphiles abfui, ut etiam ultrò gestirem tali magisterio me volens amplâ cum mercede tradere.* Julius Firmicus Maternus Præfatione Lib. I. Matheseos: *Hæc cum omnia mihi à te, Mavorti, ornamentum bonorum, facili demonstrationis magisterio traderentur.* Et paulo post: *Quicquid Ægyptij veteres, Sapientes ac divini viri, Babylonijq; prudentes, de vi stellarum ac potestatibus, divinæ nobis doctrinæ magisterio tradiderunt.* Et Cap. I. Lib. I. *Cur erectâ mente, sublimiq; constantiâ, & divinarum virtutum magisterio formati.* Cap. II. ejusdem libri: *Nec facili possumus consequi ratione, quicquid non præcedentia nobis magisteria tradiderint.* Cap. III. ejusd. lib. *Patiebatur hæc Alcibiades, Socratis divinis magisterijs institutus.* Et mox de Pythagora: *Peregrinis etiam magisterijs imbutus.*

38. *Hinc ob insignium culmen meritaq; virtutum*] Exprimit hic Saxo Martianum suum Capellam, C cujus diligentem fuisse lectorem, nemo non animadvertit, qui binos istos scriptores cum cura inter se committere sustinuerit. Totidem enim verbis ille Oratores commendat, Lib. V. qui est de Rhetorica p. 138. *Post hoc tamen,* inquit, *in diversis agminibus oratores emeritos, ac præ se ferentes insignium culmen meritaq; linguarum, Æschinem, Isocratem, Lysiamq; conspiceres.*

Ibid. *Regius Epistolaris effectus.*] *Epistolaris,* hoc est, à libellis secretis, sive *Secretarius,* ut vulgo D dicitur. Andreas enim Canuto VI. Valdemari filio, Regi Daniæ à Secretis fuit. Clariss. Dns. Pontanus *Regij Sigilli custodem* fuisse tradit. Arnoldus Lubecensis, ut antea vidimus, Andream *regalis aulæ Cancellarium* vocat, Lib. IV. Cap. 18. *Cui successit Dominus Andreas regalis aulæ Cancellarius.* Cæterum Martianus Capella hanc Saxoni nostro subministravit voculam. Ità enim ille Lib. VIII. pag. 303. *Post has verò astabit decens illa sydereisq; fulgurans luminibus, quæ Epistolaris tua &* E *dicta est & probata. Ab Epistolis* inter officia domus augustæ olim fuisse constat. Inscriptio Romana, quam ex Appiano & Boissardi schedis deprompsit Janus Gruterus pag. 482. Num. 5.

T. VARIO. CLEMENTI
AB. EPISTULIS. AUGUSTORUM.
PROC. PROVINCIAR.

Et pag. 586. Num. 5.

FLAVIUS. AVG. L. PROTOGENES
AB EPISTULIS. F

Sic dicebantur *ab Epistolis Græcis, ab Epistolis Latinis.* Gruterus Inscript. Pag. mox citatâ: Num. 8.

M. AURELIUS ALEXANDER.
AVG. LIB. AB EPISTULIS
GRÆCIS. VIVUS FECIT SIBI
L. L. P. QUE. EORUM.

Item pag. 272. Num. I.

- - P. CÆSARI.
- - - ONIO GORDIANO
FELICI INVICTO
AUGUSTO
PONTIF. MAX. TRIB. POT. II.
COS. PROCOS. P. P.
NUMITIUS QUINTIANUS. V. P.
AB EPISTULIS LATINIS
DEVOTUS NUMINI MAJESTATIQUE
EJUS.

Ut alias ejusmodi Inscriptiones nunc sinam brevitatis ergo præterfluere. *Epistolaris* vero, ni B fallor, idem est qui *Scriba* apud Græcos; qualis fuit Evmenes Cardianus, de quo locus est notatu dignissimus Æmilij Probi: *Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filij: breviq; tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaq; eum habuit ad manum Scribæ loco: quod multò apud Grajos honorificentius est, quàm apud Romanos. Nam apud nos reverâ, sicut sunt, mercenarij existimantur: at apud illos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industriâ cognitâ,* QUOD NECESSE EST OMNIUM CONSILIORUM EUM ESSE PARTICIPEM.

40. *Beneficij nomine expetendum relinqueres*] Hæc mens est Auctoris: Etsi Secretarij Regij munus non adeo speciosum aut amplæ dignitatis officium antehac fuerit: tamen illud summa fide & diligentia administrans, Spartam, quam nactus eras, tantoperè exornasti, ut posteaquàm ad Pontificium evectus esses, alij, licèt maximæ dignitatis viri, idem munus ambire non erubuerint, sed potiùs tanto prædecessori succedere summi beneficij loco duxerint. Nullum est dubium, quin Saxo noster respexerit ad exemplum Epaminondæ, quod commemorat Valerius Maximus Lib. III. Cap. 7. de fiducia sui. *Siquidem cum ei cives irati sternendarum in oppido viarum contumeliæ causâ curam mandarent* [*erat enim illud ministerium apud illos sordidißimum*] *sine ullâ cunctatione illud recipit, daturumq; se operam, ut brevi speciosum fieret, asseveravit. Mirificâ deinde procuratione abjectissimum negotium pro amplißimo ornamento* [nota hæc verba] *expetendum Thebis reddidit.*

42. *A finitimis mutuata sit*] Videlicet Sialandensibus. Andreas enim natione Sialandus, Sunonis de Knardorp filius fuit; quomodo paulò ante nobis dictum.

44. *Fœcundissimis doctrinæ stipendijs.*] A Valerio Maximo, ejusq; imitatore Saxone Grammatico variè adhibetur *stipendij* vocabulum. Exempla plurima apud utrumq; suppetunt. Sic ille Lib. IV, cap. 7. *Totumq; beatæ turbæ gregem, qui vestro ductu veneranda sinceræ fidei stipendia peregit.*

Ibid. *Gregis amorem.*] Id est, Plebis Pontificio tuo subditæ. Τὸ *Grex* enim respicit suavissimum illud *Pastoris* vocabulum, quo insigniri solent, qui animarum curam gerunt, sacrisq; summâ cum potestate præsunt.

Gloriosa

45. *Gloriosæ executionis fiducia*] Executio, hic fidelem sacri muneris administrationem, curam & disciplinam significat, quam adeò diligenter ac severè gessisse Andream innuit Saxo, ut nihil planè omiserit, quod ad suscepti ministerij partes ritè rectèq; obeundas pertineret. Sic Tacitus Annal. XV. *Executionem Syriæ* pro *administratione* posuit: *Syriæq; executio Cintio, copiæ militares Corbuloni permissæ.* Idem; *Exequi partes* Dialogo de oratore dixit: *Nam & ego & Secundus exequemur partes, quas intellexerimus, te non tam omisisse, quàm nobis reliquisse.*

46. *Obsitasq; curis opes decenter abjicere.*] Morem gessit Andreas veteri monito, quod inter octo venustissima Epigrammata primus publicavit vir Bono Reip. Literariæ natus Casp. Barthius Adversar. Lib. 45. Cap. XXII.

Qui salvus cupis esse, sequare per omnia Christum:
Vincla te opum retinent? abjice, vita fuga est.

Eandem laudem Andreæ Archiepiscopo supra tribuit Arnoldus Abbas Lubecensis Chron. Slav. Lib. IV. Cap. 18. *Avaritiam quoq; quæ est Idolorum servitus, omninò detestans, nihil per vim rapere curabat, sed suis contentus, beatius dare, quàm accipere ducebat.*

47. *Mirificum reverendorum dogmatum opus complexus*] Hexameron scripsit Andreas, Carmine Heroico, opus, continens explicationem præcipuorum locorum doctrinæ cœlestis; sed inprimis agens de Creatione Mundi, & Operibus sex dierum; ad imitationem Sactissimi Patris Ambrosij, qui ejusdem argumenti Libros VI. conscripsit. Ejus MS. in membranâ exemplar, non ita pridem mihi suppeditavit Illustris & Generosus Heros, Dns. Christophorus Ulfeldius, de Svenstrup, Eques Auratus, Regni Daniæ Senator amplissimus, Arcis Helsingburgensis in Hellesponto Danico Præses ac Dynasta Regius, summus literatorum fautor atq; patronus. Certè luce publicâ dignissimum est Poëmation, cùm propter ipsam Antiquitatem, cujus magna solet esse apud omnes, qui bonam mentem amant, veneratio; tùm ut documento sit, illud etiàm seculum doctos homines habuisse, hasq; aquilonares regiones non ità barbaras, ut quorundam fert opinio, fuisse: cum tamen vicinis in locis magna ubiq; tum temporis fuerit Barbaries. Meminit ejusdem Operis Nobilissimus Vir, Arnoldus Huitfeldius, Regni Danici quondàm Cancellarius magnificus, deq; patriâ nostrâ universâ præclare meritus, in Præfatione, quam Legibus Provincialibus terræ Scaniæ à se editis præfixit: *Cum antè aliquot annos undiq; hic in regno investigarem de documentis & antiquitatibus, quæ ad Historias Danicas ornandas & conscribendas usui esse possent: eaq; de causa tàm publicas, quàm privatorum Bibliothecas lustrarem; repperi quoq; vetustum hunc legum Scaniæ in membranâ manuscriptum codicem, quem ante annos 400, ex Danico Latinum fecit Archiepiscopus Lundensis Andreas, non quidem verbum verbo reddens, sed sensum & materias sub certis titulis comprehendens. Fuit is Sunonis de Knarderup filius, pronepos ex fratre Absalonis, illius omnis ævi celeberrimi, qui Sorense monasterium condidit, ejusdemq; in Archiepiscopatu successor. Saxo in præfatione librorum suorum, quos eidem dedicavit, ait eum sigilli regij custodem, sive à secretis Regi Canuto fuisse, atq; ad id doctrinæ fastigium pervenisse, quod publicam Lutetiæ professionem faceret. Sanè non vulgaris doctrinæ fuisse ostendit præter hoc opus, etiàm aliud ipsius Hexameron, sivè de Creatione mundì carmen Heroicum elegantissimum, quod suo tempore quoq; in lucem dabitur.* Idem Archiepiscopus Andreas Leges Scaniæ municipales, prius linguâ vernaculâ & vulgari editas Latinâ oratione reddidit: quas primus publici juris fecit Nobiliss. Vir, Arnoldus Hvitfeldius, Anno Christi 1590.

49. *Pertinentium ad eam rerum*] Id est, decimarum, aliorumq; redituum. Nam sanè ita comparatum est cum bellvâ illa multorum capitum, quem vulgum appellamus, ut nullum impendij genus gravius ducat, quàm quod in divinos usus erogatur. Imo sæpenumero juris Ecclesiastici pertinax patrocinium plurimis Regum & Principum sangvine stetit. Id quod edocet Historia Canuti Sancti, quæ exstat Lib. XI. Saxonis.

Pag. 2. vers. 2. *Splendidissimis frugalitatis exemplis*] Ad hanc abstinentiam & frugalitatem Andreæ Archiepiscopi, referenda sunt verba ista, quæ supra adduximus ex Arnoldi Abbatis Lubecensis, Chronico Slavorum, Lib. 4. Cap. 28. *Et cùm esset in negotiis regiis continuè occupatus, magnâ tamen abstinentiâ se constringebat. A quâ nec in Romana curia negotiis deditus temperabat, ut omni sextâ feriâ nihil gustans crucis Dominicæ bajulus existeret. Ordinatus autem ipsam morum gravitatem non deseruit, humilis & quietus & pudicus & abstinens permansit. Unde æmulatione suâ plurimos provocavit. Doctrinâ etiam adeò insistebat, ut nonnullos tàm Clericos, quàm Laicos divini amoris flammâ succenderet, & ipse ex candela existens scintillas verbi Dei ubiq; spargeret.*

8. *Veluti Poëtico quodam opere perstrinxisse*] Enumerat jam Saxo varia documenta, quibus in contexenda Historia sua sit usus. Inter quæ principem locum carminibus seu Rhythmis antiquis tribuit, quibus vetustissimi Danorum Poëtæ, *Scaldri* dicti, res gestas sui seculi, Heroumq; illustria facta complexi sunt. Ejusmodi verò carmina antiquitus dicebantur ᚢᛁᛁᛋᛆ, *Viisa*; eorumq; infinita ferè genera fuerunt. In his tamen eminent ᚦᚱᛆᛏᛏᚴᚢᛆᛏᛏ, *Dróttquæt*; ᚼᚴᛁᚯᛚᚦᚢᚿᚴᛆ ᚢᛁᛁᛋᚢᚱ, *Skioldunga Viisur*; ᛒᛁᛆᚱᚴᛆᛘᛆᛚ *Bjarkamál.* *Dróttquæt*, quasi vulgo cantabile. *Drótt* enim turbam significat, & O brevi, Dominum ac Regem. Hoc igitur nomen inde quoq; obtinuisse

nuisse videtur, quòd Heroum res gestas eo decantaverint Poetæ. *Quæde* enim cantare significat. *Skioldunga Viisur*, sunt Rhythmi Regum quorumvis encomia continentes. *Skioldungur* etenim, nomenclatura Regibus solis Synecdochice data & debita. Inprimis ità dicti Daniæ Reges: *Viisur* autem carmina. *Biarkamál* genus fuit carminis sic dictum quasi *Bjarkæ Sermo*, á vetustissimo Poëta seu Scaldro *Bjarka*, qui hoc genus carminis excogitavit. His adde & cœtera carminum genera: ᛒᚱᛆᚵᛆᚱ ᛒᚮᛏᛏ, *Bragarbott*; ᚱᚢᚿᚼᛂᚿᛑᛆ ᚦᚱᛆᛒᛆ, *Runhendadrapa*; ᚠᛂᚱᛌᚴᛂᛁᛏ ᚢᛁᛁᛌᛆ, *Ferskeit Viisa*; ᛌᛏᚢᛏᚼᚮᛚᛆ, *Stuthola*; ᛐᚮᚢᛒᚱᛆᚵᚢᚱ, *Toubragur*; ᛚᛁᚢᚠᛚᛁᚿᚵᛌᛚᛆᚵ, *Liuflingslag*; ᛚᛁᛚᛁᚢᛚᛆᚵ, *Liliulag*; ᚼᛆᚴᛆᛒᚱᛆᚵᚢᚱ, *Hakabragur*; ᛌᚴᚮᛏᚼᛂᚿᛏ, *Skothent*; ᚼᛂᚱᚿᛆᛑᛆᚱᚦᚱᛆᛒᛆ, *Hernadardrapa*; ᛐᚮᚵᛚᛆᚵ, *Toglag*. Cæterùm Poëtæ, qui olim versibus & Rhythmis consignabant, quicquid memoria dignum domi forisve occurrebat, *Scaldri*, ut modo dixi, sive *Runæ* nominati sunt; qui eodem loco apud Reges & principes antiquitus fuêre, quo jam Consiliarij, literati, aliijq; prudentiâ ac rerum usu præstantes. Hinc etiam res magnificè à se gestas, Rhythmis ejusmodi Poeticis ad posteros propagari operosè studebant Magnates. Ac quo quis laudis & æternitatis amore ardentius flagrabat, eo plures ac præstantiores in hoc genere sibi devinxit, secumq; domi forisq; tam pacis, quàm belli tempore circumduxit, ut res gestæ melius, aptius, ac illustrius describi ac delineari ab illis possent: ità nos edocente Excellentissimo Viro, & cui multa debent Antiquitates nostræ, D. Olao Wormio, in appendice ad Literaturam Runicam. Danorum autem celebriores Scaldri fuêre, Starkaterus Senior, cujus Rhythmi sunt vetustissimi, & adhuc extant. Ille verò potissimùm res gestas Danorum versibus complexus est. Hjarno Rex, qui ob Epitaphium Frothoni positum regio diademate ornatus. Regnerus etiam Lodbrog, ut & uxor ejus Aslaug, omnesque ejus filij, aliiq; quam plurimi, quorum insignem Catalogum videre licet adjunctum ad calcem libri de literatura Runica D. Wormij nostri. Operæ autem videtur pretium hoc loco in medium adducere Dissertatiunculam quandam Dn. Magni Olavij, Pastoris olim Laufasiensis in Islandia dignissimi, de Poësi antiqua Danica; ex qua quanti artificij, quantive ingenij sit, doctum, juxta leges Scaldrorum nostrorum, condere carmen, liquido patebit; simulq; quanto in pretio in hac arte artifices Regibus & principibus olim extiterint, elucebit. Sic autem ille: *Si nostram Poësin omnium vulgarium linguarum Rhythmos arte & effectu superare di-*

A *cerem, nihil fortassis proferrem absurdi, & si cum reliquis, eam certare opinarer, vanâ prorsus opinione me duci fortè non censeret is, qui illis instructus nostram etiam perfectè calleret. Tot enim hæc Poësis peculiares sibi habet orationis flosculos, figuratas formulas, appellationes rerum diversas, ab antiquis fabulis, venustè, variè, obscurè deductas, ut in nostra lingua peregrino explicari id vix posse existimem. Quid? Ipsi Islandi, poëtico non afflati spiritu, veterum Rhythmos, aut etiam recentiores ex Eddico compositos fundamen-* B *to, non percipiunt. Et ejusmodi Rhythmicum à communi remotum sermonem antiquitas nostra* Asamal, *id est Asiaticum vel Asarum sermonem appellarat, qui tamen noster est, sed obscurior, & vulgi minus obvius intellectui. Hæc causa est, cur viris magnis & eruditis, quibus lingua nostra ignota est, interim tamen quid Edda nostra Poeseos aliquale fundamentum tractet, inquirere non dedignantur, in illius translatione, uti debemus, gratificari facile non possumus. Etsi enim formulæ Eddicæ appellationes rerum multiplices &* C *longe petitæ, quodam modo describi & Latinè nominari queant: vocum tamen splendor, elegantia grandis, & genuina proprietas, prout in lingva nostra sonat, exhiberi & ostendi nequaquam potest; dulcius hic ex ipso fonte bibuntur aquæ. Est etiam Edda tantùm conscripta in usum nostræ linguæ, & maximè ad illius donum singulare Poëseos, quo illam præ aliis quam plurimis ornatam puto accommodata. Tot in nostra Poesi sunt Rhythmi certa genera, ut numero comprehendi vix possint, tot & tam eleganter sibi in-* D *vicem respondentes literarum, syllabarum & dictionum consonantiæ, ut audientes mirè afficiantur & delectentur. Observatur enim literarum cardinalium trium in qualibet stropha inviolata series, par numerus syllabarum, vocis tractus sive accentus longus aut brevis, & similia. Nec in nostra Poësi pauciores cautiones, licentiæ, tropi & figuræ usurpantur, quàm in re metrica apud Latinos Poëtarum principes. Tot præterea in veterum cantilenis (quod illi studiosè affectarunt) pulchra inveniuntur hyperbata, ut unico sæ-* E *pè Rhythmo duas vel plures materias alternatim sibi respondentes concluserint. Tot in illis Logogryphi & lusus metaphorici ingeniosè confecti animadvertuntur, ut ipsis etiam Rhythmistarum coryphæis nodus penè sit Gordius, & Lectores, verba quidem intelligentes, rei parum aut nihil sapiant. Nostram autem Poësin tantoperè non eveho, quod in hac lingua natus sim, & ab hoc Rhythmico affectu non omnino alienus, sed quia verè singularis est & plena artis & ingenij. Quod nostras aliquis literatus Rhythmista & ad hanc rem* F *exemplis instructus, viro sapienti, etsi nostrum non intelligat idioma, præsens facilius ob oculos ponere posset. Deinde & hoc nostra Poësis peculiare habet; quòd cum in vulgaribus linguis quilibet pro more gentis suæ Rhythmos condere, verba in numeros aliquales cogere, usuq; id sibi promptum reddere possit: in nostra, nemo Poëta existat, nec facillimum genus Rhythmi sine magno negocio connectat, etsi maximè affectat, nisi qui Poëtico Spiritu singulariter afflatus est. Qui quidem afflatus, ut cæteri naturæ motus, aliis acrior, aliis remissior*

remissior contingit. Quidam præmeditati Rhythmos feliciter edunt, aliqui ferventiori quodam impetu omnia genera Rhythmi sponte profundunt, ut Rhythmus sit quicquid conentur dicere, ut ingeniosissimus olim apud Romanos Poëta de sua vena profitebatur, nec soluta oratio, quàm ista ligata, illis promptior est. Adde quod in primâ statim infantiâ ejusmodi natura manifestis se proferat indiciis. Nec prætereundum, quòd motus ille ingenij in Novilunio sit ferventissimus, & Rhythmistam notabilem res Poëticas aliis enucleantem, aut in Rhythmis fundendis occupatum, vino madentem, Melancholia graviore infestatum, aut furore quodam correptum dixeris. Et sæpius hæc indoles etiam in ignotis ex singulari aliquo gestu conspicitur, quem nos Skaldvingl/ *id est, Poëticam vertiginem appellamus. Sunt qui nostram Poësin in malis avertendis & inducendis mirabiles effectus habere existiment, quæ res fortassis non careat exemplis. Similem quandam energiam carminibus tribuit is, qui hoc asserere non dubitavit:*

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

*Unde cordatiores ex nostris antiquis tanquam morale reliquerunt, Poëtam non esse lacessendum (*Ei skal Skald erta*) Socratis etiam monitum citatur; quod si cui salus & fama maximè curæ sunt, illaq; servare cupiat illæsa, is caveat ne Poëtam aliquem inimicum habeat. Quanto in pretio & honore apud Reges & Principes exteros, ubi linguæ nostræ viguit cognitio, nostrates fuerint Poëtæ, qui ipsorum res gestas Rhythmis heroicis posteritati commendarant, ex eo patet, quòd ab iis aureos annulos, arma deaurata, vestes preciosas & alia magnifica dona, ac ipsorum inprimis Regum favorem & amicitiam meruerint, ut veteres passim testantur historiæ. Et ut ex plurimis paucos nominem, habebat in aula sua laudatissimus heros Olaus Tryggonius, Norvegiæ Rex, inter alios Halfrodum quendam Rhythmistam Islandum, quem ab ethnicismo ad Christianam convertit fidem, & baptizato ipse compatris officium præstitit; quem homicidium in aula regia temerè committentem, donatâ vitâ & placatis cæsi cognatis, in gratiam recepit, & plurimis regiis auxit muneribus. De hoc Halfrodo tradit historia, quòd post regem devictum nunquam apparuerit hilaris; desideriumq; optimi regis præcipua mortis ipsius causa fuisse traditur. Habuit & Olaus Haraldi filius, domi militiæq; individuos comites ex nostris tres insignes Rhythmistas, Sigvardum, Thormodum & Girunum ob formæ venustatem* Gulbra/ *id est, aureum supercilium appellatum. De Sigvardo refertur, quòd solutis verbis loquendo, impeditioris fuerit linguæ, in Rhythmis autem sponte fusis promptissimus. Haud secus ac de Virgilio scribitur, quòd tardus fuerit in loquendo, adeò ut indoctus & agrestis videretur. Thormodus autem in conflictu Stiklastadensi Regi prædicto militans, noluit post illum in acie cæsum superstes vivere, sed in confertissima hostium turba fotissimè dimicabat, donec lethali percussus telo, ex prælio discederet, & moribundus Regis sui beneficia, fortitudinem, & magnanimitatem etiam, in ultimo periculo Rhythmis celebravit, qui etiamnum extant. Habuit deniq; bellicosissimus Norvagiæ Rex Haraldus, Sigurdi filius, in sua aula & expeditionibus sibi familiarissimum notabilem Rhythmistam Thiodolphum Huverska, à provincia Borealis Islandiæ in qua natus est, sic dictum. Floruerunt præterea in aulis Regum Daniæ, Sveciæ, Angliæ, & aliorum Principum, Poëtæ Islandi; quod longa referre mora est, & qui ab illis ingentes honores & magnifica dona reportarunt. Principes etiam iratos Rhythmicis sæpè placaverunt elogiis, & vitam ijsdem redemerunt. Sic Egillus Skallagrimus apud Ericum Blodóxjum, Norvegiæ Regem, sed tunc in Northumbria Angliæ desidentem [in cujus conspectum jussu Reginæ Gunhildæ ex Islandia protractus fuerat] Rhythmis in honorem ejus editis, liberam impetravit dimissionem, etsi antea filium Regis, & amicos multos, injuria Erici lacessitus trucidavit. Eodem modo Brago cuidam capitis damnato à Biornone Sveciæ Rege vita donata est, ob Rhythmicum encomium Regi exhibitum. Quin etiam ipsi Reges & Principes Norvegiæ & vicinarum provinciarum, Rhythmos eximiè composuerunt, qui in illorum citantur historiis. Rogvaldus quidem Orcadum comes, princeps egregius, inter alias nobiles dotes, quibus ornatus est, præstantissimus & promptissimus fuit Rhythmista, & clavem Rhythmicam, quæ adhuc extat, confecisse dicitur. Habuit etiam ille in Palæstinam navigans itineris comites Rhythmistas duos Islandos, qui unà cum ipso res quotidie gestas Rhythmis comprehenderunt, & magnâ apud illum in æstimatione fuerunt. Quamvis autem vetus illa & genuina, sive Danica, sive Norvegica lingua, ex illis regnis maxima ex parte jam dudum sese removerit, ideoq; & illic talium Rhythmistarum perierit dignitas, quia ignoti nulla cupido: adhuc tamen in Islandia, ubi linguæ ejus usus præcipuè conservatur, magno numero Poëtæ extant, prompti & ingeniosi, qui non tantùm res prophanas, ubi Edda potissimum locum habet, sed etiam sacras historias simplici orationis venâ, in numeros convertunt Rhythmicos, Psalmos & Cantilenas pias & graves componunt, & Ecclesiæ Dei apud nos utiliter communicant. Utinam divinum hoc donum grati omnes amplecterentur. Sed ut in patria sua Propheta, sic vix acceptus est Poëta.* Hactenus M. Olavius. Porro de Scaldris notatu dignum, quod Rhythmos sive carmina, de clarorum virorum virtutibus à se composita, in epulis, aliisq; conventibus solennioribus, vel assâ voce, vel interdum etiam adhibito tibicine & lyrista, decantare soliti fuerint; non secus ac olim Gallorum Germanorumq; illi vates, quos *Bardos* vocarunt; de quibus Ammianus Marcellinus Lib. XV. *Bardi fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Et Lucanus Lib. I.

Vos quoq; qui fortes animas, belloq; peremptas,
Laudibus in longum, vates, dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

 Strabo

Strabo Lib. IV. de Gallia: Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ A
καὶ ποιηταί. *Bardi* igitur, sicut & nostri Scaldri, nihil aliud fuêre, quàm ποιηταὶ μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες, ut è Possidonio scribit Athenæus, Lib. VI. Tales etiam fuerunt apud Persas *Magi*, quorum mentionem facit Q. Curtius Lib. V. ubi tradit, quâ pompâ Alexander Babylonem ingressus sit: *Magi deinde suo more carmen canentes. Post hos Chaldæi, Babyloniorumq; non vates modò, sed etiam artifices, cum fidibus sui generis ibant. Laudes ij regum canere soliti.* B

9. *Linguæ suæ literis*] Lingvam Danicam antiquam, cujus in Rhythmis usus fuit, veteres appellarunt ᛅᛋᛅᛘᛅᛚ, *Asamal*, id est, Asiaticum, vel Asarum sermonem, quòd eum ex Asia Odinus secum in Daniam, Norvegiam, Sveciam, aliasq; regiones Septentrionales invexerit. De quo Edda sub initium Lib. 1. hunc in modum disserit: *Postquam Odinus colonias suas per Saxoniam, Cimbriam, Sveciam & Norvegiam duxisset, filios ac socios conjugio cum incolis copulatos ibidem reliquit. Qui multiplicatâ progenie,* C *lingvam Asiaticam vicinis regionibus intulerunt. Quod vel ex propriis liquet nominibus & appellationibus, quæ linguam hanc sunt comitatæ. Hinc factum, quòd Asiatica hæc lingua familiaris adeò reddita sit regionibus Septentrionalibus, Norvegiæ, Sveciæ, Daniæ.* Hæc autem lingva fuit nonnihil à communi illa remota, quæ nuspiam in Septentrione purior adhuc asservatur, quàm D in Islandia, Daniæ Insula famosissima. Cujus incolæ, præterquàm quòd exterorum commerciis minus eam depravari sint passi: ab omni ævo varias tùm popularium suorum, tum reliquorum Aquilonarium res gestas, eâ consignando, incorruptam & apud se servarunt, & ad posteros transmiserunt. Literas verò suas Dani antiquitus vocabant ᚱᚢᚾᛁᚱ, *Runer*; de quarum origine, usu, proprietate, E causis, natura, aliisq; ad Danicam Literaturam antiquissimam illustrandam pertinentibus, elegantissimum libellum, ante quinquennium, edidit Clarissimus Vir, & nunquam sine laude mihi in Notis hisce dicendus, D. Olaus Wormius. Nos earundem literarum unum aut alterum Schema, ex eodem Worniano opere petitum, Lectoris oculis subjiciendum putavimus:

RUNÆ

Typis divulgatæ.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
X
Y
Z

Ab amicis & M. SS. petita.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
X
Y
Z

Ex

Ex monumentis excerptæ.

A	ᛅ	ᛅ	ᚽ	ᛅ	ᛅ	ᛅ	ᛅ	ᛅ
B	B	B		B	B	B	B	B
C				ᛍ				
D	ᚦ	ᚦ		ᚦ	ᚦ	ᚦ	ᚦ	ᚦ
E	ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ
F	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ
G	ᚴ	ᚹ	ᚹ	ᚹ	ᚹ		ᚹ	ᚹ
H	ᛡ	ᛡ			ᛡ	ᛡ	ᛡ	ᛡ
I	ᛁ	ᛁ	ᛁ	ᛁ	ᛂ	ᛁ	ᛁ	ᛁ
K	ᚴ	ᚴ	ᚴ	ᚴ	ᚴ	ᚴ		ᚴ
L	ᛚ	ᛚ		ᛚ	ᛚ	ᛚ	ᛚ	ᛚ
M	ᛘ		ᛘ	ᛘ	ᛘ		ᛘ	ᛘ
N	ᚾ		ᚽ	ᚺ	ᚾ		ᚾ	ᚽ
O	ᚬ	ᚬ	ᚬ	ᚬ	ᚬ	ᚬ	ᚬ	ᚬ
P							B	B
Q								
R	R	ᛦ	R	R	ᛦ	R	ᛦ	R
S	ᛋ	ᛋ	ᛋ	ᛋ	ᛋ		ᛋ	ᛂ
T	ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ
V	ᚢ	ᚢ			ᚢ	ᚢ	ᚢ	ᚠ
X								
Y		ᛦ	ᛅ					ᚢ
Z								

ᛅ	ᛅ	ᛏ	ᚽ
B	B	B	
ᚦ	ᛂ	ᛒ	ᚦ
ᛂ	ᛂ	ᛂ	ᛂ
ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ
ᚹ	ᚹ	ᛡ	ᚹ
ᛡ	ᛡ	ᛡ	
ᛁ	ᛁ	ᛂ	ᛁ
ᚹ		ᚴ	
ᛚ	ᛚ	ᛚ	ᛚ
ᛘ	ᛘ	ᛘ	
ᚽ	ᛚ	ᚽ	ᛚ
ᚽ	ᚬ	ᛦ	ᚬ
		ᛒ	
R	R	R	ᛦ
ᛋ	ᛄ	ᛋ	ᛍ
ᛏ	ᛏ	ᛏ	ᛏ
ᚢ	ᚢ	ᚢ	ᚢ
ᛂ		ᚢ	

Varietas universa collecta.

A	ᛅ	λ	λ	λ	ᛅ	ᛅ	ᛏ	ᚽ	ꟻ	ᛅ	λ	ᛏ
B	B	B	R	ẟ	P	ɓ						
C	'	↓	⊥	I	ᚴ	И	↓	Γ	⊥			
D	Þ	b	b	P	ᛁ	ᛂ	ᛂ	ᛘ	ᛑ			
E	ᛂ	Φ	ᛂ	ᛂ	†	+	X	Ɛ	ᛂ			
F	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	ᚠ	V	V	ꟻ			
G	ᚴ	ᚠ	ᚴ	ᛉ	ᛡ	Ϛ						
H	ᛡ	ᛡ	ᛡ	ᛡ	H							
I	I	ᛂ	ᛏ	ᚴ	‡‡							
K	ᚴ	ᚴ	ᛉ	ᛋ	K	ꟻ						
L	ᛚ	λ	ᛋ	λ								
M	Ψ	Ψ	ᛘ	ᛘ	ᛂ	⊥						
N	ᚽ	ᚺ	ᚴ	Λ	ᚼ	ᛓ	ᚴ					
O	ᛅ	ᛅ	ᛅ	λ	ᛅ	ᛏ	ᛓ	ᚼ	ᛦ	ᛕ	λ	
P	B	B	B	B	B	K	ᛕ	Π				
Q	ᚹ	ᚴ	ᚼ	ᛘ	ᛋ	ᛂ	ᛂ	ᛂ	Θ			
R	R	R	R	R	ᛦ	ᛦ	K					
S	ᛋ	ᛋ	ᛋ	ᛋ	ᛒ	ᛄ	ᛄ	ᛂ	'			
T	ᛏ	T	ᛏ	ᛏ	P	ᛘ						
V	ᚢ	ᚢ	ᚢ	[illegible]	Λ	ᚢ	ᚹ	Π	Γ	ᚠ		
X	ᛡ	ᚼ	ᛂ	ø	[illegible]	[illegible]						
Y	Λ	ᛦ	ᚢ	[illegible]	ᛦ	[illegible]	Ж					
Z	ᛏ	ᛦ	ᛂ									

A Ibid. *Saxis ac rupibus insculpenda curasse*] Loquitur hic Saxo non de illis tantùm Saxis, quæ veteres RUNÆ in illustrium virorum tumbis & sepulcris erexerunt, variisq; inscriptionibus artificiosè ac decorè exornarunt, (quas prisci Dani ᛡᛅᚢᚴᛒᚢᛅᛚᛂᛏᛦ, *Haugbualetur*, quasi diceres, Høgboesteniff vocabant. Haugbue enim dicebantur defunctorum manes tumulos illis extructos inhabitantes) quarum Inscriptionum Runicarum insignem nobis copiam exhibebit Vir ad ornatum seculi natus, & de patriæ Antiquitatibus præclarè meritus D. Olaus Wormius, in divino opere Monumentorum Danicorum; quod non ità pridem bono publico, in lucem edidit: verùm etiam de illis rupibus ac saxis, quæ hinc inde variis terrarum Borealium in oris, tanquam trophæa & arcus quidam triumphales erecta ad miraculum usq; visuntur, præsertim ubi prœlia & conflictus olim celebriores commissi fuêre. Quæ saxa linguâ Danicâ antiquâ ᛒᛅᚢᛏᛂᛋᛏᛂᚾ, *Bautestene* dicebantur. Talis fuit rupes apud Blekingiam, cui Rex Daniæ Haraldus Hyldetand res gestas patris sui per artifices mandare curæ habuit. Ejus infra statim in eadem hac præfatione mentionem injicit Saxo, & postea Lib. VII. Sic & Regnerum *Lodbrog*, Regem animosissimum, in Bjarmia victorias suas saxis incidi curasse refert Lib. IX. hac verborum periodo: *Bjarmorum Rege interfecto, Finnorum verò fugato, Regnerus saxis rerum gestarum apices præ se ferentibus, hisdemque supernè locatis, æternum victoriæ suæ monumentum affixit.* Hoc etiam vetustissimis Græcorum in more positum fuit. Nam ut temporis injuriam propulsando, posteritati tutius consulerentur, cippis saxeis, στήλοις seu κύρβεσι, veluti libris seu tabulis publicis, tàm res veterum gestas, & temporum rationes, quàm Leges, Pacta, Deorum & mortuorum titulos, vota, incidi solenne erat. Euhemerus Siculus res gestas Jovis, & cæterorum, qui Dij putabantur, collegit, Historiamq; contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur; ut disertè meminit Lactantius de falsâ religione Cap. XI. Etiàm columnæ aureæ in fano Jovis Triphylij positæ, quibus perscripta erant ejusdem numinis gesta. In Sicyone item ἀναγραφὴ erat seu Descriptio ejusmodi sacrata, unde Heraclides in librum suum de Musicis, Junonis Argivæ Antistitum, Poëtarum etiam & Musicorum celebriorum nomina traduxit. Testis est Plutarchus Lib. de Musica. Columellæ item, quibus Cretenses sacra descripserant Corybantum, à Porphyrio in Secundo περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων memorantur. Quin obvium est, quod de columnis illis Sethi nepotum, latericiâ alterâ, alterâ saxeâ, quibus sideralis scientiæ inventa sua mandarunt, habet Josephus. Sic anno fundatæ salutis cIↃ IↃ CXXVIII, mar-

marmora aliquot ſatis ampla Græcè inciſa auſpiciis & impenſis Herois illuſtriſſimi Thomæ, Comitis Arundelliæ, in Angliam ex Aſia advecta ſunt: quorum primum Epochas veterum Græcorum nobiliores, ſeu inſigniora temporum intervalla ferè univerſa complectitur: alterum fœdus Smyrnæorum & Magnetum in fano Veneris Stratonicidis olim ſacratum: Tertium C. Antonij Septimij Publij Citharoedi victorias: ut alia ſilentio transmittam. Hæc vero tam veneranda priſcæ Orientis gloriæ rudera primus publicavit, & Commentarijs doctiſſimis illuſtravit Clariſſimus Vir, Johannes Seldenus. Ita & fortiſſimus Pœnorum Dux Annibal, poſteaquàm Alpes Grajas, quæ hodie S. Bernardi dicuntur, ignibus acetoq; perfregiſſet, literas hujus trajectionis ſuæ teſtes rupibus inſcribendas curavit: quas etiamnum apud *Barrum*, ejus itineris pagum, ipſis cotibus inciſas extare tradit Paulus Jovius Lib. XV. Hiſtor. pag. 168. Cæterùm, ut hoc obiter addam, binas iſtas tabulas lapideas, quas Deus Opt. Max. ſuo digito inciſas Moiſi in monte Sinai tradidit, Salvianus Maſſilienſis Lib. 1. de Gubernatione Dei, *rupices paginas* & *Saxeum volumen* indigitat.

13. *Quia præſens opus*] In eandem ferè ſententiam ad Euſthatium filium præfatus eſt Macrobius mox in ipſo limine Saturnaliorum: *Quia præſens opus non Eloquentiæ oſtentationem, ſed noſcendorum congeriem pollicetur. Et boni conſulas oportet, ſi notitiam vetuſtatis, modò noſtris, modò ipſis antiquorum verbis, fideliter recognoſcas.*

Ibid. *Sermonis luculentiam*] *Luculentia*, ſplendorem, & λαμπρότητα orationis ſignificat: quam Salluſtius *orationem luculentam* nominat. Arnobius Lib. III. *A quo ſi res ſumere judicij veritate conſcriptas, non verborum luculentias, pergeretis, perorata eſſet & hæc cauſa.* Venantius Fortunatus Lib. V. Epiſtola ad Gregorium: *Cum in me non inveneris, quod dictionis luculentiâ diligeres.*

Ibid. *Non nugacem ſermonis luculentiam*] De his verbis, quæſo te, judica examine penſiore, mî candide Lector, & velut caput quoddam Gorgonis obtende iniquis Saxonis obtrectatoribus, ut tandem ἄμουσον illam ſuam Θρασυνακογλωσσίαν, quâ ergegium huncce & de omni Republ. literariâ optimè meritum ſcriptorem tam crudeliter traducunt, quaſi fibulâ injectâ cohibeant. Nam ubi omnia fecerint, ne hilum quidem proficiunt; ſed inſtar muſcarum, quæ facem accenſam volando circumſtrepunt, ambuſtas alas reportant, & cum œſtro in petram ſpicula defigente ſeſe ipſi omnimodis exarmant & elumbes reddunt.

17. *Nec Thylenſium induſtria*] Ex opinione magis vulgari, quàm rei veritate, *Thylenſes* ubiq; nominat Saxo, qui *Islandi* rectius dicerentur. Nam *Thulen*, veteribus memoratam Inſulam, A ab Islandiâ longè diverſam, abundè probatum dedit in Crymogæâ ſuâ Arngrimus Jonas Islandus, & ipſe loci ſitus evincit. Fruſtrà igitur eſt cum ingenij ſui luxuria & luſu Joh. Goropius Becanus, qui *Thulen* ſtatuit dictam, quòd vel inſtar Tholi cujusdam orbi terrarum ſit impoſita, vel quòd eò navigantes ad ploratum [Tot hûlen Belgæ dicunt] proficiſcerentur: Gotodan. Lib. VII. p. 696.

18. *Luxuriæ nutrimentis carentes*] Quod Saxo B Islandis ſobrietatem & notitiam vetuſtatis, id olim Belgis fortitudinem ingeneraſſe tradit Cæſar ſub initium Commentar. de Bello Gallico: *Horum omnium fortiſſimi ſunt Belgæ, propterea quod à cultu atq; humanitate provinciæ longiſſimè abſunt, minimeq; ad eos mercatores ſæpè commeant, atque ea, quæ ad effœminandos animos pertinent, important.*

23. *Quorum theſauros Hiſtoricarum rerum pignoribus refertos*] Nihil certius eſt, quàm olim habuiſſe Islandos innumeras variarum gentium C hiſtorias, & à ſe, & ab aliis conſcriptas: quarum tamen maxima pars injuriâ temporis intercidit. Quanto verò ſtudio cognoſcendis aliarum nationum rebus geſtis incubuerint Islandi, colligere licet ex iis, quæ hodieq; ſuperant, monumentis, magnoq; in pretio in Islandia habentur; ut ſunt: *Grettla, Nial, Olufs Saga, Eglu, Jarla-Saga, Bica Saga, Isfirdinga Saga, Bardam anna Saga, Halfreds Saga, Oluf Tryggesóns Saga, Rauds detti,* D *Eyrbyggia, Rógvalds detti, Orcknu Saga, Orms Saga, Ragnars Saga, Arnon Skald, Knitling ſaga, Krokarefs ſaga, Sigvart Skald, Viglunder ſaga, Sigurd Hafvisbani ſaga*; & id genus alia. Certè nullum eſt dubium, quin Saxo noſter plura ſuo tempore viderit & verſaverit Antiquitatum Islandicarum volumina, quàm quæ nunc exſtant, aut reperiri poſſunt. In primis eum aliam *Eddam*, antiquiorem videlicet, & fabuloſis narrationibus inſtructiorem habuiſſe eâ, quam hodieq; E tantoperè ſuſpicimus & admiramur, nullus ambigo. Talem autem Eddam omninò quondam extitiſſe juxtà mecum fatetur Magnus Olai ad calcem Eddæ Latinâ civitate à ſe, in gratiam Magnifici Dn. Cancellarij, Chriſtiani Friſij, τοῦ μακαρίτου, donatæ, his verbis: *Ex veterum Rhythmis, ut etiam appellationibus Aſarum nonnullis, ac inprimis Odini, & aliarum deniq; rerum, apparet, aliam fuiſſe Eddam antiquiorem, aut volumen fabularum ab ipſis Aſis confectum, aut eorum nepotibus,* F *quod interierit, & cujus hæc noſtra Edda aliquale ſit compendium; quia nominum pauciſſimorum, quæ Odino ex variis caſibus indita ſunt plurima, ut Edda profitetur, ex ejus fabulis reddi poteſt ratio, nec etiam plurium, quæ ibi occurrunt, appellationum.* Hac de re conſentit etiam nobiſcum, Vir raræ & reconditæ eruditionis, amicus noſter plurimùm honorandus, M. Brynolfus Svenonius, Epiſcopus Scalholtenſis in Islandia Auſtrali, in Epiſtola ad me ſua, ante triennium ferè ſcripta: *Ut enim Nor-*

Norvegorum, Danorum, Svecorum hominum acta, infinitam materiam ex rebus domi forisq; fortissimè prudentissimeq; gestis prætercam; ipsa velut collapsæ sapientiæ rudera rerum Normannicarum Lectoribus semet spectanda exhibent, quæ tamen paucissima de pluribus supersunt. Ubi enim ingentes thesauri totius humanæ sapientiæ conscriptæ à Sæmundo Sapiente? & in primis nobilissima illa Edda, cujus vix millesimam partem reliquam, nunc præter nomen habemus? atq; id ipsum quod habemus omninò fuisset deperditum, nisi Snorronis Sturlonij Epitome umbram potius & vestigia, quàm verum corpus Eddæ illius antiquæ reliqua fecisset. Ubi verò ingens volumen Historiarum ab Odino ad sua tempora contextum ab Ario Polyhistore dicto? Ubi præstantissima Gunlögi Monachi scripta? Ubi regiorum per totum arctoum orbem Poëtarum admiranda carmina? Nolo Ethnicos alios & in paganismo viventes nominare, Thorallum de Sidó, ejusq; vaticinia; Ericum Rufum, ejusq; posteros, & qui navigationes eorum in occidentem periculosissimas annotarunt. Hactenus M. Brynolfus. Cæterum ut constet exteris, & harum antiquitatum ignaris, quænam fuerit, quam toties laudamus, *Edda*, eam utcunq; describendam hoc loco duximus, quomodo ab ipsis Islandis edocti sumus. Interpres Eddæ Latinus in ipso limine Libri: *Edda est fons & fundamentum fabulosum, unde veteres Islandicæ gentis Rhythmistæ obscuras rerum appellationes, & copiosos Poëticæ elegantiæ modos extruxerunt.* Vel, *Edda est ars ex antiquissimis ingeniosorum hominum fabellis, variè adinventis rerum appellationibus, docens Danicam Poësin antiquam, vulgò obscuram, sapientibus auditu jucundam & artificiosam, exercere & exhibere, quæ, instar jugi fontis, veteres suggerit, & novas semper gignit voces, ad rem Rhythmicam facientes, omnibus insignibus Poëtis utilis, qui illam dextrè volunt scrutari. Unde Edda ab Edo, compono, meditor, nomen accepisse videtur.* Edda semper adjunctam sibi tanquam individuam assestricem habet *Scaldam*, quæ Danicæ Poëseos vetustissimæ ingeniosum quoq; promptuarium est. De utraq; sic Arngrimus Jonas, Senex venerandus & optimè de patriæ suæ Antiquitatibus meritus, in Epistola ad D. Wormium disserit: *Scalda est liber de arte Poëtica Islandorum, qui est quasi praxis Eddæ; ut Edda inventionem, Scalda usum vel artem adjuvet.* Summatim ut dicam: *Edda* est Mythologia Poëtica veterum Islandorum; *Scalda*, vero Metrica, sive de ratione Metrorum, variisque carminum generibus. Ex his duobus Codicibus emanavit quicquid apud Saxonem nostrum, tanquam fabulosum, tantopere à multis culpatur. Unde liquet ea non esse Saxonis, quæ de mirandis quibusdam narrat, figmenta, sed fabulosæ Antiquitatis asserta.

25. *Absolonis asserta sectando*] *Asserta* substantivè positum; quomodo sæpe auctores medij ævi, præsertim Afri. Martianus Capella Lib. V. *Quo conspecto, asserta determinans, ad Philologiæ consessum fiduciâ promptiore perrexit.* Fulgentius: *Præclusis eruditionis asserta cognoscere.* Idem sub initium Virgilianæ Continentiæ: *Ad hæc ego: si me tuæ Orationis asserta non fallunt, vates clarissime.* Ità & ipse Tullius noster, *prædicta* Substantivè pro *prædictionibus* usurpavit, Epist. 6. Lib. 6. ad Famil. *Ego quoq; augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurij & divinationis meæ.*

28. *Te ergo salutaris Princeps*] Compellat his verbis Saxo Regem Daniæ Waldemarum II, cujus tamen Historiam non attingit, in Canuto desinens.

30. *Quia propositi pondere constrictus*] Heîc rursus extat luculentum imitationis Valerianæ indicium. Sic etenim Valerius Maximus Lib. 2. Cap. VII. *Quia animadverto fore, ut pondere laudis, quam meruisti, obrutus, magis imbecillitatem ingenij mei detegam, quàm vestram virtutem, sicut par est, repræsentem.*

36. *Ne Romani quidem Imperij partes*] Nam regni Danici pomœria totius ferè Nordalbingiæ & Vagriæ adjectione protulerat victoriosus ille princeps.

38. *Tuus quoq; fulgentissimus avus*] Sanctus Canutus Rex Daniæ, interfectus Anno CIↃ CXXXI.

40. *Ex cujus sanctissimis vulneribus*] Ità & Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 2. *In qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ, quam sanguinis manavit.*

42. *Saltem ingenij viribus tibi militare constitui*] Promptissimam hic operam suam Waldemaro Regi offert Saxo; sed quoniam ad exemplum parentis aviq; sui, qui castra Waldemari secuti fuerant, armis ipse militare non possit: se res ipsius præclare fortiterq; gestas literarum monumentis, pro ingenij sui mediocritate, consignaturum pollicetur; quam longe potiorem esse militiam illâ castrensi existimat. In eandem ferè sententiam Guntherus, Poeta illo ævo mirandus, sub finem Lib. X. Ligurini sui, se castra Friderici I. Imperatoris, non armis, sed carmine secutum, eleganter innuit, eamq; clariorem fuisse militiam statuit, quàm si aliquot hostium millia occidisset, dum ita infit:

Me quoq; non armis, sed carmine castra secutum,
Hactenus egregij decursâ parte laboris
Si benè promerui castrorum præmia miles
Non illaudatum, vel munera nulla ferentem
Spero quidem magni dimittet gratia Regis.
Nec spernenda meæ (liceat modò vera fateri)
Munera militiæ, nec clarius arbitror esse,
Pauca probè gessisse manu, quàm multa referre,
Nec minor hic illo labor est ————————

46. *Dicendorum inchoamenta deduxerit*] Hoc est, Initia, principia. Martianus Capella Lib. V. pag. 39. *Hæc inchoamentorum primordia detrectaret excurrere.*

48. *Sinuosis interstitiorum anfractibus*] Hos anfractus

fractus veteres Dani suâ lingvâ dicebant ᚢᛆᚵᛋᚴᛆᚱᛁᚾ, *Vógskórin*. Eglu: Solunder eru magar Eyar og suo vogskornar: Hoc est, *Sunt insulæ permultæ & per frequentiores sinus dissecatæ.*

52. *Ex his Jutia*] Daniam ingredientibus ab Austro, primùm occurrit *Jutia*, quæ à Ptolomæo, aliisq; Cosmographis, *Cimbrica Chersonesus* dicta est, à *Cimbris* populis, qui in eam primò commigrarunt. Johannes Svaningius, Sereniss. Regis Daniæ Divi Friderici II. quondam Historiographus, in Descriptione Daniæ, quæ MSta etiamnum asservatur in Bibliotheca Regia Academiæ Hafniensis; unde multa notatu dignissima (quod ingenuè præ me fero) excerpsimus, & in commentarios nostros retulimus.

54. *Theutoniæ finibus admovetur*] Inprimis Holsatiæ, & Saxoniæ inferioris: quibus Cimbria, seu Jutia, proximo colliminio (ut cum Solino loquar) adhæret.

Ibid. *Fluminis Eidori interrivatione discreta*] *Eidora* flumen in saltu profundissimo, qui est in finibus Ithzeho, initium capiens, longo spatio in Oceanum Britannicum influit. Svaningius.

Pag. 3. vers. 1. *In Norici freti littus excurrit*] Jutia ad austrum latius diffusa, paulatim in linguæ formam sese in Wendilam contrahit, atq; ab Eidorâ flumine, octo dierum itinere, aut paulò ultrà etiam, ad fretum, quod Wendilam à reliquâ Cimbriâ disjungit, porrigitur. Hinc protensa Wendila mare Noricum attingit: in cujus littore, SKAWEN, extremum in Cimbria, versus Boream, oppidulum situm est: in quo clarâ luce, in Boream, è littore Cimbrico, paulò editiore loco prospicientibus, scopuli Norvagiæ apparent. Svaningius.

2. *Sinus, qui Lymicus appellatur*] Quem Saxo infrà Lib. IX. *Lymfiortinum fretum* indigitat: *Exactâq; hyeme, cum Jutis, prope Lymfiortinum ejus regionis fretum habitantibus, secundis eventibus dimicavit.* Danis dicitur *Limfiord*, vel *Lónvig.*

3. *Fresia minor*] Hanc luculentius describit Saxo infrà Lib. XIV. *Interea Kanutus Frisiam minorem, quæ & ipsa Danicarum est partium, cum paucis exilij comitibus petit. Dives agri provincia & pecoribus opulens. Cæterum confinis Oceano patet humilis, ita ut ejus interdum æstibus eluatur. Qui ne irrumpant, vallo littus omne præcingitur: quod si forte perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt. Neq; enim illic locus naturâ alius alio editior exstat. Plerumq; agros ab imo convulsos aliò loci trajiciunt, locum eorum occupante lacunâ, in quorum consederint præsidiis, possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat: torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme continuo celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis. Unde & in qua rerum parte locanda fuerit, pene ambiguum natura fecit: cùm aliâ anni parte navigationis pa-*

A *tiens, aliâ aratri capax existat. Incolæ ejus naturâ feroces, corporibus agiles, anxiam & gravem armaturam contemnunt, ancilibus utuntur, missilibus dimicant. Agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt. Penates in editum subjecto glebarum acervo provehunt. Hos à Frisonum gente conditos nominis & linguæ societas testimonio est. Quibus novas quærentibus sedes, ea forte tellus obvenit. Quam palustrem primum ac humidam longo duravêre cultu. Administratio deinde provinciæ sub nostris Regibus esse cœ-*
B *pit.* Ad eundem ferè modum de Fresia majore loquitur Saxo, sub finem Lib. VIII. *Ac primo quidem classe Fresiam domat. Quæ Provincia admodum situ humilis; quoties sæviente oceano, objecta fluctibus æstuaria perrumpuntur, totam inundationis molem patentibus campis excipere consuevit.*

4. *Gremij devexioris inclinata recessu*] *Gremium terræ, tergum terræ*, & id genus pluria, dicebant veteres. Lucretius Lib. VI. vers. VII. Ubi varias terræ motus adfert causas:

C ——— *multosq; lacus, multasq; lacunas*
In gremio gerere, & rupes deruptaq; saxa,
Multaq; sub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus, submersaq; saxa putandum est.

Et Lib I.

Postremò pereunt imbres, ubi eos pater æther
In gremium matris terrai præcipitavit.

Virgilius Moreto, *gremium molarum* dixit:

Perverrit caudâ filices, gremiumq; molarum.

Apulejus *gremium Oceani* dixit Lib. V. Meta-
D morphos. Prudentius Hymno X. Cathemerimon:

Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioq; hunc suscipe molli.

Sed aliud est *gremium Patriæ* apud Silium Lib. IV.

Interea tibi prima domus atq; unica proles
Heu gremio patriæ Stygias raptatur ad undas.

Ubi *gremio Patriæ* pro *Patria*. Vide Notas magni illius Heinsij. In hanc mentem ipse Saxo inferius Lib. XIV. *Amœnissimæ patriæ gremio relicto,*
E *tot inclyta locorum spacia pererrare liberet.* Hericus Monachus Altissiodorensis Lib. 1. vitæ S. Germani pag. 17.

Excipiuntq; virum, dictâ acceptâq; salute,
In gremium duxêre suæ solenniter urbis.

Gremium Urbis pro mediâ Urbe dixit. Modoinus ad Theodulphum:

——————— *Populorum*
Doctor erat Paulus carceris in gremio.

F Sic Lib. VI.

Delubri gremio pacis subeunte triumpho.

Gremia navium infrà Lib. VIII. ipse Saxo usurpavit.

10. *Angusti admodum æquoris interjectus abrumpit*] Æquor hoc angustum nostrâ linguâ Middelfarsund dicitur. Quo quum Fionia à Jutia separata sit, à Selandia verò freto Balthico; quod veteres *Beltis-Sund* dixêre: sunt qui existimant amœnissimam hanc Daniæ provinciam

Fioniam

Fioniam nomen accepisse ab antiquissima di- A ctione [runic text], *Fion*, quæ separationem denotat. Unde in veteri cantilena de Navigatione Ragvaldi Comitis in terram Sanctam; [runic text], Gudsion er that londum. Ad quæ verba sic commentatur Vir Cl. Magnus Olavius, Pastor olim Laufacensis in Islandia. Gudsion] *Antiquissima dictio separationem denotans: quòd à Deo separentur, qui jurata non præstant. Hinc nomen accepisse existimo provinciam Daniæ Fioniam, quæ in veteri nostra* B *lingva* [runic text], Fion *(voce dissyllaba) appellatur, quasi separata terra, quia à Jutia disparata est freto Medel farsund, à Sialandia freto Beltis-Sund. Utor enim antiquis horum fretorum & terrarũ nominibus.* *Interjectum* vero Saxo dixit, pro *Interjectione*. Sic infra: *Ne sibi noticiam temporis interjectus eriperet.* Cicero Lib. II. de Natura Deorum: *Interpositu interjectuq; terræ.* Martianus Capella Lib. VIII. pag. 281. *In quo fit, ut major sit circulus ab eodem interjectu, pari spatio.* Et paulò post: *Alia interca-* C *pedo inter solstitialem æquinoctialemq; Circulos minor est à superiore interjectu, quantum quatuor ad sex.* Tacitus Annal. Lib. 3. *Igitur petito paucorum dierum interjectu, defensionem sui deseruit.*

11. *Sialandiam prospectat*] *Selandia* nonnullis dicta est *Sædlandia*, quasi seminis terra, à læto segetum proventu & ubertate, quas Dani Sæd vocant. Alij à circumfuso Oceano deducunt, ut *Seelandia* sit. Quos inter Ælnothns de vita D S. Canuti pag. 17. *Insulam maritimam, quæ pro eo, quod maximè mari circumcingitur, Linguâ Danicâ Seeland nuncupatur.* Saxoni, alijsq; veteribus, ubique *Sialandia* scribitur, ab antiquo *Siá*, vel *Sió*, quod nunc dicimus Søe / pro mari vel Oceano, ut Østersøen/ Vestersøen. Antiquioribus Danorum Selandia dicta fuit [runic text] *Sælundur*, quasi maris lucus. In Edda, Fabula 2, bis occurrit vocabulum *Sælund*, hujusq; insulæ origo ex professo docetur figmentis Eddicis conso- E na. Ità namq; differit: [runic text] F [runic text]

A [runic text] B [runic text]

Id est: Gylfi Kongr red thar londum/ er nu heiter Svitiod. Fra hanom er thet sagt/ at han gaf æinum farand i Konu at launum skemtanar sinar æit plogsland i Riki sinu / that er fiorer Oxn drægi up dag og nott. En su Kona var æin af Asa ætt. Hon er næfnd Gesion. Hon tok fire oxn norðan or Jotanheimun/ that verusyns jotuns nokkurs og hennar/og setti tha for plog. En Plogriin gekk sua breit og diopt at upp læisti landit/ og drogi oxinum that land ut um hafit og vestr/ og namma stadar i sundi nokkuru. Thar setti Gesion landit/ og gaf nafn/ og kalladi Sælund. En thar sem landit hafdi upgangit/ var thar epter Vatn. That er nu logriin kalladr i Svitiod. og liggia sua Vikr i leginum/ sem Nes i Sælund. Hoc est Latinè: *In Svecia Rex quidam imperium tenebat nomine Gylfi. Hic fœminæ peregrinæ adventanti & svaviter canenti, tantum dono dedit terræ, quantum quatuor boves unius diei & noctis spatio aratro proscindere possent. Illa igitur ascitis è Cimbria Septentrionali quatuor filiis suis, quos ex gigante quodam susceperat, atq; in boves conversis [erat namq; è familia Asiana, & vocabatur Gesion] eos aratro junxit. Hi verò adeò latè ac profundè vastum terræ tractum sulcabant, ut non solùm à continenti eum separarent, sed & occidentem versus per mare traherent, usq; dum in fretis quibusdam consisteret. Ubi quiscere eum jussit Gesion. Nomen verò huic terræ imposuit* Sælund. *Eo in loco ubi extractum erat solum, successit aqua, quæ jam mare vocatur in Svetia, ejusq; ita dispositi sunt sinus, ut promontoria in Sælund.* Sic & in Cantilena, quam Sigvaldus, Olai Sancti Scalder, in laudem Canuti Magni cecinit, quam *Heruadar drapu*, id est, Een Krigß Viisse vocavit, non generis *Drottquæt*, sed *Toglag*, eadem vox extat:

Knutr var ad Himnum
[runic text]
Hyggek æt at frett
[runic text]
Haralds i her
[runic text]

Hug vel duga
ᚼᚢᚴ ᚢᛁᛚ ᚦᚢᚴᛆ
Let lygotu
ᛚᛂᛏ ᛚᚤᚴᚬᛏᚢ
Lid sudan or Nid
ᛚᛁᚦ ᛋᚢᚦᛆᚿ ᚬᚱ ᚿᛁᚦ
Olafur jofur
ᚬᛚᛆᚠᚢᚱ ᛁᚬᚠᚢᚱ
Arsæl fare
ᛆᚱᛋᛆᛚ ᚠᛆᚱᛂ

Hoc est: *Canutus sub aperto cœlo strenuum se præbebat: Haraldi progenies id experta est. Olaus Rex optimus classe mare sulcabat, austrinum Nidæ linquens amnem.* Mox sequitur:

Thurdu nordan
ᛏᚼᚢᚱᚦᚢ ᚿᚬᚱᚦᛆᚿ
Namst thad med Gram
ᚿᛆᛘᛋᛏ ᛏᚼᛆᚦ ᛘᛂᚦ ᚴᚱᛆᛘ
Til slets svaler
ᛏᛁᛚ ᛋᛚᛂᛏᛋ ᛋᚢᛆᛚᛂᚱ
Silunr kylir
ᛋᛁᛚᚢᚿᚱ ᚴᚤᛚᛁᚱ
Ena med annan
ᛂᚿᛆ ᛘᛂᚦ ᛆᚿᚿᛆᚿ
Onundur Donum
ᚬᚿᚢᚿᚦᚢᚱ ᚦᚬᚿᚢᛘ
A heuder at ha
ᛆ ᚼᛂᚢᚦᚢᚱ ᛆᛏ ᚼᛆ
Her sænskan fer.
ᚼᛂᚱ ᛋᛆᛂᚿᛋᚴᛆᚿ ᚠᛂᚱ

Id est: *Naves frigidæ ausæ sunt è Septentrione in Sælandiæ planitiem navigare, dirigente Rege: sed alia Svetica classis, Onundo duce, contrà Danos pugnavit.* Hic notat Paraphrastes; *Silunr* esse Genetivi casus à *Sælundur*, id est, *Sælund*, quod *maris lucum* notat: additq; in veteribus MS. Sælandiam Danorum passim *Sælundur* vocari. Cæterum heic quoq; inserenda videntur, quæ in Conjectaneis suis eruditissimis in aliquot Saxonis nostri loca notatu digna, de eadem hac Sælandiæ appellatione, observavit, mecumq; perhumaniter communicavit Vir plurimum Reverendus, & Clarissimæ doctrinæ, M. Brynolphus Svenonius, Episcopus Scalholtensis in Islandia Australi dignissimus, Amicus meus conjunctissimus. Ea verò sic habent: *Constantissimè Danici regni Insulam florentissimam, & de me optimè meritam, SIALANDIAM, non modò Saxo per hoc Opus universum, verùm omnes antiquæ membranæ, non SÆLANDIAM, scribunt. Quarum non paucissimas fortè cum viderim, varias Historias complexas, omnes in tantâ rerum varietate de nomine insulæ SIALANDIÆ consensum servant. Prædonum Julinensium Historia, quam* ᛁᚬᛘᛋᚢᛁᚴᛁᚿᚴᛆ ᛒᛆᚱᚦᛆᚴᛆ, Jomsviifinga bardaga

A *nos vocamus, in plurali numero,* ᛋᛁᛆᛚᚢᚿᚦᛂ, Sialönde / *& antiquiora alia monumenta nominant: quo Sveno Tiufskegg Piratas istos invitavit & magnificè habuit, ubi illos per vinum ad conjurationem Norvegianam compulit. Postea verò linguæ puritate inclinante, SÆLANDIA pro SIALANDIA scripta est; eâdem nominis tamen notatione conservatâ, videlicet à circumflui maris, cui velut immersa regio jacet, viciniâ, & incolarum à maritimis negotiis, piscatu, mercatura, prædationibus, perceptis com-*
B *modis, deductâ nominatione. Quàm penitus adulterarunt novelli, dum SÆLANDIAM à frugum proventu sic dictam, quasi SÆDLANDIAM, maluerunt, contrà Antiquitatis, ut modò nunc diximus, fidem, quæ constanter SIALANDIAM, quasi dicas* χῶραν πέλαγον, maritimam regionem, *& vocavit & scripsit. Neq; tàm licenter literam D extrivisset, atq; novitij crediderunt, si SÆDLANDIAM unquam nominassent. Quare Codicum omnium [di-*
C *cere audebo] fide subnixus, & Analogiæ probabilitate, & incolarum studio, quod antiquitus splendidius longè habitum est, si prædationibus & incursionibus navalibus insumeretur, quàm si in agricultura, re nimiùm ab illis moribus ob innocentiam & quietem alienâ despectâque, collocaretur, nostram hanc sententiam affirmare non verebor. Quod dum facio, dilectissimæ nobis insulæ sua bona à felici terræ proventu nequaquam invideo; sed militiæ, præsertim navalis, negotiationis laudem, atq; studium piraticæ, rei illis tem-*
D *poribus laudatissimæ, nobilitatem illi asserere videbor.* Hactenus Episcopus Scalholtensis. Ad eandem verò SIALANDIÆ, vel SÆLUND, appellationem videtur allusisse Julius Cæsar Scaliger de Subtil. ad Cardan. Exercit. CCXXVI. Distinct. 2. *Ad insulam maris Balthei, Halecum ingens capitur vis, qui ab illis* Selgi [Danis hodieq; Sild] *à Gallis Haran* [Belgis Haring] *nominantur. Soluc* [forte *Seluc*, vel *Selund*, id est, maris lucus] *illa dicitur insula maris Balthei.* Hujus insulæ nomen
E credibile est famâ quâdam obscura audivisse celeberrimum Geographum Ptolomæum, cum supra Cimbricam Chersonesum tres alias insulas ponat *Alocias* dictas: quas intelligendas existimo Fioniam, Sælandiam & Scaniam: quam ipsam quoq; insulam facit, nondum explorate cognito ejus in arctum procursu, & ad reliquum orbem continuitate. Verba Ptolomæi ita habent Lib. II. Cap. XI. In quarta Europæ tabula. Ὑπὲρ ἢ τὴν κιμβρικὴν χερσόννησον, ἄλλαι τρεῖς νῆσοι ἀλοκίαι καλέμεναι. Has, in-
F quam, tres, audito nomine unius, scilicet Sælandiæ, eodem omnes suâ lingvâ appellasse verisimile videtur. Ἄλοξ enim, sulcus est & inde ἀλοκίζειν, sulcum ducere, id est, arare; & generaliter, totum opus agricolationis exercere. Clarissimus Vir D. Olaus Wormius, in literis ad me suis, *Alsam* insulam Alociis omninò accensendam existimat: *Inter insulas Alocias primariam omissam video, quæ reliquis omnibus nomen dedisse*

dedisse videtur, & me potissimùm in hanc pertraxit A *sententiam, ALSAM nempe. Quid enim propius, Alsa, Alos, Alsia, Alosia? Flexus namq́; vocis peregrina est & Romana, Als, Alocia. Consule, quæso, Marcianum Heracleotem in Germaniæ descriptione, ubi manifestissimè inter Insulas Scandicas & Alocias distinguit, easq́; quo ad situm ita describit, ut à mea opinione discedere non videatur. Verba hæc sunt; Supra Chersonesum verò sitæ sunt Insulæ tres* ἀλοκίαι καλούμεναι, *estq́; ad eas à Chersoneso navigatio stadiorum 550. stad. 500. Ad ortum verò illius Cher-* B *sonesi sitæ sunt Insulæ quatuor,* αἱ καλούμεναι Σκανδίαι. *Harum tres quidem parvæ sunt, estq́; ad earum mediam à Chersoneso intervallum Stadiorum. 2000. stad. 1700. Una verò maxima, maximèq́; orientalis, quæ propriè vocatur Scandia, quæ ad ostia Vistulæ fluvij sita est, à quibus ad ipsam sunt stadia 1600. stad. 1200. Vides ipsum Insulas Alocias viciniores longè Chersoneso ponere (ultra quadruplum ut puto) quam Scandicas, atq́; hasce ab illis manifestè distinguere. Hasce quoq́; ad ortum ponit, illas supra Chersonesum.* C *Adeò ut non possim, quin hujus auctoris sententiâ statuam quasdam ex iis, quas tu Alocias esse putas, Scandicas esse. Fionia Alociis annumeranda videtur. Scandia certè inter Alocias poni nequit, cùm hìc expressè ponat primariam inter Scandicas, ad quas forsan Selandiam retuleris. Hic verò Marcianus ex præstantissimis Geographis, Arthemidoro, Ptolemæo, & Protagorâ, se sua conscripsisse fatetur.*

Pag. 3. v. 14. *Pari spaciorum intercapedine disparata*] Pro *disperata*, quod in excusis hactenus Codicib⁹ D fuit, lege *disparata*, id est divisa, disjuncta, abrupta. Martianus Capella Lib. VI. pag. 201. *Cum antea natura terris maria dispararet.* Et Lib. 1. p. 5. *disparata prolixitas.* Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pag. 8. *Batne municipium ab Euphrata flumine brevi spatio disparatur.* Eodem libro pag. 21. *Et hæ quidem regiones velut in prominenti lingua positæ, ab orbe Eoo, monte Amano disparantur.* Sulpitius Severus Lib. 3. Dialogor. *Monasterium Sancti viri duobus erat millibus à civitate disparatum.* E Pariter in fine ejusdem: *quod si vel me, vel Martianum imitatus fuisset, nunquam à me tam crudeliter disparatus ignoti pulveris religione teneretur.* Plautus Prologo Rudentis; Versu X:

Qui est Imperator Divûm atq́; hominum Juppiter
Is nos per gentes alium in alia disparat.

16. *Sinus omnis*] Intelligit fretum Danicum, quod veteres Scaldri ᛂᛁᚱᛂᚱ ᛋᚢᚿᚦᛂ, *Eirer sunde*, appellarunt, nos hodieq; *Oresund* F vocamus. In Epicedio Regneri Lodbrog, Regis Daniæ, quod infra ad ipsius vitam & res gestas citabimus:

ᚼᛁᚢᚵᚵᚢᛘ ᚢᛁᛂᚱ ᛘᛂᚦ ᚼᛁᛆᚱᚢᛁ
ᚼᛂᛚᚦᚢᚱ ᚢᛆᚱ ᛂᚴ ᚢᚿᚵᚢᚱ ᛂᚱ
ᚠᛂᛁᚿᚵᚢᛘ
ᛆᚢᛋᛏᚱ ᛁ ᛂᛁᚱᛆᚱ ᛋᚢᚿᚦᛂ
ᚢᚿᚦᛆᚱᛘ ᚠᚱᛂᚴᚢᛘ ᚢᛆᚱᚵᛂ.

Hiuggum uier med Hiørvi
Heldur var ek ungur er fengum
Austur i Eirar sunde
Vndarm frekum varge.

Hoc est:

Pugnavimus ensibus,
Multùm juvenis fui, quando acquisivimus
Orientem versus in Oreonico freto
Vulnerum amnes avidæ feræ.


18. *Sed simplici manus officio capiatur*] Non aliter ac fretum Constantinopolitanum describit Petrus Gyllius: *Piscium verò redundantiâ excellit Massilia, Venetia, Tarentum: sed omnia superat Constantinopolis, quà, velut per portam, pisces duplicis maris transeunt, neq́; modò per Bosporum transeunt, sed ad Byzantium feruntur relictâ Chalcedone, ut uno reti viginti navigia impleas, atq́; sine retibus, sæpè manibus ex continenti capias; atq́; adeo cum verno tempore in Pontum ascendunt densi greges, jactu lapidis velut aves ferias. Ex fenestris quoq́; urbis calathis ex chorda appensis mulieres piscantur: hamisq́; piscatores sine esca Pelamydes capiunt tot & tantas, ut sufficiant toti Græciæ, & magnæ parti Asiæ, Europæq́;.*

21. *Apta meantibus rupes mirandis literarum notis*] Hujus etiam rupis meminit Saxo Lib. VII. Ubi Haraldo Regi, cognomine *Hyldetand* opus hoc ascribit: *Idem in monumentum Patris, ejus res gestas, apud Blekingiam, rupi, cujus memini, per artifices mandare curæ habuit.* Hujus monumenti delineationem talem, qualis hodieq; visitur, utcunq; nobis repræsentavit Vir diffusæ eruditionis & Antiquitatum Danicarum peritissimus, Dns. D. Olaus Wormius Lib. III. Monument. Danicorum, ubi & hæc addit ad verba Saxonis: *Hæc Saxo: cujus ævo cum tantum detrimenti passum sit tam præclarum monumentorum decus, quid nobis sperandum facilè liquet. Interim ne intentatum quippiam relinqueremus, ad locum eum Reverendum & Doctissimum virum, Dn. Jonam Skonvigium in hisce versatissimum, cujus etiam in plurimis usi sumus operâ felicissimâ, ante annos paucos ablegavimus, cuncta diligentiùs ut perlustraret, reliquias characterum notaret, totiusq́; monumenti conditiones modernas accuratiùs perscrutatas ad nos deferret. Qui rediens retulit in provincia Bregneherrit inter Ronneby & Hoby rudera extare monumenti nobis à Saxone exhibiti, quæ ejus descriptioni exactè quadrent. Arcta enim semita equis & peditibus, nequaquam verò curribus, pervia, durissimam transcurrit cautem, accolis* Runemo *dictam, ac in ipso transcursu literarum Runicarum hinc inde ostendit fragmenta, nullo ingenio colligenda, nisi unico in loco, ubi integra hæc apparent* ᛚᚢᚿᚦ Lund.

Tractus verò qui literas continet, & semitam secat, unicus est, longitudine triginta quatuor ulnas excedens, latitudine quartam unius ulnæ; quam quantitatem etiam literæ obtinent. Ejus delineationem hanc cape:

RUNE-

RVNEMO/ sivè, RUPES HARALDINA.



24. *Undiquesecus exaratum*] *Undiquesecus* uno verbo. Sic *Utrinquesecus, postsecus, antesecus, Undiqueversum*, & ejusmodi, dixit Martianus Capella. Priorem illam vocem habes Lib. VI. pag. 195. *Aërisq; halitus undiquesecus circa terræ stationem diffusus*: alteram Lib. VI. pag. 228. *Quæ tamen lineæ utrinquesecus punctis includuntur.* A

35. *Tam vocis, quàm situs affinitate*] *Vocis*, id est, *linguæ*. Sic suprà: *Ut religionis, ita Latinæ quoque vocis aliena torpebat.* Idem Lib. XII. fol. 121. *Danicæ vocis homines primum militiæ gradum obtinent.* Et mox ibidem: *Subornaverat Imperator utriusq; vocis peritos.* Notum verò est trigam illam regnorum aquilonarium hodieq; ejusdem sermonis communionem habere longè maximam: imo unâ eâdemq; lingvâ uti, licet Dialectis varient. B

41. *In cujus parte extima ne noctu quidem diurnum sydus occulitur.*] Ita & loquitur Saxo infrà Lib. XIV. *Post hæc eò loci processum, ubi solstitij æstivalis tempore insuetatæ claritatis noctes sensêre, dieiq; tam similes, ut minimum temporum discrimen videretur. Ad quarum lumen Solis beneficio procuratum levi contemplatione exiles literæ legi poterant.* Idem de Norvagia tradit Paulus Warnefridus Diaconus Lib. I. Cap. V. de Gestis Longobardorum: *Quibus in locis circa æstivale solstitium per aliquot dies, etiam noctu clarissima lux cernitur, diesq; ibi multò majores quàm alibi habentur.* Sic de Britanniâ Tacitus in vita Agricolæ: *Dierum spacia ultra nostri orbis mensuram, & nox* C *clara, & extremâ Britanniæ parte brevis, ut finem atq; initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exurgere, sed transire affirmant.* Dionysius Periegetes de Thule insula:

> Πολλὴν δὲ προτέρωσε ταμὼν ὁδὸν Ὠκεανοῖο,
> Νῆσον κεν Θούλην ἐυεργέϊ νηὶ περήσαις.
> Ἔνθα μὲν ἠελίοιο βεβηκότος ἐς πόλον ἄρκτων
> Ἦμαθ' ὁμοῦ καὶ νύκτας ἀειφανὲς ἐκκέχυται
> Πῦρ.

> *Multam autem ulterius ubi secueris viam Oceani,*
> *In insulam Thulen benè ædificatâ nave trajicies:*
> *Ubi quidem Sole progresso ad polum Ursarum,*
> *Interdiu simul ac noctu semper conspicuum effunditur lumen.*

43. *Utriq; tempori*] Diei pariter & noctis.

44. *Insula quæ glacialis dicitur*] *Islandiam* intelligit insulam, cui à glacie, quâ viderat ipsam cingi, primus nomen fecit Floki Norvagus, quum eo quondam appelleret. De ea placet adducere verba Optimi & Clarissimi viri Arngrimi Jonæ Islandi Parte I. Comment. de Islandia: *Tria nomina consequenter sortita est Islandia. Nam qui omnium primus ejus inventor fuisse creditur, Naddocus genere Norvagius, cum versus insulas Farenses navigaret, tempestate validâ ad littora Islandiæ Orientalis fortè appulit: ubi cum fuisset aliquot septimanas cum sociis commoratus, animadvertit immodicam nivium copiam montium quorundam cacumina obtegentem, atq; ideo à nive, nomen insulæ*

insulæ, Snelandia, indit. Hunc secutus alter Gardarus, famâ quam Naddocus de Islandia attulerat, impulsus, insulam quæsitum abiit, reperit, & nomen de suo nomine Gardarsholme, id est, Gardari insula, imposuit. Quin & plures novam terram visendi cupido incessit. Nam & post illos duos, adhuc tertius quidam Norvagus, qui Floki nomen habuit, contulit se in Islandiam, illiq; à glacie, quâ viderat ipsam cingi, nomen fecit.

45. *Obsoletæ admodum habitationis tellus*] Ad quæ verba rursus Arngrimus: *Ego ex istis verbis Saxonis hanc sententiam nequaquam eruo, ut inde ab initio habitatam esse Islandiam, seu, Islandos autochtonas esse, dicam, cum constet vix ante annos 718 incoli cœptam.* Hæc verò scripsit Arngrimus Anno Christi 1592. à quo tempore anni fluxerunt 49. Sunt igitur à primis annis inhabitatæ Islandiæ ad hunc annum 1641, quo hæc annotavimus, anni 767.

46. *Illic fons est, qui fumigantis aquæ vitio*] Nuspiam in Islandia hujusmodi fontem reperiri, videtur M. Brynolphus noster Svenonius his verbis Conjectaneorum suorum innuere, ubi sic infit: *Ubi locorum ille sit fons, qui hoc eximiè & in universum præstet, Islandorum, credo, novit nemo: ut mirum sit, quàm simus foris omnes & in exteris lyncei atq; oculati, præquàm sunt illi ipsi, ad quos attinet.*

48. *In lapideæ naturæ duritiam transmutatur*] Tali ingenio fontem non in Islandia, sed in Norvegia extare tradit auctor Saxoni nostro σύγχρονος, Silvester Giraldus Cambrensis, in Topographia Hiberniæ, Cap. VIII. quod est de mirandis fontium naturis: *Est fons,* inquit, *in ulteriore Boreali Ultoniæ parte, qui ob nimiam sui frigiditatem ligna imposita per septennij spatium in lapides obdurat. Est & in Norvagia fons similis naturæ, sed tantò tamen efficaciæ majoris, quantò ad frigidam Zonam magis accedit. In hoc enim non tantum ligna, sed & lina, lineæq; telæ, per annum imposita, durissimum in lapidem congelantur. Unde & VValdemaro Danorum Regi, nostris diebus regnanti, quidam Episcopus Norvagiæ Asloensis, quod anno præterito probandi causâ ab eodem susceperat, naturæ jam retulit bipartitæ. Parte enim mediâ fonti impositâ lapis erat, alterâ parte, quæ extrà jacuerat, in sua permanente naturâ.* Sed Venerandus ille Senex & præclarè de patria meritus, Arngrimus Jonas Islandus, in commentario suo de Islandia, Parte I, pag. 37. testatur accepisse se famâ, quod similis in Islandia fons existat, non procul à sede Episcopali Scalholt, apud villam nomine Havkadal. Simile tribuit Ovidius Ciconum flumini, Lib. 15. Metamorph.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Plinius etiam refert in Piceno lacu Velino dejectum lignum lapideo cortice obduci. Georgius Agricola commemorat in Elbogano tractu, juxta oppidum à falconibus cognomina- A tum, integras cum cortice abietes in lapidem conversas. Et Domitius Brusonius, in Sylare amne, qui radices montis ejus, qui est in agro urbis Ursentinorum olim, nunc Contursij, lambit, folia & arborum ramos in lapides transire, non fide aliorum, sed propriâ (ut qui incola sit regionis) narrat.

52. *Qui modò crescentis lymphæ copiis adaucti*] Hunc locum ita illustrat jam dictus Arngrimus, Comment. pag. 36: *Attingendum,* inquit, B *hoc loco duxi, quòd tradit Saxo Grammaticus, Danorum celebratissimus Historicus, Islandiæ fontes quosdam nunc ad summum excrescere, & exundare: nunc adeo subsidere, ut vix fontes agnoscas. Qui etsi rariores apud nos inveniuntur, ascribam tamen similes, etiam alibi à natura productos, nè quis hic monstri quippiam imaginetur. Hos autem recitat Plinius. In Tenedo insula unum, qui semper à tertiâ noctis horâ in sextam, solstitio æstivo, exundet, brumali tempore siccetur. Refert etiam de fonte quo-* C *dam satis largo, qui singulis horis intumescat & residat. Nec id magis negligendum, subire terras flumina, rursusq; redire: ut Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia; quibus Cardanus addit Tanaim in Muscovia; & quæ in Æsculapij fonte, Athenis, immersa sunt, in Phaletico reddi. Et Seneca scribit esse flumina, quæ in specum aliquem subterraneum demissa, ex hominum oculis se subducunt, quæ consumi paulatim, & intercidere constet, eadem post intervallum reverti, recipereq; & nomen* D *& cursum priorem. Et iterum Plinius; fluvium in Atinate campo mersum, post 20 millia passuum exire. Quæ omnia, & his similia, Islandiæ fontes, miraculo nullo præ cæteris esse debere, ostendunt.* Verùmenimverò M. Brynolphus Svenonius, in Conjectaneis ad Saxonem suis, quæ sæpius à me deinceps citanda sunt ad testimonium, disertis verbis affirmat, non expertem omnino esse Islandiam fervidorum fontium, quales hic describit Saxo: *Porrò,* inquit, *quod subjungit* E *Saxo, de fervidis fontibus, qui modò crescentis lymphæ copiâ adaucti, plenisq; exundantes alveis crebras in sublime guttas jaciant, modo torpentibus scatebris vix ab imo conspecti, profundis subductioris terræ latibulis absorbeantur: Saxoni attestor, qui anno superiore tale Naturæ miraculum his oculis non sine maximâ admiratione conspexi in Haukadal, quod Scalholto duobus milliaribus cum semisse distat, prædium Cathedrali templo subjectum. Paulatim namq; ebulliens aquæ fervor in cratere profundissimo subsiluit, & in-* F *cremento sensibili intumuit, donec craterem impleret ad labra prorsus. Tùm verò magno cum tumultu ingentius fervor aquam in sublime evomuit, præsentissimo propius astantium cum periculo, quos, nisi caverent, ignitæ guttæ in delapsu ad internecionem comburerent. At verò exacto, ut arbitrabar, horæ spatio, pariter & æstus defervere, & aqua subsidere atq; detumere. Nos autem cùm primùm accedere sumus ausi, vacuefactum repentè craterem animadvertimus, & prorsus jam exsiccatum: nec usquam*

aquæ vestigium, præter hoc ipsum exinanitum conceptaculum, comparuit. Eruptionem autem Rusticus alteram, intrà viginti quatuor horas exspectare se dictitabat. Tanto namq; spatio intermittere ut plurimùm, & recipere.

Pag. 4. vers. 1. *Nullo visus ingenio*] Id est, acumine. Nam *Ingenium* ad alia etiam eleganter transferri solet. Sic *Ingenium herbarum*, Tertull. dixit cap. 2. de habitu muliebri. Et Salustius: *Ingenium loci* Apulejus: *Crines ingenio flexi*, hoc est, sponte aut natura flexi. Eucherius Epistola de laude Eremi. *Quicquid eorum necessitati locorum ingenium non obtulerat, manifesta Dei munificentia suggerebat.*

2. *In hac itidem insula mons est*] *Hecla* videlicet mons, Æthnæi ignis imitator: Islandis Heklefiall.

Ibid. *Qui rupem sideream*] Putabam aliquando heîc legendum *Sicaneam* pro *Sideriam*, respiciens ad Æthnam Siciliæ montem, quem *κατ᾽ ἐξοχὴν* *rupem* dici posse existimabam. Nisi si *Siderea rupes* erit præalta & in cœlum usq; elata rupes, & quæ vertice tantùm non ipsa sydera contingit: quomodo Martialis *Sidereum Colossum* pro alto dixit Lib. 1. Epigr.

Nunc ubi sydereus propius videt astra colossus.

3. *Incendia sempiterna jugi flammarum eructatione continuat*] Saxonem hic refutare videtur Arngrimus: *Quicunq;*, ait, *perpetuam flammarum eructationem Heclæ adscripserunt, toto cælo errarunt, adeò, ut quoties flammas eructârit, nostrates in annales retulerint, videlicet Anno Christi* 1104. 1157. 1222. 1300. 1341. 1362. & 1389. *Neq; enim ab illo anno de montis incendio audire licuit, usq; ad annum* 1558; *quæ ultima fuit in illo monte eruptio. Intereà non nego fieri posse, quin mons infernè, latentes intùs flammas & incendia alat, quæ videlicet statis intervallis, ut hactenus annotatum est, eruperint, aut etiam fortè posthac erumpant.* His adde, quæ in eandem sententiam de Hecla monte in Conjectaneis suis annotavit Dn. M. Brynolfus Svenonius, Episcopus Scalholtensis, cujus hæc sunt verba: *Quæcunque de Hecla monte & hic autor, & plurimi alij, nisi quòd ignem nonnunquam eructet, literis & lectoribus tradunt, fabulosa ferè sunt. Id quod testari possum, qui non tàm longè ab Hecla habito, quin domo egressus illam quotidiè conspiciam. Cumq; prius Scalholti sexennium sim commoratus, nunc postea etiam biennium egerim: toto hoc tempore ignis eruptio nulla contigit. Quò magis autoris pudeat, perpetuas flagrationes, sempiterna incendia jugi flammarum eructatione continuata, scribentis fingentisq;, ut & ignium perennitatem, æternumq; incentivum commenti. Neq; verò sola Hecla ignes & flammas emittit; sed plures alij, regionis Australis præsertim & Orientalis loci, montes, deserta, & quod magis mirêre, lacus, imò ipse quandoq; circumfluus Oceanus, si quidem Annalibus nostris fides est, & oculos incurrentibus signis, atq; experientiæ, quæ testatur lapides de marino fundo extractos, igne consumtos & ambustos quandoq; ignem devorasse. Confirmat nomen Insularum Australium, juxta Riykianes, quæ nobis* Eldeyar *dicuntur ab eventu: quas Annales antè aliquot centenos annos, exorto prius è mari incendio, è mediis fluctibus erupisse, nunquam antea conspectas memorant.*

Ibid. *Incendia sempiterna jugi flammarum eructatione continuat*] Ita *incendia* Æthnæi montis dixit autor rarus, antiquus, & insignis Mathematicus, Julius Firmicus Præfatione ad Mavortium Lollianum: *Quid faciunt ignes, qui ex Æthnæ vertice erumpunt? quæ natura eorum, quæve substantia? ex quâ origine, sine jactura montis, tanta proficiscantur & anhelent incendia?* Et Martianus Capella Lib. VI. de Sicilia: *Montis Æthnæ miracula noctibus totis vomentis incendia.* Solinus quoq; Cap. XI. *Et licet vastis exundet incendiis, apicis canitie perpetuâ brumalem detinet faciem.* Ubi & *eructandi* voce, quomodo hic Saxo, usus est: *In Æthnæ vertice hiatus duo sunt Crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor.*

5. *Æternumq; fovendis ardoribus præbeat incentivum*] Hoc est, Incendij augmentum, ignisq; sempiternam materiam suppeditet. Alio sensu usurparunt voculam hanc veteres scriptores; nimirum pro irritamento, incitamento, stimulo, aut quodcunq; animum hominis ad hoc vel illud instigat. Sic Salvianus Massiliensis Lib. 1. de Gubernatione Dei: *Non turpibus flammis medullæ æstuent, non malèsanam mentem latentia incentiva succendant.* Item Lib. 1. de Avaritiâ: *Incentiva vitiorum.* Sic Sidonius Apollinaris Lib. VI. Epist. 1. *Per carnalium vitiorum incentiva flammati.* Sic Ammianus Marcellinus Lib. XIV. mox initio: *Cujus acerbitati uxor grave accesserat incentivum.* Græci Ἐνδόσιμα vocant. Panegyricus Constantino Aug. Const. Fil. dictus: *Si in rebus bellicis ipsisq; prælijs, non tubæ solùm, sed etiam Spartanæ tibiæ, incentivum aliquod habuisse feruntur.* Angelomus, Monachus Lexoviensis, qui floruit sub Ludovico & Lothario ejus filio, Anno Christi DCCCXXX, inq; libros Regum opus scripsit excellentissimum, qualeme in scripturis sanctis aliàs non legisse, cum Trithemio ingenuè fateor, pag. 115. *Quantò magis calescente corporis juventute, inter bella corporis, & inter incentiva vitiorum, sapientiam ediscere debemus?* Galterus Lib. IV. Alexandr. Fol. 33.

Præteriti pudor, & spes incentiva futuri
Rursus in arma vocat. ——

Marbodæus, sive Merboldus, de Alectorio, Cap. III.

Hic etiam Veneris facit incentiva vigentis.

9. *Quamobrem animas*] Vanam illam & Christiano homine prorsus indignam persuasionem de carcere damnatorum, pœnarumq; loco, sive Orco ac Inferno Islandico, quem non solùm in monte Heclâ, ejusq; cavernis; sed & in

insanâ hac glaciei mole nonnulli collocarunt, A egregiè refutat Arngrimus Commentar. de Islandia: ubi etiam inter alia hæc addit colophonis loco: *Scimus & tenemus de impiorum animabus, non in montanos focos & cineres, vel glaciem nostris oculis expositam, deflectere: sed in extremas mox abripi tenebras, ubi est fletus & stridor dentium; ubi est frigus, ubi est ignis ille non vulgaris, sed extra nostram scientiam & subtilem disputationem positus.*

v. 11. *Quantiscunque nodorum condylis obseretur*] *Condylus*, κόνδυλος, digiti articulus, nodus, junctura, incurvatura, qua digitus flectitur, & eminens ac stricta in pugnum palma. Hinc B tralatè, pro quavis nodorum consertione. Saxo iterum Lib. VI. *Cujus altera mox sagitta comes mediis digitorum condylis impacta successit.* Martianus Capella de Nuptiis Phil. & Merc. Lib. I. pag. 21. *Eidemque quibus fuerat eblandita ictibus crebris verticem, complicatisque in condylos digitis vulnerabat.* Domitius ad illud Martialis Lib. V. C Epigr. LXXX.

Sed quod non grave sit, nec infacetum
Parvi tibia condyli sonabit.

Condylus, inquit, *in Musicis dicitur digitorum curvatura, usque ad dimidium orbem.* Catholicon Fr. Johannis de Janua in voce *Condylus*: *A Condo*, ait, *dicitur condylus, id est, nodus, & præcipuè, qui apparet in articulis digitorum, pugno clauso, quo solemus quandoque capita puerorum percutere ludendo, &* D *maximam læsionem inferre.* Hesychius: Κονδυλίζει, κολαφίζει. Κόνδυλος, ἕτερόν τι τοῦ κολάφου. Julius Pollux Lib. VIII. cap. 7. Ὑπερείδης δὲ καὶ κονδυλίζειν ἔφη. καὶ τὸ παθεῖν κονδυλίζεσθαι. Hoc est: *Hyperides verò, nodos digitorum infringere dixit & illud pati, articulis contundi.* Cœlius Rhodiginus Lect. Antiq. Lib. IV. Cap. 3. *Digitorum verò partes hæ: Quod prominet in commissura, vocatur Condylus: dicitur & eodem vocabulo percussus eo inflictus; & inde verbum* E κονδυλίζειν. *Sunt qui hoc nomine pugnum intelligant. Hinc est illud Plutarchi in Junioris Catonis vitâ, formâ proverbii enunciatum: Erat, inquit, ei* χαρίεις ὁ παιδαγωγὸς, καὶ λόγον ἔχων τοῦ κονδύλου προχειρότερον. *Erat Præceptor ejus urbanus, promptiorque ad inducendum ratione, quàm pugno.* Condylo interemptum ab Hercule, in Oenei convivio, puerum legimus, qui manibus aquam infundebat; quem *Archiam* Hellanicus nuncu- F patum scribit. Thersitem quoque Condylis ab Achille interfectum Græci scribunt, quoniam Penthesileæ à se interemptæ oculum hastâ percussisset. Lexicon Græcolatinum Vetus, quod unà cum aliis Glossariis edidit Bonav. Vulcanius: Κόνδυλος, *Colafus.* κόνδυλος ποδὸς ἢ χειρὸς, *hoc Talitrum.*

15. *Molis, cujus pars erat, discessum insequitur.*] Mira glaciei hujus Sympathia, si vera, esset. A *Atqui sæpè vidimus*, inquit Arngrimus Commentarii de Islandia, pag. 33. *ejusmodi solitariam molem, post abactam reliquam glaciem, nullis vectibus, nullis machinis detentam ad littus multis septimanis consistere. Palàm est igitur, illud de glacie miraculum fundamento niti, quàm est ipsa glacies, magis lubrico.*

17. *Versili quadam mutatione transponi*] A Martiano Capella vocem hanc Saxo mutuatus est, prout multa ab eo auctore passim habet. Is igi- B tur Lib. IV. p. 135.

Facessat ergò versilis profunditas,
Reliquumque tempus liqueris sororibus.

Ubi pro *Versilis* Cl. vir, & Philologus eminentissimus, Caspar Barthius legit *vertilis*; quod tamen eodem recidit: adducitque locum Tibulli Panegyrico Messalæ:

Vixerit ille senex, quamvis dum terna per orbem
Secula vertilibus Titan decurrerit horis.

C Sic enim restituit; ubi anteà legebatur, *fertilibus.* Sidonius Panegyrico Majorani.

——— *Crassatur vertile tergum*
Flatibus. ———

Sic ipse Saxo infrà:

——— *nunc laxo poplite tendor*
Versilis, inque novos converti terea vultus.

In quo versu Gerardus Vossius, quo nihil unquam doctius Belgium tulit, Lib. II. de Analo- D gia. pag. 400. contendit pro *versilis* legendum *vertilis*, cum sit à præsenti *verto*, ut, *ago, agilis; facio, facilis.*

20. *Quos fundæ glacialis urna desorbuit*] Insolens tralatio. Voragines quæ homines inopinanter absorbent, comparat Saxo cum fundâ, seu urnâ, ob profundam & vastam capacitatem. Sic fontem quendam in Sosthenis horto similem fundæ facit Eustathius Lib. I. pag. 9. Φρέαρ ὡς εἰς πήχεις ὀρώρυκτο τέσσαρας. σφενδόνη τὸ E σχῆμα τοῦ φρέατι. *Fons quatuor aut circiter cubitos altus in fundæ figuram assurgit.* Ita & orbem terrarum Oceano cinctum, fundæ assimilat Dionysius Afer mox sub initium Cosmographiæ suæ:

——— ἐν γὰρ ἐκείνῳ
Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος ἐστεφάνωται
Οὐ μὲν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμφὶς
Ὀξυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους
Σφενδόνη εἰοικυῖα. ———

——— *In illo enim*
Tota terra, velut insula intermina cincta est.
Non quidem tota continuò orbivia, verùm utrinque
Acutior, vergens contra solis vias
Fundæ similis. ———

 Eodem

Eodem ferè ſenſu ipſum mare, *puteum aquarum* appellavit Monachus Florentinus, Acconenſis Epiſcopus, de expugnatâ Ptolemaide libro:

Nam dum illos ſorbuit puteus aquarum
Eſca fuerunt volucrum atq; belluarum.

21. *Peſtilentis undæ laticem*] Ejuſmodi fontem nullum planè in Islandia agnoſcit Arngrimus, Commentarij de Islandia fol. 40. *Nos Islandi*, inquit, *hunc fontem, ut antehac ſemper, itidem etiam nobis hodiè penitus ignotum teſtamur, Deoq; immortales gratias agimus, quòd ab ejusmodi fontibus peſtiferis & contagioſis eſſe nos immunes voluerit.* At vero Plinius auctor eſt juxta Nonarim Arcadiæ eſſe aquam, quæ epota illico necat: & in Beroſo Taurorum colle tres eſſe fontes, ſine remedio, ſine dolore mortiferos.

23. *Cerealis poculi proprietatem*] *Cereale poculum* cerevifiam nominat, quæ ex Cerere, hoc eſt, frugibus, coquitur. *Cereale gramen* fruges dixit Galterus Lib. I. Alexandreidos pag. 10. qui floruit circiter annum 1160.

Emicat extemplò caſtris, & in ardua montis
Erumpens, Aſiæ metitur lumine fines:
Hinc ubi vernantes, cereali gramine campos
Tot nemorum ſaltus, tot prata virentibus herbis
Laſcivire videt. ——————————

Ejusmodi verò fontem, qui ſapore cerealem liquorem referat, alicubi in Islandia inveniri, non diffitetur Arngrimus pag. 38. Commentarij ſui; quum veriſimile ſit aquas eam ſæpè referre qualitatem terræ, in qua generantur, & per cujus venas tranſitum atq; excurſum habent. Tales ſunt fontes, quos Seneca tradit vini ſaporem & virtutem repræſentare. Et Plinius teſtatur in Andro inſula fontem eſſe, in templo Liberi, qui Nonis Janvar. vini ſapore fluat. Arngrimo aſtipulatur M. Brynolfus Svenonius in Conjectaneis ſuis: *Cerealis aquæ mentionem apud nos factam, quæ propè Stadarſtad, Occidentem verſus, ſit ſita, non diffiteor,* inquit. *Acida dicitur & tenuis, ab ipſis, qui deguſtarunt; caput verò non petit, neq; ullo effectu in corpore nobilis audit, quod hominum forſan ruditati eſt tranſcribendum. Ex venâ ſalire crèdiderim, quæ Vitrioli contagio aceſcat.*

Ibid. *Qui cum linum conſumere nequeant*] Ignem linum non conſumentem, aquam ſulphuratam depaſcentem, non mirabitur, qui linteum ſpiritu vini madefactum, admoto igne, non comburi, vinum duntaxat lambi & libari conſpexit. Pabuli nimirùm ſubtilitas noxam à craſſiore ſubmovet: ignis pabuli tenuitatem perſequutus, liquidior eſt, quàm ut terreum corpus infeſtet. *M. Brynolfus.*

24. *Eſt & Saxum*] *Id qui credere volet,* inquit Arngrimus, *quid incredibile ducet? Eſt enim commentum tam inauditum, ut nullum ejus ſimile fabulatos fuiſſe Epicuræos (qui tamen multa incredibilia excogitaſſe Luciano viſi ſunt) conſtat. Niſi forte hominem qui Islandis proprio nomine* Steiñ *dicitur, ſentit Hiſtoricus rupes quasdam circuiſſe vel circum-* A *reptaſſe. Quod etſi ridiculum eſt in Hiſtoriam miraculoſam referre, hominem ſcilicet moveri vel ambulare, tamen ad ſalvandam Hiſtorici fidem, ſimulandum: ne figmentum illud, per ſe ſatis abſurdum, nec dignum quod legatur, durius perſtringamus.*

27. *Oceani vicinantis includitur*] Martianns Capella Lib. VI. pag. 197. *Quarum una vicinantis plauſtri algore cruſtatur.*

28. *Regionem ignoti ſitus*] Procul dubiò hæc de *Grönlandia* commemorat Saxo, quæ non adeò, B iſtâ ætate, in vulgus nota.

37. *Harum ortivas partes Scricfinni incolunt*] Variè hoc nomen ab Hiſtoricis effertur. Apud Procopium in Gothicis nunc Σκριθίφικοι, nunc Σκριθίφινοι; ab aliis *Scritofingi* vocantur. Paulus Diaconus Lib. I. cap. V. *Scritobinos* nominat. Verba ejus ita habent. *Huic loco Scritobini, [ſic enim gens illa nominatur,] vicini ſunt. Hi à ſaliendo, juxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. Saltibus enim utentes, arte quâdam, ligno in-* C *curvo, ad arcus ſimilitudinem, feras aſſequuntur.* Fridericus Lindenbrogius, qui Warnefridum recenſuit & obſervationibus illuſtravit, vocem hanc eſſe puramputam Germanicam exiſtimat. Nam, inquit, Schriten *eſt divaricare & diducere pedes, à Græco* σκιρτᾶν: *&* Bein / *Crus. Inde ergò rectè* Scritobini: M. Adamus Bremenſis: *In confinio Sveonum vel Nordmannorum, contrà Boream, habitant Scritefinni.* Jornandes in Gothicis, his verbis de Scanzia loquens: *Aliæ* D *verò ibi gentes Scretofennæ; qui frumentorum non quæritant victum, ſed carnibus ferarum atq; avium vivunt.* Sic in privilegio Hludevvici Imperatoris, Archiecclesiæ Hammaburgenſi conceſſo, ſunt *Scredevindon*; & in diplomate quodam Friderici Imperatoris *Scredevindones*; Item in Confirmatione Ansgarij, Archiepiſcopi Hammaburgenſis per Papam Gregorium IV. factâ, *Scredevindan*: Item in Literis Papæ Innocentij II. ad Adalberonem, Archiepiſcopum Ham- E maburgienſem, ipſa regio *Scridivindia.* In quibus omnibus litera v eſt conſona, duriter ſonans ut f, vulgari etiamnunc Germanorum more. Hujus gentis majorem partem Regi Daniæ tributa pendere puto, quatenus videlicet hæreditaria Norvegiæ ſceptra moderatur. De Scricfinnis hæc habet Andreas Buroeus in deſcriptione Sveciæ p. 43. *Scricfinnia, quam Saxo Sialandicus, alijq; veteres, hic uſpiam poſuerunt, nulla eſt: Sed Skidhfinnorum appellatio omnibus* F *Finnonibus Lapponibusq; competit, qui ſoleis illis ligneis, quas noſtri Sveci* Skidh / *Finnones verò Suksi vocant, ſolent uti; celerrimèq; ſuper altiſſimos nives currendo feras inſectari, hoſtemq; inſequi, inſtitutumve iter peragere poſſunt. Cujus rei peritiam maxima pars Nordlandicorum populorum, omnes Finnones Lapponesq; habent.* De Etymologia nominis ſemper in eadem cum D. Wormio noſtro fui ſententia. Skricfinner enim dictos putavi quaſi Scriefinner / quod prærupta montium pandis

trabi-

trabibus, ut Saxo loquitur, vel *Nartis*, ut ab A- A lexandro Gvagnino vocantur, celerrimo impetu quaſi prætervolent. Hinc, at ſkrie paa Jis/ phraſis puerulis noſtris familiaris.

38. *Inuſitatis aſſveta vehiculis*] Per inuſitata vehicula intelligendæ fortè erunt, vel ſoleæ illæ ligneæ, quas Sveci Skidher/ Islandi Skydi ſive Andrur vocant, quarum modo facta mentio eſt: vel curriculi iſtud genus, inſtar cymbæ, clavis ligneis compactum, quod Norvagi Kørriß dicunt. Ejusmodi unicum penes me eſt, viſu non B injucundum.

Ibid. *Montium inacceſſa*] Græco more. Apulejus Lib. I. Metamorph. *Poſtquam ardua montium, & lubrica vallium, & roſcida ceſpitum, & glebosa camporum emenſi.* Sic Lucretius, *clauſa viarum, denſa domorum, munita viai*, dixit: Tacitus, *ſubjecta vallium*, & ſexcenta talia.

39. *Diſpendio lubricæ flexionis*] Quia ſcilicet per varios anfractus & circuitus, non recto tramite ad montium cacumina eniti ſoleant. Compen- C dium verò eſſet, ſi absq; ambagibus eò pertingere poſſent.

45. *Giganteo quondam cultu exercitam*] Qui obſtinatè negant, vaſtâ quadam corporum mole, & extra communem ſortem, proceræ ſtaturæ homines olim, & præcipuè in Dania, cæterisq; regnis Borealibus, extitiſſe; conanturq; omnia, quæ non ſolùm in prophanis, ſed etiam ſacris literis de Gigantibus leguntur, nunc figmentorum Poëticorum nomine, nunc per allegorias D Phyſicas, interdum etiam Morales, eludere: næ illi cum ratione inſaniunt; nec magis ſapiunt, quam benè olent, qui in culina habitant, ut cum Petronio loquar. Nobis verò intra has Notarum anguſtias coactis in præſentia ſufficiat benevolum Lectorem ablegaſſe ad præſtantiſſimos quosque & indubitatæ fidei Scriptores, qui pravam hanc opinionem nervosè coarguent. Quos inter familiam ducunt Cæſar comment. Belli Gallici Lib. I. Tacitus de moribus Germanorum, & Annal Lib. II. Florus Lib. III. Cap. 3. Auguſtinus Lib. XV. Cap. 9. Quid de Hectore Boëtio, luculentiſſimo Scotorum Hiſtorico, dicam? Lib. XI. pag. 240. In agro quodam Scotiæ *Crojudain* vulgo dicto (quod tantundem valet, ac ſi diceres *mortem Danorum*, quia ibidem innumeri quondam Danorum, in acerrima illa pugna, inter Malcolmum Scotiæ & Canutum Daniæ Reges commiſſa, occubuerunt) oſſa quædam eruta, anno Servatoris noſtri altero à viceſimo ſupra milleſimum quingenteſimum, & à ſe ipſo ſpectata, ingenti plerisq; fuiſſe miraculo ſcribit. Nam calvariæ dentes, mandibulæ, cæteraq; manibus attantium tractata, non quanta nunc hominum eſt, ſed giganteam molem præ ſe ferre apertiſſimè videbantur. Neq; diſſimilia variis regni Scotici locis veterum detecta cadavera, ſeſe frequentius mortalium oculis offerre ſpectanda affirmat: argumento illius ætatis homines, eos qui nunc naſcuntur, mole corporum longè ſuperaſſe.

50. *Poſt diluvialis inundationis excurſum*] Martianus Capella Lib. VIII. pag. 274. *Atq; utinam poſt diluvialis inundationis excurſum, Athenarumq; urbem longâ intercapedine reſtitutam, nullæ me in Græciæ terreſtres illecebræ cognoviſſent.*

53. *Cujus ſuprà mentionem fecimus.*] Paginâ nimirum eâdem, his verbis: *Eadem à Septentrione regionem ignoti ſitus ac nominis intuetur &c.* usq; ad illa verba: *perpaucis eam ingredientibus ſalutarem reditum tribuit.*

55. *Nunc Stylum ad propoſitum transferam.*] Formula poſt Digreſſionem reveniendi ad propoſitum non invenuſta: qualis eſt illa Taciti Lib. II. Hiſtor. *Sed me veterum novorumq; morum reputatio longius tulit. Nunc ad rerum ordinem venio.*

HACTENUS NOTÆ IN PRÆFATIONEM;

SEQUUNTUR NOTÆ IN LIBR. I. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 5. verſ. 4.

D*An igitur & Angul*] Non fuiſſe ante Da- E num hæc loca deſerta, aut cultoribus vacua, famæ vetuſtati credi par eſt, quæ per tot ſecula literis prodita, haud temerè ita tenuit. Sed ſeparatæ naturâ, ac imperio disjunctæ inſulæ & provinciæ, diverſos ferè ſingulæ antiquitus habuêre Regulos, qui populo jus reddebant. Nam hoc muneris præcipuè, nondum ſcriptis legibus, ex arbitrio uſurpantes, *Judicum* nomine appellari elegerunt, haud ambitioſo aut invidioſo in vulgus honore qualemcunq; F ſuam imperandi poteſtatem complexi. Eorum tamen alias alius præ cæteris eminebat, & modo in continenti provinciâ, modò in aliqua Inſularum regnans præſtabat, prout quisque aut prudentiâ ſibi auctoritatem paraverat, aut potentiam auctis viribus dilatârat.

Ibid. *A quibus Danorum cœpit origo*] Nunquam igitur ab illa nos opinione divelli patiamur, quin *Danum Humbli* filium principem gentis noſtræ ὀνοματουργόν agnoſcamus. Nam quod ad illam attinet appellationem, quâ plerique Scriptorum veterum, inprimis ſeculi ſequioris, nos *Dacos* indigitent: in eâ ſemper perſiſto ſententiâ longè fuiſſe alios, quàm nos *Danos*; & *Dacorum* nomen in mediâ barbarie ab homi-

 num

num imperitia genti *Danorum* impositum, sicut A *Daciæ*, regno. Certè quis nescit Adamum Bremensem, qui longè ante Saxonem nostrum scripsit, & Paulum Diaconum, quem citat Saxo, nunquàm *Dacos* gentem nostram nominare? Et Saxo ipse cum valdè sit varius in vocabulo gentis vicinæ, *Svecos, Sveones, Svethos*, & nescio an uspiam *Svevos* nuncupans, *Danos* nos suos populares constanter vocat. Quod autem Danorum Rex, *Dacorum* se Regem, non *Danorum*, in antiquis Diplomatibus scribat, id vitio ætatis, B atq; hominum incuriæ planè ascribendum erit, qui sæpè propter dictionum similitudinem alteram, quemadmodum fieri solet, pro alterâ imperitè usurparint. Hinc quoq; in fumum jam abeunt cæteræ hujus vocis origines, quamlibet speciosæ, & veri nonnulla allusione munitæ, qualis est illa viri cujusdam docti, qui *Danos* à *Dahis* & *Scythis* deducit. Nam Joh. Goropium Becanum cum suo gallo gallinaceo jam dudum explosêre, quibus *de meliore luto finxit præcordia* C *Titan*. Sunt qui à Julio Cæsare Daniam à *dando* dictam esse existiment, quod quum Cimbri lebetem magnæ æstimationis ei donassent, non mediocrem ab eo liberalitatis laudem abstulerint.

5. *Patre Humblo procreati*] De Humblo nihil admodùm in Antiquitates nostras relatum, præterquàm quod Scaniæ & Selandiæ summâ cum potestate præfuerit, & variis ejusdem Insulæ locis, ut *Humbleore, Humblebeck*, aliisq; nomi- D na imposuerit. Vulfgangus Lazius Lib. 9. de migrat. Gent. ab hocce Humblo, quem *Humelum* vocat, *Amalam* gentem, sive familiam Gothorum famigeratissimam processisse contendit. Johannes Magnus Historiæ Gothicæ Lib. I. Cap. V. Humblum, sivè, ut ipse appellat, *Humelum*, XVI. Gothorum Regem fuisse tradit, Humulphi filium, Bericonis nepotem, eumq; ex Gesilda, nobilissimâ conjuge Svetica, duos suscepisse filios Danum & Angulum. Sed quàm E rectè, ipse viderit. Vir incomparabilis, & Historicus eminentissimus, mihiq; dum vixit, Collega, Compater, & Amicus conjunctissimus, D. Joannes Meursius, ὁ μακαρίτης, sub initium Libr. I. Historiæ Danicæ de Humblo hæc commemorat: *Erat autem Humblus iste è prosapiâ giganteâ, & in Sialandia auctoritate ac potentiâ eminebat. Neq; Sialandiam tantùm, verum etiam Langelandiam, item Monam, insulas in mari Balthico, uno omnes Viteslettæ nomine dictas,* F *suâ in potestate habebat. Ædes illi permagnificæ; quarum hodie etiam vestigia exstant, juxta silvam, quæ nunc quoq; velut tantæ monumentum antiquitatis, Humbli dicitur, inter Ringstadium & Roschildiam, pari ferè intervallo, ubi hodie Svenstrupium. Etiam ad Oresundæ freti ripam pagus quidam Humblebequa.* Videatur etiam de Humblo Joh. Isac. Pontanus, celeberrimus Historiographus, Historiæ Danicæ Lib. I. Porrò quod *Viteslettæ* nomenclaturam attinet, certissimum est sic dictas Sialandiam, Falstriam, Laulandiam, Langelandiam, Mœoniam, Balthici maris insulas, quasi *Latam planitiem*, vel *Vitarum campum:* priusquam Dan, devictis Saxonibus, Cimbria etiam potitus, quicquid intra Eydoram flumen versus aquilonem continetur, indeq; ad ortum longo retrocedit tractu, usq; ad fines Gothiæ Svecicæ, de suo nomine Daniam, vernacula Linguâ nostrâ Danmarck, incolasq; regni *Danos*, de nomine suo appellaret.

7. *Quanquam Dudo rerum Aquitanicarum scriptor Danos à Danais ortos*] Dudo iste, super Congregationem S. Quintini Decanus, scripsit de moribus & actis primorum Normanniæ Ducum Libros III. eosq; Adalberoni Episcopo Laudunensi inscripsit. Hunc unà cum aliis rerum Normannicarum antiquis Scriptoribus divulgavit Andreas Duchesnius Turonensis. Verba autem, quæ ad testimonium citat Saxo, mox in limine operis exstant, & sic habent: *Igitur Daci nuncupantur à suis Danai, vel Dani, glorianturq; se ex Antenore progenitos; qui, quæ Trojæ fuerunt, depopulatis, mediis elapsus Achivis, Illiricos fines penetravit cum suis.*

10. *Ob egregia fortitudinis merita*] Sic omninò erat. Neq; ulla ferè virtus togata perinde in pretio erat, atq; animi corporisq; robur, & quæ ad hostium ingentem stragem faciendam spectabat. Cæteræ magnâ ex parte contemptim habitæ, & ut viris principibus indignæ, vulgares, mollicellæ, ac rejiculæ videbantur. Quam opinionem, quo firmius agrestium animis imprimeret Odinus, priscæ simplicitatis atq; ruditatis interpolator, σοφὸν φάρμακον excogitavit, svadens, post animæ à corpore separationem, eos demùm apud se, & alios divos, qui, à morte, Valicæ aulæ imperitarent, perpetuâ voluptate fruituros esse, qui sangvinariam mortem intrepidè oppeterent, nec per ignaviam lecto affixi exspirarent, velut convivas Asianorum epulationis deceret. Tùm quo quis plures in bello obtruncaret, eo locum honoratiorem in compotatione illa immortali consequuturum, persvasum erat, pocillatoribus & ministris futuris occisori, quotquot occidisset. Hac miserâ vanitate se, mortem solatur sub ipsam, Rex Daniæ, Ragnarus Lodhbrok. *M. Brunolfus.*

15. *Provinciæ, cui præerat*] *Angliæ* nimirum Cimbricæ, non Britannicæ. Illa autem provinciola est inter Jutlandiam & Holsatiam, sev inter sinum Flensburgensem & Sliam fluvium interjecta, hodieq; ANGLEN dicta. Inspiciat Lector Chorographicam Holsatiæ Tabulam nuper ab Hondio accuratè editam. Situm illius tractus confirmat etiam vetustus Scriptor Ethelverdus abnepos Adulphi Regis, qui floruit circa Ann. Chr. DCCCCL. Cujus hæc sunt verba: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos* (Jutos intel-

intellige) *habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico* SLESVICH, *secundùm verò Danos* HAITEBY *dicitur.*

18. *Testis est Beda*] Videlicet Lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XV. *Anno ab incarnatione Domini CCCCIX. Anglorum sive Saxonum gens, invitata à Rege præfato* (Vortigerio) *Britanniam tribus longis navibus advehitur, & in orientali parte insulæ, jubente eodem Rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem verâ hanc expugnatura, suscepit.* Et paulò post: *Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, Vitis.* Ubi rectè *Jutis* legit Matthæus Vestmonasteriensis, & Gu. Cambdenus ità se in MS. invenisse fatetur. Et mox idem: *Porrò de Anglis, hoc est, de illa patriâ, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore usq; hodiè manere deserta inter provincias Vitarum & Saxonum perhibetur, Orientales Angli, cæteriq; Anglorum populi sunt orti.* Hactenus Beda. Observationem vero meretur, quod Cambdenus tradat circà Ann. Chr. DCCC. Egbertum quendam occiduorum Saxonum Regem, septem illa Regna, in quæ Britanniam Anglo-Saxones distribuerant, cum in unius imperium devenissent, promulgato edicto ENGLELOND vocari jussisse, id est Anglorum terram. Unde Latinè *Anglia* dicta, ab *Anglis* facta appellatione, qui ex tribus hisce populis & numerosissimi erant & fortissimi. A quibus longo jam anteà tempore in universum *Angli*, & suâ lingvâ *Engla-theod, Anglcynne, Englcynne, & Englisc-mon* dicti fuerunt, licet quodlibet Regnum suo seorsim gaudebat nomine: *Tunc temporis*, inquit, *Britanniæ nomen obliteratum inter hujus Insulæ incolas jacuit, & tantum in libris superfuit.* Unde injurius nimium est Saxoni nostro Albertus ille Crantzius, qui perperàm intellecto contextu, de Angulo ipso, non de posteris ejus hoc accipit.

24. *Grytha summæ inter Teutones dignitatis*] Gretam hanc Ducis Saxoniæ filiam fuisse Svaningius noster Lib. 2. Commentar. testatur.

26. *Lecturi Regem veteres affixis humo saxis insistere*] De antiquo electionis ritu notatu digna sunt, quæ Svaningius loco jam dicto in medium adducit: *Quum de sepultura Cimbrorum, & quem in sepeliendis suis defunctis morem olim servarint, nonnulla sunt annotata: pari modo, quâ ceremoniâ in eligendo Rege antiquitus Cimbri usi sint, breviter ostendam. Locum igitur publicæ regiæ electionis postquam incolis convenientem, ad quem nullâ obstante itineris difficultate, omnes, qui erant vocati, venire possent, elegissent, saxa grandia singulari operâ atq; studio conquiri, atq; in eundem locum, quem electioni regiæ destinarant, comportari*

A *curarunt. Neq; enim tùm, quemadmodum hodiè destinata electioni regiæ certa erant loca, sed pro arbitrio sententiaq; eorum, qui autoritate potentiaq; alios antecellebant, eligebantur. Huc comportata saxa conscendentes hi, quibus eligendi jus commendatum erat, circumstante populo, suffragia ex iis ferebant, significantes per se hoc, quod quemadmodum saxa suo pondere gravitateq; immobilia sint, nec absq; magno labore ab uno loco in alium dimoveantur, ita suffragia in electione regiâ data, & vicissim promissa jurataq; regis, modò in honorem Dei, & in utilitatem regni cedant, firma, immutabilia, atq; inviolata esse oportere, nec ad quemlibet vulgi strepitum atq; popularem motum leviter sic mutari, ut cui semel deliberato animo data sint, postea levi de causa eidem suffragia adimantur, modò ne sit talis, qui cum Deo & natura belligeratur. Fides enim, quæ inde nomen suum habet, ut fiat quod dictum factumq; est, cum sit fundamentum omnium suffragiorum, fœderum, pactorum, atq; omnium actionum humanarum, tam publicarum, quàm privatarum, instar gravissimi saxi ponderosa fit necesse est, si imperia, regna, respublicæ, imò si Oeconomia quamlibet parva in flore & honore suo debito maneat ac conservetur.* Cæterum ejusmodi saxa, quæ ut plurimum duodecim fuerunt, hodieq; multis in locis apud nos conspiciuntur, in Sælandia nostra prope Lethram, vulgo LEIRE, civitatem olim Regiam, locus extat KONGSTOLEN, seu sedes regia, grandi saxo inter reliqua conspicuus, qui eligendo Regi olim fuit deputatus, & etiamnum seniorum hac de re relationibus nobilitatus. Operæ erit pretium consulere Libr. 1. Monumentor. Danic. Cap. XII. Viri Doctissimi, Dn. D. Olai Wormij, cui patriæ Antiquitates, è profundis tenebris erutæ æternam lucem debent. Parilis exemplum ritus in Svetica extat Historiâ. Nam extra civitatem Upsalensem, ad unum milliare, in plano campo situs fuit lapis, quem MORASTEEN appellant, Regiæ electioni ab antiquissimo tempore dedicatus. Johannes Magnus Historiæ Gothicæ Lib. XXI. Olaus Magnus Lib. VIII. Cap. I. Johannes Messenius in Paraphrasi Theatri Nobilitatis Svecanæ, p. 108. Hector quoq; Boetius Lib. 1. Histor. Scot. mentionem facit marmoris cujusdam, cui Gathelus insidens, Brigantiæ, ubi Scotorum regiam instituerat, populo jura dixit. Fuit is lapis cathedræ instar fatalis, ut qui ubicunq; inveniretur, Scotis regnum portenderet. Hinc usu venit, ut de Hispania in Hiberniam vecti, & de Hibernia in eam Albionis partem, quæ nunc Scotia appellatur, Scotorum Reges in eo marmore insidentes, usq; ad Roberti primi, Scotorum Regis, tempora coronarentur. Inscriptio lapidi longa post secula, [uti res ipsa indicat] hæc est insculpta:

Ni fallat fatum, Scoti quocunq; locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

27. *Subjectorum lapidum firmitate*] Petrus Chrysologus Sermone LXXIV. de resurrectione Christi: *Sedebat* (angelus) *super petram, ut soliditas sedis daret credentibus firmitatem.*

31. *Fraternis injurijs imperium abdicare coactus*] Exclamat heic Crantzius: *Quàm similem Romano, hujus regni constitutio nanciscitur originem! Sed ibi:*

Fraterno primi maduerunt sanguine muri:
hic autem modestiori exitu, regno cedens frater germano, privatus vixit.

32. *Ut plus splendoris, ità minus securitatis aulis, quàm tuguriis inesse.*] Egregia sanè dubiæ aulicorum sortis repræsentatio: quam desumptam omninò arbitror ex Lib. VII. Cap. I. Valerij Maximi. *Cum enim Gyges regno Lydiæ armis & divitijs abundatissimo inflatus, Apollinem Pythium sciscitatum venisset, an aliquis mortalium se esset felicior? Deus ex abdito sacrarij specu voce missa, Aglaum Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate jam senior: terminos agelli sui nunquàm excesserat, parvuli ruris fructibus contentus. Verum profectò beatæ vitæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Quocircà insolenter fulgore fortunæ suæ glorianti respondit, magis se probare* SECURITATE RIDENS TUGURIUM, QUAM TRISTEM CURIS ET SOLICITUDINIBUS AULAM: *paucas glebas pavoris expertes, quàm pinguissima Lydiæ arva metu referta: & unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ, quàm exercitus & arma, & equitatum voracibus impensis onerosum: & usus necessarij horreolum nulli nimis appetendum, quàm thesauros omnium insidijs & cupiditatibus expositos. Ita Gyges dum adstipulatorem vanæ opinionis Deum habere concupiscit, ubinam solida & secura esset felicitas, didicit.* Lucanus Lib. V. vers. 527.

——————— *ô vitæ tuta facultas*
Pauperis, angustiq; laris! ô munera nondum
Intellecta Deûm! ———————

Seneca Tragicus Hippolyto:

Quanti casus humana rotant,
Minus in parvis fortuna furit,
Leviusq; ferit leviora Deus.
SERVAT PLACIDOS OBSCURA QUIES,
PRÆBET SOMNOS CASA SECUROS.

Huc facit insignis ille D. Cypriani locus Lib. II. Epist. 2. de lubrica fortunâ aulicorum: *An tu,* inquit, *vel illos putas tutos, illos saltèm inter honorum infulas & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Major illis, quàm cæteris metus est: tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas: sit licèt satellitum manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm securos non sinit esse subjectos, tàm necesse est non sit & ipse securus. Ante ipsos terret potestas sua, quos facit*

A *esse terribiles. Arridet, ut sæviat; blanditur, ut fallat: illicit, ut occidat: extollit, ut deprimat.*

34. *Ut honoris damno tanquam beneficio gratulari crederetur*] *Gratulari* Saxoni nostro frequenti in usu est pro *gaudere & vehementer lætari.* Ita sub finem Libri II. *Oblato VViggone perinde ac munere gratulatus.* Et Lib. IX. *Parcius gratulatus est:* & alibi passim. Laurentius Valla Elegant. Lib. V. cap. 45. *Gratulari,* inquit, *est verbo testari, te gaudere fortunâ ac felicitate alterius, apud eum*
B *ipsum, qui affectus est felicitate: nonnunquam apud te ipsum, ob tuam felicitatem. Poëtæ nonnunquam prætereunt Dativum. Quæ fuit causa, ut quidam existimarent hoc verbum idem significare, quod gaudeo.* Ovidius in Heroid.

Gratulor Occhaliam titulis accedere nostris.

Idem Libro III. Κακοτεχνίας:

Prisca juvent alios, ego me nunc deniq; natum
Gratulor. ———————

Quintilianus: *Gratulemur jam, quòd nulla civi-*
C *tas fame laboret.* Apulejus in Apologia: *Quod ego gratulor nescisse istos, legisse me.* At crebrius usurpant eodem significatu medij ævi scriptores. Gariopontus, Medicus antiquus, Lib. 3. Cap. 19. *Hoc & nos utimur semper, & de ejus effectu gratulamur.* Ælnothus de Vita S. Canuti: *Gratulare illum cœlis evectum.* Lupus Abbas Epistola III. *Atq; in eo censent mihi gratulandum, in quo nullum gaudij valent demonstrare vestigium.* Et mox Epistola IV. *Quum eorum quidam super ex-*
D *cessu gratissimæ uxoris gratulandum monerent.* Ennodius Lib. IX. Epist. XXVI. *Facite me de prosperitatis vestræ significatione gratulari.*

39. *Patriæ consternatione perimitur*] Hoc est, A conjuratis, quibus odium Tyranni crudele erat, acerq; metus, subitò circumventus trucidatur. *Consternatio* interdum seditionem, conjurationem, tumultum, turbas notat. Svetonius in Julio Cap. 20. *Nec quoquam reperto, cui super tali consternatione referre auderet.* Et
E Claudij Cap. 12. *Magnâ consternatione, populus militem quasi proditorem incessere non ante destitit.* Valerius Maximus Lib. 4. *Subitâ rerum consternatione, & gravi dolore corporis, partum ejicere coacta est.* Tacitus Historiar. Lib. 2. Cap. 49. *Atq; illum supremas jam curas animo volventem repens tumultus avertit, nuntiatâ consternatione ac licentiâ militum:* Et Historiar. IV. Cap. 50. *Sed ubi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium, veraq; & falsa, more famæ in majus innotuêre.* Cur-
F tius Lib. X. *Verùm ego tam furiosæ consternationis oblitus remedia insanabilibus conor adhibere.* Et paulò ante: *Ille, quid hæc, inquit, repens consternatio, & tàm procax atq; diffusa licentia denuntiat?* De origine vocis videatur omninò Ludovicus Aurelianus ad Lib. 1. Annal. Taciti. p. 157. Cœterum eleganti Epiphonemate Lotheri vitam concludit Cl. Meursius: *At Lotherus, fratris metu liberatus, regno malè comparato pejus utens, cum in quosvis desæviret, à quibusdam conjuratis, ut tyrannis*

fieri

fieri solet, interficitur: Cæteros exemplo docens, regna scelere acquisita, ut habentur cum opprobrio, & non sine insolentiâ ac sævitiâ exercentur: ita odio subditorum concitato, cum ludibrio tandem amitti.

42. *Cuncta paternæ contagionis vestigia ingeniti erroris devio præteribat.*] Videtur Saxo verba Dudonis paululùm immutata in suum usum transtulisse, quæ extant Lib. 3. Ubi loquitur de genere humano, à Creatore suo per peccatum desciscente: *Vario & diverso itineris calle devius error illud abducit, ne revertatur ad Creatorem suum:* Quemadmodum infrà Lib. 6. in eadem Metaphorâ persistit, ubi luxuriam Ingelli Regis describit: *Degenerem spiritum, atq; à parentum vestigiis obliquo longè calle distortum in obscœnissimas fœditatum voragines præcipitare gaudebat.*

49. *Cingulo, cujus usum habebat, religandum curavit*] Crantzius existimat hunc insolitæ granditatis ursum ad generosum Skioldi conspectum omnem exuisse feritatem, & veluti subitâ consternatione mansvefactum se in manus venatorum religandum spontè obtulisse. Id quod non ità planè fando inauditum. Ferunt namq; ingenui roboris nobilitatem feras bestias in homine deprehendere, illi parere, cervicesq; submittere, quas erigunt in degeneres. Sic Henrico, Holsatiæ Comiti, Leo nobilitatis testimonium perhibuit. Crantzius Saxon. Libr. IX. Cap. XXIV. Videantur similia exempla apud Camerarium Hor. Subsicivar. Cap. XXII. Centur. 1. Sed & vero propius, Skioldum immanem hanc beluam, excellenti corporis robore fretum, subegisse: quomodo Heriulfus filius Sigmundi Saunhoffda, Magnatis Norvegiæ, jam tantùm octennis, ursum, qui è grege caprarum unam fortè discerpserat, stravisse perhibetur; ac jam duodecennis, indignam patris cædem ultus esse, multaq; alia facinora patrasse, & fortitudinis documenta reliquisse posteris. Arngrimus Jonas in Specimine Islandiæ Historico p. 34.

Pag. 6. v. 6. & 7. *Ut ab ipso cæteri Danorum Reges communi quodã vocabulo Skioldungi nuncuparentur*] Longè aliam appellationis hujus originẽ adducit *Edda*, quòd videlicet ex *Skioldo* quodam *Odini* filio, dicti sint Reges Daniæ *Skioldungi*. Verba Eddæ sic habent, p. 7. Tha byriade Odin ferd sina nordur fra Saxlandi/ og kom i thad land er their kalludu Reidgotaland: og eignadis i thui lande alt thad hañ villde; Hañ setti thar til landa Son siñ/ er Skioldur hiet: hans Son var Fridleifur. thadan er suo ätte komiñ / er Skioldungar heiter/ thad eru Danakongar. Og thad heitir nu Jotland / er tha var kallad Reidgotaland. Eadem Latinè: *Tùm iter Odinus à parte Saxoniæ Boreali suscipiens, pervenit in terram tunc dictam* Reidgotaland. *Ubi omnia ex voto & animi sententia successerunt. Huic regioni præfecit filium suum Skioldum, cui filius fuit Fridleifus. Ab ipso genus & prosapia Skioldungorum profluxit, hoc est, Regum Daniæ. Jutia autem nunc appellatur, quæ tunc Reidgotorum terra dicebatur.* Hactenus Edda. At Arngrimus Jonas, doctissimus Islandorum, Reges *Skioldungos* dictos existimat, quasi *Clypeatos*, quod hi clypeis & armis præ reliquis polleant. Skioldur enim *Clypeum* linguâ Islandicâ significat. Verba ejus in literis ad Clariss. D. Wormium hæc sunt: *Vox* Skioldur *Clypeum sonat: Unde* Skioldunger/ *quasi Clypeatus: nomenclatura Regibus solis Synecdochicè data & debita, quòd hi clypeo & armis præ reliquis pollerent. Dicti ita præcipuè Daniæ Reges. Inde ad alios etiam Reges appellatio à Rhythmistis extendi cœpit.* Sed & locum hic meretur M. Brynolfi Svenonij, Episcopi Scalholtensis, de *Skjoldungis* observatio, quam Conjectanea ipsius nobis suppeditant: *Moris videlicet tunc erat, ut insignem ab aliquâ virtute Principem cum celebrarent, Poëtæ inprimis, etiam posteris ejus, nomen, quo visi erant ipsum honorasse, tribuerent. Sic à* Budlone, *Brynhildæ Atlonisq; patre*, Budlungi; *à* Giukone, *Sigurdi Fanesbani socero*, Giukungi; *à* Scatone, *Rege liberali, quivis liberaliores*, Skatnar *dicebantur. Verùm Poëtica ista fuerunt & elogia & epitheta. Ità per Synecdochen speciei, Reges omnes à* Grámo, *Skioldi filio, denominati: quod ipse Saxo posteà docet; & plenæ sunt horum novæ juxtà ac veteres Cantiones.*

9. *Præcurrebat igitur Skioldus virium complementum animi maturitate*] Sensus est: Tàm egregiâ fuit indole Skioldus, ut præcoci sapientiâ, virtute, prudentiâ, & admirandâ ingenij solertiâ, debitum virium incrementum longè anteverteret. Eleganter *maturitas* à frugibus ad ingenium & animum transfertur. Inprimis apud Ciceronem occurrit *Maturitas virtutis, maturitas orationis, maturitas dicendi, maturitas audaciæ, ingenium celeriter maturitatem assecutum*, & id genus alia. Verè Quintilianus: *Festinata maturitas occidit celerius.* Alioquin *maturitas* absolutè, medij & sequioris ævi scriptoribus in usu frequenti est pro prudentiâ, sicut *maturus* pro prudente. Julius Firmicus Lib. 1. Cap. 2. *Jupiter facit maturos, bonos, benignos, & modestos.* Am. Marcell. Lib. XIV. *Non maturitate vel consilijs mitigabat, ut aliquoties celsæ potestates iras Principum molliverunt.* Qui & ipse Lib. XVI. eandem maturitatis ac roboris laudem Serapioni cuidam tribuit, quam Saxo huic Skioldo: *Latus verò dextrum*, inquit, *Serapio agebat, etiam-tum adultæ lanuginis juvenis, efficaciâ præcurrens ætatem.* Ubi *efficacia*, ni fallor, virtutem, audaciam, robur corporis animiq; denotat.

12. *Cum Scato Alemanniæ Satrapa*] *Satrapa*, & *Satrapes*, Persicâ voce dicitur, qui Latinis Princeps, Præses, Prætor, aut præfectus provinciæ. Est autem Persica vox *Achaschdrapan*, Ester. 9. v. 3. Ezræ 8, v. 36. ex qua per aphæresin literarum, formatur Latina. Videatur Index locupletissimus in totum opus Curtianum diligentissimi ac accuratissimi Bonorum autorum Editoris,

Editoris, Viriq; longè Clarissimi & Doctissimi, A Joannis Freinsheimij. Sanctus Pagninus è Syriaco *Asdarpan* per μετάθεσιν deducit. Usurpatur Terentio Heavtonim. Act. 3. Sc. 1. Plinio Lib. 5, c. 5. & aliis. Matth. Raderus, Vir Reverendus, in eruditissimis Commentariis ad Lib. 3. Q. Curtij Cap. 25.

19. *Primus rescindendarum manumissionum Legem edidit*] *Rescindere manumissiones* hoc loco est manumissiones irritas facere, planeq; abrogare, & perpetuum servitutis jugum sancire: B non, ut perperàm interpretatur Vir cætera doctus, *primùm manumissionis consvetudinem introducere & instituere.* Id quod ex sequentibus patet. Exsertis enim verbis dicit Saxo, ob insidias, quas servus, anteà libertate donatus, Skioldo Regi struxerat, perpetuæ servitutis pœnam non solùm ipsi esse irrogatam, sed etiam unius crimine in omnes libertos eandem redundasse, adeò, ut in posterum omnis libertatis donatio penitus aboleretur. Ita crimen C unius, multorum sæpè est pœna. Et sanè imitatus est Saxo, sicut solet, suum Valerium Maximum, apud quem parilis loquendi ratio occurrit Lib. II. Cap. 6. *Indè Massilienses quoq; ad hoc tempus usurpant disciplinæ gravitatem, prisci moris observantiâ, charitate populi Romani præcipuè conspicui: qui tres in eodem MANUMISSIONES RESCINDI permittunt, si ter ab eodem deceptum dominum cognoscunt.*

23. *Ægros fomentis prosequi*] Ælius Spartia- D nus de Hadriano Cæsare: *Ægros bis ac ter visitavit, solatijs refovit, consilijs sublevavit, convivijs suis semper adhibuit; omnia deniq; ad privati hominis modum fecit.* Et paulò pòst: *Ægros milites in hospitijs suis visit.* Idem Hadrianus & in concione, & in Senatu sæpè dixerat: *Ita se Rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam*: quomodo hic de Skioldo Saxo loquitur.

26. *Pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere*] Singulare prorsus & egregium E continentiæ de se nobis exemplum hic repræsentat Skioldus: cujusmodi in Romanis Ducibus & Imperatoribus multa quoq; agnoscit Valerius Maximus Lib. IV. Cap. II. quæ respexisse videtur Saxo. Nam inter alia, ubi Valerius Pauli laudat continentiam, qui cum, Perse Rege devicto, Macedonicis opibus veterem atq; hæreditariam Romæ paupertatem eo usq; satiasset, ut illo tempore primum Pop. Romanus tributi præstandi onere se liberaret, penates suos nulla F ex parte locupletiores fecit; hæc subjungit: *Præclarè secum actum existimabat, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipse gloriam occupasset.* Et mox de Scipione Æmiliano, qui septem servis sequentibus officio legationis functus est: *Puto,* inquit, *Carthaginis ac Numantiæ spolijs comparare plures poterat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset.* Tali quoq; animo divitiarum contemptore præditus fuit Canutus, Patruelis S. Canuti Regis Daniæ, qui *eam demum quæstuosam esse militiam ratus, quâ gloriæ & claritatis stipendium possit acquiri.* Saxo Lib. 13. Hoc etiam nomine potentissimus Danorum Rex Frotho ejus nominis tertius, captivam ex Hibernis subactis prædam militi dispertivit; *uti se totum avaritiæ expertem, & nimiâ rerum cupiditate aversum, SOLIUS GLORIÆ lucrum appetere testaretur.* Sic Saxo Lib. 16. de Absolone Archiepiscopo: *Quos Absolon eo usq; vacuo cunctationis remigio insecutus, vespera ad socios, qui prædæ incubuerant, revertit. Cujus ne particeps quidem fore sustinuit, gloriam ad se, spolia ad milites redundare speciosum ducendo.* In eandem mentem Silius Italius Lib. XI. de Satrico:

—— mihi magna satis, sat vera superq;
Bellandi merces sit GLORIA: Cætera vobis
Vincantur: quicquid diti devexit Ibero,
Quicquid & Æthnæis jactavit Roma triumphis.
Quin etiam Libyco si quid de littore raptum
Condidit, in vestros venient sine sortibus enses,
Forte domos, quod dextra dabit, nil victor honoris
Ex opibus posco ————————

Ità etiam de Scythis Justinus Lib. II. pag. 20. *Gens laboribus & bellis aspera, vires corporum immensæ, nihil parare quod amittere timeant, nihil victores præter gloriam concupiscunt.* Galterus Lib. II. Alexandreidos, de Alexandro milites prælium inituros cohortante:

Me duce signa duces producite, me duce vallum
Sternite, confertos incedite cæde per hostes,
Prælia, non spolium mecum dividite, cedant
Prælia, præda meis, MIHI GLORIA SUFFICIT UNA
REM VOBIS, MIHI NOMEN AMO ——

Hinc apud Plutarchum præclarissimus ille militiæ Dux Themistocles, quum fortè apud mare obambulans conspiceret ingentem vim variarum prædarum, torques, armillas, littori allidi, convertebat se ad comitem inquiens; *tolle tu ista*: denotans militi prædam esse relinquendam, ducis gloriam esse propriam.

34. *Ut in vetustissimis Danorum Carminibus ipsius vocabulo Regia nobilitas censeatur*] Habemus in Edda, ubi de Regum agit Synonimiis, trium præstantissimorum Poetarum autoritates, in quibus pro Rege ponitur *Gram.* Primus est Arnerus Skald, qui de Barone Thorfin hæc cecinit:

Nemi drot hue sia sotti
ᚿᛘᛁ ᚦᚱᛆᛏ ᚼᚢᛂ ᛋᛁᛆ ᛋᛆᛏᛏᛁ
Snarlindur Kongur jarla
ᛋᚿᛆᚱᛚᛁᚿᚦᚢᚱ ᚴᛆᚿᚵᚢᛆ ᛁᛆᚱᛚᛆ
Ei draut vid egi
ᛂᛁ ᚦᚱᛆᚢᛏ ᚢᛁᚦ ᛂᚵᛁ
Of vagian Gram begia
ᛆᚠ ᚢᛆᚵᛁᛆᚿ ᚵᚱᛆᛘ ᛒᛂᚵᛁᛆ

Obser

Observet cohors quæ spectatum venit
generosum regem Baronum.
Non defecisse ad littus
acerrimo Regi resistere.

Alter est Ottarus Niger, ex quo hæc citantur:

Godmennis darf eg gunar
ᚴᛅᚦᛘᛁᚾᚾᛁᛋ ᚦᛅᚱᚠ ᛁᚠ ᚴᚢᚾᛅᛅ
Gud briotanda ad mota
ᚴᚢᚦ ᛒᚱᛁᛅᛏᛅᚾᛏᛅ ᛅᚦ ᛘᛅᛏᛅ
Har er alnemen ini
ᚼᛅᚱ ᛁᚱ ᛅᛚᚾᛁᛘᛁᚾ ᛁᚾᛁ
In drot med Gram suinum.
ᛁᚾ ᚦᚱᛅᛏ ᛘᛁᚦ ᚴᚱᛅᛘ ᛋᚢᛁᚾᚢᛘ

Perito opus habeo ô viri,
Intercessore.
Milites bellicosi intus sunt
Satellitesq; apud Regem celebrem

Tertius est Halfrodus, cujus hi sunt versus:

Grams *Runi letur glymia*
ᚴᚱᛅᛘᛋ ᚱᚢᚾᛁ ᛚᛁᛏᚢᚱ ᚴᛚᚢᛘᛁᛅ
Gunrikur hin er huot likar
ᚴᚢᚾᚱᛁᚴᚢᚱ ᚼᛁᚾ ᛁᚱ ᚼᚢᛅᛏ ᛚᛁᚴᛅᚱ
Hogni hamri slegnar
ᚼᛅᚴᚾᛁ ᚼᛅᛘᚱᛁ ᛋᛚᛁᚴᚾᛅᚱ
Heipt bradur um sik vader.
ᚼᛁᛁᛒᛏ ᛒᚱᛅᚦᚢᚱ ᚢᛘ ᛋᛁᚴ ᚢᛅᚦᛁᚱ

Regis aulicos excitat strepitum,
Gunericus ubi receptui canitur,
Hugonis malleo diverberatos
Iracundus invadit.

In Epinicio quoq; Egilli Scallagrimi duo habemus exempla: quorum primum est in Stropha V.

Var at villustadar
ᚢᛅᚱ ᛅᛏ ᚢᛁᛚᛚᚢᛋᛏᛅᚦᛅᚱ
Vafur Daradar
ᚢᛅᚠᚢᚱ ᚦᛅᚱᛅᚦᛅᚱ
Of Grams *gladar*
ᛅᚠ ᚴᚱᛅᛘᛋ ᚴᛚᛅᚦᛅᚱ
Geir vangs radar
ᚴᛁᛁᚱ ᚢᛅᚾᚴᛋ ᚱᛅᚦᛅᚱ
Dars i blóde
ᚦᛅᚱᛋ ᛁ ᛒᛚᛅᚦᛁ
I brimla mode
ᛁ ᛒᚱᛁᛘᛚᛅ ᛘᛅᚦᛁ
Flaustur of drunde
ᚠᛚᛅᚢᛋᛏᚢᚱ ᛅᚠ ᚦᚱᚢᚾᚦᛁ
Vad um glumde
ᚢᛅᚦ ᚢᛘ ᚴᛚᚢᛘᚦᛁ

Pergebat avij loci	*Ubi in cruore*
Tela Daradi	*In mari*
Per Regis læta	*Navis pernavitavit*
Cadavera	*Vulnus circum sonuit.*

A Alterum in secunda Stropha conclusionis:

Bar eg deingils lof
ᛒᛅᚱ ᛁᚠ ᚦᛁᛁᚾᚴᛁᛚᛋ ᛚᛅᚠ
A dagna rof
ᛅ ᚦᛅᚴᚾᛅ ᚱᛅᚠ
Kan eg mæla miot
ᚴᛅᚾ ᛁᚠ ᛘᛅᛚᛅ ᛘᛁᛅᛏ
I manna siot
ᛁ ᛘᛅᚾᚾᛅ ᛋᛁᛅᛏ
B *Or hlatra ham*
ᛅᚱ ᚼᛚᛅᛏᚱᛅ ᚼᛅᛘ
Hrodur ber eg Gram
ᚼᚱᛅᚦᚢᚱ ᛒᛁᚱ ᛁᚠ ᚴᚱᛅᛘ
So for dat fram
ᛋᛅ ᚠᛅᚱ ᚦᛅᛏ ᚠᚱᛅᛘ
Ad flestur opnam.
ᛅᚦ ᚠᛚᛁᛋᛏᚢᚱ ᛅᛒᚾᛅᛘ

C *Protuli Regis laudes*	*Ex risus exsuvijs*
In silentij ruptura.	*Encomiasticon fero Regi.*
Novi loqui in medio	*Ita processit*
Ut plurimi exciperent.	*Ut plurimi exciperent.*

36. *A gladiatoribus vitandi inferendiq; ictus consvetudinem*] Elegans certe gladiatoriæ artis περίφρασις, quam Saxoni suppeditavit Valerius Maximus Lib. II. Cap. 3. *Ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi atq; inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus* D *ingeneravit.*

37. *Educatoris sui Roarij filiam*] *Educatoris*, hoc est, nutricij. Observationem hic meretur, quod educandis Heroum liberis non mulieres solum, verum etiam viri olim adhibiti sint: cujusmodi *Educatorum* crebra extat in Saxone nostro mentio. His nec Græci caruêre, nec Romani. Apulejus Lib. 2. Metamorph. p. 17. *Ego sum Byrrhena illa, cujus fortè sæpiculè nomen inter tuos frequentatum educatores retines.* Idem Lib. 10. E *Ad quendam compertæ gravitatis educatorem senem protinus refert.* Justinianus Lib. I. Institut. Tit. 6. §. V. *Aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum.* Quem locum ita expressit Theophilus: Καὶ τὸ εἰπεῖν ὅτι παιδαγωγός μοῦ ἐστὶν, ἢ τροφεὺς, ἢ ἀλῶμνος. Alias *Nutricij* dicti sunt *Educatores.* Glossarium: *Nutricius*, τροφεύς. Inscriptio vetus:

MEMMIA TERTULLA
F NUTRICIO SUO ET MATRI
BENE MERENTI POSTERISQ.
SUIS ET SIBI.

Ibid. *Coævam sibi collactaneamq;*] Glossæ veteres Latino-Gr. *Conlactaneus*, Σύντροφος, ὁμογάλακτος. Et Gloss. Græco-latinæ: Σύντροφος, *Conlactaneus.* Historia S. Savinæ Virginis, quæ extat inter Antiquitates Tricassinas, p. 395. *Beata verò Savina evigilans ait ad Maximinolam, collactaneam suam. Collacteam* dixit

dixit Martianus Capella Lib. 1. pag. 3. *Sed quod sororis ejus collactea, & indiscreto amica fœdere videretur.* Et Lib. 2. pag. 27. *Pedissequa ejus Periergia, utrum matre virginis missa an sua, utpote ejus collactea, trepidatione sollicita, quid ageret, conspicatur.*

42. *Qui cum forte*] Bessus, aut ipse Gram, rectius. Ad Gramum etenim referenda sunt sequentia fere omnia.

44. *Herculeæ virtutis exemplo monstrorum nisibus obstaturus*] Herculi per omnia similem Gramum facere conatur Saxo, comparatione inter utrumque institutâ non adeo absurdâ. Quemadmodum etenim Hercules (quod vel illi norunt, qui nondum ære lavantur) & pellem leonis, & clavam gestavit, & præter alia monstra, etiam gigantes domuit: ita & Gramum non solum caprinis tergoribus amictum, sed & horrifico clavæ gestamine armatum, adversus monstrosum illum gigantem, cui filiam Sictrugi Regis desponsatam fuisse ægerrimè ferebat, ad pugnam processisse commemorat.

46. *Variis ferarum pellibus circumactus*] *Circumactus* ἀντὶ τοῦ *Circumamictus.* Odiosa enim ταυτολογία hæc esset: *caprinis tergoribus amictus*; quod mox præcessit: ac *variis ferarum pellibus circumamictus*, quod subsequitur. Raro quippe solet Saxo idem dicere per idem, aut verba semel posita, statim eâdem notione resumere. Dura equidem illa vox prima fronte videtur; sed habet suum auctorem. Nam sic Martianus Capella, quem in succum & sangvinem convertit Saxo, loquitur sub initium Libri V. qui est de Rhetoricâ, pag. 137. *Ingens illustrium virorum sequebatur agmen; Inter quos proximi eidem duo diverso habitu, nationeq; prænitentes: quorum unus erat pallio circumactus, alterq; trabeatus.* Rectius itaq; infrà Libro V. Saxonis nostri de Frothone III. sic legitur: *Rex humido nudatus cultu, siccâ circumactus veste contegitur.* Et Lib. VII. *Orbus oculo obvius extitit, qui hispido etiam amiculo circumactus.*

47. *Horrificumq; dextrâ gestamen complexus*] *Gestamen* absolute positum vel pro *Clavâ*, cujus statim fit mentio, vel quocunq; teli genere, quod manu gestatur. Alioquin *gestaminis* vocem plerumq; usurpant auctores, pro eo, quod geritur, quicquid tandem sit. Virgilius Lib. 3. Æneidos, pro *Clipeo:*

Ære cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo ————————

Pro *sceptro*, Valerius Flaccus Lib. 3.

Sceptra manu veterum retinet gestamen avorum:

Idem pro *Saxo*, Lib. VI.

———————— *Saxumq; prehensum*
Illius & dextræ gestamen, & illius ævi
Concussâ molitur humo ————————

A Pro *gladio* Lib. 1.

Sic curæ subiêre ducem, ferrumne capessat
Imbelle, atq; ævi senior gestamina primi.

Pro *monili* Lib. VI.

Ac sua virgo Deæ gestamina reddit.

Pro *Conto*, suprà eodem libro.

Ante aciem celsi vehitur gestamine conti.

Pro *vestibus* Papinius Lib. Silvarum 2.

Quum tibi, quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus?

B Et Thebaidos Lib. 5.

———————— *Sceptrum super, armaq; patris*
Injicio, & notas, regum gestamina, vestes.

Idem pro *Disco*, Thebaidos Lib. VII.

Erigit assuetum dextræ gestamen

Ammianus Marcellinus Lib. XVI. pro *pila argentea* posuit, quam manu tenebat Alexander Magnus; *Ille namq; ænea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, ut* C *cum nervorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum.* Apulejus pro *flagro*, Lib. VIII. *Arrepto deniq; flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est.* Sic Lib. XI. recenset *gestamina Lunæ: Jam gestamina longè diversa. nam dextera quidem ferebat æreum crepitaculum: lævâ verò cymbium dependebat aureum.* Sed alibi *gestamen* Apulejo idem est quod *Sarcina.* Φόρημα. Ut Lib. 3. *Sed gestaminum modus numerum gerulorum excedit.* Et Lib. VII. *Illicò disturbato gestamine furem incurrit.*

D 54. *Nam tegmine sæpè ferino Contigit audaces delituisse viros*] Locum hunc ità illustrat in Conjectaneis suis M. Brynolfus: *Antiquus Heroum mos, à priscis aliarum etiàm gentium magnatibus frequentatus, integendi ferinis pellibus corpora, hic inculcatur: ac γνώμη παροιμιώδης subest; quæ qualis fuerit, confidenter non dixerim. Suspicor tamen hoc diverbium, aut non multò diversum, fuisse:* ᛆᚠᛏ ᛂᚱᛆ ᚢᛆᛋᛦᛆᚱ ᚼᛂᚿᚦᚢᚱ ᚢᚿ-E ᚦᛂᚱ ᚢᛆᚱᚠᛋ ᛒᛂᛚᚠᛂ: Oft ero vastar hendur under Vargs belgie: Hoc est ad verbum: *Sæpè fortes manus ferinis exuviis subsunt.*

Pag. 7. v. 10. *Quove paratur Præstite bellum*] *Præstes*, προστάτης, πρόμαχος. Sic Saxo Lib. VIII. *Plutonem Orci præstitem* nominat, id est præsidem. Martianus Capella Lib. 2. pag. 38. *Specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam præstitem, quòd præsit gerundis omnibus, voca-* F *verunt.* Ita *Lares præstites* dicti, quòd ædibus præstarent, id est præessent.

Ibid. *Agmina fratris*] Frater iste Gro virginis, quisnam mortalium fuerit, juxtà scimus cum ignarissimis, quòd nulla omninò ejusdem præcesserit mentio. Fortè habuit Gro fratrem, cui pater Sigtrugus exercitum tanquam Duci committere solebat. Nisi si *fratris* vocabulo intelligendus Gigas ille, cui Gro virgo desponsata fuit, quem Johannes Magnus, Historiæ Gothicæ

Gothicæ ſcriptor, lib. 2. Cap. 5. *Sumbli Finnorum Regis fratrem* fuiſſe tradit. Hunc forſitan Gro velut amaſium ſuum *fratris* nomine, quod erat blandiſſimum, appellabat. *Fratres* enim puellæ blandientes vocabant interdum amatores ſuos, & eos, quibuscum conſueverant; ut contrà adoleſcentuli amicas ſuas, easque, quibuscum caput aliquando collimârant, *Sorores* blandè appellabant. Docet hoc apertè Martialis ad Ammianum, quem inceſti cum matre arguit:

O quam blandus es, Ammiane, matri!
Quàm blanda eſt tibi mater, Ammiane!
Fratrem te vocat, & ſoror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Luſum creditis hoc jocumq;? non eſt
Mater, quæ cupit eſſe ſe ſororem,
Nec matrem juvat eſſe, nec ſororem.

Et Tibullus Lib. 3.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, caſta Neæra
Mittit, & accipias munera parva rogat.

Quos verſus à multis fruſtrà tentatos, de amatorio hoc ritu eleganter & rectiſſime exponit Rex Criticorum Juſtus Lipſius Variar. Lect. Lib. 2. Cap. 1. & Antiquar. Lection. Lib. 3. *Fratris* igitur & *Sororis* nomen inter laſciva & ἐρωτικὰ olim fuit. Huc pertinet locus Quintiliani in Declamatione 321. *Certè quoties blandiri volumus his, qui eſſe amici videntur, nulla adulatio procedere ultrà hoc nomen poteſt, quam ut Fratres vocemus.* Verùm quid ſi legendum ſtatuamus hoc loco *patris* pro *fratris?* ut Gro loqui videatur de copiis Sigtrugi patris jamjam adfuturis, & novos hoſpites ingrato officio excepturis. Sed ſuum cuiq; ſtat arbitrium & ſententia.

19. *Nec tua bilis Pectora pulſet*] *Bilem* pro *irâ* ſumi, notiſſimum eſt. *Bilis* enim nihil aliud eſt, niſi fellis humor, qui jecori adhæret, quem *choleram* quoq; dicunt, ex qua ira movetur. Sicut in Proverbio notatur: *Fames & mora bilem in naſum conjiciunt.* Quod de ijs dicitur, qui famis impatientes & moræ faſtidio conciti, in iram efferveſcunt. Hinc *bilem* Horatius *difficilem* vocat, quia reddit homines difficiles, id eſt moroſos & iracundos: Lib. 1. Carmin. Oda XIII.

——————— væ, meum
Fervens difficile bile tumet jecur

Pulſare autem & heic & alibi Saxo uſurpat pro *vexare, inquietare, defatigare,* & ſimili fere ſignificatu, ad imitationem ſcriptorum ſequioris & medij ævi. Hericus Monachus Antiſſiodorenſis, de Vita S. Germani Lib. VI.

Tu Regem precibus pulſatus memento benignis.

Idem paulo antè *pulſatum verbere febris* dixit:

Is tamen immodicæ pulſatus verbere febris
Tabuit infelix: furit oſſibus intima peſtis.

Ammianus Marcellinus, Lib. XXI. *Quem ſuſpiciones contiguæ veritati pulſabant.* Lib. XIX.

A *Explorabat modeſtius percunctando, quamobrem ita palarentur varij, limitesq; contra interdicta pulſarent?* Lib. XVIII. *Ut apud Principis aures nimium patulas exiſtimationem viri fortis invidiâ gravi pulſarent.* Lib. XV. *Memor enim ſomnij, quo vetitus erat per quietem, pulſare quemquam inſontem.* Ibidem: *Hunc faſcem ad arbitrium figmenti compoſuit, vitam pulſaturus inſontis.* Ibidem: *gravi mole criminis pulſabat.* Et Lib. XIV. *Pulſatæ majeſtatis imperij reus.* Julius Firmicus Lib. 1. Cap. 1. *Im-*
B *peritia tantùm illius, temeritasq;, non Matheſis ipſa pulſanda eſt.* Idem Lib. 3. *Solent gravi infamiæ pulſare dedecore.* Et mox: *Ex inceſtis amoribus gravi pulſat infamiâ.* Et Lib. IV. *Qui ob res Venereas frequenti pulſentur infamiâ.* Et mox infra: *Et qui aſſiduis ob hoc pulſentur infamijs.* Et Lib. VI. *Aut enim gravi pulſantur infamiâ.* Petrus Chryſologus Serm. XI. *Diabolus ſemper boni primordia pulſat.* Et Serm. XXXI. *Sic Chriſtum perſequebantur inſidijs, tentabant dolis, interrogatione pulſabant.*
C Huc referenda ſunt illa, quæ infrà notamus ad illa Lib. XIV. *Perfidiæ exprobratione pulſabat.*

21. *Namq; petenti Aſpera primùm*] Γνώμη παροιμιώδης *& hæc eſt, quâ dictum, quo prius illam Groä compellârat, Beſſus compenſare ſtudet, ac par pari referre. Deſitum tamen nunc, ſi formulam ſpectes, credam, Conjicio tale quid fuiſſe:* ᛒᛅᛋᛏ ᛂᚱ ᛒᚱᚢᚦᚢᚱ ᛅᚦ ᚠᛅᛋᛏᚢ ᛒᛁᚦᛚᚱ, ᛂᚾ ᚢᛁᚴᚾᛅᚱ ᛋᛁᚦᛅᚾ: Byſt er Brudur
D ad fyſtu Bidlr/ eñ viknar ſidan: Id eſt, *Principio dura proco Virgo, non raro poſteà molleſcit.* M. Brynolfus.

31. *A Grip miſſus enim*] Qui verò *Grip* hic fuerit, quem ſe miſiſſe ad Virginum raptum, Gramus dicit, nec ego, nec mei alter ſimilis dicat. Neq; enim verbum de hac miſſione præceſſit; imò ſponte ſuâ in Sveoniam veniſſe perhibetur. Proinde meam conjecturam, donec alia melior incidat aut inculcetur, ſi delectat
E audire, hæc ea eſt: nempè προσωποποιεῖν hêic Gramum, & tectè ſuum ſtudium negotiumq; Virgini ſignificare, quod ſit, raptum, aut ereptum venire illam è præſentaneo periculo, & à *Gripo,* id eſt, raptu, qui finis ſit inſtituti itineris, miſſum, hoc eſt, inſtigatum adeſſe. Juvat conjecturam, quod ſequitur καυχᾶμα, quo, Herorum illis temporibus uſitato more, de ſuo robore magificè gloriatur, dum ſe nunquam
F fruſtrà fuiſſe, quoties rapiendi ſtudium inceſſit, [quod ego à *Grip,* hoc eſt, rapinæ deſiderio mitti intelligo] deprædicat. Sed alteri felicius Gripum hunc explicanti parebo. *M. Brynolfus Svenonius in Conjectaneis.*

31. *Nunquam niſi compare voto*] Ergò non inferre ſe vim dicit Gramus; ſed facilem potius Groæ virginis in vota ſua conſenſum exoptare.

32. *Fulcra puellarum*] *Fulcra* pro lectis, pro thala-

thalamô & ipso conjugio usurpant nonnunquam autores, præsertim Poëtæ. Sic Prudentius Hamartigeniâ:

Ruth, dum per stipulas agrestis aburitur æstu,
Fulcra Booz meruit, castoq; ascita cubili.

Ipse Saxo infra Lib. V. *Corruptis quoq; matronarum fulcris, ne thoris quidem virginalibus abstinebant.*

36. *Quæ conjux fore Dæmonum*] Carmen est tetrastrophon, tetracolon: cujus primus versus est Glyconicus, alter Asclepiadeus; tertius Jambicus dimeter; quartus Alcmanius, duobus dactylis constans & totidem trochæis. Ideoq; sic dirigendi omninò sunt:

Quæ conjux fore Dæmonum
Possit monstrigeni conscia seminis?
Suum giganti quæ fero
Consociare velit cubile?
Quis spinâ digitos fovet?
Quis sincera luto misceat oscula?
Quis membra jungat hispida
Lævibus impariter locatis?
Cum natura reclamitat,
Haud plenum Veneris carpitur otium:
Nec congruit monstris amor
Fœmineo celebratus usu.

Tertio, inquam, versu legendum, *suum giganti quæ fero*, pro *suumq; gigantifero.*

43. *Lævibus impariter locatis*] Similitudines illæ procul dubio Proverbiales fuerunt. Quâ solebant ratione Virgines, principes inprimis, Juvenum animos tentare, quò procaci & argutâ rotundâq; dicacitate acutiores viderentur. Cujus acuminis in dictis eleganter & scitè dandis & referendis, perindè atq; ex armis viri, laudem captabant. *Impariter* autem *locata membra* dicit, quæ iniquâ conditione sociantur. *M. Brynolfus.*

49. *Regum colla potentium*] Ita & hi versus ordinandi.

Regum colla potentium
Victrici toties perdomui manu,
Fastus eorum turgidos
Exuperans potiore dextrâ.
Hinc aurum rutilans cape,
Quo perpes maneat pactio munere:
Ac firma consistat fides
Conjugijs adhibenda nostris.

Sed pro *meorum*, *manu* legendum: pro *reorum*, *eorum*: pro *exuperatis*, *exuperans.* Ita sententia omninò exigit. At *meorum*, pro *manu*, nec metrum ferat. Horatius Ode. XII. Lib. 2.

ductaq; per vias
Regum colla minacium.

Ælnothus Monachus Cantuariensis de Vita S. Canuti: *Hostium vires virtute divinâ subvertere, contumacium colla potentiæ pede proterere.* Cæterùm *collum* pro fastu & superbia usurpatum frequenter apud varios legere est auctores.

A Solenne autem victorum quondam erat, eorum quos devicerant, colla pedibus conculcare. Id allusit Claudianus VI. Consul. Honorij:

Colla triumphati proculcat Honorius Istri.

Corippus de Justino Juniore Lib. 2. v. 104.

Cruraq; puniceis induxit regia vinclis
Parthica Campano dederant quæ vellera fuco;
Queis solet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare.

Tzetzes Grammaticus Chiliad. 3.

B *Τοὺς τὸν Ρωμαίων ἄνακτα ἡττήσουσιν οἱ πέρσαι*
Τραχήλῳ τε πατήσουσιν, οἷα δεδουλωκότες.

Michael Glycas parte IV. Annal. de Diogene: *Sed ô casum infelicem, in hostium deniq; potestatem venit, & vinctus ad Sultanum ducitur. Ille verò solio suo desiliens pro more calcatâ Diogenis cervice, mox eum de terrâ erigit, & amanter complexus: Formidinis, inquit, expers esto, Imperator.* Eodem alludit ultimo ævo Gerbertus Epistolâ XVIII.
C *Qui regulam S. Benedicti professi estis, & pastorem deserendum abjecistis, colla tyrannis spontè subdidistis.* Et Alanus ab Insulis de planctu Naturæ ad Deum:

Calcare si vis colla superbiæ,
Pensa caducæ pondus originis.

Petrus Chrysologus Sermone XVI. *Nos ergò aut vitiis nostris facimus, ut illi accipiant potestatem nocendi, aut virtutibus subjecta nobis Dæmonum colla, Christo triumphante, calcemus.* Sic in Sacris Literis,
D Libro nempe Josvæ Cap. X. v. 24. jussu Josvæ, Principes exercitus imposuerunt pedes collis quinque Regum, videlicet Jeruschalaimorum, Chebronis, Jarmuthi, Lacischi, & Heglonis. Quod autem quis per alium facit, ipse fecisse judicatur, præsertim si authoritate præcipiendi polleat. Ab hoc more defluxit usus verbi *calcare*, pro contemptui prorsus habere, & velut pedibus conterere. Claudianus

Eripe calcatis non prospera cingula Musis

E 50. *Victrici toties perdomui manu*] Iosephus Devonius Lib. V. de bello Trojano, p. III.

Quinque Arabes, septem Nabatheæ gentis alumnos
Consumit victrice manu ————————

Pag. 8. vers. 3. *Amatoriis donis prosequi*] Mirum profectò per equidem est, quanti ab antiquis illis omnis ævi Normannis factum aurum! Cujus donatione nihil non venale creditum est. Cædes enim parentum, fratrum, cognatorum, non maximâ pecuniarum erogatione expiatas passim
F legimus. Cujus pensionis modos varios Vetustior Codex Norvagianarum Legum, *Graagaas* dictus, præscribit, & multu scitu non injucunda colliges ex *Nialu.* Ità notes licet heic, concubitum auro parario inter principes conciliari. *M. Brynolfus.*

Pag. 8. vers. 12. *Qui cum ab aruspicibus accepisset, nisi auro Sigtrugum superari non posse*] Hac de re fusius agit Johannes Magnus Historiæ Gothicæ Lib. 2. c. 5. *Sigthunius, quem alij Sigtrugum vocant,*

vocant, Gothilæ Regis nepos, ejusq; in regno Svetiæ successor, dum à suscepti regni principio sacrificia & libamina Dijs suis apud Upsalam metropolim offerret, suorumq; fatorum seriem, ac futuros rerum eventus solicitè inquireret, accepto per Victimarios responso, didicit, sibi ab auri metallo supremam perniciem & mortem fatali necessitate imminere, ideoq; summoperè ab eo cavendum esse: à ferro, aut chalybe, cæteruque metallis, nunquam violari vel occidi posse. Quocircà cùm se Deorum immortalium beneficio invictum putaret, magno atq; imperterrito animo multa bellorum discrimina aggressus est. Svaningius noster ad hunc locum: *Sigtrugus promissis Vodani Idoli sui confisus, cujus responso insuperabilem se, aut nunquam ferro periturum acceperat, plus spei in Idolo, quam in armis collocavit.* Clarissimus Vir, M. Brynolfus Svenonius, Episcopus Scalholtensis, refert ad incantationes, quibus olim corpora adversus vulnera durabant: *Incantationibus*, inquit, *& parentum Nutricumq; devotionibus, solebat illa ætas novelli partus corpora, contrà omnigenas plagas & ictus, solidare atq; indurare; maximè contrà ferrum & ignes. Multa hujus farinæ in veterum monumentis invenies. Ita* Jomsvikinga Saga *pugiles duos ferro invictos describit, Hagvardum Hogvanda, & Aslacum Holmscallum; & horum alterum à Thorlevo Skinna Islando, clavâ ligneâ comminutum narrat. Sic etenim ferè* ἀτρώτους *illos clavis, ut pistillo, conterere necesse fuit.* Memini apud Virgilium tale quid exstare de Bitia, Æneid. IX.

> *Tùm Bitiam ardentem oculis, animisq; frementem,*
> *Non ferro, [neq; enim ferro vitam ille dedisset]*
> *Sed magnum stridens contorta phalarica venit*
> *Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,*
> *Nec duplici squammâ lorica fidelis & auro*
> *Sustinuit: collapsa ruunt immania membra.*

Similiter Mesappus induratus contrà ferrum & ignes introducitur Æneid. VII.

14. *Ligneæ clavæ nexilem auri nodum adjecit*] Varie explicant hunc locum Interpretes. Johannes Magnus Lib. 2. Cap. VI. hunc in modum exponit: *Clavam, quam more giganteo gestabat, auro infuso ponderosiorem effecit, eâq; imminentem audacius capiti suo Sigthunium non solùm repressit, verùm etiam multis ictibus contusum occidit.* Svaningius noster loco jam citato: *Quòd cùm Gramus cognovisset, clavâ, cui globum aureum alligârat, armatus, in bellum proficiscitur. Prælio verò commisso Sigtrugum aureo globo tam diu crebris ictibus pulsat, donec in terram prostratus animam efflaret.* Cui consentit Cl. Meursius in Compendio Histor. Danicæ. *Verùm Gramus rei gnarus, clavâ suâ aureo munitâ globo crebris ictibus contusum sternit tandem & occidit.* Sunt qui existimant Gramum clavam suam aureâ laminâ undiquesecus obduxisse, atq; ita Sigtrugum eâ peremisse. Clariss. Vellejus ità exponit: Da lod hand gjøre en Kølffue med eet Guldhoffuet / oc slog hannem der med ihiel.

17. *Gram ferus clavæ gerulus beatæ*] *Beatam clavam* vocat, vel quasi divitem & locupletem, quia auro nexa & circumdata: vel felicem, quia victoriam peperit Gramo, interfecto, hujus clavæ beneficio, hoste suo Sigtrugo Sveciæ Rege. *Gerulus*, autem est ὁ βαστάζων, qui aliquid gerit. Veteribus etiam *geruli* dicti, οἱ μισθοῦ φέροντες, qui mercedis gratiâ vecturas onerum suo corpore factitabant: quos *bajulos*, & *gerones* Cicero & Apulejus vocarunt. ICtì *gerulum nuntiorum* appellant, qui novi aliquid nuntiat, quem Ammianus Marcellinus *rumigerulum* nuncupat, Apulejus *gerulum verborum*. In sequiore sexu *gerulam* usurpat infrà Saxo; *fœmina quædam cicutarum gerula*: quomodo Tertullianus adversus Judæos: *Nec ex equo, vel de muro; sed de nutricis & gerulæ suæ dorso, sive collo hostem designaturus*: Et Libro de Anima: *Non enim exinde & matrem Spiritu probat, & nutricem Spiritu examinat, & gerulam Spiritu agnoscit.*

18. *Celebrabat ictu Ensis obtentum*] Locus planè obscurus: de quo quum ante paucos annos consulerem Clariss. Virum & Philologum incomparabilem, Casparum Barthium, hoc ab ipso responsi retuli: *Secundo versu non* celebrabat, *sed* terebrabat *legimus, indicio optimi libri, quem laudavimus. Dixit autem* terebrare *pro cædere, comminuere, pessundare. Ut eorundem temporum Scriptor Robertus Monachus Historiæ Palæstinæ Lib. VIII. Cap. XI. hominem saxo tempora perforatum, qui eo dejicitur è catapulta.* Obtentus ictu ensis, *qui illi imminebat eo modo.* Obtinere *Saxoni est occupare alibi Lib. II.*

> *Cumq; boum nusquam vestigia certa paterent,*
> *Obtinuit mœstus saucia corda pavor.*

Sed vicinitatem & imminentiam ensis hic dicit. quomodo idem Robertus Monachus Lib. II. Cap. I. Cum quo Stephanus Comes Carnotensis. qui bonis initijs pravos deinceps exitus obtinuit; id est, junxit, continuavit. Sed & obtinere *simpliciter sæpè vincere sonat. Guilielmus Tyrius Lib. XXI. Cap. 7. In talibus experientia usu comparata longævo & continuo, adversus indoctas vires industria sæpè solet obtinere; Quomodo* obtentus *victum notat etiam meliori ævitati. Victor Junior, seu Victorinus in Salonino; Novissimè adversus Aureolum profectus est. Quem cum apud pontem, qui ex ejus nomine Aureolus appellatur, obtentum detrusumq; Mediolanum, obsedit.* Hæc Barthius in literis ad me suis. Ex his vero colligere licet, hanc esse mentem Barthij, atq; ita hæc verba capienda, quasi dicat Saxo: Gram ictu ensis terebrabat *obtentum*, hoc est, devictum Sigtrugũ. Id quod e diametro pugnare videtur cum ipsis Saxonis verbis, quæ præcesserunt; quibus innuit Gramum omnis ferri nescium, solò clavæ ictu occidisse Sigtrugum. Nam τὸ *ictu* referendum puto non ad *ensis*, sed subintelligendum

clavæ, ut ſit *ictu clavæ*. Itaq; alium latere ſenſum arbitror, qui reſpondere poterit ſequentibus: *Pepulitq; trunco tela potentis*. Ergò ſi locus conjecturæ detur, ita lego: Gram neſcius ferri *temerabat*, pro *celebrabat*, hoc eſt, eludebat ictu, ſubintellige, clavæ beatæ, *obtentum* enſis, hoc eſt, *objectum* enſis, quem obtendebat, ſive intendebat Sigtrugus Gramo, jamjam eum percuſſurus: vel potius: Gram *celebrabat obtentum enſis ictu clavæ*, hoc eſt, Gram loco gladij, quem obtendere ſive objicere capiti, cæterisq; membris in certaminibus, vitandi ictus causâ, ſolent, defendebat ſe ictu clavæ, dum imminentem ſibi Sigtrugum, omnis ferri expers, clavâ aureâ contudit. Nam *celebrare obtentum enſis* formula videtur ex re gladiatoriâ deſumpta, & idem notare, quod hodieq; in dictatis dant Laniſtæ, & Pareren dicunt. Vox eadem occurrit infrà ſub finem Lib. III. *Nec ſolùm propriæ ſalutis obtentum ab aſtutia mutuatus*.

25. *Namq; pugnaces meditatus artes.*] Sic emendandum duxi, pro eo quod anteà legebatur: *pugnaces arces*. *Artes* namq; *pugnaces* vocat ſcientiam & peritiam rei militaris; quæ *ars imperatoria* Quintiliano dicitur Lib. 2. Cap. 17. & *ars armorum* eidem, Lib. 2. Cap. 7.

33. *Clarius, poſt, hoc Agathon manebit*] Ordo & ſenſus verborum hic eſt: *Hoc Agathon*, id eſt illuſtre hoc nomen, quod jam re tam præclarè adverſus Sigtrugum geſta ſibi conciliavit Gramus, *cui* ſcilicet *Agatho, ſuus auctor*, hoc eſt perpetuus laudator, ſemper *arrogat*, pro tribuit, addit, aſſignat, [quomodo Horatius 2. Epiſt. *Arrogat pretium rei.*] *laudem decorisq; culmen*, adeo ut nunquam non in majus augeat, tam illuſtre facinus; *poſt*, id eſt, poſthàc, poſteà, in poſterum, *manebit clarius*, illuſtrius; non aliter ac Ennius de Q. Fabio Maximo:

Ergo poſtq; magisq; viri nunc gloria claret.

meliore famâ latè agnitum, & quà viget virtutis honos, diditum. Cæterùm pro *Agathum* ſcribendum potius *Agathon*. Nam *clarius Agathon* eſt λαμπρότερον ἀγαθὸν, illuſtrius nomen. Heſychius: Ἀγαθὸν, ἀνδρεῖον, γενναῖον. Alij hic legendum contendunt, *agedùm*. Nam inquiunt, rarenter in florentiſſimo hoc ſcriptore Græca occurrunt vocabula. Sed quàm proclive eſt eos refutare! Nonne etenim Græca ſunt, licet ad incudem Latinam reformata. 1. *τὸ Chaos*. 2. *Schema*. 3. *Dyas, tetras, ogdoas*. 4. *Syngraphus*. *Hypogæum*, *Cauterium*, & ferè ſexcenta talia? Et quid uſitatius fuit illis ſcriptoribus, qui ſeculo uno aut altero ætatem Saxonis vel præceſſerunt, vel ſecuti ſunt, quàm Græcas dictiones ſive nudas, ſive latina civitate donatas, præcipuè verſæ orationi inſerere, quum tamen Latina vocabula non minus ἐμφατικώτερα ſuppeterent? Abbo de obſeſſâ à Normannis Lu-

A tetiâ Pariſiorum, præfatiuncula ad Magiſtrum ſuum Aimoinum:

O Pædagoge ſacer meritis
Aimoine piis radians
Digneq; ſydereo decore:
Perrogitat mathites liniens
Ore pedes, digitosq; tuos.

Et paulò poſt:

Agnita cujus ut orbe vago
Sepiat æthera palma volans
B *Doxaq; regnet ubiq; micans*
Ore tuo gradiente ſuper.

Quos verſus de induſtria expreſſiſſe videtur hic Saxo noſter. Idem Abbo Lib. 1. Ubi de Pariſienſi urbe loquitur:

Sum polis ut Regina micans omnes ſuper urbes.

Sic mox de Carolo Imperatore:

Urbs mandata fuit Karolo nobis baſileô
Imperio cujus regitur totus propè Coſmus.

C Ut innumera alia loca ejusdem ſilentio inpræſens tranſmittam. Jam Dudo S. Quintini Decanus, quem ipſe noſter Saxo non diligenter ſolùm verſavit, ſed & in multis imitatus eſt, paſſim etiam Græca verſibus ſuis admiſcet. Sic præfatione ad Præſulem Robertum:

Præſul amande,
Onoma cujus
Hoc quoq; metrum
Non capit usquàm.

D Item paulò poſt:

Atq; ſalubri
Somatis artus.

Sic Hericus Monachus Altiſſiodorenſis de Vita S. Germani Lib. VI. pag. 65. *pnevmata ventorum* dixit:

Pnevmata ventorum tempeſtatumq; tumorem.

Pag. 68. ejusdem libri, *polyformia munera*:

His tu ſtelligero diſpenſans omnia ſceptro
Partiris propriis polyformia munera ſervis.

E Pag. 69. *Cavma*, pro æſtu:

Quem ſua collatis celebrat plaſmatio bombis
Aſtra, poli, nubes, & machina cuncta polorum,
Solq;, ſoi orq;, nives, lymphæq; & Spiritus omnis,
Cavma, geluq;, dies, & denſæ nubila noctis.

Et quid attinet pluria hoc loco exempla nil niſi tædium Lectori paritura accumulare? Nequeo tamen, quin hic etiam ſubjungam Nobiliſſ. Barthij de hoc loco ſententiam, expoſitam literis F ad me ſuis, quarum anteà mentionem injeci: *Nihil aliud cape quàm quod Græca vox ſonat τὸ ἀγαθόν. Affectatio enim talium in hoc genere Poëtarum mirifica eſt. Scilicet unâ Græcâ voce adhibitâ, opinio eos transmarinæ doctrinæ etiam in rudi barbarie ſequebatur, quo in ſtudio nemo tam bonum carmen mediâ ætate ſcripſit, quin ſeq; & illud traduceret. Sic Agalma, ornatus eſt, honor, apud Dudonem præfatione Hiſtoriæ Normanicæ:*

Alloquio celebris, virtutum agalmate pinguis.

Et

Et Lib. III.

Religione carens, probitatum agalmate fulgens.

Et Amadæum Lausanensem Homil. 3. in B. Virginem: Libet ipsum divinum agalma, ipsum pretiosissimum vas, in quo Dei verbum est conceptum, apostrophando interrogare. Hujus generis infinita suppeditant Poëmata Valafridi Strabi, Bedæ, Herici Altissiodorensis, Dudonis modò nominati, Galteri, Gulielmi Aremorici, Alani, Althelmi. Fortunatum jam ipsum, aliosque omitto, qui nominibus, nedum locis ascribendis, paginam compleverint.

40. *Impari dimicationis genere*] Si ad Gramum id erit referendum, indicat Saxo non unâ vice, sed pluribus in certamen descendisse ipsum cum fratribus Svarini: sin verò ad ipsos fratres, verè dici potest *impar dimicationis genus*, quo sedecim unum & solum aggressi sunt.

Ibid. *Fraternæ necis ultionem petentes*] Solebant plurimi suorum cujusque interfecti pretium ab interfectore requirere, & satisfactionem deposcere. Quod illi, ᛆ ᛏ ᛒᛁᚦᛆᛋᛏ ᚿᛁᚴᛋ ᛒᛆᛏᛆ, At beidast Wigs Bota; Danicè, At fræffue Boder for Mandslet/ dixerunt. Quæ expensæ pro conditione & dignitate interfecti auctæ vel imminutæ sunt, prout etiam spes aut metus erat ab amicitiâ vel inimicitiis eorum, qui mortuum genere contigerunt. Id si ab occisore negatum est, consveverunt quâvis ratione, insidiis an virtute non referebat, occisorem trucidare: nec antiquius quicquam illis erat, quàm vindictam maturare: nec si segnescerent, alia res turpior atq; despicatior. Ista namq; secordia dicam an ignavia, probri loco passim objecta est, & vulgi ludibrio exposita, ut necesse esset in ultionem properare. Paucissimi quidam, iiq; præter leges, pecuniariam satisfactionem à se spreverunt; quam quidem accipere, ᛆᛏ ᛏᛆᚴᛁ ᚠᚱᛆᚿᛑᛆ ᛁᛁᚿ ᛁ ᛋᛁᛆᚦ, At tacke Frænda sin i Siod/ hoc est, *In crumenam cognatum deponere*, per contemptum dixerunt. *M. Brynolphus.*

42. *Imperij consortione donavit*] *Consortionis* vox pro *Consortio* Saxoni familiaris & usitata. Infrà Lib. 7. sub finem: *Quem familiaritatis gradum educationis & crepundiorum consortione adeptus fuerat.* Et Lib. XI. *Decreti circumspectioris industria Principum eis consortionem indulsit.* Habet hanc vocem Saxo, ut pleraq; ex suo Valerio Maximo. Sic etenim ille Lib. IV. Cap. 6. *Nec dubito, quin, si quis modò extinctis sensus inest, Plautius & Horestilla, fati consortione, gestientes vultus tenebris intulerint.* Ejusdem libri Cap. 7. *Siquidem illorum amicitia in consortione deliciarum & luxuriæ contabuit.* Et Cap. eodem: *Lucius quoq; Petronius hujusce laudis consortionem meritò vindicat.* Utitur etiam Livius Andronicus incertâ Tragœdiâ:

Quænam ista societas, quænam consortio est?

Imò nec Tullius noster vocabuli raritatem re-A fugit Lib. III. de Officijs, ut ex Nonio observat Clarissimus & maximus ille Gerardus Vossius in edecumatis suis ad veter. Poet. Fragmenta Notis. Cui hac parte favent omnes libri veteres: ne quis illos moretur, qui *Consociatio* in Cicerone ediderunt. Quin & apud Vellejum Paterculum semel atq; iterum eandem vocem legere est: ut Hist. Lib. 2. Tib. *Nero duobus Consulatibus, totidemq; triumphis actis, tribunitiæ potestatis consortione æquatus Augusto.* Et Paulò post: *Post utriusq; adoB lescentium obitum facere perseveravit, ut & tribuniciæ potestatis consortionem Neroni constitueret.* Et apud Livium Libro XL. *Sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum Reges, salutarem per multa secula ipsis patriæq;.* Eâ quoq; voce utitur Cornelius Celsus, Medicorum Cicero, Lib. VII. Cap. 27. *Non ignoremus orto cancro sæpè affici stomachum, cui cum vesica quædam consortio est.* prout in optimo codice MS. ex quo variantes lectiones excerpsi, legitur. Vulgata exemplaria C habent *quoddam consortium.*

Ibid. *Occiduæ vitæ statu*] *Occiduum*, idem est quod occasui vicinum. Ovidius 15 Metamorph. *Senectæ occiduæ iter declive* dixit. Hericus Monachus Altissiodorensis Lib. VI. de Vita S. Germani:

Sic pater occiduæ sortis suprema canebat

Cæsarius Histerbachcensis Lib. VI. Cap. 5. in Vita Enffridi Decani ad S. Andream Coloniæ: D *Etiam cùm esset in ætate occiduâ, usq; ad diem mortis suæ, non patiebatur se aliquam hebdomadam divini servitij præterire.* Aliàs *occiduum* pro eo, quod ad occidentem spectat, usurpari solet. Josephus Devonius de bello Trojano: Lib. V.

Presserat occiduum Phœbus jubar ——

Hericus Monachus de Vita S. Germani Lib. VI.

Phœbus ab occiduis remeans illustrior undis.

Ad eundem modum *Aquas occiduas*, *Solem occiduum*, apud Ovidium; & *Orbem occiduum* apud E Claudianum invenies.

47. *Infirmam utriusq; ætatem causatus*] Ætatis opportunitatem multos rerum novarum studio & spe prædæ transversos egisse, etiam Rex Numidarum Micipsa apud Sallustium abunde testatus est: qui cum Jugurtham Masinissæ fratris filium non se luxui, neq; inertiæ corrumpendum dare, sed virtutis viâ ad gloriam grassari animadverteret, initio lætus fuerat, existimans virtutem Jugurthæ regno suo F gloriæ fore: tamen posteaquam hominem adolescentem, exactâ ætate suâ, & parvis liberis, magis magisq; crescere intelligebat, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. *Terrebat eum natura mortalium avida imperij & præceps ad explendam animi cupidinem; præterea opportunitas suæ liberorumq; ætatis, quæ etiam mediocres viros spe prædæ transversos agit.* Verba Sallustij sunt sub initium belli Jugurthini.

50. *Nullam ætatis partem virtuti incongruam*]

Id suo exemplo multi apud Saxonem comprobarunt. Sic Starchaterus ille Lib. VI.

In viro forti numerosa nemo
Tempora culpet.
Albicet quanquam senio capillus,
Permanet virtus eadem vetustis:
Nec fluens ætas poterit virile
Carpere pectus.

Sic Haldanum senecta non vetuit Grimmonis immanitatem compescere, Lib. VII. Et ibidem Haldanus Borcari ex Drotta filius, adolescens admodum, pugilem ingenuæ famæ oppressit. Et rursus ibidem Olo Vegetus duodecim pugiles interimendo, majus adolescentiâ opus perpetravit. Ivarus, Regneri Lodbrog filius, septimum agens annum, insigni pugnâ editâ, puerili corpore grandævum robur exercuit. Saxo Lib. IX. Josephus Devonius Lib. 1. de bello Trojano:

——————— Tempora certe
Virtutem non prima negant, nec ultima donant.

In hanc sententiam aurea planè verba sunt, ut omnia tanti viri, Erycij Puteani, Oratione 1. quâ Senatui Mediolanensi pro titulo Professorio gratias agit: *Iniqui prorsus & ignari humanæ conditionis simus, si Annariarum legum tenaces, indolem virtutemq; omnem temporis limitibus concludamus. Quemadmodum fruticem interdum fructu lætum ac floridum, arborem contrà proceram vetulamq; infelicem: sic in puero virum vidimus, & puerum in viro. Erras, erras, si Virtutis, quàm ætatis, cursum tardiorem existimas. Veteres illi, (ut Marcus Tullius ait) Leges Annales non habuerunt, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales. Quâ re factum fuit, ut magna sæpè indoles virtutis, priusquam Reipublicæ prodesse possit, extincta fuerit.*

Pag. 9. vers. 2. *Propior Virginis, quàm militum charitati*] Hoc est, propensior in Virginis, quàm militum amorem, addictus magis Virgini, quàm militibus. Valeriana locutio est. Extat Lib. 1. Cap. 1. pag. 25. *L. Albinius plaustro conjugem ac liberos vehens cum Vestales aspexisset, propior publicæ religioni, quàm privatæ charitati, suis, ut plaustro descenderent, imperavit.* Eundem in modum Saxo sæpè loquitur: ut Lib. III, & XIV. *Propior privatæ copulæ, quàm publicæ vindictæ.*

5. *Medendi solertiam profitetur*] Inter alias artes, quibus se veteres ᚱᚢᚾᛁ *Runi* simplici vulgo venditabant, *medendi* quoq; *solertiam* profiteri solebant. Quæ sanè non tam in artis Machaoniæ exquisita scientia, quàm Runica illa & planè magica vulnerum morborumq; curatione consistebat. Usurpabant etenim etiam hanc ad rem Runas suas ᛘᛇᚱᚢᛘᛁᛗ, *limrunar* dictas, quarum infrà extabit mentio. Inprimis vero circumforaneis hisce Medicis in aulas Regum subinde irrepere, aut in pugilum conventicula, quæ sine cæde & sangvine sæpe non peragebantur, sese ingerere, opemq; suam ultro offerre, mos erat. Exempla in Antiquitatibus nostris quamplurima occurrunt. Sic Lib. III. Saxonis nostri ipse Magorum Borealium princeps Othinus, Rindæ Ruthenorum Regis filiæ medicam præstitit operam, quam tamen paulò post ad stupri licentiam transtulit.

Ibid. *Ad postremum*] Formula Justino usitatissima, undè desumpsisse Saxonem nulli dubitamus. Sic etenim ille Lib. VI. Cap. 2. prout vir Clariss. Berneggerus in exquisitissima & utilissima Editione sua distinxit. *Ad postremum ipse ad eum pergit.* Item Lib. XIII. Cap. 8. *Ad postremum tamen Perdicca occiso.* Iterum Lib. XIV. Cap. 3. *Ad postremum cum Antigonum venire cum exercitu nuntiatum.* Rursus Lib. XVI. Cap. 4. *Ad postremum adversus plebem nimio otio lascivientem auxilia petivere.* Denuò Lib. XXIV. Cap. 3. *Ad postremum tamen petente eo, induciæ duorum mensium datæ.* Et tandem Lib. XLIV. Cap. 4. *Ad postremum laqueo captus, Regi dono datus est.*

9. *Solus in octo pariter spicula mortis egi*] *In octo*, id est, Svarinum & septem ejus fratres, de quibus modò dictum. Versus autem sunt Choriambici alcaici tetrametri acatalecti, constantes ex tribus choriambis & Bacchio, sive Amphibrachio. At in quarto versu omninò pro *conciliantis* reponendum erat *conciliantem*, sententiâ sic efflagitante.

10. *Gladio corripui reducto*] Ad eundem loquitur modum Saxo infrà Lib. VII. *Cujus immorantem ictui dextram Haldanus nihil hæsitans obvia ferri celeritate corripuit.* Fortean τὸ *corripere* idem Saxoni valet ac *invadere*; quomodo utitur Justinus Lib. XV. Cap. 1. *Præmia victoriæ corripuit*; aut simili significatione.

15. *Timuiq; nunquam Ad crepitus ensiculi*] Idiotismi formula videtur, *timere ad.* Nam rarò apud alios occurrit autores.

16. *Nunc malè me projiciens*] *Projicere* hoc loco est rejicere, contemnere, despicere. Undè *projectus*, pro contempto & vili. Sic Tacitus 1. Annalium: *Milites ne appellem, an cives? quibus tam projecta Senatus autoritas!* id est, vilis, abjecta. Injustè verò conqueritur Gramus de fluxâ Signes sponsæ suæ fide, quum & ipse in amore inconstantissimus fuerit, utpote qui non solùm priorem conjugem educatoris sui Roarij filiam repudiaverit, verùm etiam alterius, Groæ nempe, repudium promiserit, ut Signe potiretur. Quare rectè concludit

eludit his verbis vitam Grami Clarissimus Meursius : *Tandem Gramus mox à Suibdagero cæditur. Princeps magnus & in quo nihil reprehendas, quàm amoris conjugalis inconstantiam & repudia, etiam regibus indecora, & illicita, neq; à Deo ut autore matrimonij, ita quoq; assertore, impunita, quanquam sæpè per libidinem usitata.* Svaningius permissa olim Regibus fuisse repudia commemorat : *Fuit autem*, inquit, *in Borealibus hisce regnis in gentilitate olim polygamia libera vulgo, sed nequaquam Regibus, quibus tamen repudiare uxores permissum fuisse, multorum Regum exempla testantur.*

19. *Fœmineæ dat levitatis facinus notandum*] Sic in vetustis versibus qui Q. Ciceroni ascribuntur :

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis :
Namq; est fœmineâ tutior unda fide.

Petronius Arbiter:

Fœmina nulla bona est, sed si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Non aliter de Phyllide suâ conqueritur Lycidas apud Calphurnium Eclogâ 3.

——— Lycidam ingrata reliquit
Phyllis amatque novum post tot mea munera Mopsum.

Cui respondet Jolas:

Mobilior ventis ut fœmina, sic tua Phyllis.

Et paulò pòst :

Hi tamen ante mala figentur in arbore versus:
CREDERE, PASTORES, LEVIBUS NOLITE PUELLIS.
Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerum.

Galterus Lib. V. Alexandreidos, fol. 65.

Pectore fœmineo, vernalis certior aura,
Mollior est Adamas. ————

24. *Et cum dicto*] Sæpenumero occurrit hic loquendi modus in Martiano, ut Lib. VIII. *Et cum dicto, resupina paululùm se permisit amplexibus voluptatis*, & alibi centies, imò millies.

Ibid. *Inter sacra mensæ*] Mensâ nihil sacratius apud veteres. Hinc illa fluxit formula, *inter sacra mensæ*. Valerius Maximus Lib. 2. Cap. 2. *Si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.* Quintilianus Declamatione CCCXXI. *Venenum aliquis inter lares suos, inter sacra mensæ, coronatis pariter, quos celebramus, Dijs immortalibus, hilaris hilari dedit?* Tacitus Lib. XV. *Sed abnuit Piso, invidiam prætendens, si sacra mensæ, Dijq; hospitales cæde qualiscunq; principis cruentarentur.*

A Sic *sacra legationis* idem Lib. 1. Annal. *Hostium quoq; jus, & sacra legationis, & fas gentium rupistis.* Ita & *Sacra regni* Annal. Lib. 2. *Postquam dolum intellexerat, sacra regni, ejusdem familiæ Deos, & hospitales mensas obtestantem, catenis onerat.* Mensas verò olim maximâ in veneratione habitas, & velut sacras fuisse, Synesius docet Epist: LVII. Τράπεζα μὲν ἱερὸν χρῆμα, δι' ἧς ὁ θεός τιμᾶται, φίλιός τε καὶ ξένιος. *Mensa quidem sacra res est, per quam Deus honoratur, præses amicitiæ &*
B *hospitij.* Pindarns Nemeon. Od. XI.

— ξενίου Διὸς ἀσκεῖται θέμις ἀενάοις
ἐν τραπέζαις ————

Hinc Juvenalis Sat. 2.

— *Nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ.*

26. *Igitur nuptijs in exequias versis.*] Seneca Lib. VI. Declamat. 6. *Versæ sunt in exequias nuptiæ, genialisq; lectus mutatus est in funebrem.* Silius Italicus Lib. II.

——— *Tædæq; ad funera versæ.*

Hoc est, nuptiales faces versæ in usum funeris.

27. *Alienis amoribus manus injici non oportere*] *Amor* etenim juxtà Max. Tyrium Dissertat. X. est ἀκοινώνητος πρὸς ἀλλήλους, nullamq; admittit societatem. Sic & Ovidius Lib. 3. Amor.

Non benè cum socijs regna Venusq; manent.

D Et Seneca Agamennone: *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.*

36. *Ne publicæ existimationi contraria*] Tametsi Saxo nihil minus quâm anilibus nugis Lectori fucum facere, aut pro verâ Historiâ φλυαρίας venditare constituisset : quum tamen multa deinceps ex fabulosà antiquitate depromptа producturus esset, præsagâ mente divinans, quid sibi objici poterat à nimis rigido Censore : maluit heîc denuò προεπιπλήττειν,
E quàm iniquam nasutuli Momi reprehensionem expectare.

38. *Triplex quondam Mathematicorum genus*] *Mathematici* hoc loco sunt Magi & præstigiatores. Μαθηματικοὶ propriè dicebantur, qui altiores istas disciplinas, quas Græci veteres μαθήματα appellarunt, edocti erant. Posteà vocabulo tam honesto vulgus abuti cœpit, ac tantùm de Magis, hariolis, præstigiatoribus, &
F divinandi scientiâ callentibus usurpare. Huc facit Agellius Cap. IX. Lib. 1. ubi de Discipulis Pythagoræ loquitur : *Hi dicebantur in eo tempore μαθηματικοί; ab artibus scilicet, quas jam discere atq; meditari inceptaverant: quoniam Geometriam, Gnomonicam & Musicam, cæterasque item disciplinas altiores μαθήματα veteres Græci appellabant. Vulgus autem, quos Gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* Insignis est locus Joannis Sarisberiensis, Policratici

Lib. I. Cap. 9. qui huc apprimè facit: *Eos*, inquit, *qui nocentiora præstigia artesq́ magicas, & varias species Mathematicæ reprobatæ exercent, jam pridem Sancti Patres ab aula amoveri jusserunt.* Ecce, *Mathematicæ reprobatæ* facit mentionem: unde *Mathematici* dicti sunt ejusmodi malefici. Videantur etiam tria illa vel quatuor sequentia capita Sarisberiensis, quæ varia de Magis & Mathematicis tradunt. Auctor Queroli, Præfatione ad Rutilium: *Oblitus doli Parasitus navem ascendit, ad Querolum venit, & rupit fidem, Magum Mathematicum se fingens, & quicquid mentiri fur potest.* Et rursus: *Ego magos Mathematicos novi, talem prorsus nescio.* Et paulò inferius idem auctor Mathesin & Magicam conjungit, quasi artes ferè easdem: *Propter te*, inquit, *feci omnia* (de thesauro loquitur) *mathesin & magicam sum consecutus, ut me sepulti fallerent?* Est etiam in Jure Civili, libro X. nempe Codicis, Tit. XVIII. de Maleficis & Mathematicis, ubi inter alia hæc leguntur: *Artem Geometriæ discere atq́ exercere, publicè interest; Ars autem Mathematica damnabilis est, & interdicta omninò.* Et paulò post: *Si quis Magus, vel magicis carminibus assvetus, qui maleficus vulgi consvetudine nuncupatur: aut aruspex, aut ariolus, aut certè augur, vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu meo vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat.*

43. *Primam physiculandi solertiam obtinentes*] *Physiculandi* hoc est, divinandi solertiam, & præcipuè ex animantium extis. Tales omninò fuerunt Cimbrorum veterum fæminæ Vates, quæ ex intestinis spectatis victoriam suis vaticinabantur. Eas hunc in modum describit Strabo Lib. VII. pag. 294. Ἔθος δὲ τι τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τοιοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις, παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες λευχείμονες, καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι γυμνόποδες. Τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις. καταστρέψασαι δ' αὐτους ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν ὅσον ἀμφορέων εἴκοσι. Εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπερπετὴς τοῦ λέβητος ἐλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα. Ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα, μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο. ἄλλαι δὲ διαχίσασαι, ἐσπλάγχνευον ἀναφθεγγόμεναι νίκην τοῖς οἰκείοις. *Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt. Sequentibus eos in bellum uxoribus, vates quædam comitabantur canæ, albo vestitu, Carbasinis supparis desuper fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis. Eæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis, prostratosq́ ad Crateram æneam adducebant amphoras circiter XX capientem. Super eam pulpitum erat, quo*

A *conscenso vates sublimis, singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat. E sanguine in crateram fuso suam captabant quandam divinationem: reliquæ cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisq́ spectatis victoriam suis vaticinabantur.* Ejusmodi quoq; fuisse simile vero est *Celtarum Eubages*, quorum meminit Ammianus Marcellinus Lib. XV. *Evbages verò scrutantes summa & sublimia naturæ, ea pandere vulgò conabantur.* Strabo Lib. IV. de Gallia: Εὐβάγες δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι.

B Tales etiam quondam Celtarum *Druidæ*: è quibus Cicero Lib. I. Divinat. Divitiacum Æduum fuisse ait, qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci vocant, notam sibi esse profitebatur, & partim augurijs, partim conjecturâ, quæ essent futura, dicebat. *Physiculatores* autem, vel ut Saxo loquitur, *physiculandi solertiam obtinentes*, non sunt alij, quàm quos Martianus Capella, eâdem utens voce, refert, *physiculatis extorum proficiis, vaticinia fudisse obliquis ambagibus.* Hæc etenim

C sunt verba Martiani Lib. I. pag. 5. *Ipse pedibus talaria nectit aurea, & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denunciatâ pecudum cæde physiculatis extorum proficijs viscera loquebantur.* Idem Lib. II. pag. 38. *Hæc aruspicio exta physiculant admonentia quædam, vocesq́ transmittunt, auguratisq́ loquuntur ominibus.* Ad priorem Capellæ locum ita Clariss. Vir, Hugo Grotius ex Scaligero: *Physiculare* ὑποκοριστικῶς

D pro *Physicare*, Φυσικεύειν. Gloss. Isidori: *Physiculo, propitio divos. Physiculator, augur NATURAS in extis animantium quærens.* Apulejus de Deo Socratis: *Per hos eosdem, ut Plato in Symposio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, omnesq́ præsagiorum species reguntur. Eorum quippe de numero præditi curant singuli eorum providè, ut est cuiq́ tributa provincia: vel somniis confirmandis, vel extis physiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel nubibus coruscan-

E dis, cæterisq́ adeò, per quæ futura dignoscimus.* Ubi Petrus Colvius, Mercerus, & alij, legunt *extis fissiculandis*; quos ego suo sensu abundare permitto, & omninò cum Saxone meo antiquam retineo lectionem, qualem ipse in MStis invenit. Nam *physiculandi solertia* ea est, quam ἡπατοσκοπίαν Græci, Latini *Extispicinam* nominarunt: de qua notatu digna sunt verba Petri verè Chrysologi Homil. V. *Occidebatur pecus, ut quod vivum nil scierat, divinaret occisum, & loqueretur ex

F fibris mortuum; quod nunquam fuerat ore prolocutum.*

44. *Artem possedêre Pythonicam*] Afflati erant spiritu Pythonico. *Python* etenim δαιμόνιον μαντικὸν, cujus afflatu futura prædicebant. Talis fuit puella illa habens *Spiritum Pythonicum* Act. 16. v. 16. In Græco est πνεῦμα πύθωνος, *Spiritum Pythonis*, id est, Dæmonij fatidici. Hinc *Pythonicus*, diviniloquus, Levit. 20, v. 27. *Vir sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus.*

ſpiritus. Pythomantis dicebatur Pythicus vates, & ἐγγαστρίμαντις. Heſychius: πύθων, ὁ ἐγγαστρίμαντις. Ἐγγαστρίμυθοι erant genij è ventre hariolantes, quod ſpiritus immundus ex turgeſcente vatum ventre obſcurè tanquam ex utre loquebatur, & oracula dabat.

48. *Per ſummam ludificandorum oculorum peritiam*] Sic Sigurdus Fabnisbanus, Ragnari Lodbroci ſocer, fruſtratus, Brynhilldam Budloniam, cui fidem conjugalem dederat, Gunnaro Giucungo, uxoris fratri, cupiens illam conciliare, cum aliter ad ipſam pervigili igne circumdatam irrumpere nequiret, [quem ignem circum aulam Brynhilda aluerat, vocavitq; ᚢᛆᚠᚢᚱᛚᚮᚵᛆ, Vafurloga] nemo verò præter Sigurdum tàm animatus eſſet, ut ignem tranſire auderet, aut ſi auderet Gunnarus, cujus intererat ſponſam incluſam videre, Equum tamen, præter Sigurdi illum *Grana*, qui intrepidè perrrumperet difficultatem, conſequi nullum potuit. Atqui is omnis alius ſeſſoris, quàm domini impatiens, Gunnarum reppulit. Quare ut equum pariter & ſponſam Sigurdus falleret, vultum faciemque cum Gunnaro commutaſſe dicitur. Quod illi περίσπασμα, ᛆᛏ ᛌᚴᛁᚠᛏᛆ ᛚᛆᛁᛏᚢᛘ, At ſkipta litum/ *Colores mutare*, dixerunt. Quin imò, non humanos modò vultus aſſumere & deponere; ſed beſtiarum & ferarum formas, quas volebant, induere noverant: uſi ad hanc rem incantationis & characteris genere, quod ᚠᛁᚿᚿᛁᚠᛆ, Finvifa nominarunt, quaſi *Finnorum motum* dicas: credo, quòd illud artificium Finnis frequentiſſimum fuerit. Sanè Gunhilda, Erici Blodöxij uxor, ab illiusmodi præſtigiis malè audivit, Finlandica & ipſa, Ozuri Totonis filia. *M. Brynolfus.*

50. *Illicibus formis*] *Illices oculos* Apulejus dixit, quorum aſpectu ad libidinem incitamur. Et *Illices voluptates* Lactantius Lib. VII. Cap. ult. *Omittendæ ſunt hujus præſentis vitæ illices voluptates.*

Pag. 10. verſ. 2. *Cum Latinorum quoq; prudentiam pellexerit*] Ità eſt. Nulla ferè gens tantæ ſuperſtitionis fuit, ac ipſa Gentium victrix Romana, quæ neutiquam vernaculos Deos coluiſſe contenta, univerſa etiam aliarum nationum numina ſua intrà mœnia recepit. Jam verò totum illud Deorum Dearumque agmen ex magnâ illâ matre, hoc eſt, terrâ proſatum, & illorum in numero cenſendum, qui terræ munere veſcuntur, Antiquitates Romanæ abundè teſtantur. Imò ſacra omnia, omnis auguralis diſciplina, ancilia, Libri Sibyllini, & id genus alia, arcana tantùm quædam Reipublicæ Romanæ fuère, quibus vel populus in officio teneretur, ſi quando ſeditionem moveret, vel Imperatores ad ardorem militibus ingenerandum uterentur. Sed ne videar heic actum agere velle, & quæ eximij ſcriptores Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Minutius Felix, & alij de Diis Ethnicis luculenter & copiosè tradiderunt, quaſi compilare, verbum non amplius addam.

14. *Sedulâ affirmatione certabat*] Pro inſtabat, contendebat, perſvadere conabatur: quomodo Virgilius *certet ſuperare*, hoc eſt, ſtudeat, conetur; Ecloga V. Et Horatius *certare quodcunq; facit Mæcenas*, hoc eſt, certando conari, Sermon. Lib. 2. Stat. 3. Niſi fortè *certabat* erit, certiorem reddebat, vel ut Barbari loquuntur *certiorabat*, ut ſit à *certus*. Nam *incertare*, pro incertum reddere Plautus uſurpavit Epidico: *Longa dies animum incertat meum.*

30. *Dum Venerem coluiſſe piget*] Non putandum *Duram illam manum* [ſic namq; *Hartgrepa* interpretatur] tam invenuſtè & ruſticè atq; apertè ad Venereas voluptates Juvenem generoſum provocaſſe, quin libidini ſuæ frontem prætexeret, & luteum velamen, virginum more. Sumſit vero illud ſuum πρόσχημα ex intimâ hominum illorum religione, quibus Divarum haud poſtrema fuit FREYA, Amatorum πρόξενης, & illarum voluptatum promaconda: quam violare aut contemnere, Skapto vel Thorballus Sidenſis [nunc enim uter eſſet, non exactè memini] parum aberat, quin capitali diſcrimine didicit, ut erat periculoſum: qui ad Chriſtianam fidem converſus, parum honorificè de Freya, in carmine hoc ſuo, fuerat locutus:

ᚢᛁᛚ ᛁᚴ ᚢᛘ ᚴᚮᚦ ᚵᛅᛁᛆ
ᚠᚱᛁᛁ ᚦᛁᚴᛁᛆᚱ ᛘᛁᛁᚱ ᚠᚱᛁᛁᛆ.

Vil eg um God geyá
Grey thikier mier Freya.

Hoc eſt; *De diis latraturus, Freyam inſtar caniculæ, vel vulpeculæ, judico.* Quæ res continuò ut increbuit, ἀποσυνάγωγος factus, in capitis periculum inciderat, niſi divinitus accidiſſet, ut illo ipſo anno, quo in eum maximi quique Viri conjurarant, Chriſtiana fides in foro univerſali recepta fuiſſet. Nialam conſule. Numinis hujus ſeu Divæ monumentum adhuc Danica linguâ conſervat, quæ Veneris diem, Fredag/ id eſt, *Freyæ diem*, appellat: & Dominas, Nobiliumq; fæminas Fruer / ab eâdem dictas eſſe, nulli dubitamus. Quin etiam Fryd / *Voluptas*, & Frø / *Semen*, indidem venerunt; notatione à cauſis: & nos matremfamilias Hußfreyu vulgò nominamus. *M. Brynolphus.*

32. *Adveniat pius ille calor*] Blandus ille & caſtus amor. Sic Ovid. XI. Metamorph. *Trahere pariter calorem*, id eſt, unà incipere amare.

39. *Cujus Naturæ contextum*] Sic Valerius Maximus Lib. IX. Cap. 14. *Contextum ſanguinis* dixit: *De ſimilitudine autem oris & totius corporis*

altiore doctrinâ præditi subtilius disputant: eorumq; alij in ea sunt opinione, ut existiment illam origini & contextui sangvinis respondere. Aliter forte usurpavit Ammianus Marcellinus Lib. XVI. *Hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos.*

41. *Nunc affluentis substantiæ*] Ità omnino legendum existimo, ipso contextu eo me ducente, qui totus merâ constat verborum ἀντιθέσει. Sic *contractior* opponitur *capaciori*; *exilis, affluenti*; (nam *exilis* & *defluens* non sunt ἀντίθετα) *corrugatum, explicato. Affluens* autem est *crescens.*

43. *Nunc proceritate cœlis invehor*] Parilem plane in modum Philosophiam, quæ instar fœminæ sibi supra verticem astare visa est, describit Boethius Lib. 1. de Consol. Philosoph. *Statura erat discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc verò pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur.*

Ibid. *Nunc in hominem, angustioris habitus ditione, componor*] Ita hunc locum distinguendum censui, qui alioquin paulo videbatur obscurior. Nam *in hominem componor*, hoc est, depositâ monstruosâ illâ & giganteâ magnitudine, in humanam staturam, pro eâ, quâ polleo potestate, me transformo. Nimirum *monstra* opponit *hominibus*, quomodo mox infrà loquitur.

Et fortes complexa duas, majore feroces
Territo concubitus, hominum breviore capesso.

Ditio autem heic denotare potest divinitatis quasi quoddam arbitrium, nutum & potestatem. Iterum Saxo Lib. II.

Res petit & par est, quæcunq; per otia summâ
Nacti pace sumus, belli ditione mereri.

Idem Lib. VII. *Alterum terris, alterum aquis regiâ ditione præesse voluit.* Dudo S. Quintini Decanus Præfatione in Acta Normannorum:

Fidens in Domino mundum ditione regente,
Quicquid vult faciens cœlo, terrâq;, mariq;.

Cæterum erat cum hoc loco olim legerem *conditione.* Imò *ditionem, conditionem* designare auctor est Polyhistor nostri seculi incomparabilis Caspar Barthius Lib. XVIII. Adverf. Cap. X. ad Prosperi illos versus:

Perpulit à vetitis pomum decerpere ramis
Queis inerat recti & pravi experientia major
Tunc ditione hominis. ——————

Sic Prudentius Trecensis de Christo Domino:

Emittens animam propriâ ditione beatam.

49. *Diverso schemate formas*] Galterus Lib. 1. Alexandreidos. pag. 12. v. 4.

Pectoris in medio bis seni schemate miro
Ardebant Lapides. ——————

A Et Lib. IV. Fol. XL. fac. 2.

—————— *Tumulumq; in vertice montis*
Imperat excidi, quem structum schemate miro
Erexit celeber digitis Hebræus Apelles.

50. *Nunc sidera cervix Æquat*] Virgilius Æneid. Lib. III. de Cyclope:

———— *Ipse arduus altaq; pulsat*
Sydera ——————

Pag. 11. vers. 4. *Converti cerea vultus*] Horat.
B *Cereus in vitium flecti.*

5. *Qui Protea novit*] Horatius Lib. 1. Epist. 1.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Et Sermon. Lib. 2. Sat. 3.

Effugit tamen hæc sceleratus vincula Proteus,
Fiet aper, modò avis, modò saxum, & quum volet, arbor.

Eum ob varias mutationes *ambiguum* Ovidius eleganter vocavit Lib. II. Metamorph. quas
C etiam recenset, Lib. VIII Metamorph.

Nam modò te juvenem, modò te videre Leonem:
Nunc violentus aper, nunc quem tetigisse timerent,
Anguis eras; modò te faciebant cornua taurum.
Sæpe lapis poteras, arbor quoq; sæpe videri.
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras, interdum undis contrarius ignis.

D Et alibi:

Utq; levis Proteus modò se tenuabat in undas
Nunc Leo, nunc arbor, nunc erat hirtus aper.

Notum est adagium: *Proteo mutabilior.* Enthea Venefica apud Petronium:

Proteus esse solet, quicquid libet ————

Sed nos cum Johanne Tzetze rectè judicamus Protea huncce tantopere veteribus celebratum, insignem Magum & veneficum fuisse, qui arte
E Diabolica & vi magica in tam varias se formas subindè mutaverit. Id quod hæc verba Tzetzis Chiliad. III. testantur.

Ὅς μαγικαῖς δυνάμεσι μετέβαλλεν εἰς πάντα
Εἰς πῦρ, ὕδωρ, εἰς δράκοντα, δένδρον, εἰς πᾶσαν φύσιν

14. *Virili more culta*] Imitatus est Saxo Valerium Maximum, qui Lib. IV. Cap. 6. persi-
F mile Exemplum commemorat de Hipsicrateâ Reginâ Mithridatis, quæ ut in exilium maritum suum sequeretur, *præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem convertere voluptatis loco habuit. Tonsis enim capillis, equo & armis se assvefecit, quò facilius & laboribus & periculis ejus interesset.* Expendat hæc verba benevolus Lector, & cum Saxonis contextu conferat. Ni fallor, Valerij hunc locum in animo & oculis habuisse Saxonem nostrum ultro fatebitur. Amoris etiam con-

conjugalis notabile exemplum de Epponinâ Julij Sabini conjuge refert Petr. Victorius Lib. 18. Variar. Lect. Cap. XV. ex Plutarchi ἐρωτικῷ, & Cornelij Taciti Lib. XX. Cui convenit illud S. Asterii, Amasææ Episcopi, Homiliâ, *An liceat dimittere uxorem*: Ἔγνων ἐγὼ γυναῖκα κὴ τὴν κόμην κείρασαν, καὶ ἀνδρικὴν περιθεμένην ἐσθῆτα, καὶ ταύτην ἀνθεινὴν, ἵνα ἄνδρος φεύγοντος μὴ χωρισθῇ. *Novimus ipsi mulierem, quæ attonsâ comâ, vestem virilem, eamq; floridam induit, ut ne virum fugientem latentemq; deserere cogeretur.*

18. *Diris admodum carminibus ligno insculptis*] Hoc loco primum occurrit *Runomagiæ*, sive *Necromantiæ Runicæ* exemplum, quod amplum nobis de *Runis* Veterum Danorum, & *Magiâ Runicâ* differendi suppeditat occasionem. Vox itaq; ᚱᚢᛗᚱ, Runar/ duo significat; & veterem Literaturam, quæ etiamnum passim exstat, & Magiam Runis expeditam. Runicarum etenim Literarum duo primaria fuerunt genera. Unum eorum, quibus ad animi sensa exprimenda, res gestas consignandas, Heroum fortia facta deprædicanda, aliaq; necessaria indicanda, utebantur *Runæ*, atq; in hoc genere literati. Ab hisce Runis lingua Danica antiquitus ᚱᚢᛗᛆ ᛉᛆᛆᛚᛁ Runa Maali appellata fuit. Alterum genus quibusdam, magicis incantationibus cumprimis deditis, familiare extitit. Hisce enim Runis, præstigiis Diabolicis miserrimè inescati, in aliorum perniciem plerumq; abutebantur Magi & incantamentis celebres. Tantam namq; earum vim & efficaciam esse sibi persvadebant miseri, ut ijs hostes necare, ursos ac feras ligare, ventos ac grandines concitare, imbres ciere, homines dementare, manes elicere, aliaq; incredibilia perpetrare valerent. Hisce Othinus ille Rindam puellam mentis ac rationis usu privavit. Quod ita persequitur Saxo noster Lib. 3. *Quam cortice carminibus annotato contingens lymphanti similem reddidit, receptam toties injuriam modesto ultionis genere insecutus.* Hisce Guthruna, de qua Idem Lib. VIII. *effecit, ut regiæ partis propugnatores subitò oculis capti in se ipsos arma converterint.* Hisce pollebat illa *augurij perita fœmina, cujus carminum tanta vis erat, ut rem quantalibet nodorum consertione perplexam, è longinquo sibi soli conspicuam, ad contactum evocare posse videretur.* Saxo Lib. VII. Hisce tandem Hartgrepa, *ligno incisis & linguæ demortui hospitis suppositis eum loqui fecit, diraq; carmina effari*; Cujus rei hoc loco mentionem facit Saxo. Hosce autem Characteres ᚱᛆᛉᚱᚢᛗᚱ Ramruner/ seu Runas amaras & acerbas vocârunt, eò quod molestias, dolores, morbos, aliaq; perniciosa hisce infligere inimicis soliti sint Magi. Hæc maximam partem desumpsimus ex Literatura Runica Excellentissimi viri, D. Olai Wormij Cap. 5. Porro Runas istas Magicas Glossarium veteris Islandicæ linguæ dispescit in aliquot species, ut in ᛋᛁᚵᚱᚢᛗᚱ, Sigruner/ id est, *Runas victoriales*: ᛒᚱᚢᚿᚱᚢᛗᚱ, Brunnruner/ *Runas fontanas*: ᛉᛆᛚᚱᚢᛗᚱ Målruner/ *Logo Runas*: ᛆᚢᛚᚱᚢᛗᚱ, Aulruner/ *Runas Cerevisiarias*: ᛒᛁᛆᚱᚵᚱᚢᛗᚱ Biargruner/ *Runas auxiliatrices*: ᛚᛉᚱᚢᛗᚱ Limruner/ *Runas arboreas*: & ᚼᚢᚵᚱᚢᛗᚱ Hugruner/ *Runas Cordiales.* Singularum Runarum usum ita exprimit: 1. Sigrunar skalltu kunna/ ef thu villt Snotur vera: rist a hialte hiörs/ a vettrunum/ og a valblystrum/ og nefna tvisvar Tyr. Hoc est, *Runas victoriales callere debes, si sapiens, astutus, atq; callidus evadere cupias. Incide eas capulo, vel retinaculo ensis tui, item Chirothecis, & lituo bellico, & bis nomen Tyr ingemina.* 2. Brunrunar skalltu giora/ ef thu villt borgit hafa a sunde seglmaarum. a stafn skall thær rista/ og a Stiornarblade. tha komst heill af hafe: *Runas fontaneas adhibe, si quando merces tuas sartas tectas maritimisq; periculis exemptas habere cupias. Eas puppi incidas, & gubernaculo, atq; ita incolumis è mari evadas.* 3. Målrunar skall thu kunna/ ef thu at mage ther heiptum giallda harm: thar um vindur/ thar um vefur/ thar um setur/ allar samen a thui tinge er men Skulu i fulla doma fara: *Logorunas usurpato in pensandis & ulciscendis injurijs. Eas incidito sæpimentis, tentorijs & sedilibus fori, ubi judicia peraguntur.* 4. Aulrunar skalltu kunna ef thu villt ad annars Quen væte thig ecke/ trygd ef thu truer: a horne skall thad rista og a handar baka/ oc merkia a nagle Naud: *Runas cerevisiarias adhibeto, ne te aliena mulier decipiat. Eas cornu potatorio insculpito, & exteriori parti manus tuæ, notatâ simul in ungue Litera* ᚾ, *quæ Naud dicitur.* 5. Biargrunar skalltu nema ef thu villt borgit faa og leisa kind fra konu. a lofa skall thær rista/ og um lida spenna og bidia Dysie duga. *Auxiliatrices Runas addiscas, si fœminam onere partus facilè levari cupias. Insculpito eas in vola manus, ijsq; artus & membra cingito, opemq; Parcarum, quæ Dysæ vocantur, implorato.* 6. Limrunar skall tu kunna/ ef thu villt lækner heita/ og kunna saar at sia. a a beke skall thær rista og a bare vidar theß er lute austur limer. *Runas arboreas nosse debes, si egregij Medici nomen sustinere velis, vulneraq; ex arte curare. Eas incidito cortici & folijs arborum, quæ se versus Austrum potissimum flectunt & inclinant.* 7. Hugruner skalltu nema/ ef thu villt huerium vera gedhostare guma/ ther of ræd/ ther of reist/ ther of hugdo. *Runas cordiales scire debes, si quolibet virorum animosior esse velis. Eas delineato in pudendis, & pectore tuo.* Hæc plena superstitionis antiquæ documenta, propterea heic in medium adduxi, ut Runarum Magicarum aliqua exsta-

exstaret ad locum hunc Saxonis illustrandum notitia, non ut earum detestandum usum quemquam edocerem. Cæterùm *Runæ Necromanticæ*, quibus defunctorum umbras è sepulchris evocabant, dictæ sunt etiam ᛋᚢᛅᚱᛏ-ᚱᚢᚿᛂᚱ, Suartruner/id est, furvæ Runæ: & baculus, sive lignum, cui insculpebant ejusmodi Runas, dicebatur ᚱᚢᚿᛅᚱᚴᛁᛅᛂᚠᛚᛂ Runarkiæfle. Mathematici volunt Necromanticos in horoscopo habere ☿. Julius Firmicus
B
Cap. 1. Lib. 1. *Illum quiescentium securas animas, etiam lethæi fluminis oblivione purgatas, ☿ cogit nefariis carminibus excitare. Nefariis carminibus*, quomodo Saxo *diris carminibus*. Cæterùm heîc etiàm locum meretur eruditissima Dissertatiuncula Viri Clarissimi, & nunquàm sinè laude dicendi, M. Brynolfi Svenonij, quæ nostra Observata non parum illustrat: *Nullus dubito, quin Runas Saxo intellectas velit. Quas incidere lignis pro effectus varietate, varijs & alijs generibus rerum,*
C
solens erat. Documentum dedit non nihil Brynhilda Budlonia, Sigurdo Fabnesbano, ut in Ragnari Historia observavi. Lignum porrò hoc κεχαραγμένον, *breviculum & exiguum ferè*, Runakeffle *dicunt, quasi claviculum Runicum dicas, &* Rista Runer / *incidere Runas, propriè, vel ut Saxo, insculpere; non scribere, aut pingere, dixeris. Enimverò priusquàm in honorem Romanæ Ecclesiæ, cum Religione, literas etiàm Sacerdotes & Principes certatim in Septentrionem invexerunt, quibus hodieq; omnes utimur: antiquiores illæ gentium Normannicarum propriæ creditæ sunt omnes [multiplices namq; fuerunt]* δύναμιν *quandam possidere non modo* σημαντικὴν τῆς φωνῆς, *ut loquitur Aristoteles; verùm* ἐνέργειαν *etiàm* τῶν χαρασσομένων ἐπιθυμηθέντων ἀποτελεσματικήν. *Ideò singulos characteres singulis Deastris, aut Dæmoniis adscripserunt, velut* ἐν θεραπείας μοίρᾳ; *ac ut quemcunq; effectum à quovis Dæmone procurari crediderunt, ità certum characterem certæ materiæ suo & legitimo modo, loco, tempore, & instrumento, additis propriis carminibus, nonnunquàm & sacrificiis, incidendum judicarunt. Quæ omnia qualia fuerint, vix nunc quisquam mortalium, ac nè vix quidem, novit. Ego tamen, hæc tantùm, quæ conjicio, partim ex antiquitatis monumentis, partim ex diligenti ex nostris hominibus inquisitione collegi. Quò minus jam miremur, quemadmodum fieri potuerit, ut tantillo annorum spatio, quod à conversione Septentrionalium excurrit, vix ulla supersit priscorum religionis, rituumq;, ac nè characterum quidem, firmior memoria. Videlicet maximè à Christianis est laboratum, ut scripta & monumenta vetustatis gentilis penitus obruerentur, æternâ oblivionis humo sepulta. Quià videlicet persvasum erat, quamdiu vestigium cultus & characterum antiquiorum, hominum animis obversaret; negotium conversionis non satis procedere, hominibus ad pristinas præstigias pronis & facilibus. Ideoq; nè obstrueret veri-*
A
tatis luminibus potestas tenebrarum, nec tamen ferret rude vulgus subtiliorem, quàm pro suo captu, usus ab abusu distinctionem, & accederet Zelus verbi ministrorum Pontificiis consvetus, & cupido Romanam Ecclesiam omnibus modis propagandi: literas Romanas, ut sanctiores, Normannicis, tanquàm gentili superstitione pollutis, commutare consultum visum est. De quo facto meum judicium non requiri ut certò scio, ità libenter contineo.

19. *Linguæ defuncti per Hadingum suppositis*] Operæ erit pretium feralem illam scenam recolere, quæ apud Apulejum Lib. II. Methamorph. exstat, de adolescente quodam redivivo, quem cum Zachlas Ægyptius, Propheta primarius, ex inferis reducere conaretur, *herbulam quampiam, ter ob os corporis; & aliam pectori ejus imponit.* Videatur omninò totus iste locus, qui claram Saxoni lucem affundit.

21. *Inferis me qui retraxit, execrandus oppetat*] Carmen est tricolon; cujus duo priores versus Trochaici tetrametri sev octonarij Catalectici: reliqui quindecim Alcmanij, qui primâ parte habent duos pedes Choriambicos (hoc est Spondæum cum Choriambo) posteriori autem Adonium. Hinc redit ad Trochaicos duos: illis subjunguntur Pentametri decem, & clauditur duobus rursus Trochaicis.

Ibid. *Inferis me qui retraxit.*] Ita & profatur adolescens iste redivivus, loco jam dicto Apuleji: *Quid, oro, me post Lethæa pocula, jam Stygijs*
D
paludibus innatantem, ad momentaria vitæ reducitis officia? Desine, ac me in meam quietem permitte. Ejusmodi querelas fundere Manes elicitos testatur etiam Statius Papinius Lib. III. Thebaidos, ubi de fœmina Thessalica loquitur, *Cui gentile nefas hominem revocare canendo:*

> —— *Animarum mœsta queruntur*
> *Concilia, & nigri pater indignatur Averni.*

Ubi vetus interpres Pl. Lactantius: *Queruntur*, id est, *dolent sibi requiem tolli.*
E
Ibid. *Inferis me qui retraxit*] Odas illas suas, veteres, quibus virtutem & valentiam insigniorem inesse voluerunt, carmine intercalari distinxerunt, simul ut Poema ornarent ac digererent, nè continua μονῳδία tædium crearet; maximè verò ut velut novo spiritu afflati, totâ mente & pectore propositum urgentes preces ingeminarent, ineffabili fervore, & tantùm non furore acti. Sic Busla saga Bosam alumnum &
F
Herrodum filium è carcere, in quem compacti suo quædam ob facinora fuerunt, frustra diu liberare conata, Regem in cubili quiescentem improvisa accedit, & continuo diro carmine, quod Buslubæn dicitur, execratur, intercalari versu subinde insito, ᛂᛘᛅᚱ ᛏᚼᚢ ᛒᛅ-ᛋᛅ ᛒᛁᛅᚱᚵᛁᚱ ᚢᛂᛁᛏᛂᚱ, Memar thu Bosa biarger veiter etc. *Nisi Bosæ opem feras.* Videatur *Bosa saga*. Sed enim Carminibus in-

esse

esse efficacem virtutem, vel solis vel cum sacrificiis, ritibus, & characterismis, præsertim αὐτοσχεδίοις, cum animus ab affectu recens calet; præter Græcos & Latinos, qui illud sæpe fatentur; veteres Normanni, & recentiores quidem, constanter credunt, tanta fiduciâ, ut evelli desperem; neq; effectu semper sibi videntur frustrati. *M. Brynolfus.*

22. *Tartaroq; devocati spiritus*] *Devocare* est defunctorum umbras è sepulcris *evocare* quod veteres *elicere* dicebant: & hinc *Elicia*, carmina, quibus animas alienis elicerent locis. Tertullianus de anima Cap. 28. *Scimus enim Magos elicere explorandis occultis per catabolicos, & paredros & pythonicos spiritus.* Hac de re dignissima lectu est Declamatio X. Quintiliani, quæ *Sepulcrum Incantatū* inscribitur. Inprimis huc facit locus, quo Magum describit, qui *barbaro carmine & horrentibus verbis* animas & evocare & præcludere solebat: *Sic Magum, cujus horrido murmure imperiosisq; verbis Dij Superi, Manesq; torquentur, advocat, non ut exorati manes deducerentur; nec ut evocata nocturnis ululatibus umbra properaret,* & quæ sequuntur. Apulejus Lib. II. Metamorph. de Zachlâ Ægyptio Prophetâ: *Zachlas adest, Ægyptius Propheta primarius, qui mecum jam dudum grandi præmio pepigit reducere ab inferis Spiritum, corpusq; istud postliminio mortis animare.*

Ibid. *Pœnas luat*] Rarò Necromanticis feliciter cessit Manium evocandorum curiositas. Illustre inter alia exemplum habemus apud Heliodorum Lib. 6. Æthiopicorum, ubi necromanticum Ægyptiacæ anus actum prolixè describit; cujus ille fuit eventus, ut anus inter cadavera discurrens extantis hastæ fragmento per ingven trajecta exanimis corrueret. Vide etiam hac de re Lib. 2. Barbaricæ Philosophiæ Otthonis Heurnij, Cap. XXIX. pag. 260.

42. *Atq; manus vivos verrerit ungve fero*] Hoc est, cum turba illa monstrorum injectis ungvibus vel frustillatim discerpserit. Singularem violentiam denotat *Verrendi* vocabulum. Martiano Capellæ *procella mare verrere* dicitur Lib. IX. pag. 307.

Et licet indomiti dira procella Noti
Spumea Scyllæi verreret ima maris.

Apposité Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pag. 4. *Quibus mox Cæsar acrius efferatus, velut contumaciæ quoddam vexillum altius erigens, sine respectu salutis alienæ vel suæ, ad VERRENDA SUPPOSITA instar rapidi fluminis irrevocabili impetu ferebatur.*

52. *Compacto ramalibus tecto*] *Ramale*, ramus inutilis ex arbore decisus. Ovidius:

———— *Ramaliaq; arida tecto.*

Persius:

Ut ramale vetus vegrandi subere coctum.

Martianus Capella Lib. III. pag. 59. *ne densis obumbrata ramalibus.*

A Pag. 12. vers. 20. *Ex cujus teterrimis vulneribus plus tabi, quàm cruoris manavit*] *Tabes* interdum aliquid cruentum significat, quod propriè *Tabum* nominant: estq; sanies & sangvis corruptus: qualem ex Deorum vulneribus manare olim Poëtæ finxerunt, & ἰχῶρα vocarunt. Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: Εἰ δὴ τραύματα, καὶ αἵματα. οἱ γὰρ ἰχῶρες οἱ ποιητικοὶ, εἰδεχθέστεροι καὶ τῶν αἱμάτων. σῆψις γὰρ αἵματος, ἰχὼρ νοεῖται. *Quod si sunt*
B *vulnera, est etiam sangvis. Sanies enim Poetica, quam ἰχῶρα vocant, est etiam sangvine turpior. Putrefactio enim sangvinis, sanies vocatur.*

6. *Grandævus fortè quidam altero orbus oculo*] Non est mihi dubium, quin tàm luculentæ, si Dîs placet, formæ mentione insignem illum præstigiatorem OTHINUM, heîc nobis quasi digito demonstret Saxo. Tali namq; schemate, nempe *Unoculi* cujusdam Polyphemi, & capu-
C laris senis, plerumq; apparuit, quoties evanida imaginarij hujus Dei majestas sese fascinato offuciis suis vulgo spectandam exhibere dignata est. Nisi si reverâ tali oris deformitate præditus fuerit. Sic expressa magis ejusdem habitus indicina exstat Lib. II. pag. 21.

Et nunc ille ubi sit, qui vulgo dicitur OTHIN
Armipotens, uno semper contentus ocello?

Et Lib. VII. *Cujus eventum Haraldo oraculis explo-*
D *rare cupienti senex præcipuæ magnitudinis, sed orbus oculo, obvius extitit, qui hispido etiam amiculo circumactus, Othinum se dici, bellorumq; usu callere testatus.* Verùm causam hujus in Othino μονοφθαλμίας edocere nos videtur Edda. Fingit enim Odinum venisse aliquando ad Mimerum, fontis sapientiæ possessorem, atq; haustum expetisse; quem cum impetrare haud potuit, oculum suum oppignoravit. Concessâ facultate ubi bibit, sapientia & intellectu eximio ornatus est.
E Quum igitur unum oculum oppignoraverat Othinus, quem fortè nunquam receperat, haud adeò mirandum, quod uno destitutus oculo toties apparuerit. In eandem sententiam de hac Odini forma commentatus est in Conjectaneis suis M. Brynolfus Svenonius: *Magorum omnium unus instar Odinus, posteris fidem fecerat, opem laturum se suis, cum in periculis constituti auxilium postularent. Cujus rei eventus, post illius excessum, non rarò miseros mortales delusit. Sæpius*
F *enim conspectus est vario indutu: læna plerumque talari, nunc versicolore, ut Sigismundo naviganti; nunc coeruleâ, ut cum ad nuptias venit, atq; ensem ligno impegit, ac tacitus discessit, quem nemo postea præter Volsungum extrahere potuit. Quum autem sæpius appareret, semper ab hac, quam Saxo narrat, formâ cognitus est, canitie venerandâ, & luminis orbitate, quod scilicet vendidisse dicitur saxicolæ cuidam fatalis mulsi potu, qui inexhaustam sapientiam attulit, ut Eddam volventibus notum est.*

Vestigia

8. *Vestigia sua mutui sanguinis aspersione*] Hancce per sanguinem humanum firmandæ amicitiæ consvetudinem, fœderisq; feriendi ritum, apud alias etiam nationes viguisse, ex varijs liquet auctoribus. De Armenijs habes apud Tacitum Lib. XII. Ubi mentio fit fœderis icti inter Mithradatem Armeniorum Regem, & Rhadamistum Pharasmanis Hyberorum Regis filium: *Mos est Regibus*, ait, *quoties in societatem coëant, implicare dexteras, pollicesq; inter se vincire, nodoq; præstringere. Mox ubi sangvis se in artus extremos effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atq; invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur quasi mutuo cruore sacratum.* Cui subscribit Valerius Maximus Lib. IX. Cap. XI. pag. 416. Nam cum Sariaster adversus Patrem suum Tigranem, Armeniæ Regem, cum amicis conspiraret, ita cum iis consensit, ut omnes dextris manibus sangvinem mitterent, atq; eum invicem sorberent. Hoc quoq; apud Scythas usitatum fuisse apparet ex Luciano, in Dialogo suo, cujus Titulus est *Toxaris*, sive Amicitia, ubi eorum fœdus ac jusjurandum, quod maximum appellat, recensetur: *Etenim*, inquit Scytha ille Lucianicus, *simulatq; incisis digitis sanguinem in calicem destillaverimus, summisq; intinctis gladiis, ambo pariter admoventes biberimus, non est quicquam, quod deinde nos queat dirimere.* Huc quoq; Solinus Polyhistor spectasse videtur, ubi de Scythis ita scribit, Cap. XX. *Haustu mutui sangvinis fœdus sanciunt, non suo tantùm more, sed Medorum quoq; usurpatâ disciplinâ.* Simile quiddam tribuit Posidonius apud Athenæum Carmanis: *Ferunt*, inquit, *hos in symposiis benignè complexos, venas in fronte abscindere, & sangvinem defluentem in poculo miscentes bibere, summum amicitiæ terminum attigisse existimantes, quùm sangvinem vicissim inter se degustarint.* De Scythis quoq; eundem in modum loquitur Pompon. Mela Lib. II. Cap. I. *Ne fœdera quidèm incruenta sunt; sauciant se qui paciscuntur, exemptumq; sangvinem, ubi permiscuêre, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum.* In Palmaria Insula, sicut recensent peregrinatores, quum novos hospites in amicitiæ fœdus suscipiunt, sibi ipsis novaculâ, vel gladio lapideo, sangvinem ex linguâ, manu aut lacerto, aliave corporis parte, inspectante hospite, eliciunt, non veram amicitiam interpretantes, quæ pro amico vitam profundere renuit Phil. Camerarius Horar. Subcisivar. Cent. I. Cap. 6. Sic apud Sallustium Catilina sociis conjurationis in patera sangvinem humanum propinat. Adde, quæ de Medis, Lydis, Carmanis, Scythis, annotavit Vir Clarissimus, & diffusæ Lectionis Philologus, Hermannus Lignaridus, Oblectationum Academicarum Cap. XXII. pag. 206. Ubi eundem etiam in modum hos populos fœdera sua percussisse demonstrat. *Medi enim & Lydi brachia circa humeros gladio feriebant, & per vices cruorem ità elicitum lingebant:*
A *quod fœderis vinculum illis sanctissimum habebatur. Carmani in epulis percussâ faciei venâ, profluentem cruorem vino miscebant, atq; invicem propinabant, summum hoc amicitiæ fœdus esse rati. Idem & Scythæ observabant, nisi quod eodem quoq; cruore, sagittas & gladium imbuebant.*

10. *Lokero Curetum tyranno*] Saxo *Curetes* passim indigitat Livoniæ accolas, quos nunc *Curlandos* dicimus. Alioquin *Curetes* Straboni Ætolica gens, quam fuse persequitur Lib. X.

B 11. *Quibus superatis*] Lisero nempe & Hadindo, quos Lokerus Curetum tyrannus, temerè sibi bellum inferentes, devicit.

25. *Ferro rimare potenti*] Sic potius legendum existimo, quàm *patenti. Potens* enim *ferrum* hic erit illud, quod vim & efficaciam subitò perimendi habeat.

27. *Corporeamq; dapem mordacibus attere malis*] Hoc est, Comede carnem ejusdem Leonis, cujus modo sangvinem hausisti. Autor est Plinius
C Agriophagos Leonum carnibus maximè vivere, Lib. VI, Cap. 30. Persvasissimum verò gentilibus erat Leonis, aut Ursi, vel robore præcellentis animalis cujuscunq; epotum sangvinem, sive carnem comestam, novum membris ingenerare vigorem: excepto cruore Taurino, qui veneni loco habebatur.

31. *Famulosq; sopore Conficiam, & lentâ stertentes nocte tenebo*] Et quæ præcedunt de haustu calidi sangvinis Leonini, & cordis esu Cyclo-
D pico, ad robur & audaciam conciliandam, aliis exemplis confirmata sunt: [Ita Sigurdus Fabnesbanus serpentis corde comesto, avicularum voces intellexit,] & quæ sequuntur, sæpè ab hoc impostore, atq; hoc genus aliis, tentata & effecta sunt. Idem enim Odinus Brynhildam Budloniam, quoniam Amazonum more contrà quempiam suorum dimicaverat & debellaverat, profundissimo somno demulsit. Hunc porrò incantandi morem, ᛅᛏ ᛋᛏᛁᚴᚠᛅ
E ᛋᚢᚽᚠᚴ ᛏᚼᛅᚱᚴ, at stinga Swefn thorn/ hoc est, injicere aut immittere soporiferum characterem Thorn, vocitarunt: [Virgilius Æneid. VII. de Umbrone:

Spargere qui somnos cantuq; manuq; solebat.

Et de Mercurio prius:

Dat somnos adimitq;, & lumina morte resignat.

Homerum imitatus, qui de eodem sic: τῷ δ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει τῶν καὶ ἐθέλει etc.] aut
F etiam claviculum [vox enim Thorn utrumque denotat] soporifero charactere signatum. Dani hodieq; dicunt, At kaste Søffnepryn paa een. *M. Brynolphus.*

34. *Amiculi ejus rimas, sub quo trepidus delitebat*] Amiculum hoc ex eo genere fuisse existimo, quod veteres Dani ᚦᚢᛚᛂᚱᚴᚢᚠᛚ *Dularkufl* appellarunt: cujus exemplum nobis exhibet *Grettla*, hoc est, Historia Gretteri Asmundij: Gretter var i dularkufle/ so han kiendist ei:

Grette-

Gretterus indutus erat amiculum, sub quo delitescere potuit, ne à quoquam agnosceretur.

35. *Animadvertit equinis freta patere vestigiis*] Reverà Magorum iste antesignanus Odinus, virtute ac potestate Diabolicâ fretus, seu potius ipse Diabolus, sub specie capularis senis, Odini jussu, Hadingum per aera vexit. Illo namque tempore, quia dæmones totum fere mundum deceptum habebant, laxasq; potestatis habenas eis Deus reliquerat, non secus atque equi alati, homines ad longissima loca per aerem portasse leguntur; ut de Pasete, Exagono Oblogenum legato, Circe, Medea, Canidia, Tyridate, Apuscoro, Tarato, Marmaridio, Hippoco, Arnuphi Ægyptio, & innumeris aliis, scriptum invenimus, qui veluti volucres, dæmonum ope, advolasse perhibentur. Videatur Leonardus Vairus de Fascino Lib. II. pag. 177.

39. *Handuvanum Hellesponti Regem*] Ad hunc locum ita Crantzius commentatur: *Hellespontum quem dicat Saxo, non satis compertum habemus. Nam in trajectum ex Evropa in Asiam navigando pertingere non potuit, nisi magnâ mundi parte circumitâ. Et erat ea navigatio nondum Danis pertentata, quâ multis post seculis Normanni ex mari Britannico in mediterraneum penetrantes Constantinopolim usq; devenere.* Sed tanti nobis non erit Crantzii auctoritas, ut de rei gestæ veritate derogare vel minimum debeat. Nam *Hellesponti Regem* per Synecdochen pro Thraciæ aliquo Rege Saxonem dixisse, confirmant verba sequentia, de multo illo Orientalium robore, post hanc victoriam ab Hadingo debellato. *Orientis* autem nomine totum illum in Evropa tractum Hellesponto finitimum complecti solent Historici antiqui. Quin poterat OTHINUS ille, qui ex Asia in Europam & regna Aquilonaria magnis cum copiis advenerat, Hadingum Regem de se bene meritum, expeditum quoddam itineris compendium, & quasi regiam viam edocuisse, quâ facilimum esset tam longinqua terrarum spatia assequi, & ipsum in Orientem penetrare. Imô fortasse hunc in finem Hadingo piratam illum Liserum, qui varias exterarum regionum oras diu rapinis peragraverat, velut ducem quendam hujus itineris adjungere voluit. Quid quod illâ tempestate tritum iter à principe Thraciæ urbe Bizantio in Daniam fuerit, quo scilicet, à majorum gentium Dijs, qui ibidem loci quasi summum quoddam numinum Collegium instituerant, ad OTHINUM, & reliquos per totum Septentrionem dispersos consentes, συνθρόνες, & Synedros præstigiatores creberrimi commeare nuncii solebant.

41. *Mænibusq;, non acie, resistentem*] Quis non videt legendum ità esse pro *novatiæ?* quæ vox nihili est. Sic infra Lib. VIII. ubi de bello iti-

A dem cum Hellesponti quodam Rege gesto: *Rex mœnibus, quam acie, tutius dimicandum existimans.* Inter decem Prætores, ab Atheniensibus olim in magno tumultu creatos, magna fuit contentio, *Utrum mœnibus sese defenderent, an obviam irent hostibus, acieq; decernerent?* auctore Cornelio Nepote in Miltiade, Cap. VI. Et hodieque Problema militare est, multis impeditum cautelis. Interdum etenim ratio necessitatis svadet, ad pugnam rem deducere: interdum

B præstat exspectare hostem intra urbem & castra, hisq; munimentis eum infringere. Necessitas, inquam, hic legem ponit. Unde & nascitur generalis illa confligendi regula: Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione, aut nimiâ necessitate confligunt. Vegetius III. 26. Id quod L. Æmilij Pauli dictum erat, vel ex Sempron. Asel. Histor. libr. citat Agellius Lib. XIII. 3. Ità Æneas, cum ab Turno Mezentioq; bello peteretur, *licet mœnibus bellum*

C *propulsare posset, in aciem tamen,* necessitate adductus, *copias eduxit.* Verba sunt Livij Lib. 1. 2. 5. Vide sis Commentarium luculentissimum Balthazaris Ayalæ, de Jure & Officiis Bellicis, & disciplina militari, Lib. 2. Cap. 8. & passim.

43. *Earumq; pennis accensos igne fungos suffigi curavit*] Eodem Stratagemate Fridlevus Daniæ Rex Duflinum Hiberniæ oppidum occupat, infra Lib. IV.

45. *Eâ tempestate cum Othinus quidam*] De

D Othino hocce, juxta ac alijs Danicæ vetustatis numinibus, proprius erit, & destinatus dicendi locus infrà, ad illa Lib. VI. verba: *Olim enim quidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet & Othinus, aliiq; complures.* Ubi de industria de Diis Borealium nationum agit Saxo. Nequaquam tamen committere possum, quin opinionem Clarissimi Viri, M. Brynolfi Svenonij, in medium hic adferam, qui in Conjectaneis suis statuit, duos tresve fuisse Odinos; de quibus hunc

E in modum disserit: *Atqui prius unoculum illum Odini defuncti similem genium asseruimus. Cujus nos equidem sententiæ nondum pœnitet: qui arbitramur ut minimùm duos Odinos, si non plures, extitisse. Primum* Asianum, *Thoro Asiano antiquiorem, qui* Priscus *dicitur, à Trojanis Regibus, a Saturno Cretensi originem traxisse: si fides est Genealogiæ vetustæ membranis inscriptæ, quam inter frivola templi Cathedralis Scalholtini superiore anno erui. Hunc Europam nunquam vidisse arbitror: ideoq; illum*

F Odin hin gamla / *hoc est priscum, qui discrimen perpenderunt, nominant. Alterum* Upsalinum *hunc credam, cujus numen in Sveonia & Septentrione eximiè cultum est. Norvagiam non accenseo, quæ licet Odinum coluit, non videtur illi tamen, sed Thoro, tanquam tutelæ, præcipuos honores detulisse. Verumenimverò auctâ superstitione miserorum hominum, & Dæmonum astutiâ superbiam ex vanitate aggerante; utriusque numen in unum confusum puto, & in commune, quod singulis prius erat proprium, colla-*

collatum. *Quin imò tertium ex his Saxonis verbis elicere videor:* Cujus secessu Mithothin quidam præstigiis celeber: *&c. dictus à suis, Odinus; verùm quia in Odini prioris numen cultumq; irruperat,* Mid-Odinus, *id est, medius Odinus, ad differentiam dictus, cum confusus ille commistusq;, ut opinor, è prisco Asiano, & posteriore Asiano quidem etiam illo, sed profugo Europæo, & Upsalense facto, antè Mid-Othinum relligiosè cultus sit, & posteà etiam ab exilio regressus, omnes, qui per vim aut malam fraudem, nomen & numen hoc usurarium obtinuerunt, velut tenebras superveniente numinis sui fulgore discusserit, ut Saxo loquitur. Atqui cum Mith-Othinum in Feoniam, jam nunc, ut puto, in ordinem redactum, ut lateret, dicat secessisse: videant Fioni, an suam Othoniam ab illo præstigiatore, an ab illo altero archimago, denominatam malint.*

Pag. 13. vers. 5. *Statuam suæ dignationis indicem*] *Dignationis*, id est, cultus & honoris, quem Othino præstabant. Justinus Lib. XXVII. de Cleomene, qui cum conjuge & liberis in Ægyptum ad Ptolomæum profectus, *ab eo honorificè susceptus, diu in summâ dignatione regis vixit.* Utitur Tacitus passim. M. Tullius ad Atticum Epist. 10, Lib. X. Curtius, Seneca, & alij. Higinus Gromaticus: *Si latior fuerit, proxima quadraturæ sequens est dignatio:* Ad quem locum ita Barthius, lumen Saxoniæ suæ, Advers. Lib. 2. Cap. XX. *Dignatio significat æstimationem, pretium, opinionem, dignitatem.* Glossa: *Dignatio*, ἀξία. Plinius Lib. XIV. Cap. 7. *Gratia ante omnia est vino Clazomenio: ab his dignatio est Sicyonio, Cyprio, Telmesio.*

9. *Adscitis fabris aurum statuæ detrahendum curavit*] Non aliter ac de Sacerdotibus Idolorum loquitur Jeremias in Epistola ad eos, qui agendi erant in Babyloniam à Rege Babyloniorum, quæ extat Baruc. Cap. VI. & quidem vers. 9. & 10. *Comparant coronas, imponuntq; capitibus deorum suorum: aliquandò verò etiam subducentes Sacerdotes à dijs suis aurum & argentum, in usus suos consumunt, donantq; etiam ex illis meretricibus, quæ sub tectò ipsorum sunt.* Et quæ sequuntur. Videatùr totum caput, quod Idolorum vanitatem luculenter exponit.

10. *Quam etiam mirâ artis industriâ ad humanos tactus vocalem effecit*] Nimirùm, ut si quis posthac iteratis ausibus tàm divitem statuam furto violare præsumeret, voce & clamore simulachri, ἐπ' αὐτοφόρω proderetur: vel, ut statua, præter morem, subitò vocem humanam edens, fures ac laveŕnas horrore quodam ac metu ingenti perculleret. Sed nec alienum vero videtur, Othinum hunce præstigiatorem & Magum illa tempestate nulli secundum, vel ad certos siderum positus, vel etiam per Dæmonum [illegible], qui à Magis invocati simulachra ingrediebantur, eo quoq; fine statuam suam vocalem reddidisse; nempe ut futura prædiceret, oracula depromeret, sibiemq; divinitatis sibi apud imperitum vulgus astrueret. Ità Snoro Sturlæsonius Historiæ Norvagicæ Cap. 1. testatùr, eundem Othinum Mimeri Scythici caput, ab Asianis sibi transmissum, balsamo condivisse, arteq; Magicâ ita præparasse, ut articulare loqueretur, & arcana, quæcumque scire discuperet, sibi revelaret. Hujusmodi statuarum frequens apud Scriptores mentio. Talis erat apud Ægyptios statua Memmonis magicè consecrata, de quâ Juvenalis Sat. XV. Ubi vide Notas Grangæi. De ea Tacitus Annal. Lib. II. *Cæterùm Germanicus alijs quoq; miraculis intendit animum, quorum præcipua fuit Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens.* Aureas juxtà ac argenteas Chaldæi faciebant; de quibus Rabbi Moses Ægyptius in More Nebochim. Lib. III. Cap. 30. sic scribit: *Et ædificaverunt Palatia & posuerunt in eis Imagines, & dixerunt, quod splendor potentium stellarum diffundebatur super illas imagines, & LOQUEBANTUR CUM HOMINIBUS & annunciabant eis utilia.* Hermes Trismegistus in Asclepio statuarum quoq; meminit, quæ futura prædicerent. Gvil. Malmesburiensis de gestis regum Angliæ Lib. 2. Cap. X. *De Gereberto* (qui posteà Pontifex Max. Sylvester II. dictus est) *fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput, certâ inspectione Syderum; quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum, vel affirmativè, vel negativè, pronunciaret. Verbi gratiâ, cùm diceret Gerebertus, ero Apostolicus? responderet statua, Etiam. Moriar antequam cantem Missam in Hierusalem? Non.* Sed responso de mortis tempore deceptus est. Cogitavit enim ille urbem Jerusalem; Oraculum autem sacras ædes sic dictas Romæ voluit. Illic, postquàm Dominico, cui titulus, *Statio ad Jerusalem*, Pontifex ille oraculi mentem non assecutus sacra celebrasset, miserè vitam finivit. Hujus generis fuêre imagines illæ, sive TERAPHIM Labanis, quas furata est Rachel, Genes. Cap. XXXI. Com. 9. Item *Matzebah*, id est, Statua, de quâ Hoseas Cap. 3. Com. IV. Vide sis Clariss. Virum, Johan. Seldenum, de Dîs Syris Syntagmatis Lib. I. Cap. 2. Cui equidem multa debemus accepta eorum, quæ hêic signavimus. Qui ejusmodi Imagines aut conficiunt, aut consulunt, *Imaginarij* dicuntur Johanni Sarisberiensi Lib. 1. de Nugis Curial. Cap. XII. *Imaginarij sunt, qui Imagines, quas faciunt, quasi in possessionem præsidentium Spirituum mittunt, ut ab eis de rebus dubiis doceantur.* Idololatriæ speciem artem hanc appellat idem auctor, Lib. 2. ubi de Imaginariis istis ità porrò agit: *Ad tantam quidam pervenêre insaniam, ut ex diversis stellarum positionibus dicant imaginem ab homine posse formari; quæ si per intervalla temporum, & quadam ratione proportionum in constellatione servata formetur, stellarum nutu recipiet spiritum vitæ, & consulentibus occultæ veritatis manifestabit arcana.* Quod

Quòd verò Diabolus imagines facere loquentes possit, & quod ipsius arte imagines olim in templis locutæ sint, testatur etiam Rupertus Tuitiensis Lib. VIII. Commentar. in Apocalypsin Johannis, & inprimis ad illum Cap. 13. versum : *Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur Imago bestiæ* : *Si*, inquit, *Imaginem hìc vulgari sensu velis accipi, quales possunt ab hominibus fieri in ligno & lapide, sive quocunq; æramento, multò magis miraculum istud diabolicæ malitiæ usitatum fuit, ut loqueretur imago hujusmodi. Hujusmodi namq; imagines loquebantur in templis, arte Spiritus maligni cavernas patentes irrepentis, ante exaltatum signum crucis Christi.* Huc addi poterunt, quæ Johannes Turpinus de statua Mahumet commemorat Cap. IV. Mythologiæ suæ potius, quàm Historiæ, de Vita Caroli Magni & Rolandi : *Tradunt Sarraceni, quod Idolum istud Mahumet, quem ipsi colunt, dum adhuc viveret, in nomine suo proprio fabricavit, & Dæmoniacam legionem quandam sua arte magica in ea sigillavit : quæ etiam tantâ fortitudine illud Idolum obtinet, quod à nullo unquam frangi potuit. Cum enim aliquis Christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur : sed cum aliquis Sarracenus causâ adorandi vel deprecandi Mahumet accedit, ille incolumis recedit. Si fortè super illud avis quælibet se deposuerit, illicò moritur. Est igitur in maris margine lapis antiquus, opere Sarracenico optimè sculptus, suprà terram deorsum latus & quadratus, desursum strictus, altissimus scilicet, quantum solet volare in sublime corvus : super quem elevatur imago illa de auro optimo, in effigie hominis fusa, super pedes suos erecta, faciem suam tenens versus Meridiem, & manu dextrâ tenens quandam clavam ingentem : quæ scilicet clava, ut ipsi Sarraceni ajunt, à manu ejus cadet, quando Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam terram Hispanicam Christianis legibus, in novissimis temporibus, subjugabit.*

35. *Posthæc Othinus conjugis fato*] Hoc est, Uxoris morte, seu posteaquam defuncta esset Frigga Othini uxor. *Fatum* pro morte ipsa : quomodo τὴν εἱμαρμένην Plato & alij dixêre.

41. *Qui se cœlis tam nequiter ingerebant*] Qui sibi cœlestes & divinos honores tam fraudulenter arrogabant.

47. *Cassis vacillanti nitens*] Hæc de se ipso jam vitæ pertæsus Asmundus pronunciat. Confert autem se cum re aliqua *vacillante*, hoc est nutante & labante, indicans se lapsui vicinum esse, & proprio in ruinam pondere devergere, ut infra loquitur Ulvilda.

48. *Lorica jam nec commodè fusum tegit*] Ordo est : *Lorica non commodè tegit fusum*, id est, peremptum. Nullo etenim indiget munimento, qui jam mortem oppetiit. Sed intelligenda hæc sunt de eo, ὅς μέλλει κινδυνεύσειν, ἢ μελλήσων τι παθεῖν ; de eo nempe, qui mortem læto animo exspectans, nihil pensi habet, quibus-

A cunq; se exponere periculis. *Fusum* igitur hic erit, tantùm non fusum, ferè peremptum, & cui fixa stat animo sententia, non diutiùs usura hujus lucis frui post interfectum filium.

Pag. 14. vers. 3. *Fugâq; fractus conquiescat impetus*] Hæc ἀποφατικὰ existimo ; quasi diceret : *Nec fuga fractus conquiescat impetus* : ut sensus sit : Non committam, ut generosus ille & Martius impetus, quem avido mortis animo concepi, turpi fugâ *fractus* & debilitatus, *con-*

B *quiescat*, & tandem in nihilum recidat, vel in fumum ac favillas abeat. Aptè igitur *Impetum fugâ frangi* dicit : quomodo Propertius Eleg. 20, Lib. 3.

——— *Non turpi fractus amore :*

Et Petronius Arbiter in carmine de mutatione Reipubl. Romanæ:

Scorta placent, fractiq; enervi corpore gressus.

Symmachus Epist. 47. Lib. 1. *Virtutem puto fre-*

C *gisse delicijs.* Quintilianus Lib. 1. Institut. *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.* Svetonius Julio Cap. 68. *Ne patientiâ & pertinaciâ hostis animi suorum frangerentur.* Ità mox infrà *fugam solvere ferocem vim* dixit : *Nam cum ferocem vim fuga solverit, Et præliorum pars vaga labitur.*

6. *Vagnostus partibus ejus propugnaturus advehitur*] Raro sanè τὸ *propugnare* cum dandi casu positum invenies. Utitur tamen Apule-

D jus & alicubi Horatius. Illius Lib. IX. hæc sunt verba : *Lepidum crebris jactibus propugnare fratri, atq; abigere canes aggrediuntur.* Ammianus Marcellinus Lib. XVIII. pag. 140. *Quorum avaritiæ, ne tua quidem excelsa illa fortuna, propugnans miserijs meis, potuit refragari.* Cæterum hic deplorare potius quàm demirari licebit immensam gentilium cœcitatem, qui vana illa numina sua, sive dæmonia, prœlijs & conflictibus interesse, & opportuna cultoribus suis auxilia

E præstare crediderunt. Huc refer primùm quæ Saxo infrà Lib. III. de Sylvestribus commemorat virginibus, *quæ suis ductibus & auspicijs maximè bellorum fortunam gubernari testabantur. Sæpè enim se nemini conspicuas prælijs interesse, clandestinis subsidijs optatos amicis præbere successus : quippe conciliare prospera, adversa pro libito infligere posse.* Unum aut alterum exemplum Romana recenset Historia de malis genijs, qui in acie visi sunt hostiles fudisse copias. Valerius Maximus

F Lib. I. Cap. VIII. *Cùm apud lacum Regillum A. Posthumius Dictator, & Tusculanorum Dux Manilius Octavius, magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies pedem aliquamdiu referret : Castor & Pollux Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt.* Sic in prælio, quod cum Brutijs & Lucanis, Thurinæ urbis defendendæ ergo, Romani gesserunt, cognitum pariter atq; creditum est, Martem Patrem tunc populo suo adfuisse ; teste eodem Valerio, loco

citato.

citato. Ejusmodi propugnatores, qui in difficili & ancipiti angustiâ constitutis, & gravi aliquo periculo afflictis, præsto erant, & liberaturi subveniebant, Græcis dicebantur θεοὶ Σωτῆρες, *dij salvatores*, sive παραστάται, *opitulantes, opem ferentes.* Ælianus Lib. 1. Var. Histor. Cap. 30. Σαυτονώτερον ἐπιδιώξαντες διόσκουροι, τοῖς δειλαίοις γενώμεθα Σωτῆρες ἔνθα, καὶ ἀγαθοὶ παραστάται, τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον ἐπὶ τῶν θεῶν τούτων. *Velocius persequentes appareamus miseris quasi Dioscuri Salvatores, & opiferi salutem ferentes, quod communi Proverbio de his dijs vulgatum est.* Heliod. Æthiop. Lib. 9. θεοὶ σωτῆρες ἀνεβόησαν, *dij Salvatores exclamarunt.* Lucanus *auxiliare numen* appellat, Lib. VI.

——— *Nec cantu supplice numen*
Auxiliare vocat ———

De bonis autem Genijs, quos pijs suis Deus ille Zebaoth periclitantibus auxilio submiserit, loquuntur passim Historicorum monumenta.

22. *Hastâ trajicit amentatâ*] *Amentatâ*, hoc est, loris astrictâ, qualibus telis hodie utuntur Grónlandi. Utitur Cicero eâdem voce Lib. 1. de Oratore. Lucanus Lib. VI.

Cum jaculum parvâ Libys amentavit habenâ.

27. *Spiritum sibi ferro surripuit*] Geminum amoris conjugalis exemplum habemus Libro sequenti, de Svanhvitâ Regneri conjuge. Plura congessit Valerius Maximus Lib. IV. Cap. 6. Memorandum est vetus hac de re monumentum in Hypnerotomachiâ Poliphili:

D. M.
PUBL. CORNELIA. ANNIA.
NE. IN. DESOLATA. ORBITATE. SUPERVIVEREM. MISERA. VIVAM. ME. ULTRO. IN. HANC. ARCAM.
CUM. VIRO DEFUNCTO.
INCOMPARABILI. AMORE. DILACERATA. DAMNATAM DEDO
CUM. QUO. VIXI. ANNOS. XX.
SINE. ULLA: QUERELA.
VALE. VITA.

48. *Haud parvum vitandæ credulitatis documentum reliquit*] *Credulitas* etenim vitium est perquàm affine stultitiæ, non considerantis hominum vanitatem, & fallendi studium. *Prudentis est*, inquit Seneca, *examinare consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi.* Hinc Petronius: *Nequaquàm rectè faciet, qui citò credit.*

Pag. 15. vers. 1. *Sylvestribus fungis famem lenire cœperunt*] Quintilianus Declamatione XII: *Nos per arentes effusi campos morientium herbarum radices evellimus. Amaros fruticum cortices, & ramorum malè arentium pallidas frondes decerpimus. Morbida quicquid fames coëgit, corpus admisit.* Ita & Lucanus Lib. VI. eleganter describit famem, quam passi sunt Pompeji milites:

Sed patitur sævam, veluti circumdatus arctâ
Obsidione, famem: nondum surgentibus altam
A *In segetem culmis, cernit miserabile vulgus*
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, lethumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.

Huc facit etiam Livij locus de Petellianis Brutiis ab Himilcone Annibalis præfecto oppugnatis agens Lib. XXIII. & tandem per famem expugnatis: *Nec ulla magis vis obsessos, quàm fames* B *expugnavit. Absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, sutrinæ postremò coriis, herbisque & radicibus & corticibus teneris, strictisque rubis vixere: nec antequam vires ad standum in muris ferendaque arma deerant, expugnati sunt.*

2. *Commanducatis equis*] Nemo illud extremæ necessitatis argumentum Saxoni credat, si illud simpliciter vult referri, qui nullum sub Gentilismo alimentum familiarius equinâ, ex omnifaria Historia didicit; cujus in visceratio- C ne sacrificiali usus erat non modò populi nobilis perinde ac vulgi, verùm Regum & Principum etiam. Vide Chronica Haquini Adelstensfostri; quem cogere voluerunt, jam prius in Anglia ad Christianam fidem conversum, in Comitiis equinâ vesci, ut secum in relligione consentire fateretur: ne quid de aliis dicam. Verùm sic & Saxonis fidem, & rei veritatem conciliabo, ut statuam, illum de bellatoribus & clitellariis, atque iis aliis, quibus sine maximâ D necessitate carere non poterant, loquutum esse. Nam nec tàm possum esse malignus, ut existimem eum ad suam ætatem, quâ equinâ interdictum est Pontificum decreto non uno, istos mores contrà fidem Historici, & suam autoritatem, accomodasse. De Canibus verò & hominibus alia longè res est, nec unquam eorum usum sinè abominatione seculi memini legisse. *M. Brynolfus.*

4. *Neque humanis artubus vesci*] Quintilianus E loco dicto: *Confitendum est, devoravimus homines, & quidem avidè, quia diu nihil ederamus*: et quæ sequuntur, per totam Orationē sparsa de infaustis & insolitis cibis, quibus famem propulsare coacti sunt miseri mortales. Sic de Numantinis horrendum est, quod tradit Valerius Maximus Lib. VII, Cap. 6. *Numantini*, inquit, *à Scipione vallo & aggere circumdati, cum omnia quæ famem eorum trahere poterant, consumpsissent, ad ultimum humanorum corporum dapibus usi sunt. Quapropter captâ* F *jam urbe, complures inventi sunt artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes.* Horum pertinaciam supergressa est Calagurritanorum execrabilis impietas: qui quò perseverantius obsidionem Cn. Pompeji frustrarentur, quia nullum jàm aliud in urbe eorum supererat animal, *Uxores suas, natosque ad usum nefariæ dapis verterunt*, ait idem Valerius loco jam dicto. Ità & Saguntini oppressi ab Hannibale humanas edêre carnes, Livius Lib. 24. Petronius Arbiter.

Quæ

9. *Quæ cæca sensus corripuit fides*] *Fides* pro fiducia, seu confidentia. Nam à *Fido*, quod & significat fidem adhibeo, & interdum amplam foveo spem, (cujus contrarium est *diffido*, id est, despero) fit *Fides* & *Fidentia*, hoc est, audacia & temeritas : item *Fiducia*, quod similiter fere audaciam significat bonis in rebus, quamvis aliquando in malam partem accipiatur, sed perraro. Virgilius : A

Cernis quæ Rutilos habeat fiducia rerum,

id est, temeritas. Item à *Fido*, *confido*, quod significat Audeo. Capiturq; interdum in bonam partem, ut apud Vigil. B

——— *Et afflictis melius confidere rebus.*

Interdum in malam, Cicero : *Qui fortis est, idem fidens*: *quoniam confidens, mala consuetudine loquentium, in vitio ponitur.* Virgilius : *Nam quis te juvenum confidentissime nostras Jussit adire domos ?* *Confidentissime*, inquit, hoc est, impudentissime, & maxime temerarie. Unde *Confidentia* pro temeritate ponitur. Terentius; *o ingentem confidentiam* ! C

17. *Marte prioribus*] Superioribus, qui victoriam obtinent ; qui superiores & victores evadunt. Dani dicerent: De som beholde Marcken.

20. *Cum sors rebellem præcipitem fugat*] *Fatum* universus Septentrio, & Stoicam de necessitate opinionem, magno affirmavit consensu ; contra quam nec res, nec consilium, nec humana virtus ulla, quicquam posset. Hinc adeo omnium Heroum in extremis vitæ periculis, unanimis vox erat, quâ præsentem statum tolarentur : D

ᚼᛁ ᛘᛆ ᚠᚱᛁᚠᚢᛘ ᚠᛆᚱᚦᛆ
ᚾᛁ ᛆᚠᚱᛁᚠᚢᛘ ᛁ ᚼᛁᛚ ᚴᛆᛘᛆ

Ei má frigum forda
Ne Ofrigum i Hel koma.

Id est ; *Nec qui morti destinatus est, fugere : nec non destinatus, morti addici potest.* Quam sententiam, fallor, an extremi versus hi sapiunt. *M. Brynolfus.* E

25. *Quid me sic Usso provocat*] Carmen est Dicolon, distrophon. Primus quisque versus est Jambicus Dimeter : secundus Dactylicus Archilochius Dimeter hypercatalectus, constans duobus Dactylis & syllaba. Igitur hunc in modum legendi :

Quid me sic Usso provocat
Seditione gravi,
Pœnas daturus ultimas ?
Confodietur enim. F

43. *Duo senes humano habitu tetriores*] Ita cum Aulus Postumius Dictator, contra Latinos, qui in Romanos conjuraverant, ad Lacum Regillum pugnaret, & victoria jam nutaret, duo juvenes candidis equis, insigni virtute, apparuerunt, pro Romanorum salute fortissime dimicantes : quos Dictator post victoriam quæsitos, ut dignis muneribus honoraret, non invenit, Castorem & Pollucem ratus. Julius Obsequens Cap. X.

51. *Seu pede rura teras*] Æque diris imprecationibus quendam devovit olim Ovidius Exul, quem proprio nomine suppresso *Ibin* appellat in Invectivâ sat acri & mordaci, quæ etiamnum extat :

Terra tibi fruges, amnes tibi deneget undas :
Deneget afflatus ventus & aura suos.
Nec tibi Sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe :
Destituant oculos sidera clara tuos.
Nec se Vulcanus, nec se tibi præbeat aër
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.

Et paulo post :

Lapsuramq; domum subeas ———————

Pag. 16. vers. 3. *Diro pecus occidet algu*] Per *Pecus* nonne intelligendi soli *Equi*, an vero simul *Oves*, *boves*, cunctaq; animalia domestica? *Algu*, non est dubium pro algore seu frigore hic poni. Lucretius Lib. III. vers. 5

Sollicitæ volitant morbis, alguq; fameq;.

Et Lib. V.

Tandem bruma nives affert, pigrumq; rigorem
Reddit. Hyems sequitur, crepitans ac dentibus algus.

Ad priorem versum sic satis recte commentatus est Dionysius Lambinus : *Priscianus Lib. V.* inquit, *aut vetus nescio quis apud eum Grammaticus; docet usurpari a Latinis algor, is, in tertiâ inflexione, & algus us, in Quartâ : ut minime dubitandum sit, quin ita legendum sit, non algoq;. Nam quamvis sic habeant Libri manuscripti, nihil hoc me movet, cum sciam librarios illos sæpe O pro U, & U pro O scribere solitos esse. Adde quod Sosipater Charisius Lib. 1. notat algu dictum esse a Latinis, profertq; locum ex Planto in Rudente :* Tu vel suda, vel peri algu. *Idem ille Grammaticus apud Priscianum citat alium locum Plauti in Vidularia :* Inopiam, luctum mærorem, paupertatem, algum, famem. *Obstat his Nonius, qui hunc locum proferens, legit* algoq; fameq; *docetq;* algo *pro algore usurpatum esse a veteribus. Ego hoc tantum respondere possum, vel Nonium usum esse corruptis libris, vel ipsum Nonium esse mendosum, atq; apud eum legendum algu pro algore, & locos omnes, qui ab eo proferentur, sic esse restituendos.* Plautus Mostellariâ Actus I. Scena. 3. vers. 35.

Dij Deæq; omnes me pessimis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti, fame, atq; algu.

5. *Ut scabies fugiere nocens*] *Nocens Scabies* hic est, quam Horatius *malam* dixit, in Arte Poetica :

Ut mala quam scabies & morbus regius urget :

Ubi *malam Scabiem* interpretes exponunt *feram*, quam Græci ψώραν ἀγρίαν vocant, credebantque veteres Romani contagione ad alios transire. Itaq; ut Hebræi vitiliginosos aversabantur ;

bantur; ſic & Romani ſcabiem, quæ ſummam cutem, ut vitiligo & lepra, lædit & inficit, abominati ſunt. Alioquin in eâdem Arte Poetica illud ex ludo puerorum occurrit: *Occupet extremum ſcabies*; de re non minus deteſtanda.

Pag.16. verſ.7. *Quippè unum è ſuperis*] Cum inter homines dij agerent, crediti ſunt corpus demortui cujusdam aſſumtû induere, pro cujus modo vires exercere, & ad illius conditionem vulnerari poſſe, obtinuit. Violato proindè conceptaculo & aſſumptitio hoc numinis domicilio, conjunctionem deſtrui putarunt, non ipſam numinis vitam, nè quis exiſtimet tàm immanes fuiſſe, ut deos mortales colerent. *M. Brynolfus.*

10. *Carceris Æolici*] Æolum veluti carcere quodam concluſos habere ventos, eisq; laxas, ſi quando voluerit, dare poſſe habenas, ut cum Poeta loquar, finxit vetuſtas. Virgilius 1. Æneidos:

——— Hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtatesq; ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

Et paulo poſt ibidem:

——— Illâ ſe jactet in aulâ
Æolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

11. *Te Zephyrus Boreasq; ruens*] Virgilius loco dicto:

Una Eurusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis
Africus ———

12. *Et conjuratos certabunt edere flatus*] Claudianus de Victoria Theodoſij 1.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab aſtris
Æolus armatas hiemes, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Sedulius Presbyter Lib. 1. Carminum de ſtatione Solis ſub Jeſû filio Nave:

——— donec populantibus armis
Fervidus ingentem gladius conſumeret hoſtem,
Conjurante polo. ———

Galterus Libr. IV. Alexandreidos, Fol. XXXIII.

Conjuratus adeſt in prælia mundus.

16. *Proprio turbidabat adventu*] *Turbidabat*, id eſt, turbida reddebat. Martiani peculium eſt id vocis. Sic namq; ille Lib. 1. pag. 18. de divâ quadam: *Hæc commutationum aſſiduarum nubilo crebrius turbidabatur.* Libro item 2. pag. XL. *Circa ipſum verò terræ circulum aër ex calore ſupero, atq; ex halatu madoreq; infero turbidatus.* Ita alibi Capella *Stupidare* dixit, pro ſtupidum reddere, nempe Lib. VI. pag. 188.

Quod pavidum ſtupidet ſapiens ſolertia vulgus.

Et Lib. VII. pag. 233.

Seria marcentem ſtupidant commenta maritum.

20. *Fró Deo*] Rectè ſanè Fró deo rem divinam fecit, ejusq; numinis iram placandam cenſuit, cujus oppreſſus fuerat. Etenim Fró deus tempeſtatum & aëris potens fingebatur: A ut ex Hiſtoria Giſlai Surſonij obſervavi; quæ narrat Thorgilſum Thorſteni Thorskabiti filium, Fró dei ſacerdotem, Froeyrſgoda / id eſt, flaminem Fró dei occiſum, & adhuc inultum, numinis iram hoc ſigno ſubſequutam eſſe, quod tumulus occiſi, integra hyeme, utcunq; ningeret, intactus tamen mediâ ſui parte ſemper manſerit. Eyrbyggia conferatur. Teſtantur nomina Germanica, Fro / *Mane*; & Frieren / *Algere*; unde noſtrum etiàm at Frysse / & Froſt: B quod in Septentrione frigore, ut vindice manu, & frigoris comitibus violentis aliis tempeſtatibus, Deaſter ille ſit uſus, ex illorum quidem hominum opinione. Proinde convenienter & πρεπόντως, cum intemperiis aëriis Hadingus infeſtaretur, ventorum Regem, tempeſtatumque potentem, placandum ſibi duxit. *M. Brynolfus.*

Ibid. *Rem divinam furvis hoſtijs fecit*] *Furvis*, id eſt, nigris. Feſtus: *Furvum bovem, id eſt, nigrum, quem immolabant* C *Averno.* Bellonæ rem olim ſacram furvis etiam hoſtijs feciſſe Britannos, auctor eſt Spartianus in vita Severi: *Et in civitatem veniens* (Eboracum ſcilicet) *cum rem divinam vellet facere, primùm ad Bellonæ templum ductus eſt errore aruſpicis ruſtici, deinde hoſtiæ furvæ ſunt applicitæ.* Nigris quoq; hoſtijs Proſerpinæ ſacrificatum. Silius Italicus Lib. 1.

——— tum nigra triformi
Hoſtia mactatur divæ ———

D Hinc quoq; Tibullus Eleg. XI. verſ. 64.

Concidit ad magicos, hoſtia pulla, deos.

Valerius Maximus Lib. II. Cap. 4. *Patriq; indicaverunt, vidiſſe ſe in ſomniis quos neſcio deorum ſpongiâ corpora ſua pertergere, & præcipere, ut ad Ditis patris & Proſerpinæ aram furvæ hoſtiæ immolarentur.* Cenſorinus de die natali, Cap. 17. ex Varrone de ſcenicis Originibus Lib. 1. *Cum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ ſunt intrà portam Collinam & Eſquilinam, de cœlo eſſent* E *tacta, & ideo libros Sibyllinos Xviri adjiſſent, renuntiarunt, ut Diti Patri & Proſerpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hoſtiæ furvæ immolarentur.*

22. *Fröbloth Sveones vocant*] Subintellige hunc ſacrificandi ritum. Frøbloth tantundèm valet, ac ſi diceres ſacrificium, quod in honorem Frô dei, ſangvine vel humano, vel pecudum, peragitur. Nam ᛒᛚᚮᛏᚼᛂᚿ, Blothen / Dano- F rum vetuſtiſſimi, præſertim extrà civitatis divinæ pomoeria conſtituti, dixerunt *ſacrificia & oblationes*, ᛒᛚᚮᛏᛅ Blota / ſacrificare. Hinc Guds bløth / Dei ſacrificium. Unde Othinus in Antiquitatibus Norvagicis ᛒᛚᚮᛏᚼ-ᛘᛅᚦᚢᛦ Blothmadur / id eſt, Sacrificulus, augur, ſeu Pontifex, vocatur, quia ille primus dicitur ritus ſacrificiorum populos Septentrionales edocuiſſe. Ità quoq; apud Latinos

Scripto-

Scriptores *Sangvis* dicitur sacrificium, quod humano sangvine peragebatur. Tertullianus:

—— lacerant corpus, funduntq́ cruorem
Quale sacrum est vero quod fertur nomine sangvis.

41. *Refuga secum sub terras abduxit*] Possent equidem ex hac quoq; narratione vitilitigatores ansam arripere obstrigillandi Saxonis, quasi & hic denuo veritatis confregisset tesseram. Verùm si micam habeant candoris, fateri coguntur, Hadingi huncce ad inferiora terræ loca raptum, nihil aliud fuisse, quàm meras Satanæ præstigias & illusiones, quibus Hadingum ad cædes & sangvinem humanum fundendum animare voluerit, veluti per nebulam, aut phantasiam, ostendendo, in campis Elysiis, post suprema fata, locum aliquem assignatum esse viris militaribus & Marti addictis: quum Hadingus interim haud verius ad inferos descenderit, quàm Orpheus aut Hercules. Hanc sententiam meam valide confirmant eruditissima Conjectanea Reverendi plurimùm & Clarissimi Viri, Dni. M. Brynolfi Svenonij, Episcopi Scalholtensis, quæ inter alia sic habent: *Scio de facti hujus veritate disceptari & dubitari inter illos solere, qui omnia ad qualitates illas, Physicis manifestas dictas, & alias occultas referunt, quòd corporum penetratio nequeat evenire: contrà quos quicquam disputare nec animus, nec otium est. Illud saltem ad animum sumant licet, fieri nè possit, ut Dæmonum arte terra, & terrena corpora diducantur, & diducta præbeant transitum corpori etiam naturali? Equidem Saxonem ab antiquâ hominum Septentrionalium opinione nihil alienum referre, tàm certò scio, quàm nunc serenare: qui à multis accepi, persvasum fuisse, ut spectrum confidenter insecuto, saxa, tumuli, parietes, pervia pateant; tantùm caveat modò, nè respectet. Sic etenim hærere aquam, & omnia in pristinum statum reduci, manente, qui insecutus fuerat, illic loci, ubi respectàrat. Fides penes auctores esto. Nobis satis est Saxonis fidem liberasse.*

47. *Liventis aquæ fluvium*] Martianum Capellam hoc loco, sicut & millies alibi, imitatus est Saxo noster; cujus hæc exstat amnium quorundam descriptio Lib. I. pag. 6. *Verùm eosdem amnes diversicolor fluentorum discrepantium unda raptabat. Quippè primus diffusioris ac prolixi ambitus gurges LIVENTIS AQUÆ VOLUMINE nebuloso atq; algidis admodùm pigrisq; cursibus hæsitabat. Alius instar lactis candidæq; lucis mitis per omnia quietoq; motu undas volvebat argenteas. Tertius verò rubeo igne rutilantes festinataq; rapiditate præcipites fragrososq; cursus anhelâ sulphureus celeritate TORQUEBAT.* Huc etiam refer aliam Saxonis nostri καταγραφὴν, quam legere est Lib. VI. *Cujus aquæ lapsus tàm incito ac præcipiti volumine defertur:* & quæ sequuntur: *Liventes spumas* Palico lacui tribuit Julius Firmicus Maternus, Præfatione Lib. I. ad Mavort. *Qualis sit lacus, qui prope alveum Symeti amnis ostenditur; cui Palicus nomen est, qui semper crassitudine luridâ sordidus liventibus spumis obatrescit, & strepente conluvio stridulus argutum murmur exibilat.* Nam ita Firmici hunc locum anteà corruptum restituere placuit. De Palico lacu videatur Macrobius Lib. V.

48. *Diversi generis tela rapido volumine detorquentem*] Haud secus ac Simois apud Maronem I. Æneidos:

—— Ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm, galeasq́, & fortia corpora volvit.

Pag. 17. vers. 5. *Celeri navigatione cassavit*] Hoc est, irritas reddidit, frustratus est, evasit. Sic infra Lib. XIV. *Profectamq́ à crapula indulgentiam solâ animadversione cassavit.* Galterus Lib. 2. Alexandr. fol. 21.


—— verum ratione potentior omni
Discussit fortuna procax, quæ sola tuetur
Tuta, gravata levat, cassat rata, fœdera rumpit.


Fulbertus Carnotensis Epist. LXI. *Læti perpendimus, Pater, quod Pastoris nomen negligentiâ non cassatis.* Et Sermone de Nativitate Beatissimæ Virginis Mariæ: *Cui pronum est Sanctos Angelos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suum inferorum pacta cassare.* Matthæus Paris in Historia Henrici II. Angl. Regis: *Hanc sententiam irritam penitus esse censemus, & eam autoritate Apostolicâ cassamus.* Ivo Carnotensis Epist. LIX. *Cujus electio si justa vobis videlitur, petimus ut nullas moras innectatis: si injusta, quâ lege differenda sit, vel cassanda, me & suffraganeos meos literis vestris instruatis.* Et Epist. LXXXVII. *Si enim & in hoc cassata fuerit expectatio nostra.* Et XCV: *Ut & Judicia Synodalia non nisi summâ ratione cassentur.* Et CLV: *Virtutem Sacramentorum cassare non possunt prava merita usurpatorum.* Radulphus Ardentius Homilia XV. Post Trinit. *Hæc autem gloria inanis sivè vana dicitur, quia à gloria verâ æternæ retributionis cassatur.* Adamus Bremensis Lib. I. Cap. XLI. *Synodo ante Triburcam cassata sunt Apostolicæ sedis Privilegia.*

14. *Centuriandi exercitus auctorem habuit*] *Centuriare exercitum*, pro in Centurias digerere dixit, imitatus Valerium Maximum, cujus hæc sunt verba, Lib. III. Cap. 2. *Reddendus est nunc Romanæ juventuti debitus honos, & gloriæ titulus, quæ equis delapsa seipsam centuriavit, atq; hostium exercitum rupit.* Livius Lib. V. *Eam juventutem ex industriâ centuriaverat, & armaverat ad tales casus.* Eodem verbo utitur infrà Saxo Lib. VII. *Utilissimum ei centuriandi in acie exercitus documentum porrexit.*

16. *Ut prima per Dyadem phalanx*] In genuino horum verborum sensu enucleando, petenti

mihi, facilem præstitit operam, D. Johannes A Laurenbergius, Mathematum in Regia Academia Sorana Professor, & Collega fidelissimâ mihi gratiâ conjunctissimus, cujus hæc est, quæ sequitur, commentatiuncula: *Ad expeditius intelligendam centuriandi Exercitus rationem, Hadingo monstratam à sene, apud Sax. Lib. 1. Auctor περὶ τάξεως παλαιᾶς facem prælucebit, ita inquiens:* Διχότομος παράταξις ἄρχεται ἀπὸ τοῦ τετραγώνου· ὅταν θάτερον τοῦ τμήμα- B τος μέτωπον προστάττεται θατέρου τῷ μετώπῳ, ὥστε τοῦτο τεταρτημόριον γίνεσθαι τοῦ βάθους. παρεκτείνεται δὲ ἐφεξῆς ἡ διχοτομία μέχρι ἱμαντίου, πρὸς τὴν τῶν πυλῶν διάβασιν. *Bisecta acies incipit à Quadrato, cum alterutra segmenti frons applicatur alterius fronti, ita ut hæc fiat quadrans lateris. Continuatur autem hæc bisectio usque ad corrigiam ad portarum transitum.* Idem: προμήκης, ἤτοι ἱμάντιον, δυοῖν ἐπὶ μετώπῳ ἑστη- C κότοιν. *Explicatio hæc est, conformis utrique Auctori. Quadrata acies apertum & patentem campum postulat, ut quacunque ingruat hostilis incursus, levi flexu frontem illi possit obtendere: Agmen verò procinctum, plerumque πλαίσιον est, seu in oblongiorem formam diductum. Quantò autem viæ, quas transire opus habet, angustiores sunt, tantò magis frons agminis contrahitur. Itaque secto in æquas partes Quadrato, antica pars frontis posticæ parti alterius frontis adstituitur accopulatur: atque hac ratione* D *latus quadruplum est frontis. E. gr. Cohors capitum 256 in quadratam aciem statuta, tàm in fronte quàm latere numerat capita 16: a, b, c, d. Eâdem per* διχοτομίαν *distinctâ in duas turmas a, e, c, g. & e b g d; & parte e b applicatâ parti c g oritur* πλαίσιον *a e h f, cujus frons subdupla est frontis aciei quadratæ, subquadrupla autem proprij lateris: & comprehendet frons 8, latus autem 32. Porrò secto rursus toto ordine a e h f bifariam in* E *a g h i, & g e i f; applicitáque parte g e, parti h i, nascitur plæsium a g m o contractioris frontis, lateris autem prolixioris: illa enim habebit 4, hoc verò 64: eritque prioris fons dupla hujus ultimæ. Denique diviso etiam hoc plæsio, statutisque partibus ut superius, formabitur* προμήκης τάξις *a r p q, quam vocarunt* ἱμάντιον, *propterea quòd angustiore fronte, latere verò in longum porrecto, speciem corrigiæ aut lori repræsentet: binos enim in* F *fronte tantum habet, in latere verò 128.*





Hac ratione per dyadem prima phalanx, per tetradem secunda, tertia verò ogdoadis adjectione succrescit, semperque priorem insequens duplicitatis augmento transcendit. In Hunnorum classe contra Frothonem educta (Saxo Libro X) singulæ alæ constabant è militibus 300. Illi si distributi fuissent in ordines jam memoratos, transpositis ex ogdoade in ἑκδεκάδα *quatuor* ἐπιστάταις, *sequentem tenuissent singulæ alæ tenorem, formatâ ad duplicitatis augmentum serie.*

	Frons.	Latus.		Frons.	Latus.
Dyas	2.	128.	Dyas	2.	150.
Tetras	4.	64.	Tetras	4.	75.
Ogdoas	8.	32.	Ogdoas	8.	37.
Hecdecas	16.	16.	Hecdecas	16.	19.

Cæterùm quòd in Auctore jam adducto dicitur, ἱμάντιον *commodè adhiberi ad transitum* πυλῶν: *id non tàm de portis urbium intelligendum arbitror, (cùm nulla penè adeò sit angusta, quin quaternos aut quinos transmittat) quàm de pylis seu faucibus montium, quales sunt Thermopylæ in Oetâ, quarum angustias transituri Celtæ ab Atheniensibus eas occupantibus*

pantibus prohibiti sunt; *aut* τέλμα οἰταῖον, *per quod Ephialtes Trachinius Persas traduxit*: *itidem pylæ Amanæ & Caspiæ in Tauro monte. Et quotidie comperimus, quòd inter crepidines montium & silvarum densitatem, per angustissima viarum, non nisi binis, interdum vix singulis, permeabilium, exercitus sit ducendus.*

18. *Funditorum alas*] In omnibus ferè veterum prælijs *funditores* militasse nullus ignorat. Sic autem dicebantur, qui in prælijs lapides fundis in hostem jaciebant, tàm robustè, ut scuta, galeas omneq; armorum genus confringerent, & letalia simul vulnera infligerent. Fundarum verò usum primi Balearium Insularum habitatores & invenisse, & ità perite exercuisse dicuntur, ut matres filios parvos nullum cibum contignere sinerent, nisi quem ex fundâ destinato lapide percussissent: teste Vegetio Lib. 1. Cap. 16. Videantur Notæ Steuvechij ad Vegetium, & Lipsius Lib. 1. Poliorcet. Cap. 2, & 3.

19. *Sagittariorum ordines*] Quantum etiam utilitatis boni *Sagittarij* olim in prælijs habuerint, docet Vegetius Lib. 1. Cap. 15. exemplum producens Scipionis Africani, qui cum adversum Numantinos, qui exercitum Pop. Romani sub jugum miserant, esset acie certaturus, aliter se superiorem futurum non credidit, nisi in omnibus centurijs lectos sagittarios miscuisset. Vide Lipsium Lib. V. Poliorcet. Dialog. 6. Certè in omnibus præliis sagittarios adhibuerunt Romani Imperatores, Cæsar inprimis, juxtà ac alij: ut ex Livio, cæterisq; Historicis Romanis liquidò satis constat.

Ibid. *Digestis in cuneum catervis*] *Cuneum* ita describit Vegetius Lib. 3. Cap. 19. *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primò angustior, deinde latior procedit, & adversariorum ordines rumpit.* Isidorus Lib. IX. Etymolog. Cap. 3. *Cuneus est collecta in unum militum multitudo; unde propterea quod in unum coit, & ipsa coitio in unum, cuneus nominatus est, quasi couneus, eò quòd in unum omnes coguntur.* *Cuneus* igitur est, cum angusta in fronte acies, trigoni formâ, paulatim se retrorsum pandit. Unde & *Trigonum* vocarunt: *In Trigonum, quem cuneum vocant, acies mutanda est*: Vegetius. Repræsentat autem Literam Δ. Agathias Lib. 2. *Erat eis forma aciei velut in rostrum. Literæ enim Δ assimilabatur.* Dixère & *Caput porcinum*, quia assimilatur, & quia velut fodit & ruit invadendo. Lipsius Lib. IV. de Militia Romana, Dialogo VII.

20. *Folliculo*] *Follis* idem quod saccus aut pera; Glossarium Vetus, πήρα, *mantica, Follis.* Juvenalis;

——— *Et tenso folle reverti.*

Deeo qui benè numatus rediret. Uude *Folliculus*. Livius Lib. IX. *Eques folliculis in castra frumentum veheret.* Autor ad Herennium: *Parricidæ os lupino folliculo obvolvebatur.*

22. *Denos nervo calamos adaptavit*] Quod etiàm memini in Julinensium Piratarum pugnâ legisse; evocatas parricidiali sacrificio, ab Haquino Norvegiæ Comite, Striges & Chimæras, Thorgerdam, Holgabrudam, & sororem Yrpam, in naves Norvagianas, ad numerũ digitorum tela in hostes intendisse, illâ certitudine, ut singuli singulis confixi occumberent. Ibidem etiàm legas procellam ingentem à monstris illis contrà piratas excitatam, quod post Yrpa Jell dictum est; id est, *Yrpana procella.* Hac machinatione nempè, tenebrarum rector uti, & suis adesse amavit. Porrò Bjarmenses incantationibus nobilissimos, & Finnis ἐφαμίλλες, passim & ubiq; memoriarum invenies notatos esse. *M. Brynolfus.*

24. *Carminibus in nimbos solvere cœlum*] Eandem vim Thessalidum carminibus tribuit Lucanus Lib. VI.

Cessavêre vices rerum: dilataq; longa
Hæsit nocte dies: Legi non paruit æther.
Torpuit & præceps AUDITO CARMINE *mundus*:
Axibus & rapidis impulsos Juppiter urgens
Miratur non ire polos. NUNC OMNIA COMPLENT
IMBRIBUS, ET CALIDO PRODUCUNT NUBILA PHOEBO,
Et tonat ignaro cœlum Jove, Vocibus ijsdem
Humentes latè nebulas, NIMBOSQUE *solutis*
Excussêre comis. ———

25. *Tristi imbrium aspergine*] Sic *asperginem nimborum* dixit Lucretius Lib. V. vers. 25.

Hinc ubi sol radijs tempestatem inter opacam
Adversâ fulsit nimborum aspergine contrà.

41. *Cumq; sublato jàm æmulo*] *Æmulus* Saxoni passim est inimicus, adversarius, hostis. Sic infrà Lib. XIV. *Quem Ericus ob relictum ab ejus æmulo matrimonium supplicem recepit.* Et paulò post: *Qui si parem animi virtutem à naturâ traxisset, nequaquam se inter amplexus pellicis æmulo obruendum dedisset*: imò alibi sæpiùs. Utitur in eâdem significatione Salvianus Massiliensis Lib. IV. Contrà avaritiam. pag. 168. *Penè omnis sermo divinus habet æmulos suos: quot genera præceptorum sunt, tot adversariorum.* Hinc *æmulum* eidem est contrarium, inimicum, adversum, repugnans. Ut Lib. 1. contrà Avaritiam, pag. 21. *Quid enim tàm ferum, tàm inhumanum, tàm legi æmulum, quàm si non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos?*

45. *Quid moror*] Hos Rhythmos, quos Saxo παραφραστικῶς vertit, Edda Mythologia 21, vel aliis 26, tribuit Niordo cuidam, & uxori ejus Skade: Nam ita orditur Niordus:

Leid

Leid eru fioll varka
ᛚᛂᛁᚧ ᛂᚱᚢ ᚠᛁᚯᛚᛚ ᚢᛆᚱᚴᛆ
Ek lengi a naetr aeinr niu
ᛂᚴ ᛚᛂᚾᚵᛁ ᛆ ᚾᛆᛂᛏᚱ ᛆᛂᛁᚾᚱ ᚾᛁᚢ
Ulfa thytr mier thotti
ᚢᛚᚠᛆ ᛏᚢᛏᚱ ᛘᛁᛂᚱ ᛏᚯᛏᛏᛁ
Illr vera hia songvi suana.
ᛁᛚᛚᚱ ᚢᛂᚱᛆ ᚼᛁᛆ ᛋᚯᚾᚵᚢᛁ ᛋᚢᛆᚾᛆ

Hoc eſt:

Mihi ingrata ſunt montana;
Longæ fuerunt noctes novem;
Ululatum ego Luporum cenſui
Malum, præ Cygnorum cantu.

Reſpondet Skade:

Sofa ek ne matta ſianr
ᛋᚯᚠᛆ ᛂᚴ ᚾᛂ ᛘᛆᛏᛏᛆ ᛋᛁᛆᚾᚱ
Bedium a fugls jarmi
ᛒᛂᚧᛁᚢᛘ ᛆ ᚠᚢᚵᛚᛋ ᛁᛆᚱᛘᛁ
Fer ſa mik vekr en af vindi
ᚠᛂᚱ ᛋᛆ ᛘᛁᚴ ᚢᛂᚴᚱ ᛂᚾ ᛆᚠ ᚢᛁᚾᚧᛁ
Kemr morgin hervian mair.
ᚴᛂᛘᚱ ᛘᚯᚱᚵᛁᚾ ᚼᛂᚱᚢᛁᛆᚾ ᛘᛆᛁᚱ

Nec ego obdormire quivi in ſtratis
Maris, propter avis balatum:
Somnum excuſſit, à ſalo,
Mane quolibet, mergus veniens.

Ibid. *Quid moror in latebris opacis*] Metrum eſt Dactylicum Alcaicum Catalecticum, uti illud Venuſini vatis:

Flumina conſtiterint acuto.

Ideoq; verſ. 18. legendum, *Æquoreis inhiare lucris*, non *Æquoris*.

49. *Agminis increpitans lupini Stridor*] Ejusmodi vocibus ferarum aviumq; Lucanus murmura Magæ Theſſalicæ comparat, Lib. VI.

Latratus habet illa canum, GEMITUSQUE LUPORUM,
Quod trepidus bubo, quod Strix nocturna QUERUNTUR,
Quod STRIDENT, ululantq; feræ, quod ſibilat anguis,
Exprimit. ——————

53. *Triſtia ſunt juga vaſtitasq; Pectoribus truciora fiſis*] Tuos hic compello Manes, ô beate cœli incola Pontane, cujus

Molliter oſſa cubent, cineres quoq; flore tegantur!

Tibi, inquam, mi optime amicorum, dum viveres, Pontane, lucem debet obſcurus hic Saxonis locus, quem in literis ad me tuis, ante quinquennium, & quod excurrit, hunc in modum exponere, non es dedignatus. *De altero illo ejusdem apud Saxonem noſtrum Libri 1, loco, ubi hæc leguntur:*

Triſtia ſunt juga vaſtitasq;
Pectoribus truciora fiſis.

A *ità ſtatuo, ut intelligatur verbis iis Hadingus Rex indicare, injucundum eſſe ſibi otium, perq; montium juga & nemorum ſolitudines inerrare, ſibi præſertim truciora ac glorioſiora tolerare ac patrare fiſo auſoq;. Eum enim in modum accipio* Pectoribus truciora fiſis, *ut ſcilicet* fiſis, *à verbo* fido, fiſus ſum, *archaicôs atq; Ellipticè eo pacto uſurparit. Hocq; verum videri firmant, quæ continuè ſubjungit, iſta nimirum:*

B *Officiunt ſcopuli rigentes*
Difficilesq; ſitus locorum
Mentibus æquor amare ſvetis.

Nam quomodo ante dixerat Pectoribus truciora fiſis, *ità & hic,* Mentibus æquor amare ſvetis. *Ellipticè autem, quod dixi, prolatum,* fiſis truciora, *pro* fiſis tolerare, aggredi, atq; exequi truciora, majoraq;; *rarum quidem, ſi receptum Latinè loquendi uſum ſpectes, at ſecundùm morem ac conſvetudinem antiqui ſermonis, rarum aut novum haud ſit. Nam illud Tibulli:*

C Sed benè Meſſalam ſua quisq; ad pocula dicat,

quis rectè exponat niſi ad illud Plauti Sticho:

Benè vos, benè nos, benè te, benè me.

mentem vertat? itemq; ad illud Ovidii;

Et benè te, benè me, patriæ pater optime Cæſar.

Subintelligi enim, Vivere precor, *aut ſimile quid debet. Sic & Salluſtii iſtud Catilina:* Alia omnia ſibi cum Collega ratus, *ecquis dextrè etiam explicet, niſi ſubintelligat,* communia; *ut ſit,* alia omnia ſibi cum Collega communia ratus? *Grammaticus* D *ergo noſter Saxo, verè eſt hic Grammaticus; aut potius ſe ſuper Grammaticum, ejusq; regulas extulit. Qui & tùm demum felix, ut inquit ille, ſi excedat Grammaticos Canones. Notum quippe Auſonii Epigramma, feſtivum ſane illud:*

Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit unquam,
Nec quisquam eſt felix nomine Grammaticus;
At ſi quis felix præter fatum extitit unquam,
E Is demum exceſſit Grammaticos Canones.

52. *Æra aliena ſequi locello*] Alienas opes magnâ ſolertiâ, & aſſiduo ſtudio eum in finem quærere & venari, ut mei juris facere poſſim, ut meam in poteſtatem redigam, ut meam bulgam & crumenam ijs impleam, & ſic per alienam jacturam diteſcam. *Locellus,* parvus loculus, ſeu crumenula eſt.

53. *Æquoreis inhiare lucris*] *Lucra æquorea* ſunt, quæ quis per loginquas navigationes & F maritimas negotiationes adipiſcitur. Nam ut eleganter Petrus Chryſologus Sermone LXXI: *Nauta mare non intraret incertum, ſi ſe lucris ſequentibus compenſaturum viarum diſcrimina non ſperaret.*

Pag. 18. verſ. 2. *Quantum in ſilveſtrium locorum uſu voluptatis reponeret*] Maxima vis eſt conſvetudinis, quæ etiam nobis tantum locorum ingenerat amorem, ut nullibi nobis melius eſſe exiſtimemus, quam ubi diutius viximus.

Apprime

Apprime huc facit illustris ille Tullij locus in Lælio: *In ijs etiam, quæ sunt inanimata, consvetudo valet: cùm locis etiam ipsis montosis delectemur, & silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.*

4. *Immorantem littori*] In locis maritimis diuturnas trahentem moras. Prudentius Præfat. Psichomachiæ, vers. 15.

Victum feroces fortè Reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ & Gomorrhæ.

Ad quem locum sic habent Glossæ Isonis Magistri: *Immorantem*] *habitantem.*

8. *Nec sinit pausare noctu*] *Pausare* est hoc loco dormire, requiescere, quâ significatione usurpavit Aldhelmus de Laudibus virginitatis Cap. XII. Ubi de Ambrosio loquitur: *Infantulus cum in cunis supinus quiesceret, ex improviso examen apum ora labraq; sine periculo pausantis complevit.* Hinc Christianis auctoribus *pausantes* illi dicuntur, qui pausâ vivendi factâ in Domino requiescunt. Johannes Cassianus Eremita, Collat. II. Cap. 5. *Vix à Paphnutio*, inquit, *potuit obtinere, ut non inter biothanatos reputatus etiam memoriâ & oblatione pausantium judicaretur indignus.* Inscriptio vetus inter monumenta Christiana à Grutero relata pag. 1550 quæ extat Mediolani, ad D. Franciscum:

AURELIÆ. PUM. VITALIÆ. MATRI.
PIISSIMÆ.
QUÆ. VIXIT. ANNIS. XX. JULIANÆ.
CONIUGI.
SANCTISSIMÆ. QUÆ. VIXIT. ANNIS. XX.
ET. DOMINÆ. SORORI. QUÆ. VIXIT.
ANNIS. II. AURELIUS. EUSEBIUS.
CONTRA. VOTUM. FIDEL.
PAUSANT.

Id est, *Fidelibus pausantibus*; aut quomodo Scaliger in Indice suo, ad opus illud vastissimum annotavit: *Fideliter pausanti.* Julio Firmico Materno mortui dicuntur *quiescentes*, Lib. 1. Matheseos Cap. 1. *Illum quiescentium securas animas, etiam Lethæi fluminis oblivione purgatas, Mercurius cogit nefarijs carminibus excitare.* *Pausare* Plinio Valeriano est desinere. Ita enim ille Lib. 2. Cap. 22. *Folia Lauri masticet, & succum ejus glutiat, ipseq; folia in umbilicum ponat, & statim pausat. Pausat*, hoc est, *desinit.* Neq; vox adeo barbara est, ut delicati illi putant. Plautus Trinummo: *Pausa, vicisti castigatorem tuum. Pausanæ* ævo barbaro dicebantur induciæ, ut apud Luitprandum in Legat. Constant. *Pausa*, est quies, sive finis. Apulejus Lib. XI. in Oratione ad Lunam: *Tu sævis exantlatis casibus pausam pacemq; tribue.* Lib. VIII. *Sed ubi tandem fatigati, vel certè suo laniatu satiati, pausam carnificinæ dedêre.* Idem Lib. IX. *Concursu familiarium cohibita pausam luctui fecit.*

13. *Quis major quietis usus*] Legendum; *Quis minor quietis usus*, ut constet sibi versus.

A Sensus est: Longe tutius dulciusq; censeo sylvis frui, in quibus major usus quietis die ac nocte conceditur, quàm in mari.

25. *Terrestri negotio*] Hoc est, terrestri prælio, seu pugnâ, quam terrâ commiserat. Vix hanc vocem memini me eâ significatione alibi legisse. Arnobius quidem Lib. VI. *Negotia Thespiaca*, pro rebus Thespiacis dixit: *Phryne illa Thespiaca, sicut illi referunt, qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine esset pulchritudinis.* B Sed illa notio naturæ vocis propior est: hic videtur alienior.

27. *Perfossis lateribus*] Naves eodem Strategemate perforantur, Lib. 2. Lib. 5. & Lib. 13.

35. *Et spoliorum reliquiis avidius incubantem*] Id est, dum Tosto toto animo opimæ prædæ inhiaret & incumberet: vel dum Tosto spoliorum à se partorum pertinaces excubias ageret, veritus scilicet, ne Hadingo iterum lacessente, amitteret. *Incubare* etenim sumitur pro perti- C naciter inhærere, incumbere. Florus Lib. 2. de Histris: *Nam quum Cnæi Manlij castra cepissent, opimæq; prædæ incubarent.* Idem Lib. 2. *Sic factum est, ut inhærentem atq; incubantem Italiæ extorqueret Annibalem.* Et Lib. 1. de Persona: *Quamvis occupato Janiculo ipsis Urbis faucibus incubaret. Incubare* divitiis suis, atq; thesauris dicuntur avari, qui sibi soli eos servant, & nemini prosunt, tanquam canis Æthiopicus in præ- D sepi, quod dicitur. Virgilius II. Georgic.

Condit opes alius, defossoq; incubat auro.

Salvianus Massiliensis Lib. 1. de Avaritia: *Incubant defossis à me talentis.* Lib. 2. pag. 82. *Argenti & auri ponderibus incubarint.* Item Lib. 3. pag. 114. *Opibus ac talentis ejus germani divites incubant.* Livius Lib. VIII. *Incubantes publicis thesauris.* Seneca Lib. 1. de Irâ. Cap. ult. *Acervis auri argentiq; incubat.* Cyprianus de Eleemosyna: *Qui divitiis tuis solus incubas.* Et B. Hieronymus de Institut. E Mon. ad Paulinum: *Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, & sub prætextu Eleemosynæ pristinis opibus incubantes.* Vide & Savaronem, doctissimum Cujacij discipulum, ad Sidon. Lib. 2. Epist. XIII, ibi: *Raptis incubans opibus. Incubantes plebi*, Concilij Carthaginensis 3. Cap. XLIII: qui plebem vexant & exhauriunt, Idcirco Tyranni *incubatores* dicti. Servius Æneid. VII. Macrobius Lib. 1. in Somn. Scip. Cap. X. F Sidonius Epist. VII. Lib. 8. *Quiq; sic vitijs, ut divitijs incubantes.* Ubi plura.

37. *Nam cum ob accepti vulneris magnitudinem*] Id est, acceptæ cladis. Quâ notatione vox hæc Saxoni perquàm usitata. Sic Lib. 2. *A quibus etiam manu, quantam per eos amiserat, donatus, deforme vulnus specioso beneficio pensatum gaudebat.* Item Lib. IV. *Ubi par utrosq; vulnus implicuit*: Ibidem paulo post: *Ubi nihil ex ejus specie tanto vulnere detractum videretur.* Et alibi passim: Sic Tacitus in vita Agricolæ: *Nisi frequens ubiq; Agricola validas & expeditas cohortes sylvas perlustrare*

strare jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Justinus Lib. 2. *Zerxes duobus vulneribus terrestri prælio acceptis, experiri maris fortunam statuit.* Florus Lib. 3. *Ad Orientem grave vulnus à Parthis populus Romanus accepit.*

Pag. 19. vers. 1. *Cuidam conjecturarum sagaci*] Hoc est, somniorum interpreti, qui inde *Conjector* dicebatur. Glossæ Vet. Cyrillo olim additæ: Ὀνειροκρίτης, *Conjector, somnij solutor, somniorum interpres.* Svetonius in Cæsare, Cap. 7. *Conjectores ad amplissimam spem incitaverunt.* Quintilianus Lib. 3. Cap. VII. *Conjectura dicta est à Conjectu, id est, ductione (sive directione) quadam rationis ad veritatem: unde etiam somniorum atq; ominum interpretes, conjectores vocamus.* Fulgentius Lib. 1. Mythologicôr. *Oneirocritem soporis nugas ariolantem vocat.* Sic iterùm Saxo sub finem Historiæ: *Quo eventu Sclavici regni interitum portendi à conjecturarum sagacibus existimatum est.*

5. *Cuidam Guthormo denupta*] Vox est Apulejo familiarissima: ut Lib. V. pag. m. 166. *Quòd si viri sui faciem ignorat, Deo profectò denupsit.* Et Lib. IX. *Die sequenti filia ejus accurrit è proximo castello, in quo pridem denupserat.* Idem Apologiâ: *At tu dum eam putas etiamnunc Claro fratri tuo denupturam.*

10. *Cujus nobilitatem dispar copulæ nexus obtenebrat*] Matrimonia inter inæquales personas contrahi non debent: rarò etenim felicia. Hinc Calpurnius Flaccus Declamat: XXVIII. *Ducat dives aliquam, sed æqualem; ducat volentem. Velis enim nolis suspecta res est amator inimicus, squallor & mœror, gemitus & luctus inimici. Filia talis adamatur? pauper & dives? inimicum est matrimonium.* NE PECORA QUIDEM JUGUM, NISI PARIA, SUCCEDUNT. Monet itaq; Ovidius in Epist. Dejaniræ ad Herculem:

Si qua velis aptè nubere, nube pari.

Nec enim, inquit Saxo alibi, *stabilis dissonos jungit nexus; cum apud excelsos humilium semper fortuna sordescat, & abundantiæ ac egestatis dividuum sit contubernium, neq; inter splendidas opes, obscuramq; pauperiem firma societatis jura consistant.* Adi, si placet, Observata Politica Cl. Viri. Jac. Zeuecotij ad Svetonij Cæsarem.

33. *Capitis cultui intentus, fabulis mentem, barbæ manum intulerit*] Convenienter omninò, & ad illius seculi mores! quod ubi genium curabat, antiquorum res gestas, quà prorsâ, quà vorsâ oratione, quamvis hac magis, concinnatas, audire studiosè cupiebat. In quam finem Antiquarios, & inprimis Poetas, comiter benigne aluerunt; qui nec unquam ab Heroum illorum latere discesserunt: quin etiam in consiliis adhibiti, magnâ æstimatione vixerunt. Chronica Norvagica passim. Porrò comæ studium, & barbæ cura, non mediocris ejus ætatis hominibus fuit. ut Jomsvikinga Saga de Buonis Crassi filio decollando docet, qui ne coma sangvine conspurcaretur, sollicitus duntaxat apparuit. Conjicio & hinc, quod cum personæ in Historiis describantur, nunquam fere comæ, ejusq; structuræ, coloris, & cincinnorum mentionem satis anxiam desideres. Verùm illud studium, præsertim in conviviis & solennitatibus viguit: alioqui non nihil intermisit. *M. Brynolfus.*

34. *Crinali spico*] Per *Crinalem spicum* intelligit *pectinem*: quomodo mox seipsum interpretatur Saxo. Habet vero hanc vocem è suo Martiano depromptam, cujus hi sunt versus Lib. IX.

Crinalem spicum pharetris deprome Cupido,
Libens capillum solvere.

Ubi Doctissimus ille Grotius legendum censet *Crinale spiclum. Spicum* antiquis *Spica.* Sic Cicero 2 de Natura Deorum:

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

Quod etiam Masculino genere usurpatum docet Festus Pompejus: *Spicum*, inquit, *masculinè antiqui dicebant, ut hunc stirpem, & hanc amnem.* Versus est antiquus:

Per messem unusquisq; spicum colligit.

Spicum vero per translationem à spicarum acie dictum pro ferro in cuspidem desinente, quales sunt radij sive dentes pectinis alicujus. Hinc diminutivum *Spiculum*, missile nempe telum, acutum habens mucronem: quod & pro sagitta, interdum pro ipsa cuspide sagittæ sumitur. Unde verbum quoq; *Spicare* originem trahit, quod est spiculo & ferro asperare. Gratius de venatione:

Quid Macedûm immensos libeat si dicere contos,
Quàm longa exigui spicant hastilia dentes?

Despicare fores novè dixit Johannes Sarisberiensis, Policratici Lib. II. Cap. V. pag. 50. pro spiculis sive contis fores effringere: *Et statim ut clausas cujuspiam conspexisset fores, indicium credebat hoc esse, quod intrinsecus positi ederent: & repentè despicatis foribus, præcipites irruebant.* Belgæ hodieq; usurpant Spijcker/ sive Spieker; pro clavo in modum spicæ vel spiculi acuto. Nos Speger eâdem significatione dicimus, unde Spegerboor/ pro terebrâ manuali.

Ibid. *Discreverit*] Hoc est, simplici pectinis officio discriminaverit, capillos turbatos restituerit, compserit, ornaverit, extricaverit. Nam hic verus pectinis usus. Varro de L. L. Lib. 4. *Pecten, quòd per eum explicatur capillus.* Sic Apulejus Lib. 2. Metamorph. *Capillum arguti pectinis dente tenui discriminatum* dixit. Nisi si hoc de muliebri illo capitis cultu fortè erit intelligendum, qui viris erat vituperationi. Nam crines longi & discreti propriè mulierum. Hinc Dio Chrysostomus Oratione de pulchritudine, agens

agens de Sporo: Ἀλλὰ ἐκεῖνός γε καὶ τὰς ἐν τῇ κεφαλῇ τρίχας διεκέκριτο. *At ille etiam capillos discretos habuit*, nempe, ut mulier. Tertullianus Cap. XII. de Virgin. velandis. *Vertunt capillum, & in acu lasciviore comam sibi inferunt; crinibus à fronte divisis, apertam professæ mulieritatem.* Quam lectionem animose defendit Theodorus Marcilius in Odam XV. Horatij. Discretioni autem illi crinium utebantur acu crinali sive discriminali, quam *acum ornatoriam* Petronius vocat; sive discerniculum. Varro Lib. IV. de ling. lat. *Discerniculum, quo discernitur capillus.* Ab hac discretione crines appellatos vult Festus: *Crines à discretione dicti, quam Græci κρίσιν appellant. Nam ideò eos crines vocant*: quomodo hunc locum restituit magnus ille Scaliger in Castigationibus suis.

26. *Aptius honores meritum, quàm natura conciliat*] Principatus enim non sangvini debetur, sed meritis: et inutiliter regnat, qui Rex nascitur, & regnum non meretur. Idcirco Helius Romæ ex Senatore Imperator creatus, obsecrante Senatu, ut filium Cæsarem, quem habebat, Augustum appellaret; *sufficere*, inquit, *debet, quòd ego ipse invitus regnaverim, cum non mererer.* Joh. Sarisberiensis Policratici Lib, IV. Cap. XI. Sic & Philippus Rex Macedonum, ubi rescivit Alexandrum filium queri, quòd pater ex pluribus fœminis gigneret liberos, ita illum hortatus est: *Ergò cum plures habeas regni competitores, da operam, ut honestus ac probus evadas, ut non per me, sed per teipsum regnum obtinuisse videaris.* Vir prudentiâ verè regiâ præditus; non consolatus est filium, sed metum illius auxit, quò magis extimularet ad virtutem: indicans illi non aliter sperandum paternum regnum, nisi se successore dignum præberet, nec tàm magnum esse regnum adipisci, quàm regnum promeruisse.

23. *Lapsui vicinum est quicquid senio constat*] Huc pertinet Proverbium veterum Danorum. ᚠᛆᛚᛋ ᛂᚱ ᚢᛆᚿ ᛆᚦ ᚠᛆᚱᚿᚢ ᛏᚱᛂ. Falls er von ad fornu trie: *Ligno nutanti casus sperandus.* Cui convenit illud Starchatheri, Lib. VIII. *Arbor alenda recens, vetus excidenda.*

28. *Proximum sibi quemque natura constituit*] Notum est illud Terentij, Andriæ Act. IV. Sc.1. *Proximus sum egomet mihi.* Verùm quoq; est illud Dionis ad Dionysium: *Nemo non suis in rebus, quàm alienis diligentior est.* Vide sis alium Saxonis locum sub finem Lib. XIII. qui apprime facit ad hujus γνώμης illustrationem de miserando spectaculo civium, qui à navigiis repellebantur: *Quo experimento quantum quisque salutem suam alienæ præferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulantium voces, quæ spiritum amicorum proprio chariorem astruere non erubescunt.* Huc etiam referri potest fabula Æsopi Phrygis de ave Cassiside apud Gellium.

31. *Nullo melius quàm affinitatis nomine insidiæ teguntur*] Cicero 2 Verrina: *Nullæ sunt occultiores, neq; pestilentiores insidiæ, quàm eæ, quæ latent sub simulatione officij, aut aliquo necessitudinis nomine. Eum etenim, qui palàm est adversarius, facilè cavendo vitare possis: at hoc occultum, intestinum, & domesticum malum non modò non exstat, verùm etiam opprimit, antequàm perspicere atq; explorare possis.* In hanc sententiam eleganter, ut omnia, Johannes Sarisberiensis, Anglorum suo seculo Doctissimus, Lib. III. Policratic. Cap. 6. *Venena*, inquit, *non dantur, nisi melle circumlita: nullæque occultiores sunt insidiæ, quàm hæ quæ latent in simulatione officij, aut aliquo necessitudinis nomine. Nec, ut est in fabulis, Juno Semelem deceptam in incendium impulisset, si non esset nutricis indulta faciem & mentita affectum.* Sic & Radulphus Ardentius, Guilielmi IV. Aquitaniæ Ducis Concionator, qui in Evangelia Dominicalia breves, pias, & elegantes scripsit Homilias, floruitq; circa tempora Philippi I. Francorum Regis, ab Anno Christi M. XL. ad M. C: Homiliâ in Evangel. Matth. VII. de falsis Prophetis, p. 63. *Facilius nos supplantat, qui sub specie amicitiæ & obsequij fraudem occultat. Proprium enim doli est, se dissimulare. Veneficus sub melle tegit venenum; proditor sub obsequio fraudem; Hypocrita sub religione malitiam; Hæreticus sub veritate falsitatem.* Ut verba succingam:

Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen;
Tuta frequensq; licèt sit via, crimen habet.

47. *Dolium cereali liquore completum*] Vetustiores Danorum epulum ferale in defuncti honorem institutum appellarunt ᛆᚱᚠᚢᛂᛆᛁᛚ Arfueøl. Hinc formula at dricke arfve/ quam in hac ipsa Historia adhibet Chronicon Rhythmicum vernaculâ nostrâ multoties editum. Gothi *Stravam* nominarunt; quam vocem nonnulli de exuvijs hostium, quibus tumulos olim exornarunt, perperam exponunt; quùm potius convivium & comessationes in defuncti honorem celebratas denotet; ita rectè monente Doctissimo Wormio nostro, in libro Monumentor. Danicor. Cap. 6. Jornandes de funere Attilæ: *Postquam*, inquit, *talibus lamentis est defletus, stravam super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comessatione celebrant.* Ad quem locum porro hæc adducit ibidem Excellentiss. Dns. Doctor Wormius: *Stravæ affine fuit illud, quod* Arfveøl *olim nostrates vocabant. Convivium nempe solemne, quod Reges & Magnates in parentis defuncti celebrabant honorem, cum Regnum & hæreditatem capesserent. Fas enim nulli fuit, parenti succedere, nisi tali convivio & solemnitatibus, magistrates & amicos exciperet, ubi hoc potissimùm observabatur, quòd in defuncti honorem vasti exhauriendi essent crateres, & se voto, ad facinus aliquod eximium perpetrandum, adstringeret. Hujus exemplum*

eximium cernere licet in gestis HaquiniBaronis, Historiæ Norvagicæ vernaculo sermone à nobis editæ, p. 331. *Ubi Sveno Tiuskeg, aliàs Svenotto dictus, ab obitu parentis Haraldi regnum occupaturus, non solùm regni proceribus, sed & Julinensibus pyratis ad hoc suum convivium invitatis, priusquam sedem patris capessit, memoriam patris plenis haustibus propinando, votum addit, se intrà triennium Angliam occupaturum, & Regem Adelradum aut interfecturum, aut regno expulsurum. Cujus exemplo Julinenses singuli, post haustum cratera, item vovent ea, quæ sine vitæ discrimine præstare demùm non potuerunt. De quibus consule Historiam ipsam.* Arfveøll/ *Hæreditaria cerevisia; ut* Festensøll/ *locationis aut conductionis cerevisia, latinè expromitur; quod ut hic Sponsa à Sponso conducitur, mediante tali convivio; ita ibi hæreditas à filio capitur solemniter eodem modo.*

A

51. *Deditque pœnas sive Orco*] Hunc locum quis è Justino negabit expressum? Eâdem namque clausulâ Librum Historiæ XXXV finit: *Deditq; pœnas & Demetrio, quem occiderat, & Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.*

B

54. *Suspendio se, vulgo inspectante, consumpsit*] Ut omnibus compertissimum fieret, ipsum plus promissam semel fidem, quàm caducam vitam, & tandem necessariò perituram, existimasse. *Affirmat Albertus Crantzius hanc duorum Regum mortem perquàm ridiculam fuisse: at ego eam parem puto præcipuæ virtuti magnorum Græciæ & Latij principum, qui voluntariam in mortem, ne fidem promissam violarent, se tradiderunt.* Johannes Magnus Histor. Gothic. Sveon. Lib. 2. Cap. XIV.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM II. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 20. vers. 11. ET *opimæ conscia prædæ*] Eleganter τὸ *Conscium* ad inanimata, & præcipue loca, significanda, transferre solent Poëtæ. Valerius Flaccus Argonautic. Lib. 1. v. 26.

—— *Veteris stat conscia luctus*
Silva Padi. ——

Et Lib. 3.

—— *Pavet omnis conscia latè*
Silva: pavent montes. ——

Et Lib. 4.

Antraq; deprensæ tremuerunt conscia culpæ.

Sed *Conscia fati sidera* dixit Manilius sub initium Lib. 1. Astronom.

Carmine divinas artes, & conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus:

imitatus Virgilium IV. Æneid.

Testatur moritura Deos, & conscia Fati
Sidera. ——

12. *Hic tenet eximium montis possessor acervum Implicitus gyris serpens*] Veterum Gentilium fabulas de Draconibus & Serpentibus auro in cavernis montium incubantibus, inde primùm natas verisimile videtur, quod ut plurimùm Serpentes, dracones, & id genus alia animalia subterranea in aurifodinis reperiantur. Philippus Presbyter, auditor B. Hieronymi (qui moritur Martiano & Avito regnantibus, Anno Christi CCCCXXX. secundùm Gennadium: sed Adoni Viennensi mortuus dicitur anno circiter CCCCLVII) Lib. 3. Commentarior. in Jobum, & quidem illa verba Cap. XLI. *Sternet sibi aurum quasi lutum*] *Dicuntur dracones in locis secretis & terrarum abditis finibus*

C

vel maximè commorari, ubi metallum auri fit, & stabulari maximè juxtà aurifodinas.

13. *Implicitus gyris serpens*] Martianus Capella sub initium Lib. IV. *In lævâ quippè serpens gyris immanibus involutus.* Multa etenim Saxo noster huic debet autori; & præcipuè ratiores loquendi formulas, & novatæ significationis vocabula.

14. *Caudæ sinuosa volumina ducens*] *Sinus* propriè serpentum. Virgil. 3. Georgic. de angue, qui Calabros saltus colit:

D

—— *extremæq; agmina caudæ*
Solvuntur, tardosq; trahit sinus ultimus orbes.

19. *Sanies, quod conspuit, urit*] *Urit*, id est, lædit, exitium adfert. Virgilius Lib. 2. Georg. ubi caprarum morsum frugibus & fructibus exitialem, maleficum, & noxium esse docet;

Sin armenta magis studium, vitulosq; tueri,
Aut fœtus ovium, aut urentes culta Capellas.

E

Ad Virgilij verba allusit Symmachus Lib. 1. Epist. 25. *An vereris æmuli venena Lectoris, ne Libellus tuus admorsu duri dentis uratur. Saniem* verò, ipsum virus, in serpentibus quoq; agnoscit Lucanus Lib. IV. v. 729.

Aspidas ut Pharias caudâ solertior hostis
Ludit, & iratas incertâ provocat umbrâ:
Obliquansq; caput vanas serpentis in auras
Effusæ tuto comprendit guttura morsu
Letiferam citrà saniem ——

F

Et Silius Italicus Lib. 12. v. 10.

Evolvit serpens arcano membra cubili
Et splendente die novus emicat, atq; coruscum
Fert caput, & saniem sublatis faucibus efflat.

20. *Lingua trisulca micans patulo licet ore resultet*]

ultet] Id eſt, licet lingvam ſubinde motitando exertet. Virgilius de eodem Angve:

——————— *Linguis micat ore triſulcis.*

23. *Spinoſi dentis acumen*] Martianus Capella, loco ſuprà dicto: *Qui tamen mox emergens ſpinoſorum dentium acumine venenato, & aſſiduis hominem morſibus affligebat.* Ita mox infrà: *Clypeo ſpinoſum oris acumen impegit.*

25. *Tela licet temnat vis ſquamea*] Id eſt, Conſertio ſquamarum, quibus terga ſerpentum ſunt obducta. Virgilius loco jam dicto:

Squamea convolvens ſublato pectore terga.

29. *Perfoſſos ſcrutare cavos*] Recurrit eadem vox infrà Lib. IV. *Extractum cavo gladium filio porrigit.* Et Lib. VII. *Puella cum repoſitis inibi ſpoliis cavo extrahitur.* *Cavus* eſt locus quilibet excavatus, velut in ſpeluncam. Horatius Lib. 2. Sermon. Sat. VI.

Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicus.

Et mox eâdem Satyrâ:

Eſt opus hac, ait, & valeas: me ſylva cavusq;
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

Ad quem locum ſic Acron. *Cavusq;*] *Foramen, ubi ante habitabat.* Et Jodocus Bad. Aſcenſius: *Cavo, id eſt, loco cavato, ſubterraneo videlicet.* Et paulò poſt: *Cavus tutus, id eſt, cavernula, in quâ vivo tutus ab inſidiis.* Phædrus Fab. 64. Lib. IV.

Cum victi mures muſtellarum exercitu,
Fugerent, & arctos circùm trepidarent cavos.

Gloſſarium Græco-barbarum V. C. Johannis Meurſij pag. 98. Γάβος, *Cavus, Foſſa, Scrobs.* Codinus in Orig. Conſtantinop. Ἐποίησε δὲ καὶ γάβους ἐγχωρηγοὺς ἐπὶ πᾶσαν τὴν πόλιν, βαθεῖς τῷ ὕψει ὅσον τῶν ἐμβόλων. *Abſtruſum cavum* eleganter dixit Feſtus Avienus in orâ maritimâ:

Jugum inde rurſus & ſacrum infernæ Deæ
Divesq; fanum penetrat abſtruſi cavi
Aditumq; cæcum ———————

Cavum pro puteo poſuit elegantiſſimus & inculpatæ Latinitatis Poëta, Terentianus Maurus, in Præfatione:

Donec lubrica ſarcina
Tanti per ſpatium cavi
In lucem ſuperam exeat.

Ibid. *Mox ære crumenas imbue*] Locutio non adeò protrita. Tacito tamen quibusdam in locis nonnihil frequentata; Sic Lib. 1. Annal. *Imbutæ prædâ manus.* Et Lib. Hiſtor. 3. *Ut civili prædâ miles imbueretur.* Ità Hiſt. Lib. 4. *Imbuere aures ſermonibus honeſtis. Imbuere ingenium cæde,* & id genus alia. Annal. 13. *Imbuta armis civilibus juventa.* Et Valerius Flaccus Lib. 1. Argonaut.

——— *Ignaras Cereris qui vomere terras*
Imbuit. ———————————

A Sed videtur id verbi hoc loco vim *explendi* habere, & inſignitam aliquam copiam ſeu abundantiam ſignificare. Igitur *Crumenas ære imbue,* erit, *imple eas theſauro reperto ad ſummum usq;.*

31. *Solitarius in inſulam trajicit*] *Solitarius,* id eſt *ſolus, nulli comitatus. Solitarius* etenim eſt, qui frequentiam vitat. Gloſſar. Μονήρης, *Solitarius.*

32. *Quàm Athletas aggredi moris fuerat*] Athletæ ſemper ſingulari certamine congredi ſolebant, & inter duelli leges erat, ut ſinguli cum ſingulis dimicarent. Maximo vero ſceleri affine habebatur impari dimicationis genere pugnare, cùm duo unum adorirentur. De hoc more & conſvetudine Saxo Lib. 17. hunc in modum loquitur; ubi agit de duobus Frovvini filiis Ketone & Wiggone, qui mortem patris ulciſci cupientes, Athiſlum Sveciæ Regem ad certamen provocant: *Progredi illum jubet* [nempe Keto Athiſlum], *& ſi quid virium ſit, ſolitario ſecum experiri congreſſu. Nam & ſe, remoto fratris adminiculo, propriis acturum viribus, ne manu impari pugna conſeri videatur infamis. Duos ſiquidem cum uno decernere, ut iniquum, ita etiam probroſum apud veteres credebatur. Sed neq; victoria hoc pugnæ genere parta laudabilior habita, quòd potius dedecori, quàm gloriæ juncta videretur. Quippe unum à duobus opprimi, ut nullius negotij, ita maximi ruboris loco ducebatur.* Quare cùm Wiggo fratre graviter vulnerato, Athiſlum aggreſſus interfeciſſet; *eo facto,* inquit porrò Saxo, *plus opprobij quàm laudis contraxit, quòd injuvando fratre ſtatutas duelli leges ſolviſſet, eidemq; utilius quàm honeſtius opem tuliſſe videretur.* Hinc, *in Proverbium apud exteros ductum, quòd priſcum dimicandi jus regius labefactaſſet interitus.* Imò & apud Danos. Nam ſic habet vetus Rhythmus:

Athiſles Bane brod gamle Kempers vane.

37. *Crebris deinde linguam micatibus ducens*] Martianus Capella ſub initium Lib. IV. *Anguis aſſurgens allambere fœminam crebris linguarum micatibus attentat.*

40. *Curetum partibus*] Frequens Saxoni eſt *partes,* pro *orâ, plaga, climate, regione, terrâ, provinciâ,* aut ſimili notione uſurpare: ut hic *Curetum partibus,* id eſt, *regioni, terræ, ditioni.* Sic Lib. XI. *Apud Suddathorp Juticarum partium oppidum.* Idq; occurrit ſæpius in medij & ſequioris ævi Scriptoribus. Ælnothus de vita S. Canuti in Prœmio: *Jam verò Daciæ partibus quatuor quinquenniis demoratus.*

42. *Totius fermè occidentis armis opibusq; ſuccinctum*] Juſtinus Lib. XXXV. *Igitur Alexander, admirabili rerum varietate, priſtinarum ſordium oblitus, totius fermè orientis viribus ſuccinctus, bellum Demetrio infert.*

43. *Salutarem pugnæ cunctationem*] Fortè ad illud Ennij de Fabio reſpicit: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

Ibid. *Inediæ viribus obtinendum curemus*] Saxo infrà Lib. V.

Qui obtinere gestit, obniti debet.

Obtinere idem esse ac vincere, in potestatem redigere; eâq; notione apud optimos Latinitatis ICtos usurpari contendit Philologus incomparabilis, Caspar Barthius Lib. XXX. Adversar. Cap. VIII. Galterus Lib. III. Alexandreidos. Fol. XXXII.

> *Destitit incœpto Macedo, sed prodigus auræ*
> *Vitalis, scindit cuneos, ipsumq; tyrannum*
> *Obtinet, & victis urbem tradentibus intrat.*

44. *Internum hoc malum est*] Vegetius Lib. III. *Fames, ut dicitur, intrinsecus pugnat, & vincit sæpius, quàm ferrum.*

45. *Melius adversarium esurie, quàm armis tentabimus*] Fame invictissima quæque expugnantur. *Sæpius enim penuria, quàm pugna, consumit exercitum, & ferro sævior fames est.* Vegetius Lib. III. *Superatis omnibus humanis malis, famem unam natura vinci non sinit.* Livius Lib. V. Eleganter idem Livius Lib. XXI. *famem* appellat *ultimum humanorum supplicium: Licuit*, inquit Scipio in Oratione ad milites, *si voluissemus, ad Erycen clausos, ultimo supplicio humanorum, interficere.*

Pag. 21. vers. 1. *Exsangues præstare*] Id est, interficere. Insolens formula: sed cui venustatem conciliat continuata Paronomasia. Nam ità integrè & eleganter dictum: *Exsangves absq; sangvinis detrimento præstare poterimus.*

10. *Taliter indemnes aliis damnorum auctores fore poterimus*] In prioribus Editionibus erat: *Indemnes aliis Danorum auctores.* Quem locum Cl. Vir, & egregie de re literariâ meritus, Casp. Barthius ad Claudian. in Ruf. 2. 110. ità emendavit: *Indemnes à telis Danorum victores fore poterimus.* Eam lectionem verissimam esse putat Doctissimus itidem Vir, & ad juvandas literas natus, Joh. Freinsheimius Comment. in Q. Curtij Lib. III. Cap. 4. num. 3. Verùm si bonâ cum veniâ tantorum virorum liceat, levi mutatione, sic lego: *Taliter indemnes alijs damnorum auctores fore poterimus.* Nam omninò heic considerare oportet perpetuam illam & vix interruptam Paronomasiam, quâ totam hanc orationem Dornonis exornat, & unam post alteram periodum insurgere facit Saxo noster: qualis etiam in his vocibus reperitur: *Indemnes damnorum:* Est vero sensus: Si hostem fame potius, quàm armis debellare tentaverimus, facilior nobis ad victoriam aditus patebit: & nos hoc pacto omnis periculi immunes, omnis damni expertes, alijs exitium adferre, alios damnis ingentibus afficere poterimus. Τὸ *fore* autem pro *esse* vel *fieri*

A positum, abusu Latinitatis primùm inclinatæ, mox collapsæ, rectè animadvertit Barthius.

14. *Ut nihil, quod à supervenientibus occupari posset, intactum relinqueret*] Tale multorum fuit consilium, ubi jam immineret hostis, & plerumq; salutare. Ita *Arsanes, qui Ciliciæ præerat, reputans, quòd initio belli Memnon suasisset, quondam salubre consilium serò exequi statuit.* B *Igni ferroq; Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat: quicquid usui esse potest, corrumpit: sterile ac nudum solum, quod tueri nequibat, relicturus.* Sic & Anno Christi cIↃ IↃ XXXVI. *Techmases uti facultatem sui persequendi Osmanicis adimeret, suam ipsemet regionem vastavit, annonam omnem corrupit & exussit, subditos suos passim abegit.* Levenclavius Annal. Turc. Vide Freinsheimij Commentar. in Lib. III. Q. Curtij, Cap. IV. num. 3. Et Libr. 14. Cap. 14. C num. 3.

19. *Quem dolum crebro cespite fossis superaddito occultandum curavit*] Ejusmodi strata-gemate quamplurimos feliciter usos fuisse, varia testantur Historicorum monumenta. Regino Abbas Prumiensis Lib. 2. de Nordmannis urbem Parisiorum obsidentibus, hæc refert: *Miserat ad solvendam obsidionem Imperator Carolus exercitum suum, duce Henrico quodam, viro nobili & strenuo. Is propius solebat* D *hostium castra frequentius accedere, ut & quid ipsi agerent, & quâ ratione in ipsos ageret, exploraret. Id quum animadverterent Nordmanni, foveas foderunt in circuitu castrorum, quæ latitudinis erant pedis unius, profunditatis verò trium. Has stipulâ & pulvere cooperuerunt, ne ab hostibus facilè deprehendi possent. Itaq; cum ex more, Henricus, Dux exercitus Gallici, circa Nordmannorum castra obequitaret speculabundus, obvios habuit eorum paucos, qui deditâ operâ eum ipso velita-* E *re cœperunt, atq; tantisper eum dubiâ fugâ ludificarunt, donec collapso in foveam ipsius equo, ipsum pariter luctantem atque surgere annitentem obtinuerint.* Accidit hoc Anno Christi DCCCLXXXVII. Ita quum Florentius, Hollandiæ Princeps, Anno Christi cIↃ LVIII. bellum cum variis & potentissimis hostibus gesturus, convocatis Dordrechtum Senatoribus, quid in rem maximè videretur, consuleret, Vir quidam provectâ ætate, insignis pruden-F tiâ & belli artibus, sic orsus est: *Sedem belli hanc nos urbem delegimus, quò haud dubiè hostes mox venturi sunt. Itaq; suadeo egestis latè campis fossæ ducantur, & primùm perticis, mox stramine & humo ità inæquentur, ut cavata à solidis discernere hostis ignarus, simul accurrerit, præceps in eas ruat.* Nec multo post ille adfuit urbi sensim propinquans. Et jam suffossa omnis multitudo supergradiebatur, tolerantibus primum tignis, dum margine campi sustinebantur.

bantur. Ut longius provecti, oneratæ immenso pondere perticæ cessêre, simul præcipites lapsi equi viriq; miserabili specie, cuncta clamoribus & confuso strepitu complebant. Atq; ita Quadraginta millia occidioni data; exemtis sex & viginti millibus, quos fossæ hauserunt: prout hæc bonâ fide commemorat egregius Vir ingenio, bonisq; omnibus disciplinis ornatus, Matthæus Vossius, magni illius Gerardi Vossij haud degener filius, Libro I. Annalium Hollandiæ, Zelandiæq; Pag. 44. & 45. Inter alias vero insidias, quas Friderico Imperatori struere parabant Cremonenses, dolosas ejusmodi foveas recenset nobilissimus & eximius Poëta Guntherus Lib. X. Ligurini sui, v. 306.

Præterea densis scrobibus tellure cavatâ
Præcipites fodêre dolos, fossasq; latentes
Injectu texêre levi, quas incidat hostis
Inscius, & subito pateat discrimine morti.

Quin & eas luculenter describit Prudentius in Psychomachiâ, v. 257. & sequent. pag. 237.

Sed cadit in foveam præceps, quam callida forte
Fraus interciso suffoderat æquore furtim:
Fraus intestandis vitiorum è pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli
Planiciem scrobibus violaverat insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atq; agmina mersa voraret.
At ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
ET SUPERIMPOSITO SIMULARAT CESPITE CAMPUM.

Tandem nobis scrobem graphicè depictam exhibet suavissimus scriptor Longus Sophista ποιμενικῶν Lib. I. sed non hominibus capiendis, verùm Lupis aptem. Λύκαινα τρέφουσα σκύμνους νέους ἐκ τῶν πλησίον ἀγρῶν ἐξ ἄλλων ποιμνίων πολλάκις ἥρπαζε, πολλῆς τροφῆς ἐς ἀνατροφὴν τῶν σκύμνων δεομένη. συνελθόντες οὖν οἱ κωμῆται νύκτωρ σιῤῥοὺς ὀρύττουσι τὸ εὖρος ὀργυιῶν - - - τὸ βάθος τεσσάρων. τὸ μὲν δὴ χῶμα τὸ πολὺ σπείρουσι, κομίσαντες μακράν. ξύλα δὲ ξηρὰ μακρὰ τείναντες ὑπὲρ τοῦ χάσματος, τὸ περιττὸν τοῦ χώματος, κατέπασαν τῆς προτέρας γῆς εἰκόνα. ὥστε κἂν λαγὼς ἐπιδράμῃ, κατακλᾷ τὰ ξύλα κάρφων ἀσθενέστερα ὄντα, καὶ τότε παρέχει μαθεῖν, ὅτι γῆ οὐκ ἦν, ἀλλὰ μεμίμητο γῆν. τοιαῦτα πολλὰ ὀρύγματα, κἂν τοῖς ὄρεσι, κἂν τοῖς πεδίοις ὀρύξαντες, τὴν μὲν λύκαιναν οὐκ εὐτύχησαν λαβεῖν: αἰσθάνεται γὰρ καὶ γῆς σεσοφισμένης· πολλὰς δὲ αἶγας καὶ ποίμνια διέφθειραν, καὶ Δάφνιν παρ᾽ ὀλίγον ὧδε. *Lupa quæ catulos recentes alebat, ex vicinis agris aliorum de gregibus sæpè pecudes rapere solebat, quod alimento copioso ad enutriendos catulos opus haberet. Conveniunt igitur Pagani, noctuq; scrobê effodiunt latitudine orgyiarum - - - - altitudine quatuor, & quidem humum adgestam longè lateq; portatam plenâ manu spargunt, lignis autem aridis oblongis super voraginem extentis, terra deniq; eâ, quæ supererat, soli faciem conspergunt, ut vel lepus si supercurrere tentaret, ista ligna stipulis ipsis fragiliora confringeret, tumq; clarum faceret, quod istud solum non esset, sed tantùm solum adsimilaret. Ejusmodi pluribus fossis per montes, per campos cavatis, lupam tamen haudquaquam capere potuerunt (sensit enim ipsa quoq; terram commentitiam) multas verò capras atq; oves juxtà perdiderunt, parumq; abfuit, quin & Daphnin casu hujusmodi.*

26. *Iisdemq; carabum onerat*] Eadem vox infrà se offert Lib. VI.

————— Percurrimus undas
Permensore maris carabo ————

Carabus, linter, navicula. Isidorus Orig. Lib. XVIII. c. 1. *Carabus, parva scapha ex vimine facta, quæ contexta crudo corio, genus navigij præbet.* Papias Vocabulista: *Carabus, navicula discurrens in Pado, id est, linter. Est autem ex vimine & corio.* Grónlandi hodieq; eo navigij genere utuntur; quod constat ex ijs, quæ huc allata cum incolis. Talia quoque fuisse *Oestrumnidum* navigia conjicio, quæ eleganter describit Festus Avienus in orâ maritimâ:

Non usq; cymbis turbidum latè fretum
Et belluosi gurgitem Oceani secant,
Non hi carinas quippè pinu texere
Fecêre morem, non abjete, ut usus est,
Curvant faselos: sed rei ad miraculum,
Navigia junctis semper aptant pellibus,
Corioq; vastum sæpè percurrunt salum.

Glossarium Camberonense MS. *Carabus, est quædam navicula.* Joannis Moschi pratum Spirituale, Cap. 76. *Ecce ego ascendo in carabum.* Florentius Vigorniensis in Anno 892. *Occultè de Hyberniâ fugerunt, carabumq; qui, ex duobus tantùm corijs & dimidio factus erat, intraverunt, mirumq; in modum sine velo & armamentis post septem dies in Cornubia applicuerunt.* Videatur Onomasticon, quòd Vitis Patrum subjunxit Vir pietatis doctrinæq; famâ illustris, Heribertus Rosvveidus. Græcis Κάραβος, seu Καράβιον. Auctor Etymologici: Ἄκατος τὸ μικρὸν πλοιάριον: παρὰ τὸ ἄγω, ἐξ οὗ τὸ ὑποκοριστικὸν Ἀκάτιον, ὃ τινὲς μὲν ἐπακτρίδα, τινὲς δὲ πορθμίδα, τινὲς δὲ κάραβον ὀνομάζουσι. Svidas: Ἐφόλκια, καράβια μικρά. Hebræis *Garaw*.

Vide Harmoniam Etymologicam Stephani Gvichardi pag. *759. & 765.* Fragmentum Glossarij MS. quod penes me est, in Litera D. *Dromo, longa navis. Musculus, parva navis: Barcha, navis mercatoria.* Et paulo Post: *Parvæ naves dicuntur cimba, carabus, caupulus, lembus, scapha, linter.* Forte illud est, quod veteres olim Islandi ᚴᛆᚱᚠᛁ dixerunt. Glossarium Islandicum: ᚴᛆᚱᚠᛁ, Karfe; *Masc. Gen. Genus navis.*

46. *Aquæ molem novâ rivorum diversitate partitus*] Ita & Persarum Rex Cyrus, cum Babylonem oppugnaret, Gynden fluvium, ne impetum ejus sisteret, conatumq; impediret, *per magnas concisum deductumq; fossas in 460 alveos comminuit: Euphratem etiam longè validissimum & mediam Babyloniam interfluentem, derivavit. Ac sic meabilibus vadis siccum, etiam patentibus alvei partibus, iter fecit.* Verba sunt Pauli Orosij Lib. 2. Cap. VI. pag. *76.*

48. *Dividuo minoratus excursu*] Hoc est, diminutus. Ità loqui amant istius & superioris ævi Scriptores. Radulphus Ardentius Homilia in Dominicam VII post Trinitatis: *Non minorabitur defectibus, sed omni perfectione abundabit.* Joh. Sarisberiensis Policratici Lib. VII. Cap. 13. *Qui cognatione temporalium, quibus quodammodo ingenitus est, pedem sui figit affectus, servit & minoratur.* Gvillermus Armoricus Philippidos Lib. I.

Ut meritum Regis motu quocunq; minoret.

Petrus Chrysologus Serm. LXXXV. *Quia nec minoratur Deus in homine; nec virtus attenuatur in fimbria; nec cœlestis natura membrorum variatur officijs.* Sermone LXV. *Nemo ergo sic filium minoret precibus, ne patrem circa salutem hominum sic minoret.* Et Sermone LXVI. *Qui divitias suas non miserando pauperi dedit, sibi misericordiam sic minorat.* Sermone LXXVI. *Cur homo aut minoratum Deum in carne judicat, aut in passione existimat ejus defecisse virtutem?*

51. Ad urbem Paltiscam] Quæ, nî fallor, Rutenis *Polotzka,* nunc *Plescovia* dicitur.

53. *Extinctumq; se, quo minus hosti terroris afferret, vulgò nunciari præcepit*] Eodem usus est stratagemate, Hastingus Dux Normannorum, cum Lunam urbem, quam Romam esse putârat, fraudulenter occupare tentaret: cujus rei luculentam facit mentionem Dudo Veromandensis de moribus & actis Normannorum. Lib. 1. pag. 64. *& 65.*

Pag. 22. vers. 8. *Peritam se pugnandi puellam simulat*] Quasi una esset ex Amazonibus illis Danicis, quas luculenter describit Saxo Lib. VII. *Fuere quondam,* inquit, *apud Danos fœminæ, quæ formam suam in virilem habitum convertentes, omnia pæne temporum momenta ad excolendam militiam conferebant.* Ad quem locum plura annotabimus σὺν θεῷ.

6. *Transfugæ titulo oppidum petit*] Svaningius noster aliter commemorat, non ipsum videlicet Frothonem in oppidum transfugisse, sed militem puellari indutum veste, qui, quo in statu essent omnia, exploraret, in oppidum à Frothone submissum, tradit.

12. *Urbs somno sepulta diripitur*] Elucet hic imitatio Virgiliana. Maro enim Æneid. II.

Invadunt urbem somno vinoq; sepultam.

Et Lib. IX.

—— Rutuli somno vinoq; sepulti
Conticuêre. ——

13. *Nihil in re militari perniciosius*] Securitas nimium quantum nocet militari fortunæ! Testis est Vellejus Paterculus Lib. 2. in clade Variana: *Neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem.* Barthius in Notis ad Lib. IV. Claudiani. p. 131.

35. *Monstra quidem video*] Spectra nocturna intelligit, quæ νυκτερινὰς φόβους Athenæus Lib. IV. dixit. Apulejus verò in Apologia *noctium occursacula* eleganter vocavit. Eorum pleraq; nomina talia ibi sunt, qualia hic recenset Saxo. *At tibi,* inquit, *Æmiliane, pro isto mendacio duat Deus iste superum & inferûm commeator, utrorumq; Deorum malam gratiam, semperq; obvias species mortuorum, quicquid Umbrarum est usquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum, oculis tuis oggerat! omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta, à quibus tamen ævo & merito haud longè abes.* Ubi simul nota gravissimum satis & dirum imprecandi genus quondam fuisse, cum nocturnis illis spectris & monstris caput alicujus devoverent. Videatur Lavateri de spectris Libellus eruditissimus, Cap. 2.

47. *Accedunt Fauni Satyris*] Utinam ipsum Carmen, quod autor transtulit ac Latinum fecit, superesset, videremus quæ voces his Latinis responderent, & tùm fortean tenebroso veterum sermoni de variis Alforum, Thussorum, Dvergorum, Draugorum, Vanorum generibus, quæ nunc sola sunt nomina, lucem fœnerassemus. Hoc certum est duntaxat, diversas istas sive Dæmonum, sive animalium, sive quod inducor ut credam, medij inter ista cujusdam, naturas fuisse habitas: quo veterum Septentrionalium Philosophiam penitus intelligeremus. Sed hoc votum saltem est. *M. Brynolfus.*

49. *Silvanis coeunt Aquili,*] Monstra quædam sunt, forte sic dicta ab *aquilo,* hoc est, nigro colore. Nam ità Gloss. *Aquilum,* μέλαν, ὡς Ἀκυΐλλιος. Glossar. Isidori: *Aquilum; fuscum, nigrum.* Saxo noster Lib. 8. *Quem comitibus foris præstolari jussis, ingressus, duos eximiæ granditatis Aquilos conspicatur. Aquilos* inter Hemitheos, qui à medietate aëris usq; in montium terræq; confinia

confinia versantur, recenset Martianus Capella Lib. II. p. XL. *In his*, inquit, *locis Sumanes, eorumq; præstites Mana atq; Manuana: dij etiam, quos Aquilos dicunt.* Glossarium Papiæ: *Aquili, species dæmonum, qui in similitudine aquilarum apparent.* Catholicon Fr. Joannis de Janua in voce *Aquila*: *Ab aquila est Aquilus, qui nasum habet curvum in summitate, ut aquilæ rostrum.*

52. *Quas Simis Fantua juncta premit*] *Fantuæ* meminit Capella Lib. 2. pag. XLI. *Ipsam quoq; terram, quæ hominibus invia est, referciunt longævorum chori, qui habitant silvas, nemora, lucos, lacos, fontes ac fluvios. Appellantur Panes, Fauni, Fones, Satyri, Silvani, Nymphæ, Fatui, Fatuæq;, vel Fantuæ, vel etiam Fanæ, à quibus Fana dicta, quòd soleant divinare.* Casp. Barthius, corculum Musarum, Lib. XXIV. Cap. 8. Fantuam *Fatuam, gratiâ Carminis, dictam autumo. Sed & antiquiores ita dicebant. Glossæ veteres*: Fatuus quasi fantuus, à fando, qui Faunis oracula edebat. *Simos verò à facie simâ dixit Satyros, quorum talis pictura apud veteres. Non aliâ de causâ veteres Delfinos* Simones *vocasse observamus. Idem Glossarium*: Simones, Delphines. Quæ verba apud Papiam etiam supersunt. *Nares simatas* cadaveri eleganter attribuit Sulpicius Lupercus de Cupiditate; Lib. 1. Epigr. Vet.

Simatæq; jacent pando sinuamine nares.

Pag. 23. vers. 14. *Virgæ vulnus pœnale verentes*] *Pœnale* dicitur, quodcunq; pœnæ loco infligitur, vel quo pœna infligitur. Sæpè utroq; significatu reperire licet apud Ammianum Marcellinum. Sic Lib. XXII. *Retracti sub vinculis morte periere pœnali.* Et Lib. XIX. *Quorum aliquos vinculorum afflixerunt nexus, alios claustra pœnalia comsumpserunt.* Lib. XV. *Jussi sunt retineri pœnalibus claustris.* Lib. XIV. *Cum abjecto consorte pœnali est morte mulctatus.* Et paulo superius eodem Libro: *Nonnullos gladij consumpsere pœnales.* Petrus Chrysologus pro *reo*, & qui pœnam meretur, usurpat Sermone XVI. *Quid nobis & tibi? quod Judici & reo: quod vindici & pœnali: quod Regi & desertori.*

24. *Forma prosapiam pandit*] Quasi non falleret hoc argumentum de vultu conjectandi, sic illo veteres, loco non uno, confidenter invenio usos; & præter lineamenta, atq; cuticulæ tincturam, aliud nescio quid spirituale in vultu notasse, quod nos etiamnum Svip/ *Genium*, vocitamus. *M. Brynolfus.*

26. *Certissima nobilitatis index pulchritudo commendat*] Publius Mimus: *Formosa facies muta commendatio est.* Certe pulchritudo formæ nunquam non grata, jucunda, & laude digna. Maximianus, Cornelij Galli nomine editus, Elegia I.

Nec minor huic aderat sublimis gratia formæ,
Quæ, vel si desint cætera multa, placet.

A Ovidius VIII. Metamorph.

——— Quem non, ut cætera desint,
Forma movere potest? ———

Plato III. de Legibus: τὸ κάλλιστον, ἐρασμιώτατον; *Maximè pulchrum, maximè amabile.* Dicebat Aristoteles; τὸ κάλλος παντὸς ἐπιστολίου συστατικώτερον: *Pulchritudinem plusquam Epistolas omnes valere ad commendationem.* Plato etiam *pulchritudinem* appellabat προτέρημα φύ-
B σεως; *Privilegium Naturæ.* Hinc veteres Philosophi pulchritudinem origine divinam; nihilq; pulchri temere & fortuito nasci, sed ab arte aliqua effici, putarunt. Plutarchus Lib. 1. de placitis Philosoph. Cap. 6. Pacatus Drepanus in Panegyrico: *Non frustrà planè opinione sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati, arcanis cælestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæq; species plurimum creditur trahere cælo. Sive enim ille animus divinus, ven-*
C *turus in corpus, dignum prius metatur hospitium, sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo, sive aliud ex altero crescit.*

37. *Sordido cultu robustam obtegi manum*] Huic affine est Cæcilianum illud apud Ciceronem Lib. 3. Tuscul. Quæstion. *Sæpè est etiam sub palliolo sordido sapientia.* Sed magis convenit illud autoris nostri, infrà Lib. VI. *Quem faber, non satis doctus, vili interdum amiculo validas subesse manus, objurgatum æde ocyus excedere jubet.* Cæ-
D terum Adagium est hodieq; Islandis frequentatum: Opt eru vastar Hendur undur vondre/ aut, vorugre/ Kåpu/ id est, *Sæpè validæ manus lacerâ, vel vili, aut sordidâ togâ teguntur.*

38. *Fortemq; dextram atrâ veste concludi*] Disco hinc atrum vestimenti colorem, fere ut Romanis, sordidum habitum & ignobilem. Alibi non memini observasse. *M. Brynolfus.*

44. *Momentaneum corporis habitum ab aëris teneritudine mutuari*] Lucretius Lib. IV. multis
E explicat, ultro citroq; per auras volitare tenuissimas quasdam omnium formarum exuvias. Multa ac varia à doctis pariter atq; indoctis, cum de aliis rebus disputantur, tum de spectris, quæ noctu & interdiu, terrâ mariq; in agris & silvis, item in domibus conspiciuntur atq; audiuntur, hominesq; territant: de quibus operæ erit pretium consulere elegantissimum libellum Ludovici Lavateri, qui hoc argumentum solide & nervose pertractat, ostendens non so-
F lum quod Spectra appareant, sed & quid sint illa, quæ videntur & audiuntur. Cui non sine fructu adjungi poterit Joh. Wieri de præstigijs Dæmonum Tractatus; item Peucerus de Divinationum generibus, Nicolai Remigij Dæmonolatreia, Ricardus Argentinus Anglus de Incantationibus, Bodini Dæmonomagia, Delrio Disquisitiones Magicæ, Malleus Maleficarum, & alii autores. Inprimis lectu dignissima est Epistola C. Plinij XXVII. Lib. VII. quâ quærit à Sura,

Satyram, an veræ sint apparitiones, quæ Græcè phantasmata dicuntur, & exemplo Curtij Rufi ac Athenodori Philosophi, postremo suorum, confirmat esse vera. Initium tale est: *Et mihi discendi & tibi docendi facultatem otium præbet. Igitur perquàm velim scire, esse phantasmata, & habere propriam figuram numenq; aliquod putes: an inania & vana ex metu nostro imaginem accipere?* Ne vero quæstionem hanc de spectris & nocturnis apparitionibus [quas & phantasias, phantasmata, phasmata, idola, lemures, manes, umbras appellant] an sint aliquid, an vero inania & vana ex metu nostro imaginem accipiant, planè intactam relinquamus, decidamus eam verbis Clarissimi Viri, & longiore vitâ dignissimi, Matthiæ Berneggeri, in Diatribe ad Svetonij Augustum, Cap. VI. *Etsi,* inquit, *in re tam ambiguâ Socraticos ἐπέχοντας imitari præstat, tutiorq; est Academiæ aporia, quàm reliquarum sectarum juratissima dogmata: tot tamen exempla, non soli vulgo, qui decipere & decipi potest, sed magnis etiam viris observata, literisq; prodita, de veritate quorundam spectrorum, quibus Deus fideles exercet, infideles punit, vix dubitare sinunt. Interim illud quoq; Livij XXIV, verum credimus, ut plurimùm oculorum auriumq; ludibria credita pro veris: dum aut naturalia fortuitave, ignoratione causæ, pro spectris habemus, quod meticulosis & melancholicis utplurimùm accidit: aut impostorum strophis decepti, fucum non olfacimus. In talibus spernendis dignam homine Philosopho constantiam præstitit Democritus, qui ad convincendam spectrorum vanitatem, sæpè solitarius vixit, atq; etiam sepulchra incoluit, ut scribit in ejus vitâ Laërtius: cumq; in tenebris per lasciviam quorundam adolescentulorum, è sepulcris noctu veluti larvis infestaretur, impavidus, & semper sui similis, illos statim admonuit, ut ineptire desinerent. Quin & Horatius Lib. 2. Epist. 2. umbrarum contemptum inter cætera boni fortisq; animi argumenta collocans,*

> *Num es avarus?* inquit, *abi: quid cætera? num simul isto*
> *Cum vitio fugêre? caret tibi pectus inani*
> *Ambitione, caret mortis formidine & irâ?*
> *Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,*
> *Nocturnos lemures, portentaq; Thessala rides?*

Pag. 24. vers. 44. *Qui & ipse Scottici nominis conditor fuit*] Gvilielmus Cambden, Vir excellentis ingenij, & gravissimus Historiæ Britannicæ autor, de Origine Scotorum varias variorum recenset opiniones atq; sententias, in Britanniæ Descriptione pag. 87. & sequ. Nonnulli etenim *Scotam* quandam, Pharaonis Ægypti filiam, Scoticæ nationis conditricem fuisse tradunt. Quæ opinio e superstitione & imperitia rudis antiquitatis enata, jure rejicitur. Alij fortissimæ huic genti nimis injurij, Scotici nominis appellationem à Græco fonte deducunt; quod Scoti dicantur quasi Σκότιοι, id est, furto concepti: quæ etiam non injuriâ exploditur. Florilegus e Saxonicâ Linguâ Originationem petit, Scotos nimirùm appellari, quod ex confusâ gentium colluvione prognati fuerint. *Scot enim,* inquit, *illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum aggregatur.* Ipse Camdenus cum Cisnero & Reineccio, à *Scythis Scotos* derivat. Quisnam vero fuerit hic *Scottus*, Saxone taçente, prorsus ignoramus. Si Danus, fraudi non erit Scotico nomini Danorum se prolem agnoscere, qui olim se à Gothis, qui origine Dani, genus suum ducere gloriati sunt, ipso Camdeno teste. Certè Imperator Carolus Quintus è Scandiæ & Gothiæ tractibus, totius Europæ nobilitatem exortam fuisse seriò dictitare solebat.

49. *Tori varietatem supplicij loco reputans*] An illud genus pœnæ suo primus arbitratu, an alterius exemplo invitatus, an solito more gentium, indixerit, diligentioribus considerandum in medio relinquo. *M. Brynolfus.* Ego autem omnino existimo Frothonem suo primum arbitratu illud genus pœnæ Sorori malè de se meritæ injunxisse. Haud etenim majori pœnâ eam afficere potuit, quàm cum è charissimi mariti amplexibus invitam violenter abstraheret, & cogeret alteri nubere, quem anteà ne de facie quidem novisset.

50. *Segniter enim deseruire solet*] Proverbium est Islandis notum & usitatum: Thad er huerium tidt / sem han temur: Vel; Thed er huerium tamt / sem han tidkar: Id est: *Expeditè quivis id exequitur, cui insvevit.*

51. *Fluidis annis*] Per *fluidos* hic *annos* abq; dubio intelligenda erit *ætas*, quàm *lubricam* alias dicimus. Id quod sequentia innuere videntur; cum mox *teneræ ætatis* mentionem faciat. Putabam aliquando legendum esse *fervidis annis*, sicut *fervidam adolescentiam* Seneca Octav. appellavit. Sed prima lectio etiam tolerabilis. Respexit Saxo Proverbium illud Danicum: Hvad man vng nemmer / det man gammel icke forglemmer.

52. *Primævam quippè mentem*] Aliud Adagium antiquæ notæ: Tamur er Barns vande: Id est, *Cui à pueris adsueveris, facilè adhærebis.*

Pag. 25. vers. 23. *Aurum quod ab eis gestaretur, passim per arva disjiciendum edixit*] Consimile usus est stratagemate maximus Regum Mithradates, Romanæq; avaritiæ pertissimus, cum spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam juberet, quâ sequentes moraretur. Florus Lib. III. Cap. 5. Cicero Orat. pro Lege Manilia. Sic de Stilicone Claudianus Libro de Bello Getico.

> *Purpureos cultus, assumptas igne valentes*
> *Exuvias, miserisq; graves Craterus ab Argis*
> *Raptaq; flagranti spirantia signa Corintho,*
> *Callidus ante pedes venientibus objicit hostis.*

Tale

Tale in Literis Sacris Lib. IV. Reg. Cap. 7. de Aramæis fugientibus, qui vasa & vestimenta totâ projecerant viâ, ut scilicet Israelitæ prædæ dediti, eorum vindictam negligerent, & tempus aufugiendi palantibus darent. Idem Triphon Syriæ Rex fecisse videtur, qui victus, per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eaq; insectandâ Antiochi equites moratus effugit. Frontinus Lib. 2. Cap. XIII.

30. *Capite galeâ nudato, clypeo innixus*] Habitum militis eleganter describit, detectumq; caput, quo videretur imperium agnoscere; in clypeum vero incumbere solens erat, qui Ducibus pro tribunali fuit aut pulpito, quo militarem alacritatem & fortitudinem ostenderent. Confer hunc Septentrionis morem cum Romanorum suggesto, & vide, quantum intersit. *M. Brynolfus.*

Pag. 26. vers. 2. *Mannos quoq; variæ suppellectilis gerulos*] *Manni* sunt equi pusilli, inter delitias Magnatum haberi soliti: quos vulgo suo seculo *Buricos* appellatos testatur Porphyrio. Horatius Lib. III. Carm. Ode XXVII.

> *Rumpat & serpens iter institutum,*
> *Si per obliquum, similis sagittæ,*
> *Terruit mannos* ——————

Martialis Lib. XII.

> *Nusquam est mulio? mannuli tacebunt.*

Manilius Lib. 5. p. 124.

> *Aut mulos aget, aut mannos, mistosq; jugabit*
> *Semine quadrupedes.* ——————

Quomodo bonâ fide legendum contendit Scaliger in Castigat. Ovidius in Amoribus:

> —————— *Rapientibus esseda mannis.*

Plinius Secundus Epistolâ II, Lib. IV. de filio Reguli defuncto: *Habebat puer mannulos multos, & junctos & solutos: habebat canes majores, minoresq;: habebat psittacos, luscinias, merulas.* Glossar. *Mannis*, Βραχέοις. Isidorus Lib. XII. *Mannus, equus brevior est, quem vulgò brunitum & brunitium vocamus.*

15. *Latentis hami fraude*] Elegans Metaphora à piscatorum hamis desumptâ: qualis in illo Platonis apud Ciceronem Libro de Senectute: *Diviné Plato, escam malorum, Voluptatem appellat, quòd eâ videlicet homines capiuntur, ut hamo pisces.* Et Petronij: *Sic eloquentiæ magister, nisi tanquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo.* Ubi eloquentiæ magistrum comparat piscatori, qui nisi dixerit, quæ adulescentuli probent, & nisi insidias quasdam auribus eorum fecerit, solus in scholis relinquetur. De pecunia autem verè dici potest, latere sub splendido illo luto perniciosissimum hamum, quo multi mortalium ità capiuntur, ut se in omnium malorum voraginem ipsi præcipitent. Vide omnino Petri Chrysologi Serm. XXIX.

17. *Quæ raptorem captivant*] *Captivant*, est, capiunt, captivum reddunt, ducunt, tenentq;. Guillermus Armoricus Philippidos Lib. IV.

> ——————*Et fortis armati fortior arma*
> *Captivans, victor spolijs ascendit in altum.*

Petrus Chrysologus Sermone XXIX: *Aurum Judaicum populum sic suo captivavit affectu, vicit illecebris, specie decepit, ut hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum, denegarent.* Et Sermone VII. *Hypocrisis dum cupit captivare oculos, oculis fit ipsa captiva.* Dudo S. Quintini Decanus Lib. II. de moribus & actis Normannorum: *Uxores & semen eorum captivabo, & armenta eorum devorabo.* Et mox ibidem: *Respublica & captivatur, & occiditur.*

42. *Quando peregrina prædabimur?*] Quasi regnum & rapina res una esset. Sic homines isti latrociniis & deprædationibus indulgebant, & universam ætatem, meliorem certè ætatis partem, insumebant. Nec ullus vere nobilis est habitus, nisi qui sub hyberna, aliquot navibus prædâ onustis in stationem reverteret. Vasdælam consulas juxtà initium. Hoc illi studium, honestissimum scilicet ac regium, ad leggiast i Viking/ vocarunt. *M. Brynolfus.*

42. *Si propria refutamus*] *Refutare*, est rejicere, contemnere, recusare. Cicero pro Rabirio: *Non modò non aspernari ac refutare, sed amplecti etiam, & augere debetis.* Sallustius in Fragmentis: *Se Regibus devovent, & post eos vitam refutant.* Salomo Lexicographus, quem ad testimonium citat Doctissimus Germanorum, M. H. Goldastus in Notis ad istum Columbani versum:

> *Spernit avaritiam, vanosq; refutat honores.*

Refuto, recuso. Amœnus Enchiridio:

> *Æstimat accipiens viva, & terrena refutans.*

Auctor de Contemptu mundi:

> —————— *Sed non mea dona refutes.*

Hieronymus in Agone: *Pro me sudasti sanguinem pretiosum, non me refutes.* Julius Capitolinus in vita Antonini Pij: *Circenses natali suo dicatos non respuit, alijs honoribus refutatis.* Ammianus Marcellinus Lib. XVII. p. 104. *Non refutamus hanc, nec repellimus.* Gloss. Vet. *Refuto, repudio, respuo.* Egesippus Lib. II. *Ne pro se sacrificarent, qui sacrificium Cæsaris refutavissent.* Solinus Cap. 25. Nundinas ac nummum refutant. Novell. Theodos. XXV. *Solidum aureum integri ponderis refutandum.* Quo significatu in Hist. Aug. & Legibus Longobardorum aliquoties usurpatur. Italiq; in suo Idiomate retinent, *Refutare la pace, Refutare pacem.* Doctissimus Lindenbrogius Observation. in Am. Marcellini Lib. XVII. Andhelmus de Laudibus Virginitatis. Cap. IV. *Qui contempta mundi blandimenta velut quisquiliarum peripsemata spuens, & carnalis luxus lenocinia refutans, in sancto proposito successor extiterat.*

Pater-

43. *Paternâ avitâq; pecuniâ*] Cùm pecuniis omnia sacra & profana venalia prius dixerim, cujus adquirendæ causâ quiduis facere & pati sacrosanctum vulgo habebatur: tùm vero inprimis hæreditarium aurum admodum religiosè priscos coluisse observo; quod illi Erffdagull dicunt: sivè quòd parentum sangvine ac sudore parta, liberis naturâ quadam commendata credebantur; sivè ut honestâ causâ turpitudinem avaritiæ palliarent. *M. Brynolfus.* A

Pag. 27. vers. 5. *Silvam, quæ Scotiam Britanniamq; secernit*] Hanc reor esse silvam, quam veteres *Caledoniam*, & *Saltum Caledonium* nominarunt. Ptolemæo est Καληδόνιος δρυμός. Hujus nostrâ ætate vix reliquiæ supersunt, olim verò in immensum spatium diffusa, procerisq; arboribus invia. Ab hac silva, quam Buchananus *Silvam Corylorum* interpretatur, *Caledonia* dicta fuit pars insulæ Borealis, quæ hodie *Scotia* vocatur. Meminit Tacitus in Vitâ Agricolæ. Florus autem Lib. 3. Cap. X. de Cæsare in Britanniam transfretante: *Reversus igitur in Galliam, classe majore, auctisq; admodùm copiis, in eundem rursus Oceanum, eosdemq; rursus Britannos, Caledonias sequutus in silvas.* Et Lib. I. Cap. XVII. *Ciminius interim saltus in medio, antè invius planè quasi Caledonius, vel Hercynius.* Plinius Lib. 4. Cap. XVI. de Britannia & Hibernia: *Triginta propè jam annis notitiam ejus Rom. armis non ultrà vicinitatem silvæ Caledoniæ propagantibus.* Videatur porrò hac de Silva Cl. vir Cambdenus in Scotiæ Descriptione, pag. 744.

17. *Celeberrimum insulæ oppidum Lundoniam*] *Lundoniam* vocat Saxo, Britannici Imperij sedem, quam *Londinum* hodie; Tacitus, Ptolemæus, & Antoninus *Londinium* & *Longidinium*; Ammianus *Lundinum* & *Augustam* appellarunt: Incolis est *London.* Oppidum hoc ante Constantini Max. tempora communitum fuisse dubitat Camdenus: eumq; tradit, rogatu Helenæ matris, primùm mœnibus è lapide structili & latere Britannico obsepsisse. At Saxo nos edocet, etiam ante natum Salvatorem generis humani, hac civitatem, tanquam Metropolim totius Britanniæ, murorum firmitate tantùm non fuisse inexpugnabilem.

36. *Contusis commolitisq; auri fragminibus*] Inde Veteres Rhythmistæ aurum appellarunt ᚠᚱᛅᚦᛅ ᛘᛁᛅᛚ Frøda Miøl / *Frothonis farinam.* Egillus Scallagrimi, in Hofudlausnar Visur / sive Cantilena, quâ caput redemit; Strophâ 2.

Hrytur (Brytur) bog huita
ᚼᚱᚢᛏᚢᚱ(ᛒᚱᚢᛏᚢᚱ) ᛒᛅᚴ ᚼᚢᛁᛏᛅ
Biodur hram thuita
ᛒᛁᛅᚦᚢᚱ ᚼᚱᛅᛘ ᚦᚢᛁᛏᛅ

Muna hódd ofa
ᛘᚢᚾᛅ ᚼᛅᚦ ᛅᚠᛅ
Hringbriótar losa
ᚼᚱᛁᚾᚴᛒᚱᛁᛅᛏᛅᚱ ᛚᛅᛋᛅ
Gladdist flotna fiól
ᚴᛚᛅᚦᛁᛋᛏ ᚠᛚᛅᛏᚾᛅ ᚠᛁᛅᛚ
Vid Fróda miól B
ᚢᛁᚦ ᚠᚱᛅᚦᛅ ᛘᛁᛅᛚ
Miók er hilme fól
ᛘᛁᛅᚴ ᛁᚱ ᚼᛁᛚᛘᛁ ᚠᛅᛚ
Hauk strandar mól.
ᚼᛅᚢᚴ ᛋᛏᚱᛅᚾᛏᛅᛋ ᛘᛅᛚ

Frangit jacula	*Lætatus est nautarum asser*
Præcipiens auri Rex:	*Ex Regis farre*
Meminerint Regem	*Valde Regi venales*
Annuli fractores laudare.	*Manus lapilli.*

Boghuita] propriè est, *arcus pluvia:* tela indicat, C quæ confertim instar nimbi quandoq; in hostes jaculantur. Hram thuita] hramur / *manus*, thuita / *lapis.* *Lapidem regum*, aurum vocat: reddendum igitur, *auripotens Rex vel Imperator.* Munna /] *memini*, hodd / *aurum*, offe / *studiosus.* Vult indicare Regem fuisse auri studiosum. Hringbriotar /] *fractores Clypeorum.* Sic Regis milites præstantiores vocat, seipsum verò innuit, qui in ejus laudes hic est diffusus. Fiol /] *asser* pro, *nave.* Lætati sunt nautæ. / Froda] De D Rege Frothone ferunt, quòd tantâ abundaverit auri copiâ, ut in pulverem illud redegerit, & farinæ miscuerit. Hinc per Frodamiøl / *Frothonis far*, aurum intelligit. Haukstrandar møl /] id est, *aurum.* Haukur] *falco, accipiter.* Strønd] *terra.* Hic notat manum, cui falco ut terræ insidet. *Manus Lapilli*, sunt aurum, cui lapilli in annulis aureis insunt. Cujus tamen loci alia extat versio Biornonis, Jonæ filij, de Oferdsaa:

Projecta est arcus acies, E
O Imperator manus lapidis.
Animus ergò est mihi auri largitorem
Militi celebrare.
Lætata est nautarum multitudo
Frodonis farre.
Admodùm est à Rege parabilis
Falconis regionis lapis.

qui & hanc addidit commentatiunculam, Froda miøl] Frode hiet Kongur / sa sem gulled F liet mala / og thui heiter gullet miøl hans. *Frodo Rex erat, qui aurum molere instituit, unde aurum dicitur illius far.* Vide Eddam.

Ibid. *Contusis commolitisq; auri fragminibus cibos respergere solitum*] *Auri* nobile metallum adversus quævis venena, & alios quoscunque morbos perniciosissimos, qui ipsa vitalia maximè infestare solent, efficacissimum esse remedium, præcipuè si in pulverem (quem Chymici *Alcool* vocant, Lucretius venustè *micas auri* dixit) rediga-

redigatur, vel igne candens vino demergatur, antiquissimi Medicorum unanimi consensu passim attestantur. Nicander Colophonius Libro Alexipharmacôn, inter alia amuleta, quæ aconito sumpto opitulantur, auri quoq; mentionem facit, ubi sic loquitur:

> Ἄλλοτε δὲ χρυσοῖο νέον βάρος ἐν πυρὶ
> θάλψας
> Ἠὲ καὶ ἀργύρεον, θολερῷ ἐνὶ πώματι
> βάψοις.

> *Quin etiam argenti fuit utile pondus & auri,*
> *Ignibus accensum, & mersum stridentibus*
> *undis.*

Dioscorides Lib. V. Cap. 70. *Argentum vivum potum vim pernicialem habet; suo enim pondere interna exest. Auri limata scobs, id est, ramentum quàm tenuissimum, epotum, mirabili est auxilio.* Plinius Lib. XXXIII, Cap. 4. Circà finem: *Aurum plurimis modis pollet in remediis. Vulneratis enim & infantibus applicatur, ut minus noceant, si quæ inferantur, veneficia.* Serapio Arabs de Temperamentis Simplicium Cap. 415. de Auro: *Limatura auri confert cordiacæ melancholiæ & debilitati cordis.* Lib. 3. ad Mansorem. Cap. LII. *Aurum tremori cordis, & melancholiæ adjutorium præbet,* Avicenna Lib. 2. Canonis Tractat. 2. Cap. 78. de Auro: *Limatura ejus ingreditur in Medicinis Melancholiæ, confert doloribus cordis & tremori ipsius, & malitiæ animæ, & ei qui solus loquitur.* Mesve Lib. 3. de Antidotis citat duo Electuaria, nempe Electuarium de Gemmis, & Electuarium ex granis tinctorij, quod *Confectionem Alchermes* vocamus, in quibus magnâ satis copiâ aurum ingreditur. Cæterùm frequentem auri in cibo usum Principibus olim fuisse, adeò ut in luxuriam quoq; verterit, ostendit Johannes Hantvillensis, Architrenij Lib. 2. Cap. VII. Ubi invehitur *contrà vescentes auro*, quomodo inscriptio habet:

> *O furor, inq; nefas egressa licentia mensæ,*
> *Prodigiumq; gulæ, labor est in prandia quamvis*
> *Flectere naturam, mollis fit cœna metallum,*
> *Ingenitusq; rigor epuli peregrinat in usus,*
> *Principibusq; cibum mentiri cogitur aurum.*

Ibid. *Commolitisq; auri fragminibus*] *Commolere*, est, ad extremam tenuitatem redigere, propemodùm nihilo mutare, in pulverem tenuare; ut antè me Doctissimus Barthius observavit ad illum Esaiæ Prophetæ locum Cap. 3. *Quare atteritis populum meum, & faciem pauperis commolitis, dicit Dominus Deus Exercituum.* Videatur Adversar. Liber XXII. Cap. 20.

49. *Senectute vitam, non ferro finierit*] Nam juxta Venusinum Vatem:

> *Ad generum Cereris, sine cæde & sangvine, pauci*
> *Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni.*

51. *A Roë Roskilda*] Consentaneum est urbem *Roëskildiam*, à *Roë* Daniæ quondam Rege,

A & *fonte*, qui admirandus isto in loco cernitur, nuncupatum esse. Danis etenim *fons*, Kilde/ indigitatur. Hic editiori loco ebulliens perennes undarum scatebras declivi lapsu emittit: quarum decursu, septem molendinorum rotæ sufficienter in gyrum propelluntur. Civitatis verò celebritatem, magnificentiam & antiquitatem, multorum Divûm delubra diruta, regiarum, monasteriorumq; rudera arguunt. Inibi etiam Haraldi VI. impensis extructum est
B Sacrarium magnificentissimum; in quo multorum potentissimorum Regum ac Principum busta elaborata conspiciuntur. Pluribus ejus descriptionem persequitur *Jonas Coldingensis* in Theatro orbis Arctoi, parte 12, p. 108. & seq. Alij originem vocis petunt à *Rosa*, quasi *Rosæ fons*, nobis Rose Kilde/ rectius diceretur. Quam opinionem non hodie aut heri natam animadverto. Nam penes me est Codex MS. vetustissimus membraneus, continens Salutationem
C B. Virginis, per *quendam Scholarem de regno Daciæ*, ut habet inscriptio; in quo inter alia hæc leguntur:

> *Salve vas reliquiarum,*
> *Mons, quo surgit fons rosarum,*
> *Fons aquarum, flumen clarum,*
> *Regnum Roë reficiens.*

Ad oram Libri, & has voces, *fons rosarum*, notatum exstat, *Roskildis*: & ad vocem *Roë*] *Roë,*
D *quondam Regis Danorum.*

Pag. 28. vers. 1. *Maris possessionem sortitus*] Huc facit elegans ista ἐξήγησις, Cap. XXIV. Lib. 2. Adami Bremensis, quâ rationem reddit Cl. Vir, & de Historia gentis nostræ optimè meritus, M. Andreas Vellejus, Historicus quondam Regius, quare Piraticam olim tanto studio exercuerint Nordmanni: *Danis pariter atq; Norvagis*, inquit, *hoc in more positum antiquitus comperimus, quod frequentes susceperint, non vici-*
E *cinas tantùm, sed etiam remotissimas terras, expeditiones. Quod inde (ut alia nunc taceam) factum est, quòd sæpè copiosam pòst se reliquerint sobolem Reges: ac quum singulis liberis pro dominandi libidine non sufficere visa sit patria, alij eorum domi Regnum patrium administrarunt, alij classe atq; commeatu instructi* [exemplum hic habemus] *maris imperium ex usu & commodo suo gubernandum sibi vindicarunt. Neq; etiam dubium, ipsos plagæ hujus Septentrionalis incolas, bellis continuis assuetos &*
F *quasi innutritos, quum domi pace multò maximè crescerent, nec quo Marte clarerent, haberent, foris gloriæ & nominis illustrandi materiam, bello atq; armis quæsivisse.*

12. *Procurationemq; Hescæ, Eyr Ler ducibus commisit*] Legendum fortè Esse & Eyler: quorum alteri Septentrionalis, alteri verò Australis Jutia cessisse intelligatur.

Pag. 29. vers. 26. *Affectatæ libertatis imagine colorabat*] *Colorare* est velare, palliare, sub prætextu

textu aliquid excusare, aliquid prætendere. Sic aliquoties loquitur Saxo. Johannes Sarisberiensis, Saxoni ferè coævus, Lib. I. Policratici, Cap. 4. *Opera singulorum ex eventu & proposito colorantur: res quippe decora est, si honesta causa præcesserit.* Lactantius Libro de falsâ Religione pag. 68. *Evidens, ut opinor, incestum, quod nullo modo possit colorari.*

38. *Fratri soror suendi obsequium neget*] Pro *fratri* hactenus in excusis Codicibus corruptè legebatur *fatu:* quam propterea obelo dignam censuimus vocem. Loquitur verò Saxo ex consuetudine Septentrionalium populorum, & præcipuè apud Summates olim vigente, quâ nimirum Matres filiis, Sorores fratribus, vestes tàm linteas, quàm laneas, ipsarum confectas manibus, suppeditabant. Sic Lib. V. Contubernales Frothonis circà indumentorum usum fœmineâ admodùm ope defecti, quùm non haberent unde nova assuere, aut lacera reficere possent, Regem celebrandi conjugij monitis adhortantur. Ità & Regnerus laneum à nutrice sagulum, infrà Lib. IX, petit. Et adhuc in Islandia nullos habent Sartores, sed fœminæ tàm laneas, quàm lineas, conficiunt vestes. Idq; olim & hic in usu fuisse, valdè probabile. Siquidem Islandi ut linguam priscam, ità mores adhuc retinent. Solebant etiam nobiliores Macedonum fœminæ, imò & Principum filiæ, aliquo sibi necessitudinis vinculo conjunctis, vestimenta proprijs manibus elaborata, dono dare, inprimis si quandò extrà patriam militiæ agerent: id quod Persarum fœminæ sibi maximo duxerunt probro. Testis est elegans & nervosus Scriptor Q. Curtius, cujus hæc sunt verba notatu dignissima, Lib. V. *Ac fortè Macedonicas vestes, multamq; purpuram dono ex Macedonia sibi missam cum ijs, qui eam confecerant, tradi Sisigambi jussit, admonerique, ut si cordi quoq; vestis esset, conficere eam neptes suas assuefaceret, donoq; doceret dare. Ad hanc vocem lacrymæ obortæ prodidêre animum aspernantis id munus: quippè non aliud magis in contumeliam Persarum fœminæ accipiunt, quàm admovere lanæ manus. Nunciant, qui dona tulerant, tristem esse Sisigambem, dignaq; res excusatione & consolatione visa. Ipse ergò pervenit ad eam, & mater, inquit, hanc vestem, quâ indutus sum, SORORUM NON SOLUM DONUM, SED ETIAM OPUS VIDES: nostri decepêre me mores.* Quid de Romanorum matronis dicam, quæ laneas vestes maritis suis & fratribus domi conficiebant, cum illi in expeditionibus essent constituti? Exemplo est Lucretia, & aliæ; de quibus videantur Livius, Halicarnasseus, plures.

45. *Patientiam nominavit*] Quam ex fortitudine natam contendit Valerius Maximus Lib. III. Cap. 3. *Egregijs, inquit, virorum pariter ac fœminarum operibus, fortitudo se oculis hominum subjecit, patientiamq; in medium procedere hortata est, non sanè infirmioribus radicibus stabilitam, aut mi-* A *nus generoso spiritu abundantem; sed ità similitudine junctam, ut cum ea, vel ex ea, nata videri possit.*

48. *Qui cum igni applicaretur*] Eodem experimenti genere patientiam suam probarunt Scævola, qui injectam foculo dextram exuri passus est: Pompejus, qui ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit; & Puer Macedo, in cujus brachio carbo ardens cum delapsus esset, dolorem tamen silentio pressit, B & brachium immobile tenuit, etsi ita ureretur, ut adusti corporis odor ad circumstantium nares perveniret, ne sacrificium Alexandri aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regias aures aspergeret. De quibus videatur Valerius Max. loco jam dicto.

Pag. 30. vers. 1. & 2. *Egestâ dolio Clepsedrâ*] *Clepsedra*, sivè potius *Clepsydra*, à κλέπτειν ὕδωρ dicitur, & horologium olim significabat, in C quo aqua per exile foramen, quod in fundo erat, sensim & quasi furtim destillabat. *Ad Clepsydram* magnæ olim lites & causæ agitabantur. Heic verò *Clepsydra* epistomium denotat. Catholicon Johannis de Janua, in voce Clepsedra: *à Clepo, is, dicitur hæc* Clepsedra, *dræ, id est ducillus, qui obdit foramen dolij, quod per illum quis furatur liquorem. Et videtur esse compositum à* Clepo *&* ὕδωρ, *quod est, aqua, sive liquor. Unde quidam dicunt* Clepsedra, *penultimâ productâ, & per y, quasi* D clepens ydor. *Sed potius videtur ety. quàm compositio. Sed sive sit ety. sive compositio, dicendum est* Clepsedra *penultimâ correptâ, & per e, secundum Hugonem. Item* Clepsedra *dicitur quoddam instrumentum, quod immittitur in dolium, per foramen superius, causâ furandi vinum. Item* Clepsedra *dicitur illud instrumentum, per quod horæ colliguntur; unde* Clepsedrarij, *dicuntur illi, qui per illud instrumentum horas colligunt.* Clepsedræ *etiam dicuntur vasa perforata, quæ habebant Philosophi ad dimetien-* E *dam quantitatem. Unde Martianus Capella in sua Astrologia; Monstratum est omnia signa paria spacia continere, multiplici appositione clepsedrarum.* Hactenus Catholicon. Est igitur *egestâ dolio Clepsedrâ*, idem quod educto, exempto, seu pertuso epistomio, obturaculo, vel vertibulo, quod dolio infixum, admittebat, vel arcebat, aquam, prout hoc vel illo modo versabatur.

24. *Affixis humi genibus*] Antiquitatum Islandicarum monumenta rem hanc ità commemo- F rant. Discedentes Upsalâ Danos Atislus statim numerosissimo exercitu insecutus est: & assecutus quidem fuisset, nî illi Danus pulchro stratagemate illusisset, quod tale erat. Rolfo enim, cum Svecos sibi imminere videret, aureos nummos, quos à sorore Ursa acceperat, in viâ disseminabat: quibus colligendis hostis magis quàm persecutioni intentus fuit. Demùm eâ calliditate animadversa, Atislus suos magnoperè frustrà hortatus, ipse equum proprium

calcari-

calcaribus adactum cogit reliquum agmen præcurrere. Quod cernens Danus Atislum nummulis aureis non inescari, promit annulum ingentis pretij, quem majores ipsius prædæ loco à devictis olim Sveciæ Regibus reportarant, eumq; Atislo obviam projecit. Tum Atislus auro inhians, rem tam pretiosissimam non putabat contemnendam. Converso igitur equo ipse incurvatus, poterat annulum hastâ attollere. Nomen annulo fuit Suijagriis/id est, *Succula Svecorum.* Atislo ad annulum tollendum incurvato, Rolfo acclamans ait: Nu hef eg Suinbeygt han/sem rikastur war med Swijen: Hoc est: Nu haffuer jeg ladet hannem bucke sig som eet Swiin/ den der var mechtigst iblant de Svenske.

48. *In Jaltonem quendam nodosa passim ossa conjicerent*] Gigantum hunc morem fuisse & immanium hominum, docuit me Historia Bardi Snæfellsasi, qui unà cum filio Gesto, & aliis multis gigantibus, ad convivium Hitæ, gigantei generis fæminæ, in antro Hundaheller dicto, vocatus & invitatus est. Ubi postquàm cœnati sunt convivæ, & ut ille ait, πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο, post epulas eo se lusus genere oblectarunt ac provocarunt, ut carnibus denudata ossa, equina credo & bubula, nodosa, unus in alterum jaceret pro viribus: quod oblectamenti genus duorum triumve gigantum morte constitit. Ossa autem ista nodosa vocamus Hnutur/ quasi Danicè Knyttede Been: & ludum ipsum Hnutukast/ id est, jactum ossium nodosorum. *M. Brynulfus.*

49. *Bjarco nomine*] Hic est insignis ille Athleta, Danorum fortissimus, qui eidem tumulo cum Rolvone Krake Rege illatus legitur. Quem longo post tempore [credo nongentis non minus annis] Skeggo Midfiordensis, vir fortissimus, subiens, invenit utrumque integrum, sedentem, gravi armaturâ indutum, & insignem stupendæq; speciei gladium tenentem; cujus cum cupiditate arderet Skeggo, forte fortuna Bödvarum Bjarconem [Bödvari enim nomine dictus erat, Bjarco cognomen fuit] principio adortus, manibus illis, anteà quidem robustissimis & invictis, nunc autem à nongentis annis, mortuis torpidisq; erepturus, nullis viribus avellere potuit. Sed à Bjarconis gladio repulsus, Rolvonis Regis, *Sköfungum* dictum, maximo cum labore reportavit: qui gladius omnium præstantissimus, à seculo in Islandiam venisse creditur. *M. Brynolfus* ex Skeggiasaga, Thordi huædæ saga, Laxdæla.

Pag. 31. vers. 2. *Morientem Agnerum soluto in risum ore*] Talem ego risum non tam fuisse existimo doloris dissimulationem, ut Saxo interpretatur, aut contemptum mortis; quàm animi furen-

A ter irati & vindictæ cupidi indicium. Solent etenim irati *sævum ridere*, ut Silius loquitur Lib. I. Ejusmodi est Ajacis risus apud Homerum Lib. IX. Ità Jovem iratum ridentem facit Hesiodus Lib. I. ἐγγ; Plura nobis exempla suppeditat Gallorum doctissimus Bourdelotius ad Petronij Satyricon pag. 144.

Pag. 31. vers. 5. *Gladio, quem Lövi vocabat*] Ex hoc loco Saxonis elucet usitatissimum fuisse
B veteribus athletis nomina gladiis imponere, Sic infrà *Snyrtir* gladius, & *Hëthingus. Skrep* gladius Vermundi. *Liusing* & *Huiting* gladij. *Löcthi* gladius Olonis Vegeti. Sic Rolandus Filius Berthæ Sororis (ut vulgò existimant) Caroli Magni, gladium habuit *Durendam* vel *Durandulum*, quo plurimam faciebat hostium stragem. Videatur Camerar. Horarum Subcis. Cent. 1. Cap. 76. & Cent. 2. Cap. 29. Ita & *Caliburne* dictus est gladius celebris Arthuri Re-
C gis Britannorum nominatissimi. Hoveden in Richardo I. *Et contrà Rex Angliæ Richardus dedit Regi Tancredo gladium illum optimum, quem Britones Caliburne vocant.*

20. *Quisnam esset iste Krage?*] Nonnihil diversam Rolvoni nostro cognominis impositi occasionem commemorat Edda Mythologiâ LXIII, quæ fuit ejusmodi: Kongr æin i Danmorck er nefndr Hrofslr Kraki / han er agiettarfr forn Konga. Fyrst af mildi og frækn-
D leik oc litilsæti. thet er aent inck um littaleti hans er imoge fært i frasogn/ at ænim litil Svein og fatækr er nefn Voggr / han kom i holl Hrolfs Kongs/ tha var Kongr en ungr ad alldr og granligr a voxt. Tha gek voggr for ham og sa up a ham. tha melte Kongr/ huat viltu mæla Svein er thu ser sa up a mik. voggr s. tha er ek var heima hæirda ek sage at Hrofslr Kongr i Hleidru var mestr madur nordslandum/ en nu sier han i hasæti Kraki ænim litill og kalla ther than Kong sin.
E Tha s. Kongr: thu Svin hefr gefit mir nafn at eg skal heita Hrofslr Kraki/ en that er vit met os/ at giof skal fylgia nafn festi. Nu se ek thick enga giof hafa t' at gefa mir at nafnfesti. Tha eg mir se dagilig/ nu skal sa gefa ordrum er ther tefr/ togh gulhring af hendi ser og gaf hanom. Tha mælti Voggr. hef du alra Konga heilatr og thess strengi ek heitat verda. dess mans bani er thin bani verdr. Tha mælti Kongr/ oh hlo at: Litlu verdur Voggur fei ginn. Id est: *Quidam Daniæ Regum*
F *dictus est Hrolfo Krake, qui antecessores suos omnes, liberalitate, fortitudine & humanitate antecellebat. Humanitatis ejus indicium certum hoc est. Erat juvenis quidam pauper nomine Voggur, hic aulam Rolfonis intravit, cum junior adhuc rex esset, & staturæ minoris, cumq; accedens intentè in vultum ejus lumina figeret: id animadvertens Rex, quid inquit, vis Juvenis, cum attentè adeo me aspicias? Respondit Voggur: Domi cum essem, omnes Rolfonem Regum*

Septentrionalium maximum deprædicabant : sed A *jam in solio Regis parvum video Cornicem* (Krake) *quem Regem vocant. At ille, Tu juvenis cognomen mihi primus dedisti, ut vocer* Hrolfo Krake; *moris verò apud nos est, ut is cui cognomen datur, à dante, cum nomine, donum accipiat. Quod verò mihi jam dabis, siquidem videam te nullum munus me dignum adferre. Æquum igitur esse duco, ut det qui habet : mox detractum à digito annulum ei obtulit. Gratias habeto, inquit Voggur, Rex fortunatissime. Votum hoc solemne vicissim jam voveo.* B *Quicunque vitâ te privaverit, meâ cadet dextrâ. Cui Rex subridens.* Litlu verdur Voggur feggin. id est, *Parvo contentus est parvus Voggur.* Vel ut alius Eddæ interpres vertit : *Rex quidam Daniæ Hrolfus Krake dictus est, Regum priscorum, propter liberalitatem, fortitudinem, & humilitatem celeberrimus. In ejus aulam adolescens pauperculus aliquando venit, nomine Voggus* (Voggur) *regem fixis intuens oculis. Cui Rex; quid, inquit, adolescens vis effari, quum ità me accuratè contempleris?* C *Tum ille : Domi meæ audivi Hrolfum, Regem Hledræ, maximum esse virorum, qui in Aquilonaribus conspiciuntur terris : sed nunc in solio hic sedet exiguus pusio* (Nu situr hier i hasæti Krake litill) [Krake, pusio est, vel adolescentulus) *Tu adolescens, Rex ait, cognomen mihi dedisti, ut Hrolfus Krakius appeller. Sed moris est, ut cognomina dono aliquo confirmentur. Te verò, quod dones, nihil habere video. Dabit ergò qui habet, annulumq; aureum digito extractum ipsi concessit. Tùm Voggus :* D *Omnium, inquit, regum felicissimus dederis, Votumq; voveo ejus viri interfector fieri, qui te occiderit. Rex autem arridens addebat :* Litlu verdur Woggur feigin / *parvo Voggus gaudet.*

21. *Faceto cavillationis genere inusitatum proceritatis habitum prosequutus*] Solent plerumq; ingenti corpore homines aliorum salibus exagitari. Ità Vespasianus Imperator procerum hominem irridens, eum nominavit δολιχὸν ἔγχ☉, *longam hastam*, adducto è Poëtarum E Principe Græco versiculo. Svetonius in Vespasiano Cap. 23. Galli hodieq; proceræ staturæ hominem *perticam & Longurium* indigitant, teste eximio Oratore Lud. Cresollio, Vacation. Autumn. Lib. 2. Sect. 3. Sic Proculus propter eximiam & Colosseam corporis granditatem, *Colosseros* fuit nominatus. Et Corbulo quondam Cornelium Fidum civem Romanum, quod longo esset corpore, tenui & F angusto collo, & notabili crurum gracilitate, in senatu per contumeliam appellavit *Struthiocamelum*, autore Svida. Pisandrum ob corporis magnitudinem *Cnidium Asinum* vulgo nuncupaverunt. Cum etiam Mimus quidam Antiochenus, qui eximiâ corporis mole in sublime assurgebat, in theatro saltaret Capaneum, & Thebarum etiam muros jam adjecturus videretur : Antiocheni omnes unâ voce exclamarunt, *ut transcenderet, nihil enim scalis esse opus tàm magno.* Sanè bellè Sidonius Apollinaris negat in homine proceritatem esse vehementer laudandam, *quæ trabibus congruentius*, inquit, *aptetur.*

32. *Consentaneum priori munus obtinuit*] Eâdem calliditate usus est Refo quidam infrà Lib. VIII. Qui à Gotrico Rege, torque donatus, confestim eum brachio applicans, *id cunctis auro præditum ostentabat, reliquum verò perinde atq; ornamenti inops occultius habuit, eoque acumine ab invictæ munificentiæ dexterâ consentaneum priori manus accepit.*


34. *Arctissimâ voti nuncupatione pollicitus est*] Quod & perfecit, ut Saxo testatur sub finem hujus libri, dum Wiggo traditi sibi gladij *cuspidem per Hiartvarum egit; ultionis compos, cujus Rolveni ministerium pollicitus fuerat.*

37. *Alicujus magnæ rei voto*] Factum hoc observavi semper ferè inter decumana pocula, idq; majorum more. Quod Heroës illi facturi, poculum corneum manu tenentes ingens, de sede surgentes, ad lignum antè mensam constitutum, ad modum trabis in pavimento transversariæ, consistebant, ac votum hac ferè formâ nuncuparunt : Thess streinge eg heit : Vel; Stig eg á Stock og streinge : Id est : *Ejus rei voto me obstringo* : Vel; *Accedo ad trabem & voveo.* Ejusmodi ritus exempla suppeditat Jomsvikinga Saga; id est, Historia Pyratarum Julinensium.

46. *Lethram pergitur*] Antiquissima Regum Daniæ sedes & arx munitissima fuit Lethra; cujus, juxtà ac adjuncti oppidi, conditorem Saxo Rolvonem Regem facit : *Quod oppidum*, inquit, *à Rolvone constructum, eximijsq; regni opibus illustratum, cæteris confinium privinciarum urbibus regiæ fundationis & sedis auctoritate præstabat.* Ab hac *Lethra* Daniæ Reges in antiquissimis monumentis semper nominantur *Lethrarum Reges & Domini*, Kongur aff Ledru. Sita verò fuit urbs hæc & arx ferè in meditullio Selandiæ, non longè ab oppido Roschildiâ, ubi hodieq; ab incolis monstrantur manifestissima ejus vestigia. Ejus meminit Sveno Aggonis in Compendiosa Regum Daniæ Historia : *Huic in regno successit filius Rolf Kraki, patriâ virtute pollens, occisus in Lethra, quæ tunc famosissima Regis extitit Curia, nunc autem, Roschildensi vicina civitati, inter abjectissima fermè vix colitur oppida.* Situm loci utcunq; heic repræsentandum duxi.

ANTI-

ANTIQUISSIMÆ IN DANIA ARCIS ET OPPIDI LETHRÆ TOPOGRAPHIA



A. Sepulchrum Haraldi Hyldetan.
B. Sella Reginæ, Dronningstenen vulgò.
C. Locus, ubi Regia olim erat,
D. Hyldehøy / forsan ibi homagia Regibus præstita.
E. Vallis Herthæ Deæ, vulgo Erte dall.
F. Amnis Lethræ, olim fluvius vastus.
G. Steenhøy/ collis lapidibus cinctus.
H. Olufshøy / Regis Olai sepulchrum.
I. Pons major, Maglebroe vulgo.
K. Equile olim regium, Hestebierg.
L. Stabulum pullis deputatum olim, Folehøy.
M. Kirckehøy.
N. Friishøy.
P. Amnis Kornerupiò defluens, Kornerup Aae dictus

Pap. 32. vers. 16. *Confertissimis se globis immergit*] *Immergere se in confertissimos hostes*, Justinum dixisse, in Indice ad hunc autorem à Berneggero accuratè editum, annotavit Doctissimus Johan. Freinshemius: verùm in contextu legitur: *ubi confertissimos hostes acerrimè pugnare conspexisset, eò se semper ingerebat.* Lib. XI. Cap. 14. Virgilius significantius *injicere* dixit Æneid. 2. & 10.

25. *Noxq; hæc aut finis erit, aut vindicta malorum*] Galterus Alexandreidos Lib. VI. Fol. 67.

——— Sua dextra cuiq;
Aut modò finis erit, aut ultio digna malorum.

Pag. 33. vers. 8. *Enses Teutonici, galeæ, armillæq; nitentes, Loricæ talo immissæ, quas contulit olim*

A *Rolvo suis*] Recenset hic Hialto varia dona, quæ ex veteri more militibus & aulicis suis liberaliter contulit Rolvo Rex Daniæ. Solebant etenim Reges Daniæ aulicos suos ejusmodi muneribus beare & mactare, ut eos in fide retinerent, & ad quævis pericula pro se obeunda redderent alacriores. Ex his donarijs Rolvo in vetustissimis Rhytmis, quos ᛋᚴᛁᛅᛚᛚᚦᚢᚴᛅ ᚢᛁᛋᚢᚱ Skiolldunga Visur appella-
B runt, ᚢᛁᛏᛁᚱ ᛒᛁᛚᛚᛅ, Veiter pella / id est donator byssinarum vestium, & ᚼᚱᛁᛁᛏᛁᚱ ᚼᛅᚦᚦᛅ, Hreiter hodda / spargens aut distribuens aurum, dictus est: & ipsum aurum, ac numi, Poetico vocabulo, etiamnum apud Islan-

dos

dos YRAYAHAAþ, Krafafaad / hoc eſt, *Sementis Kracæ*, Rolvonis nempe hujus, quam liberaliter ſpargere ſolebat, dicitur:

Haki Kraki hoddum broddum
ᚼAYI YRAYI ᚼAÞÞDNY BRAÞÞDNY
Sœrdi nœrdi ſeggi leggi
HAIRÞI MAIRÞI DIᚠᚠI MIᚠᚠI
Veiter Leiter vella pella
DHITIR MITIR DIMMA BIMMA
Bali Stali beittiſt heittiſt
BAMI HTAMI BHITTIHT ᚼHITIHT

Hic prima vox cujusq; lineæ cum ultima conjungenda eſt, & ſecunda cum tertia, ut ſenſus obtineatur, licet metrum vel Rhythmus exſpiret, hoc modo:

Hafi broddum ſærdi leggi
Krafi hoddum nærdi ſeggi
Beiter pella bâli beittiſt
Neiter vella ſtali beittiſt.

Interpretatio. Hafi / id eſt, Haco antiquus, Rex Daniæ; Sœrdi / vulneravit, ſauciavit, Leggi / tibias, vel quævis membra hominum, ſcilicet in bello: Broddum / mucronibus, (omiſsâ Præpoſitione Med / in Ablativo Inſtrumenti.] Krafi / nempe Rolf Kraki, Rex Daniæ; Nærdi / refecit; Seggi / viros; hoddum / numis. Beiter pella / donator byſſinarum veſtium, id eſt, ipſe Rex, Rolf Kraki, byſſinas veſtes donare ſolitus; Bâli beittiſt / incendio toſtus vel excalefactus eſt, ſcilicet, der hand blef brent inde af ſin Suoger paa Lœrru i Sœland. Neiter vella / Rex Rolvo, vel potius fruens auro; beittiſt / ſauciatus eſt; Stali / Chalybe, id eſt, enſe, quando ſcilicet ab Hiartvaro confoſſus occubuit.

Haki Kraki hamde framde
ᚼAYI YRAYI ᚼAYÞI ÞRAYÞI
Geirum Eirum Gotna flotna
ÞHIRDY HIRDY ÞAIMA ÞMAIMA
Hreiter neiter hodda brodda
ᚼRHIIR MIIIR ᚼAÞÞA BRAÞÞA
Brendiſt endiſt bale ſtale,
BRIHÞIHT IHÞIHT BAMI HTAMI

Hic iterum voces alternatim conſpirant, & ita in proſam quaſi redactæ, ſonant:

Hafi hamde geirum Gotna
Krafi framde eirum flotna
Neiter brodda endiſt ſtale
Hreiter hodda brendiſt bale.

Interpretatio: Hafi / Hako Rex; hamde / coercuit; Gotna / viros: Geirum / Enſibus vel armis Krafi / Rolvo Rex, cognomento Kraki; framde / promovit; flotna / viros nautico vitæ generi addictos; Eirum / Auro vel opibus. Neiter brodda / utens mucronibus, id eſt, bellator A Haco; Endiſt / finem vitæ accepit; Stale / chalybe vel enſe. Hreiter hodda / ſpargens aut diſtribuens aurum, nempe Rolvo Rex: brendiſt bâle / conflagravit, ſive exuſtus eſt flammâ vel incendio.

21. *Omnia quæ poti temulento prompſimus ore*] Nempe, ad vota, quæ, ut ante docuimus, inter pocula fundere conſveverunt, alludit: quoniam per ἐπεξήγησιν ſubnectit: *& vota ſequamur*: quia ſemet ipſos, & ſua omnia Prin-
B cipi, cui ſe probare cupiebant, devoverunt; largiore animo; cum incaluit vino circum præcordia jecur.

23. *Procul hinc procul eſte fugaces*] Imitatur Saxo antiquam illam & ſolennem formulam, quâ profanos ſacris arceri moris erat. Virgilius Lib. VI. Æneid.

——— *Procul ô procul eſte profani.*

Ovidius XVII. Metamorph.

C *Hinc procul Æſonidem, procul hinc jubet ire miniſtros.*

Silius Italicus Lib. XVII.

Et procul hinc, moneo, procul hinc, quæcunq; profana.

Tit. Calphurnius Eclogâ 2.

——— *Ite procul, ſacer eſt locus, ite profani.*

36. 37. *Certamina primâ Fronte gerunt Aquilæ*] Antiquiſſimum hoc eſt Proverbium, quod priſ-
D ca linguâ Danicâ ſic effertur: ANÞDIR-ÞIR HYDMD IRMIR YMAAHT: Andverdir ſkulu Erner floaſt: id eſt, Danicâ hodiernâ: Ret imodvend ſkulle Ørnene riſſueſ. Id ipſum reſponſi loco Olao Craſſo, Norvegiæ Regi, olim repoſuit Erlingus Skjalgſonius, Vir & corporis & animi viribus fortiſſimus, quum ab ipſo interrogaretur, quare tam animoſe ac fortiter hoſtibus ſuis reſiſteret? Quum etenim Olaus Rex claſſe ſua Erlingum adoriretur, &
E acerrimâ coörtâ pugnâ, non ſolum Erlingi claſſiarij fortiter ſe defenderent, verum ipſe Erlingus quæcunque tela, lanceas, ſagittas, in ipſum jacularetur hoſtis, gladij ſui obtentu fruſtraretur atq; eluderet: Rex admirabundus ita Erlingum alloqui cœpit: Ondverdur horffer thu oſ i dag Erlingur; id eſt, *Adverſus intueris tu nos hodie, Erlinge*: quaſi diceret; Adverſo te pectore hodie nobis opponis, Erlinge. Cui reſpondet Erlingus: Ondverder ſkulu Erner
F floaſt; Id eſt; *Adverſæ debent Aquilæ ſe unguibus impetere.* Idem Adagium occurrit infrà Lib. V: *Extremis ſe aquilæ ſcalpunt; anterius altes certant.* Cæterum uſurpatum hoc fuit de viro magnanimo & imperterrito, qui eſſet

Hoſti non tergo, ſed forti pectore notus.

Pag. 34. verſ. 2. *Extremam jam deguſtavimus eſcam*] Solenne hoc ſummorum Imperatorum fuit incitamentum, quo milites ſuos ad prælia alacri

alacri animo capessenda olim exhortari consveverant. Sic Leonidas ille Spartanus apud Thermopylas trecentos cives, quos Xerxi totius Asiæ armis succincto objicere non est veritus, hunc in modum allocutus est: *Sic prandete commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi.* Valerius Maximus Lib. III. Cap. 2. Herodotus Lib. VII. Justinus Lib. 2.

8. *Niveum caput exere Ruta*] Ruta hæc Soror erat Rolvonis nupta Biarconi, qui priorem ejus maritum Agnerum duello vicit & interfecit.

12. *Dirumpitur hamus nexilis*] Id est, Lorica hamis nexilibus compacta, Erat enim lorica hamata. Virgil. *Loricam consertam hamis auroq; trilicem.* Vel etiam *hamus*, singul. pro *hamis*, quibus arma connectere sibi solent milites. Unde mox, *nexile ferrum*, arma vocat, & *hamatum metallum.*

25. *Igne ursos arcere licet*] Nihil adeò terret bestias, quàm ignis. Sic Livius scribit Lib. XXVI. Elephantos à Pœnis in Romanos emissos, *igni è castris exactos.*

26. *Pauper erat*] Verè etenim avarus *Magnas inter opes inops*, ut ait Horatius Lib. 3. Carm. Ode 16. Et Seneca, *Avaro tàm deest quod habet, quàm quod non habet.*

53. *Pondera fudit opum*] Legendum omninò cum Clariss. Barthio *fudit.* Sensus est: Qui prius detrectabat minutos vilesq; annulos dare, mox coactus immensam opum vim dedit. Sic paulo post:

Cui nil tam pulchrum fuit, ut non funderet illud.

Fundere autem dictum quasi *Effundere*, hoc est, largâ & liberali manu donare. Quanquam non sim nescius τὸ *Effundere* malam in partem sumi pro prodigere & consumere: ut apud Terentium in Adelphis: *Effundere patrimonium.* Et Ciceronem Lib. 2. Offic. *Multi patrimonia effuderunt inconsultè largiendo.* Bernhardus Morlanensis Lib. 3. de contemptu mundi:

Das mihi, do tibi, quisq; cavet sibi, ne sua fundat.

Ubi etiam: *grandia pondere lucra*, vocat, quæ Saxo *opum pondera.* Monachus Florentinus, Episcopus Arconensis, Libro de recuperata Ptolemaide:

Multi qui divitias suas aliquando
Fuderant, pauperibus eas erogando,
Nihil sumunt, exules facti mendicando.

Cæterum, quomodo hic Saxo *fundere opum pondera* dixit: sic Galterus Lib 1. Alexandreidos, p. 4. v. 8. *pluere donativa*:

Thesauros aperi, plue donativa maniplis.

Pag. 35. vers. 19. *Ecce per infusas humana tabe lacunas*] *Tabes* hic pro *tabo* dicitur. Pomponius Mela Lib. III. Cap. 9. *Putiscentium membrorum tabe concrescens.* Statius Lib. VIII.

Atq; illum effracti perfusum tabe cerebri
Aspicit, & vivo scelerantem sangvine fauces.

21. *Scabris limantur arenis*] *Limantur*, hoc est, atteruntur, & veluti limâ expoliuntur, dum arenis alliduntur. Firmant sequentia: *Splendescunt limo allisi.* Glossæ Veteres: Limatur, *Rimatur, terit*, ζητεῖ. Ubi & alia significatio τοῦ *Limare* emergit, nempè ut tantundem valeat ac *Rimari, scrutari, quærere*, Cujus exemplum Phædrus nobis exhibet Fab. XLIX. Lib. 3.

———— *Si mendacium*
Subtiliter limasset à radicibus.

Et Lucretius Lib. 3.

Floriferis ut apes in saltibus omnia limant.

Quomodo ex MS. Codicibus legit Vir excellenti doctrinâ Nicol. Rigaltius. Ideoque in Glossis mendum subesse reor atq; ità scribendum: Limat, *Rimatur* [vel ut Gaspar Schoppius antiquè dictum existimat, Rimat, *Quærit*, ζητεῖ.

24. *Stagnatq; cruenta Latius eluvies*] Josephus Devonius Lib. V. de Bello Trojano, pag. 121.

Hinc capitum largus stagnat cruor, inde relicti
In cumulum surgunt trunci, currusq; retardant.

30. *Frothonis nepotem*] Rolvonem; quem Helgo Frothonis filius ex filia sua Ursa, quam Thora mater ignoranti patri prostituerat, suscepit; de quo antea dictum.

31. *Qui Sirtvallinos auro conseverat agros*] Cum nempe è Svetia in Daniam unà cum filiâ Ursa aufugiens, aurum per agros spargeret, quo fuga celerius carperetur: cujus itidem paulo ante meminit Saxo.

39. *Signum dubij præstare timoris*] Maximum dedecus atq; vitium ab antiquis Heroibus in timore positum videbatur; adeò ut qui timidum alterum appellaret, perinde ac si maximâ contumeliâ affecisset, sic eum, quem appellaverat, acerbum inimicum habiturus esset. Nec raro quis probrosam hanc appellationem morte suâ luit.

41. *Gloria defunctos sequitur*] Galterus Lib. VI. Alexandreidos, pag. 66, & 67.

Vivere per famam dabitur post fata sepultis,
Sola mori nescit eclypsis nescia virtus.

Et Lib. VII. Alexandr. pag. 78.

———— *miseris mortalibus inquit*
Hoc solum solamen inest, quod gloria mortem
Nescit, & occasum non sentit fama superstes.
Si vitæ meritis respondet gloria famæ,
Nulla tuos actus poterit delere vetustas.

Pag. 36. v. 3. *Nemo magis clausis refugit penetralibus uri*] Hoc etiàm priscis Heroibus & Martiis viris contumeliosum abjectumq; visum est. Id patet ex Skarphiedini, Niali filij, dicto, cum pater claudi domum, si inimici noctu afforent, consultum judicaret. Skarphjedinus contrà sub dio exspectare adventum eorum maluit, addens indecorum esse, more vulpecularum, intrà lustrum latebramq; comburi. Niala consulenda. *M. Brynolfus.* A

51. *Non humile obscurumvè genus*] Non Bjarco dicit, tenuiores & pauperes non mori; verùm, ut opinor, nullam eorum apud inferorum Regem Odinum, atq; ejus contubernales Heroas alios, rationem futuram. *M. Brynolfus.* B

Pag. 37. vers. 7. 8. 9. *Ut imagine collis Editus è truncis excresceret artubus agger, Et speciem tumuli congesta cadavera ferrent*] Tantam se stragem hostium edidisse Biarco significat, ut corpora cæsorum unum in locum congesta ingentes acervos, imò colles & tumulos, repræsentare possent. C Sic eleganter loquitur Tullius noster Orat. pro P. Sextio : *cædem verò tantam, tantos acervos corporum extructos, quis unquam in foro vidit ?* Ita Xenophon Lib. IV. de rebus Græcanicis Corinthiam cladem describit, ὅυτως ἐν ὀλίγῳ πόλλοι ἔπεσον, ὥστε ἀθισμῶν ὁρῶν οἱ ἄνθρωποι σωρὸς σίτου, ξύλου, λίθων, τοτ' ἐθεάσαντο σωρὸς νεκρῶν. *Tam multi pauco tempore ceciderunt, ut homines acervos frumenti, ligni, lapidum videre soliti, tùm acervos corporum adspexerint.* D Catullus de Nuptijs Pelei & Thetidos :

Cujus iter cæsis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixtâ flumina cæde.

Lucanus Lib. VIII.

———————— *Cernit propulsa cruore*
Flumina, & excelsos cumulis æquantia colles
Corpora, sidentes in tabem spectat acervos.

Josephus Devonius loco mox citato : E

———————— *Indè relicti*
In cumulum surgunt trunci, currusq; retardant.

Sic & infrà Lib. VIII. magnitudo stragis describitur : *Jacebant circa currum Regis, innumera extinctorum corpora, rotarumq; fastigium congeries funesta vincebat. Temonem quoq; cadaverum cumulus exæquaverat.* Cæterùm aggerem illum, sive struem cadaverum bello cæsorum Dani olim F vocarunt ᚢᛅᛚᚴᛅᛋᛏ, Valkøst.

21. *Prima sibi testis res est*] Proverbium Islandicum consonat : Raunen er obygnust: *Experientia verax est.* Item : *Fama oculo cedit :* Sion er Sogu rykare: *Præstat famæ visus.* Item: Allt er Svipur nema Sion : hoc est: *præter visum idola sunt reliqua.*

22. *Visusq; fidelior aure est*] Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.

29. *Multa moras afferre solent.*] Proverbium & hoc videtur egregij Herois fortè dictum : Tynest til tafar : id est : *Incidunt multa, quæ morentur.*

38. *Uno semper contentus ocello*] Juvenalis Sat. VI.

———————— *Ocyus illud*
Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.

Joannes Hantvillensis Archithrenij Libro I.

Est quoq; & unoculo vultu contentus ——

Illa verò referenda sunt, ad ea, quæ suprà diximus, de Odini apparitionibus : quandoquidem alterum oculorum Mimero vendidit, ut liceret de sapientiæ haustu, quantum vellet, percipere. Edda Fab. XIV.

41. *Adde oculum propius*] T. Calphurnius Siculus *Lumina propius ferre* dixit Bucol. Eclog. I. quæ Delos inscribitur :

Ornite fer propius tua lumina ——

Ibid. *Et nostras prospice Chelas*] Diu me hic locus planè obscurus exercuit. Variè quoq; eundem exposuerunt excellenti doctrinâ viri, quos in Belgio, & alibi, de eo consulere visum fuit. Nobilissimus Vir, Daniel Heinsius, hunc in modum interpretabatur : χηλαὶ *sunt Cancrorum forcipes, aut forfices, acutæ & dentibus armatæ, quæ cum committuntur, quicquid premunt, collidunt. Ruta ergò consulta, ut fatidica, obscurè respondet : Si Biarco Martem præsentem, hoc est, felicem, experiri vellet, antè omnia discordias patriæ respiceret, hoc victrici signo oculos imbueret ; ità futurum, ut tutò Martem experiretur.* Aliter verò Vir summus, Gerardus Jo. Vossius, verba hæc explicavit: *Jubet,* inquit, *Ruta, Rolvonis soror, ut Biarco propius accedat, ac se intueatur. Nam* prospice nostras chelas, *valet, conjice oculos tuos in meos.* Chelæ *propriè in paguris, astacis, cancris, ac similibus piscibus vocantur, quæ Ovidio IV. Metamorph.* flagella *appellantur ; Plinio etiàm dicuntur* acetabula *&* brachia. Κατὰ μεταφορὰν *transfertur ea vox ad extimas ciliorum oras, idq; propterea, quia ut acetabula in cancris, ità in nobis, quando dormimus, ciliorum crepidines se contingant, ac quasi complectantur. Hoc docere nos potest doctissimus Medicus, Rufus Ephesius* Lib. 1. Cap. 4. Τὰ δὲ ψαύοντα ἀλλήλων πέρατα ἐν τῷ καθεύδειν ἡμᾶς, στεφάναι καὶ χηλαί. *Ubi Julius Crassus Patavinus,* Chelæ, *inquit, hoc est, Ungulæ. Ineptè sanè. Quid enim simile inter Ciliorum crepidines ac Ungulas belvarum? Sed inter acetabula ac dormientium Cilia similitudo est : uti jam dictum.* Hactenus Vossius meus. Cæterùm mentem versus hujus ità intelligendam censuit eminentissimus Philologus & Historiographus incomparabilis, D. D. Joannes Isaacius Pontanus : *Saxonem nostrum loco isto,* Et nostras prospice Chelas, *manifestò imitatum puto, aut saltem respexisse Lucanum ; cujus verba sunt.* Lib. I. v. 659.

Tu

———— Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis caudâ, Chelasq; peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur, Venerisq; salubre
Sidus habet, motuq; celer Cyllenius hæret,
Et cælum Mars solus habet ————

Chelæ itaq; Saxoni fuerint pro Scorpione positæ, quod Signum apud Astrologos est Martis. Atq; ita signo pro ipso Marte accepto; invocandum ante omnia Mavortem domesticum Ruta vult adversus Hialtonem Svecum; cùm Othinum, Deum peregrinum, sibi auxiliarem Biarco requireret. Qui quidem Othinus, licèt totâ Europâ titulo divinitatis censeretur; apud Upsalam tamen, Seciæ Metropolim, crebriorem, ut ante dixerat idem Saxo, diversandi usum habebat. Biarconem idcircò non deos exteros; sed suos & patrios, respicere Ruta monet, si exitum certaminis auspicatum experiri velit. Et id præcipuè innui his verbis existimo; Et nostras prospice Chelas: *tùm & illis, quæ ab ipso Biarcone prolata paulò antè:*

Et nunc ille ubi sit, vulgò qui dicitur Othin,
Armipotens uno semper contentus ocello?
Dic mihi, Ruta, precor, usquàm si conspicis illum.

Quibus continuò respondens Ruta inquit:

Adde oculum propius, & nostras prospice chelas.

Quasi diceret: non est quod Othinum requiras invocesve; nostrum potius auxilium, nostrosq; ac proprios Deos respice; Hæc indubiè vera loci mens est. Caspar Barthius, Polyhistor nostrâ ætate nulli secundus, & verè Criticorum Germanicorum Alpha, in Literis ad me suis *Chelas* exponit *Brachia. Crucis imagine,* inquit, *se signabat Ruta, aut alio signo, hoc dicens: itaq; observare brachia sua jubet Biarconem, æmulaturum idem signum, siquidem in Dæmonis illius conspectum venire vellet. Chelæ, brachia sunt, vel Papiâ Interprete. Et eas Latio donavit notissimo Georgicorum Versu Virgilius.* Subjungam longè diversam horum verborum explicationem à Clarissimo Viro, & magni apud nos nominis Medico & Philologo, D. Olao Wormio, mecum communicatam. *Quid Chelæ, quid item Chelys, vulgò notum.* χηλὴν, *Ungulam bovis vocat Cælius Rhodiginus Lect. Antiq.* Lib. XIII. Cap. 36. *de Polydamante ubi sermo: Idem hic Leonis domitor, ait, boum ingressus armentum, inibi taurum magnitudine insignem ac præcipuè ferum conspicatus, ex posterioribus alterum arripuit pedem, retinensq; pertinacissimè ferocientem, ac impetu prærabido prosilientem, non dimisit prius, quàm indignabundus ac furens, tandem in Polydamantis manu* χηλὴν, *id est, Ungulam reliquit. Utrumq; non incommodè ad vasa cava accommodatur. Tam enim Astacorum, Gammarorum, & Scorpionum Chelæ, quàm testudinum Chelya, & boum Ungulæ concavæ sunt. Per chelas itaq; vasa concava, conchas, aut pel-*

A *ves aquâ repletas, in quibus arte* ὑδρομαντικῇ *Otthinum repræsentabat Ruta, Saxonem nostrum intelligere arbitror. Non secus ac Varro notat puerum quendam in aqua effigiem conspexisse, quæ quinquaginta versibus omnem Mithridatici belli eventum expresserit. Et Appion Grammaticus memoriæ prodidit, se umbram Homeri evocasse, ut ab eo percunctaretur cujas esset, & quibus parentibus editus. Saxo ipse Lib. VII, fœminam describit; cujus carminum tanta vis erat, ut rem quantalibet nodorum con-*
B *sertione perplexam, è longinquo soli sibi conspicuam, ad contactum evocare posse videretur. Nostras, ait, non cælestes, nec alienas, sed quas manu versabat, prospice, procul venerabundus intuere, sed at propius aliquantò accedens diligenter attendas. Alludit verò Auctor ad priscam superstitionem; quâ Magnates, qui bello occubuerunt, ab Othino suscipi, aulæ inferorum magnâ solemnitate & pompâ inferri, conviviisq; magnificis excipi, crediderunt. Extat in hujus rei testimonium vetus cantilena, in quâ de-*
C *scribitur, quâ pompâ & solemnitate ab Othino apud inferos exceptus sit Ericus Blodóxe, Norvegiæ Rex, cùm jàm fatis concessisset. Inscriptio hæc est:* Huerſa Odin fagnede Kong Erikur Blodøxar. *Biarco igitur quàmplurimis vulneribus saucius & morti vicinus, à Ruta quærit, an videat Othinum, advenientem, qui ipsum ad inferorum deferat portas. Cui illa respondet; profanis oculis cerni non posse, sed sacris ritè peractis, in concha, quam tenebat, ejus se demonstraturam Idolum.* Et quidni addam adhuc
D aliam loci hujus interpretationem, quam paulò antè obitum suum nobis suppeditavit Clariss. Vir, M. Johannes Janus Alanus, Græcæ Linguæ in Academia Hafniensi Professor, Præceptor olim meus, & Hospes indulgentissimus,

Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet, mundusq; piorum.

Ea verò talis est: *Per* Chelas *arbitror significari*
E *forcipes, in altaribus frequentes, ad gubernandas victimas ab uno loco in alium, & ab igne in alium, quò faciliùs & melius adolere possent.* Hic omnibus tandem accedet hujus loci ἐξήγησις, quam mecum per literas ante aliquot annos communicavit Islandiæ decus, & non inficiandum patriæ nomen, Arngrimus Jonas, quæ ità habet: *Vocem* Chelas *quod attinet, de quâ in Saxone ambigitur, vix occurrit, quod scribam. Interim tamen hæc mea est conjectura, illum per* Chelas, *non ipsum*
F *Odinum, sed Parcas indigitare Odinicas, quasi ipsius præsentiæ pignora; quarum nomina speciatim recensentur in Edda, Apologo XXXI. Sed generali nomine* ᚢᛅᛚᛦᚨᚱᛁᚢᚱ Valkyriur / *appellantur, id est,* morticanæ. *Has moribundis, vel post Sacrificiorum singulares ritus, vel etiam sponte ostentasse Sathanam, facilè credidero, qui variè cum Gentilibus istis collusit. Id quod ex Rhythmico Elogio Haddingi cujusdam militis exspirantis apparet:*

Sia kan ek fogdfader fiol-
ᚼᛁᛅ ᚴᛅᚿ ᛁᚴ ᚠᛅᚠᚦᚠᛅᚦᛁᚱ ᚠᛁᛅᛚ-
nis mejar
ᛘᛁᚿ ᛘᛁᛅᚱ
Yder hefir mer odin sendar
ᛁᚦᛁᚱ ᚼᛁᚠᛁᚱ ᛘᛁᚱ ᛅᚦᛁᚿ ᛋᛁᚿᚦᛅᚱ
Villat gladur i Vingolf
ᚢᛁᛚᛚᛅᛏ ᚴᛚᛅᚦᚢᚱ ᛁ ᚢᛁᚿᚴᛅᛚᚠ
folga
ᚠᛅᛚᚴᛅ
Ok med Einherium *ól drecka*
ᛅᚴ ᛘᛁᚦ ᛁᛁᚿᚼᛁᚱᛁᚢᛘ ᚠᛚ ᚦᚱᛁᚴᚴᛅ

Videre possum mortis præsentiâ amictus, Odini Virgines :
Vos ad me Odinus misit :
Volo vos hilaris in locum beatorum Odini sequi
Et cum Einheriis cerevisiam bibere.

Item ex illo Regneri in Epicedio :

Heimbioda mier dysir
ᚼᛁᛘᛒᛁᛅᚦᛅ ᛘᛁᚦᚱ ᚦᚢᛋᛁᛅ
Sem fra Herians hollu
ᛋᛁᛘ ᚠᚱᛅ ᚼᛁᚱᛁᛅᚿᛋ ᚼᛅᛚᛚᚢ
Hefur Odinn mier sendur.
ᚼᛁᚠᚢᚱ ᛅᚦᛁᚿᚿ ᛘᛁᛁᚱ ᛋᛁᚿᛚᚢᚱ.

Invitant me Dysæ, [Sic Parcas vocat]
Quas ex Othini aulâ
Othinus mihi misit.

Sed Valkyrias *Saxonem* Chelas *vocasse in fluxu Poëtico conjicio vel ob cognationem aliquam soni, vel etiam significationis ; quia sicut hoc Scorpionum genus, quod Chelas vocant, suis cancrinis alis, quicquid apprehendit, enecat : ita harum VValkyriarum apprehensio inextricabilis. Nec in præsentia verisimiliorem ullam afferre possum rationem, quum Rhythmo destituamur.* Sed quid mihi in tanto doctissimorum virorum dissensu statuendum? Cogor omnino ἐπέχειν : nisi si cum Wormio meo capienda sit vox hæc de vasis quidem convavis, conchis aut pelvibus, sed non aquâ rerepletis, verum sangvine potius, ex quo Sacrificuli, & extispices Ethnicorum, de futuri belli eventu conjecturam capere solebant. At Marbodæus Gallus Cænomanensis, qui de Gemmarum Naturis ac viribus scripsit, *Chelæ* voce utitur, nisi fallor, pro brachio ; Cap. XIX. de Chelidonio :

Ex lino facto decet hunc involvere panno,
Et sic sub Chelâ, clausum portare, sinistrâ :

Quemadmodum & Barthius Papiam id vocis exponere, paulo ante indicavit. Unde adducor, ut existimem, latere in his versibus vestigia Magici istius ritus, quo eos solent initiare, quos mirâ oculorum perspicacitate imbuere

A cupiunt. Etenim in terris hisce Borealibus & olim fuisse, & hodieq; in Islandia reperiri perhibent homines incredibili visus acumine, suprà naturam pollentes, adeo ut non solum interdiu, sed & noctu, haud aliter, ac luce clarâ contueantur varia phantasmata, variasq; volitantium per auras figurarum apparitiones, quas nefas est alioquin ulli homini mortalibus cernere oculis. Id nostrates dicunt, **At være Siunst.** Hi creduntur arte quâdam in alios
B singularem hancce perspiciendi vim, quâ ipsi præditi sunt, transfundere posse, ut & illi, passim vagantes formas videre queant. Hos enim lateri sinistro, interdum utriq; admotos, pone tergum consistere, *perq; Chelas*, hoc est, brachia in latus reflexa prospicere tantisper jubent, dum carmina quædam demurmurent. Id quod ubi ter aut sæpius factitatum, statim tam Lyncei evadunt, ut nulla non spectra, imo tenuissimas omnium formarum exuvias ultro
C citroq; in aëre oberrantes, tàm noctu quam interdiu, conspiciant. Quum igitur Biarco Othini videndi cupiditate duceretur, & ex Ruta conjuge, quæ forte tam stupendâ oculorum acie prædita fuit, diligenter quæreret, si uspiam conspiceret illum : illa existimans maritum, auxilij implorandi causâ, de Othino percontari, respondit : *Si vis præsentem tutò cognoscere Martem*, hoc est, Othinum, præsidem bellorum : (Othinum enim pro Marte colebant
D Septentrionales populi) *propius adde* & admove *oculos*, & *prospice*, sive transpice, *per nostras Chelas*, id est brachia mea : ut anteà *lumina* tua quasi consecrare possis conspecto *signo Victrici*, hoc est, Othino, qui victorias conferre solet, quiq; profanis oculis cerni non potest. At contra Biarco ideò Othinum sibi obvium dari cupit, ut cum ipso manus conserat, quem noverat partes Svecorum propugnare ; ut belligero Deo prostrato, Svecisq; superatis, Dani victores fo-
E rent. Hæc mea conjectura est, quam idcirco nulli obtrudo ; sed unumquemque suo sensu abundare permitto. Cæterum posteaquam hæc à me literis prodita essent, en nactus sum Collectanea Clarissimi & Doctissimi Viri, M. Brynolphi Svenonij, Episcopi Scalholtensis, mihi inscripta ; in quibus Saxonis hæcce verba hunc in modū exponit : *Hic scilicet*, inquit, *est locus ille, qui doctissimorum virorum ingenia hactenus torsit, & quod pace illorum dixero, fefellit ; à te primùm,*
F *quantum scio, Vir Clarissime, rectè & ex autoris mente, ut opinor, intellectus expositusq;. Enimverò nihil est certius, quàm petere Bjarconem ab uxore, ut spectrum Odini suis oculis permittat, jamdiu rebus humanis adempti. Quod officium Ruta marito præstitura, quibus opus erat factis præmonet, atq; ut hoc spectaculum ritè & impunè curioso spectatori sit, duarum rerum commonefacit. Primò, ut si ritè spectrum Odini conspecturus sit, debeat ad se, prius conspicientem idem, accedere, his verbis : Adde oculum propius,*

propius, atq; sub ala sua, credo sinistra, cum feminâ A *esset, positum vultum ad conspiciendum collocare: quem locum, brachium inter & latus, Metaphoricè* χηλὴν, *& numero multitudinis, voce latina prius factâ*, Chelas *appellat. Porrò quod hic mos & modus eorum, qui conspecta spectra aliis ostendere voluerunt, fuerit, non modò antiqui, verùm nostri etiàm adhuc homines, quotidiè in ore habent, nè dicam in usu: ut vix ullus inter nos inveniatur, quin hunc ostendorum spectrorum morem inaudiverit: id quod bonâ fide testari possum. Quare vel* B *meo periculo, Vir optime, contrà maximos illos viros, qui secus hunc versum exponunt, in sententiâ permaneto. Ego namq; nullus dubito, quin, si pro eo, quo præstantissimarum lingvarum & scientiarum notitiam habent; Normannicarum etiàm memoriarum & sepultarum antiquitatum cognitionem exactam possiderent, pedibus in nostram sententiàm essent ituri. Quibus hoc saltem ex bona gratia concedant æquum est; ut Normannicæ vetustatis custodes, licet nimiùm negligentes, fateor, custodes tamen* C *habeamur, ut nos illis de eximia eruditione gratulamur.*

42. *Antè sacraturus victrici lumina signo*] *Deindè, postquam rationem proposuit Ruta, quemadmodum ritè Martem Bjarco conspiceret; videlicet, si inter thoracis latus & brachium suum prospectaret: nunc deinde, ut Odinum tutò & securè videat, consilium reddit tale; ut priusquam ad prospiciendum pervacuum axillæ locum accedat, oculos signo consecret muniatq;. Quod quale sit, id verò est, de quo* D *maximo dubitamus opere. Memini te, Vir Clarissime, cum jucundissimè domi tuæ tecum viverem & fabularer, de his rebus: victrici signo oculos consecrare vel sacrare, contra periculum visionis ex curiositate forsan imminentis, talem habere sensum judicasse, ut victrix signum, constructionis convenientiâ, sic dictum à fine sit: quam locutionem contra sugillatores, ut Latinam, ex bonorum autorum usu adstructam ivisti. Memini tùm meam sententiam,* E *haud illam Areopagiticam, sed qualis tùm incidit, satis audacter, ut amicis soleo, ingessisse, hanc; ut Rutam tale quid præcepisse crederem, priusquam axillam ad contemplandum Bjarco accederet,* oculos *signo, id est, charactere, debere* victrici, *quo nomine Hildam, seu Bellonam putabam notari, consecrare: quæ scilicet illos contra injurias defensura si esset, usus foret. ut* victrici, *in dandi casu ad Participium* sacraturus *referrem, non ad* signi *vocem: cum crederem characteres in honorem deorum ad usus Ma-* F *gicos cum precibus & sacrificiis adhibitos esse, singulorum singulos. Atq; sic signum, quo Victrici, id est, Bellonæ vel Hildæ, oculos sacraret, lumina illo* κεχαραγμένα *contrà omnes injurias præstare. Nunc deinde, quanquam illius sententiæ non admodùm me pœnitet; nescio tamen, quomodo prior interpretatio de victrici signo magis ac magis se mihi probare cœpit: maximè postquam admirandum illud de Runis Brynhildæ Budloniæ cum Sigurdo Fafnisbanæ collo-*

A *quium in Ragnari Lodbroci Chronicis perlegi, ubi inter alia Runarum genera, quæ nominant, memoratur illud etiàm genus, quod Sigrunas appellat. Quæ si à nomine Sigur, quod victoriam notat, notationem finalem obtinuerunt, ipsa vel vocis considerata interpretatio, Sigrunas, ad verbum, victoriæ destinatos characteras, aut ut Saxo loquitur,* victricia signa, *reddere invitat, & tantum non cogit. Proinde jam proximus sum, ut tibi consentiam de victrice signo, Sigruna aliquâ oculis prænotanda, priusquam in spe-* B *ctaculum hoc Bjarco descendat, locum præsentem accepturo. Veruntamen, ut dixi, prioris sententiæ ut non admodùm pigeat, quin identidem in illam mentis aciem reflectam. Tu, Clarissime Vir, videas quod probes: mihi indicasse satis est, tibiq; & tui similibus, hoc est, doctis, amicis, & candidis, benignè cognitionem deferre.*

42. *Ante sacraturus victrici lumina signo*] *Victrix signum* hactenus illud esse credidi, quod olim ex victimâ de eventu belli captabant. C Ethnici enim Sacerdotes vel ex sanguine victimarum, vel ex intestinis earundem inspectis, victoriam suis aut stragem vaticinabantur. De Cimbris elegans est locus & notatu dignissimus Lib. VII, Strabonis, pag. 294. *Morem fuisse hunc Cimbris ferunt usitatum, sequentibus eos in bellum, Uxoribus, vates quædam comitabantur canæ* (nobis RUNÆ dictæ) *albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis affixu, cinctu æreo, pedibus nudis: eæ per* D *castra captivis occurrebant strictis gladiis, prostratosq; ad crateram æneam adducebant amphoras circiter XX capientem; super eam pulpitum erat, quo conscenso, vates sublimis, singulis suprà lebetem elevatis, guttur incidebat:* ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα, μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο: *E sanguine verò in crateram fuso suam captabant quandam divinationem:* ἄλλαι δὲ διασχίσασαι, ἐσπλάγχνευον ἀναφθεγγόμεναι νίκην τοῖς οἰκείοις: *aliæ cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisq;* E *spectatis victoriam suis vaticinabantur.* Et quid si talis fuerit Ruta nostra? Hac notione *Oth* Hebræis signum est, unde colligebant aliquid certò eventurum; Ut Psalm. LXXIV. v, 4. *Posuerunt signa sua, signa:* ubi Franciscus Vatablus; *Repetit nomen ad certitudinem & varietatem rei. Nam signa certa habebant, quibus sibi persuadebant se capturos templum sanctum.* Ezech. XXI. v, 21. *traditur, quomodo consuluerint exta, cum in destructionem templi Sancti proficiscerentur. Quasi* F *diceret, ea signa, quibus adducebantur, se capturos templum, crediderunt esse vera.* Julianus Apostata ante expeditionem Persicam viscera humana de futuro eventu scrutatus est, teste Herodoto, Lib. 3. Cap. XXI. Videatur omnino hac de re Camerarius Horar. Subcisiv. Cent. 1. Cap. 59. quod totum est de nefandis sacris Juliani Apostatæ. Sunt qui *victrix signum* capiunt de salutari crucis Dominicæ signo, quod olim optimo Imperatori Constantino in nubibus apparuisse

tradunt

tradunt Historici, cum hac inscriptione ; IN A
HOC SIGNO VINCES : verùm illi, ni fallor, toto aberrant cœlo: quum Ruta, quæ hæc protulit verba, nondum sacris Christianis initiata esset.

47. *Altum flectat equum*] Multipedem illum & æripedem *Sleipnerum*, quo non solùm remotissima orbis terrarum loca brevissimo spatio emetiri, verùm in cœlos etiam ipsos vehi, per Iridem, quæ regia deorum in cœlum via creditur, & Bifrøst *dicitur*, à Poëtis an- B
tiquis fingitur, statuitur, traditur. Edda consulatur.

50. *Studeamus honestè posse mori*] Nam ἄνανδρον ἀκλεῶς τὸ κατθανεῖν, inquit Euripides Oreste, Act. 2. Hoc est, *Invirile est ingloriè mori*: vel, *Turpis mors ingloria*.

Pag. 38. vers. 7. *Danici cujusdam carminis compendio*] Ex hoc Carmine pauci adhuc in Antiquitatibus Islandicis supersunt Rhythmi, quos C
veteres vel ab uno Collocutorum Biarcone, vel à vetustissimo Scaldro Biarka/ qui hoc genus carminis excogitavit, ᛒᛁᛅᚱᚴᛁᛘᛅᛚ, Biarkemål/ nec non à metri ratione ᛚᛁᚢᚠᛚᛁᚾᚴᛚᛅᚠ Liufslinglag / quia sic Fauni auditi sunt cantare, appellarunt. Eorum autem primi quatuor à Saxone omittuntur, fortè quod referendi erunt ad illam exhortationem, quâ se invicem Sveci ad arma capessenda exci- D
tarunt. Nam hunc in modum habent:

Dagur er upkomen
ᚦᛅᚴᚢᚱ ᛁᚱ ᚢᛒᚴᛅᛘᛁᚾ

Dynia hana fiadre
ᚦᚢᚾᛁᛅ ᚼᛅᚾᛅ ᚠᛁᛅᚦᚱᛁ

Mal er vilmógum
ᛘᛅᛚ ᛁᚱ ᚢᛁᛚᛘᛅᚴᚢᛘ

Ad vinna erfide
ᛅᚦ ᚢᛁᚾᚾᛅ ᛁᚱᚠᛁᚦᛁ E

Interpretatio : Dagur/Dies ; er opkomen/ exorta est ; Hana fiadre/ Galli pennæ ; Dynia/ strepitum edunt ; Mål er/ Tempus est ; Vilmogum/ Vili filijs, id est, Svecis. Unus autem filiorum Odini Vile dictus, cui in Sveciam colonias potissimum ducendas commiserat ; Ad vinna erfide/ facere officium, vel laborem. Illos autem, qui sequuntur, expressit Saxo metris Latinis, sed more suo, tanquam Paraphrastes, F
quod ex collatione liquido patebit ; Nam Danici sic sonant:

Vake æ eg vake
ᚢᛅᚴᛁ ᛅᛁ ᛅᚴ ᚢᛅᚴᛁ

Vina hofud
ᚢᛁᚾᛅ ᚼᛅᚠᚢᚦ

Aller hiner ædstu
ᛅᛚᛚᛁᚱ ᚼᛁᚾᛁᚱ ᛅᛁᚦᛋᛏᚢ

Ædil Sveinar
ᛅᛁᚦᛁᛚ ᛋᚢᛁᛁᚾᛅᚱ

Har hin hardgreipe
ᚼᛅᚱ ᚼᛁᚾ ᚼᛅᚱᚦᚴᚱᛁᛁᛒᛁ

Hrolfur Skiotande
ᚼᚱᛅᛚᚠᚢᚱ ᛋᚴᛁᛅᛏᛅᚾᛏᛁ

Ættum goder menn
ᛅᛁᛏᛏᚢᛘ ᚴᚢᚦᛁᚱ ᛘᛁᚾᚾ

Their ed eke flyia.
ᚦᛁᛁᚱ ᛁᚦ ᛁᚴᛁ ᚠᛚᚢᛁᛅ.

Vek eg ydur ad vine
ᚢᛁᚴ ᛁᚴ ᚢᚦᚢᚱ ᛅᚦ ᚢᛁᚾᛁ

Ne ad Vifs runum
ᚾᛁ ᛅᚦ ᚢᛁᚠᛋ ᚱᚢᚾᚢᛘ :

Heldur vek eg ydur
ᚼᛁᛚᛏᚢᚱ ᚢᛁᚴ ᛁᚴ ᚢᚦᚢᚱ

Ad hordum hildur leike.
ᛅᚦ ᚼᛅᚱᚦᚢᛘ ᚼᛁᛚᛏᛅᚱ ᛚᛁᛁᚴᛁ.

Interpretatio : Vaka æ og vaka ; Evigilent, ohe, evigilent ; Vina hofud/ amicorum capita, (Sic Capitaneos appellat, quibus exercitus favet & amicus est.) Aller hiner ædstu/ omnes supremi : Adil Sveinar/ Adilli servi ; Har hardgreipe/ Tu Hare, qui duris es manibus ; Hrolfur Skiotande/ & tu Rolvo jaculans : ættgoder menn/ boni stemmatis homines : Vek eg ydur/ excito vos ; ad vine/ non ad vinum ; ne ad Vifs runum/nec ad mulierem attingendam ; Heldur/ potius ; vek eg ydur Excito vos ; ad hordum/ durum ; hildar leike/ bellum. Quos ità superius vertit Saxo:

Ocyus evigilent, quisquis se Regis amicum,
Aut meritu probat, aut solâ pietate fatetur:
Discutiant somnum proceres, stupor improbus absit,
Incaleant animi vigiles ——————

Et mox:

Non ego Virgineos jubeo cognoscere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oscula conferre, & tenues astringere mammas;
Non liquidum captare merum, tenerumve fricare
Fœmen, & in niveos oculum jactare lacertos:
Evoco vos ad amara magis certamina Martis.
Bello opus est, nec amore levi, nihil hic quoq; facti
Mollities enervis habet, res prælia poscit.

14. *Eiq; morte jungi vitâ jucundius duceretur*] Tacitus de moribus Germanorum : *Jam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoq; fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro Principe.* Tales fuere comites & amici Chonodomarij Germanorum Regis, qui flagi-

flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori. Ammian. Marcellinus Lib. XVI. Curtius Lib. IV. *Curru Darius, Alexander equo vehebatur: utrumq; Regem delecti tuebantur, sui immemores: quippe amisso Rege nec volebant salvi esse, nec poterant.* Servius Grammaticus ad illos Virgilij versus Georgic. IV. qui de Apibus agunt:

——— Et corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem:

Pulchram mortem, inquit, *Gloriosam: quippe quæ pro Rege suscipitur. Traxit autem hoc de Celtiberorum more, qui ut in Sallustio legimus, se Regibus devovent, & post eos vitam refutant.*

36. *Eadem itaq; dies Hjartvari regnum finivit ac peperit.*] Ita Hjartvarus jure merito dici potuit REX DIALIS, hoc est, unius diei, A quia vix integrum diem in regiæ dignitatis fastigio transegit. Talis etenim jocus Votacilij Pitholai in Caninium Consulem, qui paucis tantum horis eo honore fruebatur, olim extitit: *Ante Flamines, nunc Consules Diales fiunt.* Latet enim aculeus joci in voce *Dialis*, quæ & dici potest de *Flamine Diali*, id est, à *Dio*, sive *Jove*, dicto; & à die; de eo, qui uno tantum die fuerit in magistratu. Huc etiam accomodare possumus jocum Ciceronis in eundem Consu- B lem: *Vigilantem habemus Consulem Caninium, qui in Consulatu suo somnum non vidit.* Et; *Consulem habuimus tam severum, tamq; censorium, ut in ejus Consulatu nemo pranderit, nemo cœnaverit, nemo dormierit.* Ita Hjartvarus Rex neq; ipse somnum brevissimo illo imperij dialis tempore vidit, neq; ipso regnante, quisquam aut pransus est, aut cœnavit, aut dormivit.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM III. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 39. vers. 5. *IDemq; Gevari Regis alumnus*] Rex erat Norvegiæ Gevarus, cujus se mentionem dicit præmisisse Saxo, Libro nempe præcedenti, ubi hæc verba habentur: *Atislum & Hotherum filios procreavit. Hisdem Gevarum quendam, egregijs sibi meritis devinctum, pædagogum adscivit.*

7. *Utriusq; regni imperium sumit*] Danici pariter ac Svetici; idq; legittimo successionis jure.

14. *Quippe natationis, arcus, cæstuumq; peritia*] Varia apud diversas gentes nationesq; Exercitationum genera fuere, quibus Juventus, quæ ad militiæ labores muniaq; obeunda educabatur, à teneris assuescere solebat. Inter hæc magna, & fere incredibilis, apud veteres fuit semper *Natationis* existimatio; tantumq; per plura secula illius usus viguit, ut non minus pueri natandi artem, quàm prima literarum Elementa edocerentur. Quo tempore, cum nulla major ignorantiæ nota inuri posset, quàm dum aliquis *nec literas, nec natare scire* dicebatur, factum fuit, ut posteriores illud in Proverbium contra bardos ac prorsus inertes continuo receperint; atq; adhuc eadem loquendi consvetudo permaneat, quando natandi peritia, si non eosdem honores obtinet, quibus anteactis seculis afficiebatur; saltem nec penitus neglecta, nec inutilis jacet. Ratio autem, quâ impulsi majores nostri, natandi scientiam tanti fecerunt, hæc una extitit, quod primis illis temporibus apud Respub. quascunq; viri fortes præ cæteris, ut scribit Aristoteles, honorabantur, quasi ab C his solis, & civitatum salus, & Imperij propagatio, penderet: & ob id quisq;, vel saltem major nobilium, atq; etiam aliorum pars comparandæ fortitudini, usq; à primis incunabulis incumbebat. Quocirca ut in navalibus quoq; pugnis, quæ tunc frequentius committebantur, in transeundis vadis ac fluminibus homines nandi arti confisi pericula magis evadere possent, minusve formidarent, (quando sæpenumero milites mare ingredi coacti ob nandi D ignorantiam suffocabantur, quemadmodum exercitui Cyri evenisse, memoriæ prodidit Xenophon) sicq; fortiores inter aquarum pericula fierent, natationis peritiam extulerunt. Qua etiam ratione Romani veteres, ut Vegetius scribit, quos tot bella & continua pericula militarem disciplinam docuerant, campũ Martium Tiberi vicinũ delegerunt, in quorum altero sudorem pulveremq; diluerent, ac simul natare perdiscerent. Ex his C. Julius Cæsar natatoriæ E artis tam peritus fuit, ut Alexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium subitâ compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, cum desilijsset in mare, nando per ducentos passus evasit ad proximam navem, elatâ lævâ, ne libelli, quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis: referente Svetonio in Julio Cap. LXIV. Ita & apud veteres Danos, vicinosq; populos, nandi scientia laudabili F semper in usu fuit. Inprimis eâ imbuebantur Principum liberi. Documento esse potest & Hotherus hicce noster, & Ericus ille cognomento

mento disertus, qui Frothonem Regem inter undas periclitantem nando servavit: de quo Saxo Lib. V. & Sivardus ille Norvagicus, qui singulari nandi peritia præditus fuit, cujus meminit Saxo Lib. XIV. Alterum illud militarium exercitationum genus, *Sagittandi ars* fuit, quam *Arcus* hic *peritiâ* exprimit Saxo. Clemens Alexandrinus Lib. I Pædagog. Cap. VIII. de Persarum pueris. Ἀλλὰ τοξεύειν μόνον οἱ παῖδες αὐτοῖς μανθάνουσι. Est autem τοξεύειν, arcu sagittas mittere, seu *Sagittare*. Quin & Parthi à prima pueritia, nervo sagittas aptare, arcuque emittere edocebantur, teste Dionysio in Poëmate de situ Orbis. Romani etiam Tyrones suos sagittis diligenter exercendos curabant; autore Vegetio, de re milit. Lib. 1. Cap. XV. Cujus hæc sunt verba: *Sed prope tertia, vel quarta pars juniorum, quæ aptior potuerit reperiri, arcubus ligneis sagittisq; exercenda est. Ac doctores ad hanc rem artifices eligendi: & major adhibenda solertia, ut arcum scienter teneant, ut fortiter impleant, ut sinistra fixa sit, & dextera cum ratione ducatur: ut ad illud quod feriendum est, oculus pariter animusq; consentiant, ut sive in equo, sive in terra, rectum sagittare edoceantur.* Sagittandi peritiam in Theodorico Gothorum Rege laudat Sidonius Apollinaris Epist. II. Lib. I. his verbis: *Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere, citrà gravitatem regiam judicat: quem tamen si cominus avem, feramq; aut venanti monstres, aut vianti, manui post tergum reflexæ puer inserit, nervo lorove fluitantibus: quem sicut puerile computat gestare thecatum, ità muliebre accipere jam tensum. Igitur acceptum, modò insinuatis è regione capitibus intendit, modò ad talum pendulum, nodi parte conversa, langventem Chordæ laqueum vagantis digito superlabante prosequitur: & mox spicula capit, implet, expellit: quidve cupias percuti, prior admonet. Eligis quid feriat; quod elegeris, ferit; & si ab alterutro errandum est, rarius fallitur figentis ictus, quàm destinantis obtutus.* Occurrunt etiam in Saxone nostro, juxta ac aliis Antiquitatum Danicarum monumentis, præter Hotheri hujus, quem tantoperè à sagittandi peritia commendat autor, quàm plurima exempla eorum, qui arcus scitè tractandi scientiâ calluerint. Talis fuit *Enarus*, Olai Sagittarius, *qui adeò certo ictu destinata feriebat, ut quicquid impetebat, offenderet.* Saxo Lib. X. Talis itidem fuit *Toko Trylle*, qui *tam copioso se sagittandi usu callere jactabat, ut pomum, quantumcunq; exiguum, baculo è distantia superpositum, primâ spiculi directione feriret.* Cujus mentio extat eodem libro. Tertium demum illud in gymnastica militari, apud veteres Danos exercitium, erat certamen, quod *Cestibus* peragebatur, planè simile pugilatui, vel potius ejus quædam species. *Cestus* autem erant laminæ æreæ manibus alligatæ. Quibus autem alligabantur, erant lora quædam punctis interstincta; quæ manibus circumcirca & brachijs alligabantur, ut non modo pondere aliquo & crassitie, verùm etiam soliditate cestibus certantes seipsos ferirent. Unde patet hos aliqua ex parte diversos fuisse à pugilibus propriè vocatis, nempe qui solis manibus in pugnos conjunctis inter se dimicabant. Propertius Lib. 3. in Palæstris Spartanorum puellas etiam cum *cestibus* exerceri consvevisse, in hunc modum scribit:

Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris.


In hac exercitatione homines nudi pugnis laminâ circumseptis sese invicem percutiebant, modò caput, modo dorsum, modo brachia petentes, neq; unquam se mutuo complicantes: in qua pugna superabat, qui vel adversarium cestuum ictibus in terram prosternebat, vel gravius & damnosius feriebat. Hoc certaminis genere athletas veteres non parùm delectatos hinc conjicere possumus, tum quia maximè populum hujuscemodi pugnæ delectatione afficiebat, tùm quia gloriam & præmia ex ea populi voluptate in amphitheatris & sacrificijs comparabant. *Cestibus* enim clarum fuisse Amycum Bebryciorum Regem, Neptuni filium à Polluce occisum scripsit Valerius Flaccus 4. Argon.


Sparta terapnæa pugilem cum gymnade pinguem
Stratum Bebrycijs Amycum suspexit arenis.

Similiter Virgilius Entellum ac Daretem, & Ovidius Brotheam ac Amnonem cestibus valuisse scribunt. Pugilium autem qui cestibus certabant, nec non cestuum ipsorum varias picturas hic damus, quas nobis vel ex sepulcrorum, vel ex gemmarum antiquarum sculpturis dedit Hieronymus Mercurialis de arte Gymnastica Lib. II. Cap. IX. Pag. 112. & sequent.


CAESTUS


CAESTVS







CAESTVS










Cæterum quod attinet *agilitatem*, quâ polluisse A Hotherum commemorat ulterius Saxo, eam referendam existimo ad cætera exercitationum genera, quæ in *Cursu* & *saltu* consistebant, ad quæ magnâ agilitate opus esse nemo ignorat. Utrumq; velut futuro militi utilem commendat Vegetius de re militari Lib. I. Cap. IX. *Ad cursum præcipuè assvefaciendi sunt Juniores, ut majore impetu in hostem procurrant, ut loca opportuna celeriter, cum usus advenerit, occupent; vel adversarijs idem facere volentibus, præoccupent: ut ad* B *explorandum alacriter pergant, alacrius redeant: ut fugientium terga facilius comprehendant. Ad saltum etiam, quo vel fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur, exercendus est miles: ut cum ejusmodi difficultates evenerint, possit sine labore transire. Præterea in ipso conflictu ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuq; veniens, adversarij perstringit oculos, mentemq; deterret, priusq; plagam infligit, quàm ille ad cavendum vel resistendum certè se præparet.* De exercitio Cn. C Pompeji Magni Sallustius memorat: *Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.*

17. *Nemo illo chelis, aut lyræ scientior*] Hinc constat Musicæ expertes non fuisse veteres Danos; sed vel in aulas principum penetrasse svavissimam hanc artem, eâq; imbutos Principum ac Regum liberos. Et non injuriâ: Nam autore Plutarcho, *Musica ad fortitudinem, audaciam, mortisque contemtum animat, ac rectè educatos implet divino quodam instinctu & impetu.*

Ibid. *Præterea sistro ac barbito*] *Sistrum Musicum erat instrumentum oblongum, manubriatum, in ima sui parte cancellatum trajectis virgulis, & ut uno verbo dicam, laminæ, & præterea nihil.* Verba sunt Doctiss. Viri, τοῦ μακαρίτου, Laurentij Pignorij, in aureo illo de Servis Commentario, Pag. 87. *Sistrum quoq;* eleganter describit Apulejus Metamorph. Lib. XI. nempè quod fuerit *æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem.* De sistro ita scribit Lupus Abbas Monasterij Ferrariensis in Gallia, qui Carolo Calvo Imperatore vixit, Epist. XX. pag. 26. *Sistrum Musicum est Instrumentum, quod Isis manu gestare fingebatur, accessus & recessus Nili fluminis eo significans; Undè Cleopatram Virgilius, ut commentitiam ejus potestatem sibi arrogasse solitâ subtilitate aperiret: Patrio,* inquit, *vocat agmina sistro.* Erat igitur *Sistrum* Musicum Instrumentum, peculiare Ægyptiorum, quo utebantur in Isidis Sacris, argutum & sonorum, dum percuteretur. Et en tibi figuram Sistri ex Pritcæo in Apologia Apuleji:

Hinc



Hinc turpiter errant, qui tympani formam *Sistro* tribuunt, ut & illi, qui cornu recurvum interpretantur. Nebrissensis quoq; tubæ genus; inepte. quod etiam indicant Epitheta à Poetis illi data, *tinnulum & crepitans*, apud Propertium: & Σεῖστρον Plutarcho dicitur παρὰ τὸ σείεσθαι, hoc est, quati, Libro de Iside & Osiride. Et Apulejus *argutum* sistro *tinnitum* adscribit, Lib. XI. *Magnæ religionis terrena sidera, æreis, argenteis, imò verò aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes.* Ovidius.

Jactantem Phariâ tinnula Sistra manu.

An tale Instrumentum fuerit, cujus usu calluisse Hotherum Saxo scribit, juxta cum ignarissimis scimus: aut si fuit, certè jam Septentrionali populo in usu esse desijt. Existimo autem *Sistrum* heic sumi pro Sambuca, aut alio quovis Instrumento, quod fidibus tenditur. Cæterum *Barbiton*, vel *Barbitos*, & *Barbitus*, Lyricum est instrumentum plectro solitum percuti. Græc. Βάρβιτον, Βάρβιτος: Polluci Βάρωμιτον, ob graviores fortasse fidium sonos: Cujus inventi gloriam Terpandro tribuit Pindarus, ut Anacreonti, Neanthes & Antipater. Martianus Capella *multiforme Barbiton* dixit, ob varietatem sonorum. Vellejus reddit: Harpe oc Hackebret. Et rectè quidem. M. Henricus Faber Malmogius *Sistrum* interpretatur een Sterre/ hoc est, Crepitaculum. Alioquin *Sistrum* non ineptè assimilatur Instrumento in vulgus notissimo, quod een Mundharpe dicimus, nisi, quod in hoc ligula non transversim sit locata.

A 18. *Omniq; fidium modulatione callebat*] Hic observandum, quod verbo *Calleo* passim sextum attribuat casum Saxo noster. Sic Lib. V. *exquisitis dictorum sententijs callere cognoscens.* Et Lib. XIV. *Solerti historiarum narratione callebat.* Non aliter ac Sulpitia in Satyra:

Tuq; quibus princeps & facundissima calles.

Ita Septimius Serenus in Opusculis ruris:

——————— *callet senium arte vivendi.*

Petronius:

B ——————————— *his ego callens*
Artibus, Idæo frutices in vertice sistam.

Martianus Capella Lib. III. pag. 50. *Hanc igitur fœminam multorum curatione callentem.* Ammianus Marcellinus Lib. XVI. pag. 86. *Alios item bellandi usu diutino callentes aptiùs ordinans his exhortationibus adjuvabat.* Hericus Monachus Altissiodorensis Lib. 1. Vitæ S. Germani, pag. 11.

Usibus innumeris Romanus calluit orbis.

C Apulejus Lib. 3. Floridorum: *Equidem etsi fidibus apprimè callerem, non nisi confertos homines consectarer.*

Ibid. *Ad quoscunq; volebat motus*] Longum hic foret, nimisq; tædiosum, omnia coacervare, quæ in laudem Musicæ dici possent. Operæ tamen pretium videtur, luculentum ejus Encomium ascribere, quod apud Cassiodorum, Epistola XL. Lib. II. hunc in modum reperitur: *Quid Musicâ præstantius? quæ cœli machinam sonorâ dulcedine modulatur, & Naturæ convenientiam* D *ubiq; dispersam, virtutis suæ gratiâ comprehendit. Quicquid enim in conceptum alicujus modificationis existit, ab harmoniæ continentia non recedit. Per hanc competenter cogitamus, pulchrèq; loquimur, convenienter movemur: quæ quoties ad aures nostras disciplinæ suæ lege pervenerit, imperat cantum, mutat animos, artifex auditus & operosa delectatio. Hæc cum de secreto Naturæ, tanquam sensuum Regina, tropis suis ornata, processerit, reliquæ cogitatio-* E *nes exiliunt: omniaq; facit ejici, ut ipsam solummodò delectat audiri. Tristitiam noxiam jucundat; tumidos furores attenuat: cruentam sævitiam efficit blandam: excitat ignaviam, soporantemq; languorem: vigilantibus reddit saluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem: sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper adversum: perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gratiam: & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates expellit animi* F *passiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu, ad quod vult, deducit, quam tenere non prævalet verbo; tacita manibus clamat, sine ore loquitur, & per insensibilium obsequium prævalet sensuum exercere dominatum.*

24. *Alijs decor oris*] *Est etenim quædam formarum voluptas*, ait Calpurnius Flaccus Declamat. 2. Legendum hic putavi *decor Oris.* *Oris* etenim *decor* pro egregia forma, sive pulchritudine, bonis authoribus in usu est. Tacitus

Lib. 2. Histor. Cap. 1. *Erat Tito decor oris cum quadam majestate.*

36. *Illæ suis ductibus auspiciisq; maxime bellorum fortunam gubernari*] Vir plurimùm Reverendus, M. Brynolfus Svenonius, Episcopus Scalholtensis, in Conjectaneis suis, existimare se testatur, virgines illas Hothero conspectas, longè alias fuisse, quàm Amazonas illas Danicas, Skioldmeyar dictas, quæ bellis à teneris annis assvetæ plurimùm præstabant, ut viros non raro ipsos exarmarent: verùm nescio cujus commentitij, medij inter homines atq; spiritus, generis; quale frequens in opinione antiquorum extitisse, potest liquido evinci. Et quia suis ductibus auspiciisq; bellorum fortunam gubernari docent, fuerint sanè de illa divarum mediastinarum gente, quas ᚢᚨᛚ- ᚴᛦᚱᛁᚢᚱ, Walkyriur/ hoc est, Parcas, antiqui dixerunt: quarum potestatis erat stragem bellicam, in quas vellent, partes convertere, & viros militares pro arbitrio ad cædem legere; unde nomen obtinuerunt. Walur namq; cæsorum prælio stragem significat, à verbo Welia/ quod *legere*, *eligere* est: quia eligebantur à Walkyriis è militari numero viri fortissimi, qui ad Valhallam Asarum à morte ad epulas deducantur & mensas Saliares: & Kyria/ à verbo Kiora/ *optione possidere*, *eligendo obtinere*, descendit. Unde Kiør etiam conditio expetenda & optabilis appellatur. Harum Parcarum militarium *Hilda* fuit una ac præcipua. Eo spectant, quæ sequuntur, quando se virgines illæ nemini conspicuas præliis interesse gloriantur; & temporaria illa scena, quæ paulò postea cum ipsis virginibus disparuit.

51. *Nam nè ferro quidem sacram corporis ejus firmitatem*] Non ferro tantùm, sed ne ullo quidem telorum genere lædi potuisse sacrosanctum Balderi hujus corpus, testis est Edda Mythologià XLIII. Frygg tok suardaga til theß ad eira skyldi Balldri/ elldur/ vata/ Järn/ og allskonar Málmur/ Steinar/ Jordin/ Viderner/ Sotternar/ Dyren/ Fuglarner/ Eitur/ Ormarner. Enn er thetta var giort og vitad/ tha var thad skemtun Balldurß og Asanna ad hann skylldi standa vpp á thinguin/ enn Asar sumer skyldi skiota á hann/ sumer hoggva til/ sumer beria grioti/ enn hvad som ad var giort/ skadadi hann ecki og thotte ollum thetta mikil frami. etc. *Frygga jurejurando adegit omnia, ut Baldero parcerent; videlicet ignem, aquam, ferrum, ac omne metalli genus, lapides, terram, ligna, morbos, animalia, volucres, venena, & serpentes. Quod ubi factum erat, experimentum rei Balderus & Asæ fecerunt, ut ille quidem velut scopus in foro consisteret, alij verò telis illum peterent, alij gladijs ferirent, alij lapidibus tunderent. At verò quicquid ingererent, nihil ipsi nocere potuit. Non exiguus hic censebatur honos, sed res valde magnifica.*

Pag. 40. vers. 5. *Jubet itaq; cervis jugalibus currum instruat*] *Cervi jugales* hoc loco intelligendi veniunt, qui linguâ Norvagicâ Reensdiur vocantur: quibus hodieq; vice jumentorum Lappi utuntur. Eorum incredibilis celeritas est, utpote qui uno die tantum itineris peragere possint, quantum validus Equus vix toto triduo absolvit. Albertus Magnus *Rangiferos* appellat. Vide Olaum Magnum, & Sigismundum Baronem ab Herbenstein Commentar. Rer. Muscovit. pag. 118. Suavissimus Poetarum T. Calphurnius Siculus Ecloga VI. quæ *Litigium* inscribitur, de cervo jugali:

——————— en aspicis illum
Candida qui medius cubat inter lilia cervum:
Scit frenos, scit ferre jugum, sequiturq; vocantem.

25. *Quippe divinandi doctissimus erat*] Non tantùm diis suis facientes, & è sangvine consecrati animantis, conjecerunt futuros eventus prisci: sed aliis etiam artibus; quæ nunc omnino, quales fuerint, nesciuntur. Sed nec illi, qui magicis artibus male audiverunt modò, divini fuerunt: verùm quædam etiam familiæ velut suum & domesticum hoc habuerunt, ut præsagâ mente præciperent obventura. Cujus rei quamplurima exempla ex Antiquitatibus Islandicis recenset Vir plurimum Reverendus, M. Brynolfus Svenonius, in Conjectaneis ad me suis: quibus inpræsentia commemorandis, brevitatis causa, supersedeo. An verò fuerit illa divinatio sine arte & techna, vix ausim pronunciare. Nisi forte suspicio est, pueros, quò divinationem consequerentur, à parentibus devotos esse. Hoc certum est, nunquam ab hac divinatione, ejus peritos malè audivisse: at ab incantatione semper audiisse, in Ethnica etiammùm cæcitate versatos. Rursus hoc certum & indubitatum est, quamvis prudentes ac sapientes viros divinis illis & fatidicis semper fuisse postpositos. Sed enim animum ipsum homini cuique non negligentissimo abjectissimoq; satis esse divinitatis argumentum crediderunt; ut in diverbium etiam abierit: Fatt er forspárra enn hugurenn: hoc est, *Non est res alia temerè divinior mente.* Et illud etiam in Historiis quàm frequens: So senger mier hugurum. Quæ forsan Homeri etiam sententia fuit Οδ. Σ. Κακὸν ὄσσο θυμῷ &c. Unde tàm frequens suum illud ὀΐω inculcat.

28. *Rostratas admoveat falces*] In navali prælio magnus olim *Falcium* usus fuit. Et recenset eas inter arma bello navali necessaria Vegetius Lib. V. de re militari, Cap. 15. *In hujusmodi certamine tria armorum genera solent plurimùm ad victoriam prodesse, asseres, falces, bipennes. Asser dicitur, cum trabs subtilis ac longa, ad similitudinem antennæ, pendet in malo, utroq; capite ferrato. Hunc sive à dextra sive à sinistra parte adversariorum se junxerint naves, pro vice arietis*

vi

vi impellunt; qui bellatores hostium, sive nautas, sine dubio prosternit ac perimit, ipsamq; navem sæpius perforat. Falx *autem dicitur acutissimum ferrum, curvatum ad similtudinem falcis, quod contis longioribus inditum, funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit, collapsisq; velis Liburnam pigriorem & inutilem reddit.* Bipennis *est securis habens ex utraq; parte latissimum & acutissimum ferrum. Per has in medio ardore pugnandi, peritissimi nautæ vel milites cum minoribus scaphulis secretò incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula. Quo facto statim capitur tanquam inermis & debilis navis.* Et Lib. II. Cap. ult. earundem mentionem facit, enumeratq; inter ferramenta & machinas legionis: *Habet ferreos harpagones, quos Lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis.* Cæsar quoq; Lib. III. belli Gallici meminit: *Una erat,* inquit, *magno usui res præparata à nostris, falces præacutæ, insertæ affixæq; longurijs, non absimilis formâ muralium falcium. His cum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi adductiq; erant, navigio remis incitato prærumpebantur; quibus abscissis antennæ necessariò concidebant.*

38. *Confertâ clypeorum testudine*] Quid sit *Testudo,* docet Isidorus Lib. XVIII, Cap. de Fundis: *Testudo, series armorum, umbonibus inter se connexorum.* Idem Libro eodem, Capite de Clypeis: *Est & testudo scutorum connexio curvata in testudinis morem.* Item vetus Onomasticon: *Testudo, connexio Scutorum.* Hujusmodi testudinis sæpius à militibus factæ exempla quamplurima Romana occurrunt in Historia. At de testudine in navali prælio composita luculentum est testimonium apud Ammianum Lib. 26. *Conjunctis,* inquit, *tribus navigijs, testudinem hac specie superstruxit; densatis cohærentes super capita scutis, primi transtris instabant armati, alij post hos semet curvantes humilius: tertijs gradatim inclinatis submisse, ita ut novissimi suffraginibus insidentes, formam ædificij fornicati monstrarent. Quod machinæ genus, contra murales pugnas ideò figuratur hac specie, ut missilium ictus atq; saxorum, per decursus cadentes, labiles instar imbrium, evanescant.* Figura Testudinis videatur in Commentarijs Stevechij ad Vegetij Lib. II. & Justi Lipsij Poli. Lib. I. Dialog. V.

42. *Mali cacumen puniceo scuto complexus*] Indicium id pacis olim fuisse dicit Saxo, si quis in mali cacumine puniceum erigeret scutum: quomodo & infra Lib. V. Hithinum tradit, erecto in malum scuto, sociorum, non hostium adventum significasse. Apud Massilienses juxtà ac Carthaginenses signum pacis erat navis velata infulis & olivæ ramis. Livius Decad. 3. Lib. 10. *Non procul aberat, cum velata infulis ramisq; Olivæ Carthaginensium occurrit navis. Decem Legati erant Principes civitatis, missi ad petendam pacem.* At contrà, apud Athenienses puniceo paludamento è navi prætoriâ contrà

A Lacedæmoniorum classem, pugnæ signum sæpe datum est. Lysander æreo clypeo è navi elato, irruptionis signum dedit. In castris Hannibalis, sicut & Romanis, vestem purpuream certaminis fuisse signum scribit Plutarchus in Pompejo, & Fabio Maximo; & præsertim tabernaculo ducis protentam. Illyrijs quoq; rubicunda tunica sarissæ apposita pugnæ certissimum erat indicium. Videantur Alexander ab Alexandro Genial. Dier. Lib. IV. Cap. 2. & 7.
B & simul Notæ Tiraquelli.

Pap. 41. vers. 6. *An proco allubesceret*] Insolens hæc & rara admodum locutio esset, nisi si suum inveniret autorem. Martiano etenim Capellæ haud infrequens est. Ita sub initium Lib. VII.

Nec vobis abnegabo
Furtis modo allubescat;
Ut clàm roseta parvæ
C *Liliaq; det papillæ.*

25. *Amica siquidem in adversis collocutio*] Severus Sanctus, sive Endeleichus Rhetor de Mortibus Boum; ubi Ægon Buculum hortatur, ut ipse doloris sui causas aperiat:

Nam divisa minus sarcina fit gravis,
Et quicquid tegitur, sævius incoquit;
Prodest sermo doloribus.

32. *Thoro inusitato clavæ libratu cuncta clypeorum obstacula lacerabat*] Malleum Islandicæ antiquitates Thorohi tribuunt, quo nihil non creditus est minuere posse, quantæcunque duritiei foret; atq; nomen illi inde Mjølner inditum est: quandoquidem Mylia / *terere & in frustilla comminuere* significat, & inde Miølner / *comminutor,* ut sic dicam, dictus. Edda Mythologiâ XIX: Han â og thria kostgripi: eirn er Hamarin Mielner / er Hriim thussar og Bergrisar kienna / er hann kiemur o lopt. Id est: *Possidet* (Thoro) *insuper clenodia tria; Malleum videlicet* Miøllner *dictum, quem Cyclopes & gigantes vibratum sentiunt.* Videatur etiàm Edda Mythologia LIX. quæ est de ludicro Loki: Hammaren gaf hann Thor / og kuad: ei mundi bila Thrøl ad liøsta / og ef hañ yrpi honum til tha / mundi hañ aldri missa / og aldri fliuga so langt / ad ei mundi hañ sækia hond heim / og ef thad vildi / tha var han so littil ad hafa matti i Serck sier. Id est: *Malleo Thorum donavit (Lokus) dicens: eum ad pulsandum gigantes valere, nec projectum in ictu deceptum iri, reversurumq; celerius in manum jacientis, etsi istar catapultæ longissimè avolarit. Et si quis velit, tam parvum futurum, ut in pera servari possit.*

38. *Clavam præciso manubrio inutilem reddidisset*] Clarissimus Vir, & præclare de Republ. literaria meritus, Joannes Meursius, Collega olim meus, & amicus nulli secundus, Glossarij Græco barbari pag. 318. contendit hancce Thor dei

dei clavam telum ejusmodi fuisse, quod Μαγκλάβιον Græci, *Maniclavium* seu *manualem clavam* Latini dicunt; Veteres verò Aclidem appellabant. Servius Æneid. 7. Aclides *sunt tela quædam antiqua, ut nec usquam commemorentur in bello. Legitur tamen quòd sint clavæ cubito & semis factæ, eminentibus hinc inde acuminibus, quæ ita in hostem jaciuntur religatæ loro & lino, ut peractis vulneribus ad dominos possint redire. Putantur tamen esse teli genus, quod per flagellum immensum jaci potest.* Cæterùm clavis pugnare mos est antiquissimus: imò clavam primum omnium fuisse teli genus, patet ex eo, quod Herculi bellatorum primo, bellorumq; deo, nihil aliud armorum tribuit antiquitas. Unde *Clavigerum numen* Herculem vocat Silius Italicus Lib. 3.

Exin clavigeri veneratur numinis iras.

Ejusmodi clavæ ex *robore* potissimùm conficiebantur. Undè *robur* pro ipsâ clavâ Poëtis: ut Silio Lib. II. de clavâ Theronis, quam Numades in funere ejus unà cum exuvijs hominis in rogum jaciebant:

Hinc lethale viri robur, tegmenq; tremendum
In flammas jaciunt. ——————

Et Lib. VIII.

—————— *Quæ Buxentia pubes*
Aptabat dextris irrasæ robora clavæ.

Et plerumq; ex *nodoso robore*: undè proprium hoc Epitheton est Clavæ. Idem Poëta:

—————— *alteq; resultant*
Æra illisa cavo nodosæ pondere clavæ.

Interdùm ære, ferro, aut claviculis ferreis obducebantur. Strabo Lib. XVI. Οἱ δὲ μεγαβάροι Αἰθίοπες τοῖς ῥοπάλοις καὶ τύλους προστιθέασι σιδηροῦς. Id est: *Æthiopes Megabari clavas ferreis nodis armant.* De Assyrijs Herodotus testatur Lib. VII. inter alia arma habuisse & ῥόπαλα ξύλων τετυλωμένα σιδήρῳ, id est, *clavas ligneas ferro munitas.* Idem paulò pòst de Æthiopibus: Εἶχον δὲ καὶ ῥόπαλα τυλωτά. Id est: *Habebant & clavas præferratas.* Talis etiam fuit Haldani clava, cujus mentio extat Lib. VII. *Postquàm pugilem ejus Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum didicit, eximiæ magnitudinis clavam ferreis consertam nodis, tunsionis usibus adaptavit, perindè ac præstigij vires ligneo robore debellaturus.* Sic in acerrimo illo prælio inter Haraldum & Ringum ferratis clavis dimicatum fuisse idem hic noster tradit Lib. VII. *Clavæ* etiam *Cateja* dicebantur, quas Teutonicæ genti attribuit Virgilius Æneidos VII.

Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu soliti torquere catejas.

41. *Deos potiùs opinativè, quàm naturaliter dicimus*] *Opinativus* opponitur *reali.* Verè & eleganter Joannes de Weathamsted, Abbas S. Albani, qui floruit Anno Christi 1440, de fictitio illo Britannorum conditore Bruto: *Totus*

A *processus de Bruto isto poëticus est potiùs quàm historicus, opinativusq; magis propter causas varias, quàm realis.* Sensus est: Nos hic Otthinum, Thoronemq; Deos vocamus, non quòd naturâ & Essentiâ verè esse deos, quibus divinus cultus debeatur, existimemus: sed more gentilium hic loquimur, quæ falsâ quâdam opinione, & vanâ credulitate divinitatem fictitijs suis numinibus tribuebant. *Scimus enim, quià nihil est Idolum in mundo, & quòd nullus sit Deus, nisi unus.*
B *Et licèt sint, qui dicantur Dij, nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illo; & unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* D. Paulus I. Corinth. Cap. VII. vers. 4, 5, 6. Tota verò Idololatria Ethnicorum, nihil aliud, quàm opinio erat & persvasio. Elegans est locus Radulphi Ardentij Homilia IX in Cap. X. 1. Epist. Pauli ad Corinthios: *Duæ sunt species,* inquit, *Idololatrarum: Alij sunt Idololatræ opinione, ut illi, qui opinione attribuunt Soli vel Lunæ, vel ali-*
C *cui Creaturæ, divinitatem: alij sunt Idololatræ moribus, ut illi, qui præponunt creaturam Creatori: quod enim quisq; plus diligit, hoc sibi Deum constituit.* Apprimè quoq; huc facit illud Angelomi Lexoviensis in Lib. 1. Regum, p. 12. *Etsi sunt, qui dicuntur Dij multi, & Domini multi, nullus tamen eorum est naturaliter id quod Deus est. Quid est enim umbra ad comparationem corporis, & fumus ad comparationem ignis?* Et vetustissimus auctor Com-
D pendij Theologici, quod penes me est, Cap. 2. *Hoc nomen* Deus, *tripliciter accipitur; scilicet naturaliter, adoptivè, nuncupativè. Primo modo soli Deo convenit: secundo modo convenit bonis hominibus, qui divinæ bonitatis participes sunt per gratiam providentiæ, vel per doctrinam, vel per potestatem prælationis, vel per potestatem miraculorum. Unde Psalm. Ego dixi, dij estis. Tertio modo Dij dicuntur, Idola, sed solo nomine, quia res nominis, scilicet divinitatis, non covenit illis.*

E Ibid. *Deos potiùs opinativè, quàm naturaliter dicimus*] Quales Deos non mirum ab hominibus victos esse.

48. *Ac rogo navigijs exstructo*] Locus hic postulare videtur, ut quæ de varijs sepeliendi ritibus, apud nostrates olìm usitatis, in Antiquitatibus nostris reperiantur, breviter exponam. Ab antiquis igitur Epochæ quædam à sepeliendi ritibus, apud Septentrionales introductæ; qui cum varij fuerint, & illæ, eorum habitâ
F ratione, mutatæ. Tres enim numerari solabant hominum ætates, quæ ab inferiarum modo denominationem acceperunt. Prima ᚱᛆᛁᛋᛆᛚᛒ, Roisold; Secunda ᚼᛆᚢᚴᛆᛚᛒ, Haugold; Tertia ᚴᚼᚱᛁᛋᛏᛁᚿᛒᛆᛘᛋᛆᛚᛒ, Christendomsold. Primitus namq; defunctis justa soluturi, in campo plano, juxta regiam aut defuncti prædium sito, circulum miræ magnitudinis lapidibus efformabant, oblongum tamen; viginti circiter orgiarum longitudine,

tudine, latitudine trium. In hoc defuncti cremabant cadaver. Cineres collectos urnis in includebant, ac in circi meditullio locatos grandioribus undiq; stipabant saxis; superinjecto latiori, quo cætera tegerent. Hinc totum circum lapidibus, arenâ, glebâq; terrestri replebant, ac in formam monticuli desuper collem exstruebant, quem demum cespitibus tegebant, ut viriditate sua oculos prætereuntium recrearet. Hæc sepulcra ᚱᛅᛁᚼᛁᚱ, Roiser/ ut & hunc sepeliendi ritum ᛅᛏ ᚱᛅᛁᚼᛁ, atroise/ dixerunt. Regibus saltim hunc honorem habitum fuisse volunt; minori tumulati alii pompâ. Hæc tumulorum structura ex ruderibus adhuc colligitur, præsertim circa littora maris, ubi partem terræ marini æstus absorpsit violentia, partem verò intactam reliquit. In locis saxosis & maritimis ex lapidum & arenæ congerie monticulos struxerunt, in pingvioribus ex terra fertili, rarioribus additis saxis, basin aut coronam cingentibus. Ex ejusmodi collibus nostra ætate sæpius effossæ sunt urnæ, partim ex cærulea argilla confectæ, partim cylindricæ & rubicundæ, cineribus & ossium combustorum fragmentis refertæ. Regios verò tumulos, ad magnitudinem & figuram carinæ maximæ navis, ex ijs quas possidebant, fabricatos volunt. Secunda ætas ᚼᛅᛁᚴᛅᛚᛒ, Høigold dicta, ea fuit, quâ cadavera integra & non cremata, cum suis ornamentis, in circulo, ex grandioribus confecto saxis, locabant, alijs circumquaq; tegebant, arenam & glebam terræ exaggerando, usq; dum in justam monticuli exsurgeret altitudinem, qui cespitibus & alijs saxis, demum exterius exornabatur. Et quandoq; in summitate, structura ingentium saxorum receptaculum mortuis præbebat. Interdum in monticuli summitate cripta confecta erat, 30 pedes longa, 15 lata, ex grandioribus saxis, quorum latera interiora polita satis erant, exteriora inæqualia: tam arctè verò invicem conjuncta, ut ubi inæqualitas rimas quasdam relinquebat, minoribus saxis stipata, ut muro ex cæmento ad libellam coagmentato non cederet politura. Tertia & ultima ætas ᚴᚼᚱᛁᚼᛏᛁᚿᛑᛅᛘᚼᛅᛚᛒ, Christendomsold/ ex modo, quo jam nos Christiani demortuos sepelire solemus, determinatur. De quo non attinet multa dicere, cum omnibus sit notissimus. Tumulis verò suis non solùm cadavera aut cineres inferebant veteres; sed arma, hastas, equos, aurum, argentum, aliaq; defunctis charissima Κειμήλια: quod & Germanis in usu fuisse indicat Tacitus de moribus Germanorum: *Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant: sua cuiq; arma; quorundam igni & equus adjicitur.* Nec planè abludit ab eo funerandi ritu, quem describit Virgilius II. Æneid.

A

Hinc alij spolia occisis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas ensesq; decoros,
Frenaq; ferventesq; rotas: pars munera nota
Ipsorum clypeos, & non felicia tela.

Et apud Homerum Elpenoris umbra Ulyssem rogat, ut secum armis comburat, Odyss. λ.

Ἀλλά με κακκῆαι σὺν τεύχεσιν, ὅσσα μοι ἐστίν.

Sed me combure cum armis, quæcunq; mihi restant.

B

Hercules apud Senecam in Hercule Oetæo, clavam suam, quâ tot monstra perdomuit, unà secum in rogum ut conjiciant sic decernit:

Hic nodus, nulla quam capiet manus,
Mecum per ignes flagret: hoc telum Herculem
Tantum sequetur. ——————

Ornamenta verò, & varia Κειμήλια, tumulis Regum unà cum cadaveribus illata fuisse, testatur

C

Historia Olai Tryggonis Norvagiæ Regis, qui multa antecessorum suorum demoliri curavit busta ac tumulos, ut inclusos thesauros in meliores converteret usus. Ex quibus grandem ipsum corrasisse auri argentiq; summam, relicta loquuntur monumenta. Et ante annos haud ita multos, in tumulo propè Lethram Selandiæ magna denariorum argenteorum copia urnæ cum aliis pretiosis inclusa, à rustico quodam reperta est. Ex his nonnulli hanc o-

D

stendunt ἐπιγραφὴν: CNUT REX ANGLOR. Item; ETHELRED REX ANGL. Cæterùm quod attinet Νεκροκαυσίαν, quam apud nos quondam viguisse diximus, ex veteri quodam MS. constat, Ungvinum primum fuisse, qui ritum cadavera cremandi introduxerit. Sic enim ibi habetur: *Prima ætas vocabatur* Brende tid/ *seu* Ildtid/ *id est, combustionis, seu ignea ætas. Tum cadavera cremabant, ac cineres saxis mi-*

E

ræ magnitudinis cooperiebant, donec in acervum aggesta assurgerent. Hæc tumulandi ratio, cum Freyer Ungvinis filio, exsequiæ pararentur, Upsaliæ primùm incepit. Sed postquam magnanimus ille Danorum Rex Dan, sibi collem magnitudinis conspicuæ extruxisset; cui post obitum, regio diademate exornatum, armis indutum, & equo omnibus ornamentis instructo impositum, inferendum esset cadaver, additis multis auri argentiq; talentis, abrogari cœpit prior tumulandi ratio, & nova hæc introducta, quam ultrò amplexi sunt ejus posteri & amici. Tùm demùm

F

incepit secunda hæc ætas, dicta Højelsetid / *seu tumulorum ætas. Quamvis in Svecia & Norvegia prior illa diutius duraverit.* Verum id nequaquam cum Saxone nostro convenit, qui Libro V. Historiæ Danicæ, Frothonem Magnum, (qui longè ante Ungvinum vixit, utpote tempore nati Christi) de hisce cadavera cremandi ritibus leges tulisse memorat inter reliqua hæc proferens: *Frotho, convocatis, quas vicerat, gentibus, lege cavit, ut quisquis paterfamilias eo con-*

cideret bello, cum equo omnibusq; armaturæ suæ insignibus, tumulo mandaretur. Quem si quispiam vespillonum sceleſtâ cupiditate tentaſſet, pœnas non solùm sanguine, sed etiam inhumato cadavere daret: busto atq; inferijs cariturus. Siquidem par esse credebat, ut alieni corruptor cineris, nullo funeris obsequio donaretur, sortemq; proprio referret corpore, quam in alieno perpetraſſet. Centurionis verò vel Satrapæ corpus, rogo propriâ navè constructo, funerandum constituit. Dena autem gubernatorum corpora unius puppis igne consumi præcipit: Ducem quempiam, aut Regem interfectum proprio injectum navigio concremari. Tam scrupulosam ducendis interfectorum funeribus observationem præstari voluit, ne promiscuos exequiarum ritus existere pateretur. Ex quib⁹ facili negotio quis collegerit, etiam hujus Regis ætate utrumq; funerandi modum in usu fuisse, siquidem Patresfamilias cum ornamentis, non crematos, tumulis inferri decrevit; centuriones verò, duces ac Reges rogo imponi. Historia Norvagica, mox in principio, cadavera cremandi ritum Othino aſcribit. Refert namq; Othinum legem condidiſſe, ut omnes mortui cum bonis & ornamentis potioribus igne comburerentur, addens superis eò gratiores futuros, quo plura ſecum in flammas traxiſſent. Si quis vero accuratius ſcire geſtiat, quâ pompâ, quâve ſolennitate Regum ſtrui ſolita ſint busta, toties laudatum authorem noſtrum conſulat Lib. VIII. Ubi eleganter omnes ritus proponit, quibus Ringo, occiſi à ſe Haraldi corpus rogo imponi curavit. Sic autem ille: *Posthæc Sveonibus paſſim inter promiſcuas cadaverum strues Haraldi corpus exquiri præcepit, ne regium funus debitis fraudaretur inferijs. Igitur revolvendis interfectorum cadaveribus, avida plebs injicere operam cœpit. In hanc curam dimidium diei extractum eſt. Tandem cum corpore reperta clava, Haraldi manibus parentandum ratus, equo, quem insidebat, regio applicatum currui, aureisq; subſellijs decenter instratum, ejus titulis dedicavit. Inde vota nuncupat, adjicitq; precem, ut Haraldus eo vectore uſus fati conſortes ad tartara antecederet, atq; apud præſtitem Orci Plutonem ſocijs hoſtibusq; placidas expeteret ſedes. Deinde rogum exſtruit, Danis inauratam Regis ſui puppim in flammæ fomentum conjicere juſſis. Cumq; ſuperjectum ignis cadaver abſumeret, mœrentes circuire proceres, impenſiusq; cunctos hortari cœpit, uti arma, aurum, & quodcunq; opimum eſſet, liberaliter in nutrimentum rogi, ſub tanti, taliterq; apud omnes meriti Regis veneratione transmitterent. Cineres quoq; peruſti corporis urnæ contraditos Lethram perferri, ibiq; cum equo & armis, regio more funerari præcepit.* Hæc omnia Lib. 1. Monument. Danic. Cap. VII. fuſius perſequitur Clariſſ. Vir D. Olaus Wormius, lectione multa exercitus: cui pleraque omnia veterum literarum quæſita, meditata ſunt, & evigilata.

13. *Plenis liberalitatis officiis proſequutus*] In omni Antiquitate hoc obſervo, nunquàm ferè viros honeſtos & amicos conveniſſe, ac ne ad convivia quidem, quin magnificè ac φιλοφρόνως cum hoſtimento Xenioq; liberali ſint dimiſſi.

Pag. 42. verſ. 8. *Sempiterno firmata vocabulo*] In Selandia noſtra propè Roſchildiam pagus eſt Baldersbrynd dictus, quaſi Balderi fons aut puteus: ſed an fontis ſuperſint veſtigia, non adeò liquido conſtat.


15. *Frô quoq; deorum Satrapa*] Non Satrapa tantum, ſed deus etiam creditus, Sveciæ tutelaris, ventorum tempeſtatumq; potens & aëris univerſi: cui etiam pro felicitate annonæ & proventus, factum olim in Iſlandia.

17. *Siquidem humani generis hoſtias mactare*] Qui apud Septentrionales horrendum huncce & deteſtandum ritum humanis victimis numina placandi primus inſtituit, Othinus fuiſſe videtur, Idololatriæ & Magiæ in his oris magiſter. Is enim bellis præeſſe creditus, exiſtimabatur, nullo modo melius placari poſſe, quàm ſangvine hoſtium, eorumq; quos captivos ſecum abduxerunt. Sic enim Olaus Magnus Lib. III. Cap. III. *Othinum, qui bellis præſidebat, cruore & morte captivorum placabant, opinantes bellorum præſidem aptius humano cruore placari.* Hinc bello cæſos *Othino mactatos* dicebant, teſte Arngrimo Crymog. Lib. 1. Cap. 6. Et Saxo noſter Lib. VIII. Haraldum introducit promittentem ſe proſtratorum manes muneris loco dedicaturum Othino, modò victoriâ potiatur optatâ. Poſteaquàm verò Othinus huic ſacrorum ritui ſatrapam ſuum, Frô dictum, præfeciſſet: ei à noſtratibus abominanda hæc humani cruoris libamenta, tanquam authori, ſunt adſcripta. Adeò verò cruenta hæc ſacrificia invaluiſſe accepimus, ut nec proprijs filijs pepercerint Reges ipſi. Haquinum enim Norvagiæ Regem, ut de Haraldo victoriam reportaret, proprios filios ſacrificio deſtinaſſe refert Saxo Lib. X. *Haquinum*, inquit, *perſpectis copijs, cum intolerabile rebus ſuis onus imminere cognoſceret, excipiendi ejus materia non ſuppetente, tanquam humanæ opis diffidentia divinam amplexus, ſuperos inuſitato piaculo propitiandos curavit. Duos ſiquidem præſtantiſſimæ indolis filios hoſtiarum more aris admotos potiundæ victoriæ causâ, nefariâ litatione mactavit, nec ſangvinis ſui interitu regnum emere dubitavit, patriæq; nomine, quàm patriâ carere voluit.* Cæterum apud noſtrates olim fœdum hoc ſacrificij genus viguiſſe, teſtatur etiam Dithmarus, Epiſcopus Mersburgenſis Lib. 1. Chron. *Sed quia ego*, inquit, *de hoſtijs eorundem* [Danorum] *antiquis mira audivi, hæc indiſcuſſa præterire nolo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius regni*, Lederum *nomine* [Lethram intelligit, ſedem Regum Danorum antiquiſſimam] *in pago qui* Selon *dicitur* [ea Selandia eſt, Daniæ regio

regio fertilissima] *ubi post novem annos, mense* A *Januario, post hoc tempus, quo nos Theophaniam Domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi diis suis XCIX homines, totidem Equos cum canibus, & gallis, pro accipitribus oblatis, immolant; pro certo, ut prædixi, putantes, hos eisdem placaturos.* Et Dudo de S. Quintino sub initium Lib. I. Historiæ Normannicæ: *Cæterùm sacrificabant olim venerantes THUR Deum suum: cui non aliquid pecudum atq; pecorum, sed sangvinem mactabant hominum, holocaustum omnium putantes pretiosissimum.* B

21. *Quod vix spe complecti posset, casu sibi collatum dicebat*] Ita est; *Quod non exspectas, ex transverso fit,* inquit Petronius. Et, *sæpè fortè temerè eveniunt, quæ non audeas optare.* Terent. Phorm. Act. V. Sc. I. *Sæpè quod quærenti non comparuit, aliud agenti præstò est.* Seneca pater Præfat. Lib. I. Controvers. Plautus Mostell. Act. I. Sc. 3. *Insperata magis accidunt, quàm quæ speres.*

24. *Si ritè majorum stemmata revolvantur*] C Nam avia paterna Hotheri Svanvitha, soror erat Frothonis, Daniæ Regis: id quod ex sequenti Genealogia clarius innotescit:



47. *Consveverat autem in editi montis vertice consulenti populo plebiscita depromere*] Vetus equidem priscis Normannorum Heroibus mos erat, in editis montium colliumq; E fastigiis conciones celebrare, deq; gravissimis Reipublicæ negotiis deliberationes instituere, auguria captare, populo plebiscita depromere, & id genus peragere alia: sivè id factum ex veteri superstitione, quâ montes, haud secus ac lucos, silvas, fontes, religiosè colebant: sivè augendæ majestatis, conciliandæq; sibi autoritatis gratia, ex loci eminentioris sublimi culmine. Sic autor est M. Brynolfus in Con- F jectaneis suis, in monte quodam Islandiæ, Helgafell/ dicti moris vestigia hærere, quem accolæ devoto cultu venerati quondam erant. Hunc montem Snorro Gode/ quoties de re graviore deliberaturus aut consulturus erat, conscendisse legitur, non sine magna autoritatis opinione apud novellos etiam Christianos.

Pag. 43. vers. 28. *Solidativæ confectionis epulum*] Epulum simile à Craca Venefica præparatur infrà Lib. V. Martianus Capella de poculo, quod Philologiæ miscebat Athanasia, Lib. II. pag. 36.

> *Continuoq; novo solidantur membra vigore,*
> *Et gracilenta perit macies, vis terrea cedit,*
> *Æternumq; venit sine mortis legibus ævum.*

Epulum igitur *solidativæ confectionis* illud erat, quod solido vigore membra imbueret, quod validas vires artubus ingeneraret, seu *corporei roboris incrementa augeret*, ut mox seipsum exponit Saxo. *Confectionem* Medicorum filij vocant compositionem medicamentorum, quæ Græcis σκευασία dicitur. Undè Dioscorides: σκευασίαι φαρμάκων, *confectiones medicamentorum.* Sumitur etiam pro quavis conditura & apparatu, Plinio Lib XIII, Cap. 12. & Columellæ Lib. IX. Cap. 14. *Confectura* vocatur. Hinc *Confectura mellis, confectura papyri,* & ejusmodi. Valerianus Cemeliensis Homiliâ V. de oris insolentia, videatur.

35. *Calle, quo venerat, repedaret*] *Repedare,* idem quod redire, reverti. Vocabulum mediæ ætatis scriptoribus usitatissimum. Ammianus Marcellinus Lib. XVII. pag. 67. *Nihil amplius ausa repedavit ad suas.* Lib. XXIV. p. 296. *Ad signa ocyus repedavit miles.* Lib. XXVI. p. 340. *His cognitis Valentinianus repedare ad Illyricum destinabat.* Johan. Sarisberiens. Lib. VII. pag. 375. *Ut ad patriam suam saltem in senectute Ulysses repedaret.* Venantius Fortunatus Lib. V. pag. 122.

> *Tempore, quo Christi repedavit ad alta potestas.*


Ivo Carnotensis Epist. X. *Ut ergò valeatis de exilio ad patriam repedare.* Flodoardus Lib. I. pag. 39. *Remos cum gaudio repedavit.* Adamus Bremensis Lib. I. Cap. 9. *Villehadus in Galliam repedavit.* Ordericus Vitalis Lib. XIII. pag. 891. *Aliiq; plures ad natale solum repedarunt.* Dudo Lib. 2. pag. 80. *Cæde maximâ peractâ repedavit ad suos.* Et pag. 81. *His dictis quiq; repedarunt ad sua.* Et pag. 92. *Propter amorem Regis Alsteni Anglos iterum repedavimus.* Et pag. 120. *Exterminati Daciam celeres repedabunt.* Gvilielmus Armor. Lib. VIII. pag. 325.

> *Pérq; vadum deforme luto repedare parabant.*

36. *Obvii sibi Balderi latus hausit*] Dissentire à se ipso videtur Saxo, quum superius sacram corporis Balderi firmitatem ne ferro quidem cessisse perhiberet; hoc verò loco ab Hothero eum vulneratum, & quidam lethaliter, asserat. Sed non adeò inviolabili corporis firmitate præditum fuisse Balderum, quin aliquo telo lædi potuerit, & inprimis spinâ Mistilteitn dictâ, docet utraque Edda, & illa genuina Rhytmica Sæmundi Sigfusonij, vulgo Froda/ vel Polyhistoris dicti, quàm non ita diu è latebris eruisse præ se fert M. Brynolfus Svenonius; & vulgatior Snorronis Sturlonij, qui Sæmundinam illam priscam interpolavit, certoque consilio

consilio ad Poësin accommodavit. Prior itaq; sic loquitur carmine Voluspå: Eg sa Baldre blodgum twor/ Odinß barn ørløg følgin. Stodū varen vollu hærre miør og miøg fagur Mistilteirn/ vard af theim/ meide er mier syndest harm flaug hættleg. Haudur nam Skiota. Baldurß Brøder var offborenn snema Sa nam Odinß son emnættur vega. Id est: *Ego vidi Baldero Odini filio, Asæ cruore perfuso, fata destinata. Stetit enim campo, altùm crescens, tenera ac speciosa spina Mistilteirn: qua de spina, ut mihi quidem visum est, evenerunt (Baldero) plagæ deplorandæ. Haudus enim jaculari cæpit, Balderi frater ante diem natus: Atq; ità Odini filius noctem nactus, cædem (Balderi) commisit.* Paulo autem prolixius posterior illa Edda exitum Balderi commemorat Mythologiâ XLIII. Enn er thetta sa Loki Laufeyarson/ tha lykadi hønum illa. Hann gick til Fryggiar/ og bra ser i konu lyki. tha spyr Frygg ef su Kona visi/ huad Æser hefdust ad a thingum? Hun sagdi/ ad aller skutu ad Balldri/ og thad hann sakadi ecki: Tha mælti Fryggi/ ey mundu vopn edur vider granda Balldri/ eyda hefe eg tekid af øllum theim. Vngvidi vex firir Vestan Vallhøll/ er kallast Mistilteirn; sa thotte mier vngur ad kresia eidsinß. Thui næst huarf Konan burt. Enn Loki sleit upp Mistilteirn/ og gieck til Thingß; enn Hodur stod vtarliga i Mannrhinginum/ thi hann var blindur/ Tha mælti Loki; hui skytur thu ecki ad Balldri? Hann suarar/ thui eg sie ecki huar hann er/ og thad annad eg er vopnlauß. tha mælti Loki/ giør i Liking annara manna og giør Baldri sæmd/ eg munn vijsa thier hua hanu stendur/ skiøt ad honum Vendi thessum. Hodur tock Mistilteirn og skaut ad Balldri ad til vijsan Loka/ flaug skotid igiegnum hann/ og fiel Baldur daudar til Jardar/ og hefur thad mest ohapp giort verid/ med gudum og mønnum. Id est: *Hoc cum videret Lokus Laufeysonius, invidiâ sufflatus,* [quòd nempe per adjurationem Friggæ immunis ab omni vitæ discrimine esset Balderus] *Fensalam iter suscepit, ubi Frygga degebat, mulierisq; peregrinæ formam assumpsit. Hanc Frygga interrogavit, an sciret, quid in foro judiciario potissimùm Asæ agerent? Respondit mulier, omnes in Balderum absq; ulla ejus læsione & periculo jacula mittere. Baldero, inquit Frygga, nec arma, nec ulla ligna damnum inferent. Juramenta enim ab istis in universum accepi, præter arbusculam ad latus occidentale Valhallæ crescentem, quæ Mistilteirn appellatur. Nam hæc mihi perquam juvenis videbatur, à qua jusjurandum exigerem. His auditis mulier illa disparuit. At Lokus arbusculam Mistilteirn eruens ad forum properavit. Hoderus autem in extremo astitit circo, quia luminibus captus erat. Hunc adortus Lokus, cur, inquit, in Balderum tela non dirigis? Quia, ait alter, cæcus sum, & insuper inermis. Facito, ait Lokus, ad exemplum aliorum, exhibe Baldero honorem, & hanc in illum virgulam projice; ego ubi stet, te docebo. Hoderus itaq; accepta arbuscula, Loko manum ejus dirigente, Balderum hoc missili transfodit. qui protinus exanimis concidit. Quo scelere nullum inter deos & homines atrocius perpetratum fuerat.* Hactenus utraque Edda. Cæterùm ut hoc obiter addam, spinam illam, sive arbusculam, quam hic Edda Mistilteirn, nostratium vulgus appellat *Viscum quercinum*; quo nihil sacratius apud veteres Druidas olim fuit teste Plinio Lib. XVI. alii *tiliam* interpretantur.

44. *Facto colle condendum curavit*] Suspicantur nonnulli hunc esse collem, qui in Chersonesi Cimbricæ provincia *Flesiihomherrit*, & quidem in Parochia Gunderupensi, hodieq; extat, impositum sibi habens grande saxum literis Runicis inscriptum hunc in modum:



Cujus Inscriptionis hic est sensus: Baldur risdi stini densi eufeter Snigur hin guder fadur Kunug sin/ diagn guden/ aug Tusu mudur sino. deir liga bedi unt dis haugi. Hoc est: *Balderus lapidem hunc posuit in memoriam boni Regis Snigonis patris sui, Viri eximij, & Tusæ matris suæ. Ambo sub hoc tumulo recubant.* Quum igitur heic *Balderi* nomen expressum legatur, Ohini filio Baldero, quem Hotherus interfecit, illustre hocce monumentum erectum esse arbitrantur. Sed vehementer falluntur. Inscriptio etenim disertis verbis edicit Balderi hujus patrem fuisse Snionem, Regem nempè Daniæ, Sivardi filium, cujus sub imperio fame compulsi novas quæsituri sedes è Dania migrarunt illi, qui exteris dicti sunt *Longobardi*: de qua migratione Saxo Lib. VIII

Lib.VIII. Fuit & alius quidam Balderus, ab exteris magis quàm nostratibus celebratus, quem Annales Frisici ob probitatem, & res domi forisq; præclarè administratas *Ethelbalderum* vocant. Hunc vero Biornonis, Daniæ itidem Regis, qui Omundo successit, filium fuisse, Lyschander contendit in Genealogia Regum Daniæ, pag.174. Verisimilior itaq; eorum videtur conjectura, qui Balderum Othini filium, ab Hothero prostratum, in eo conditum colle existimant, qui bifurcato apice, medio inter Hafniam & Roschildiam itinere, non procul à pago Baldersbrønd / conspiciendum se præbet.

Pag.43.vers.47. *Danis Balderi fortunam publico mærore prosequentibus*] Non solùm homines fatū Balderi deplorasse; sed & res fere omnes alias etiamnùm lacrymis cordolium testari, cum repente ex hyberno frigore in vaporarium illatæ sudant, Edda docet Mythologia XLIII. & sequent. cujus narrationem, utpote lectu jucundissimam, heic integram adducere [rara etenim Libri hujus copia est] operæ duxi pretium. Sic itaq; Edda Snorronis Sturlonij : Enn er Balldur war daudur/ fi llust allum Asem Ordtok oc hendur at taka til hans/ og ei mattu their hefna/ thar var suo mikil gridastadur. Var tha hinn mesti gratur med Asum/ Enn O din bar theimmun vest thennann skada/ sem hann Kunni mesta Skyn/ huorsu mikill aftaka/ og missa Asunum war i fra falli Balduen. Aserner toku lyk Baldurs og fluttu til Siafar. Hringhorni hiet skip Baldurs/ allra skipa mestur/ hann villdu gudin framsettia og giora thar a bålfør Baldurus/ En skipid gieck huorgi framm : Tha varsendt i Jothunheima epter Gigi theire er Hirrokni er nefnd : enn er hunn kom oc reid vargi oc hafdi soggorm a thaumi. tha sliop hunn af hestinum/ enn O din kalladi till Berserckt fiora ad giæta hestsins/ og feingu their ei halldid/ nema their felldu hann/ Tha giek Hirrokin a framm stafnen/ og hrat framm nockvanum i fyrsta vii bragi/ suo ad elldur hrant ur hlunnunum/ end lond oll skulfu. Tha vard Thor reydur/ og greip Hamarinn/ og mundi tha briota hofud hennar/ adur oll Gudin badu henni fridar. Tha var borid ut a Skip lyk Baldurs/ en Nanna Nefs dotter kona hans Sprack af harmi/ og var hun borin a balid. Tha stod Thor ad og vigdi balid med Miolne/ en fyrer fotum honnm ran duergur nockur er littur nefndur. En Thor spirndi fæti synum a hann/ og hratt honum i elldinn/ og brann hann. Vid thessa brennu var O din/ Frygg/ og Valkyriur/ og hrafnar hans. Freyr oak i Kerr'u og hafdi spendt fyrer golt thann er Gullinbuste heiter/ eda Slidrugtanne. Heimdallur reid heisti theun er Gulltoppur heiter/ enn Freya kottum synum. Thar keimur og mikid folck Hrymthussa og Bergrisa. O din lagdi a balid Gullhring thann er Draupner heiter / honum filgdi sydan sa natura ad sina

A Nyundu huoria Nott / drupu af honum atta hringar hafn gofger : Hestur Balldurs var leiddur a bald med honum. Sem Baldur var fallin/ spurdi Frygg huor sa væra med Asum/ er eignast villdi aster hennar/ og villdi ryda a Helveg/ og freysta ef hann feingi fundid Baldur/ oc bioda Helju utlansn; enn sa er Nefndur Hermodur hinn Hriatti son O dins / er thil theirar sendifarar vard / tha var tekin Sleipner / hestur O dins/ og steig Hermoder a thann / og hleypti a

B burt/ og reid Nyn Nætteir dockva dali og diupa. Suo hann sa ecki fyrr enn hann kom til Aarinar Giallar / og reyd a Giallar-bruna. Hunn er thokt lysigulli. Modguder er nefnd mær su er giætter bruarinnar / hun spurdi hann ad Nafni og ætt/ og sagdi : Hin fyrra dag riedu umm bruna/ finn filki daudra manna. Hui rydur thu hier a Helvig? Hann suardi/ eg leita Baldurs. Hefur thu nockud sied hann a Heliar veigi? Hunn sagdi Baldur hefdi thas ridid umm Giallarbru. En

C nidur og Nordur liggi Helvegur. Tha reid Hermodur thar till hann kom ad hellgrindum / tha steig hann af hestinum girdi hann fast/ Steig upp og Keirdi hann Sporum/ enn hesturinn flior suo hart yfer grindina/ ad han kom huorgi nær : Tha sa hann sitia Baldur brodur sinn i ondvegi i hollunne. thar dualdi Hermodur umm Nottina/ ad morne beiddist hann af Heliu ad Baldur skildi ryda heim med honum / oc sagdi huorsu mikill gratur var med Asum : En Hell sagdi/ ad thad

D Skaldi suo reina huor Baldur væri suo astsæll sem sagt er. Og ef aller hluter i Heiminum kniker og dauder grata hann/ tha skal hann fara til Asa aptur/ enn halldest med Heliu ef nockur mæler vid / ella vil ei grata. Tha stod Hermodur upp/ enn Balldur leiddi hann ut ur holline / og tok hringen drupner og sendi O din til menia : En Nanna sendi Frygg fingurgull/ og fleyri giafer; Tha reid Hormodur leyd syna i Asgard og

E sagdi øll tidindi sem hann hafdi heyrt og sied. Thunest sendu Æser umm allann heim erindreka/ ad vidia Baldur væri gratinn ur Heliu enn aller giordu thad/ mennerner / kukindin / Jordin/ Steinaraer/ tre og allur malmur/ suo sem sia ma thesser hlutter grata aller/ tha their koma ur frosti i hita/ tha er sendimenn foru heim/ og hofdu vel rekid erindi syn/ finna their i helli nockrum huar Gygur var/ su nefndist Thock : their bidia hana grata Baldur ur Heliu/ hun suaradi suo:

F
Thock mun grata
Thurrum tarum
Baldurs Bålfarer
Halldi thar fyre Hil
Thui er hefur.

Enn thess gietta menn ad thar hafi verid Locki Laufeyrson / er flest hefur illt giort med Asum : hann olli thui ad Balldur var veigin/ og suo thui/ han vard ei Leystur fra Heliu Id est : *Mortuo Balldro; verbis & viribus destituebantur Asæ, nec ob reveren-*

verentiam loci necem ejus ulcisci poterant. Eratq; tunc temporis inter Asas luctus acerbissimus, etsi Odinus cædem ejus tanto gravius ferret, quantò acceptum damnum reliquis melius intelligeret. Luctu autem aliquid deferuente, corpus Balldri ad mare deduxerunt, ubi navis ejus Hringhorne omnium navium maxima constitit. Hanc Dij ex navali protrahere volentes, ut in illa Baldro pyra extrueretur, nusquam dimovere potuerunt. Gygem igitur quandam ex Jotunheimis accersi curarunt, quæ Hirrokin vocatur. Hæc adveniens, feram equitabat (reid warge*) & pro habenis serpentibus usa est. Cumq; ab Equo desiliret, Odinus quatuor advocatis Æthiopibus, ut Equum custodirent, mandavit, quod nisi illum prosternerent, præstare non valerent. Gyges verò in proram incumbens, unico nisu in aquas navem compulit, ut ex subjectorum lignorum lapsu ignis emicaret, omnesq; terræ tremerent. Funus deinde Balldri in navim portatum pyræ imposuerunt; Nanna verò Nevij filia luctu extincta communem cum marito sortita est rogum. Thorus assistens & ignem Miollnere consecrans, Nanum quendam qui* litur/ id est, *color, appellabatur, ante pedes suos cursitantem pedicâ in flammam deturbavit, qui ibi conflagravit. Stabant ad hunc rogum Dij Deæq; omnes, prætereà ingens numerus Hrymthussorum & Cyclopum. Odinus annulum aureum, qui Drupner dicitur, rogo imposuit, cui hæc deinceps adjecta est natura, ut nona qualibet nocte, octo ab illo destillarent annuli, ipsi pondere pares. Equus Balldri in eadem, quâ ille, consumptus est flamma. Balldro è vivis sublato inquirere Frygga cœpit, num quis esset, qui omnes suos amores demereri, viam Hecateam ingredi, Balldrum convenire, & pro ipso Helæ Lytron offerre vellet? Sed qui istam obire voluit Legationem, Hermodus* Huatt/ id est, *acer, vocatus est, filius Odini. Adductus est ergo Equus ipsius Odini Sleipner, quem Legatus conscendens, novem continuas noctes per opacas & profundas valles cursu concitato iter habuit: donec ad amnem Giallam (alias Stygen) perveniret, in cujus pontem lucente tectum auro, equum sine mora adegit.* Modguder *appellatur virgo, quæ pontem custodit; hæc illum de nomine & genere interrogavit; pridie, inquit ipsa, tres legiones mortuorum per hunc equitabant pontem; qui non minus sub te uno concutitur & tremit, nec tu defunctorum vultus gestas, & cur tu hanc viam tentas? Respondet ille: Balldrum fratrem meum quæro, tunc ipsum in hac via vidisti? Vidi, inquit Virgo, illum per pontem Giallarum equitantem, sed deorsum & in Boream via Hecatis extenditur. Iter porro Hermodus usq; ad Averni clatratam januam confecit, ubi Equum calcaribus pungens, cancellos ut nihil attingeret, transilire fecit; ibiq; Balldrum fratrem dignissimum in aula locum occupare conspexit, & inibi pernoctavit. Proximo matutino maximis ab Hela votis contendit, ut domum ad Asas Balldro secum remeare liceret, & quàm acerbè mortem ejus deflerent significavit. Hela ajebat sic comprobatum iri, an Balldrus tam charus & acceptus extiterit omnibus, ut de ipso dictum fuerat. Si universæ in mundo res vivæ & inanimatæ Balldrum lacrymis prosequantur; ad Asas revertetur. Si quæ vero contradixerit & flere renuerit, ipsum Hela retinebit. Surrexit igitur Hermodus, quem ex aula Balldrus eduxit, Odinoq; Drupnerum annulum mnemosynon remisit, sed Nana ejus uxor Fryggæ monile succineum mittebat (* Nanna sendi Frygg Nyptt *) Fullæ aureum digitale. Post hæc viam suam remensus Hermodus Asgardiam venit, visaq; omnia & audita fideliter retulit. Asæ deinde per omnem mundum cursores emiserunt, qui peterent, ut Balldrus ab Hela generali redimeretur fletu: quod libenter fecerunt non solum omnes homines, sed etiam bestiæ, terra, lapides, ligna, & quævis metalla, sicut omnes hæ res lacrymantur, quando ex gelu in calorem veniant. Cum autem Legati domum revertentes, negotium bene expedivisse videntur, in antro quodam Gygem sedentem inveniunt, quæ se Thokk nominabat: quam etiam petunt ut Balldrum ab Hela ploratu liberet. Sed hæc illis talia regessit verba:*

> Tokk siccis plorabit lacrymis
> Rogum Balldri, Hel, quod habet, retineat.

Hoc autem pro vero habetur, Gygem hanc Lokum fuisse Laufeysonium, qui plurima inter Asas mala effecerat; ipse causa erat quod Balldrus interfectus esset, quod etiam ab Hela redimi non posset.

42. *Eidem Proserpina per quietem astare aspecta*] Quam Proserpinam hic dicit Saxo, *Hæla*, Eddæ est. Ad illam enim Balderus divertisse dicitur, Mortæ Romanorum similem.

46. *Spe reperiendæ pecuniæ nocte adorti*] Erat illud etiam priscæ superstitionis non minimum, existimare, mortuis rei pecuniariæ usum superesse in altera vita. Quare novis vestibus cadavera induerunt, ac diligenter calceatos pecuniis pro conditione instruxerunt, tenuiores æneis, alios argenteis, summos viros aureis; nè fortè rerum egentes in peregrinatione ad Valhallam necessariis destituerentur, donec ad locum pervenirent. Illuc namq; usq; curandum erat superstitibus necessariis, nè per suam tenacitatem & avaritiam defunctus mendicaret, vel sordidè colligeret. Porrò thesaurum posteriore seculo, cum sepeliri integra corpora cœperunt, sub humeris præsertim & genubus deponere potissima cura fuit, credo, quò tutior esset à malis Harpyjarum manibus. Ac omnes plerique Heroum tumuli hoc nomine celebrati sunt, quod divites essent; ac proinde nulli non sollicitati. Plerique sentiunt incantationibus tumulos antiquitus munitos ac velut obsignatos esse, quo sacrosancti forent contrà omnium seculorum habendi cupidines. Tale aliquid, miraculum, quod insequitur, subiti torrentis, præ se fert.

Ibid. *Diis loci præsidibus*] Dæmonas illos intelligit, qui in tumulis ac sepulcris mortuorum, & circum, habitarunt: quos prisca superstitio nimium quàm studiosè coluit, ac à locis inhabi-

inhabitatis, ᚼᛅᚢᚵᛒᚢᛅ, Haugbua / nominavit. Illi nonnunquam tumulorum scrutatoribus terriculo fuerunt, variisq; præstigiis illuserunt.

Pag. 44. vers. 27. *Fabriliumq; rerum officio callere*] Clarissimus Vir, & subacti judicij Criticus, Caspar Barthius, pro *officio*, legit, *opificio*. Fortè erit *artificio*: quomodo Saxo infrà eodem hoc Libro loquitur: *Cui tàm exculto manus artificio calluisset.*

47. *Versili vultu varios habitus præ se ferendi*] Verissimè hoc Saxo de veneficio priscorum annotat, potestatem eos habuisse vultus lineamentorum, cum quolibet mutandorum, ut quem vellent, mentiri possent. Nec homines modò pro arbitratu exprimebant, quod *colores mutare*, at skiffta litum / dixerunt; sed bestiarum etiàm formas assumserunt; quales artifices, Hamskiepper / id est, cute vel corpore excurrentes, ac velut desultores quidam, appellati erant. Sic Odinus insignis veterator, & architectus harum omnium præstigiarum extitit, qui nunc ut accipiter, nunc aquila, nunc serpens, apparuit, teste Edda. Ita & Locas, anus, equa, esox, & nihil non, quoties placeret, esse potuit, eâdem teste.

Pag. 45. vers. 31. *Præcipua apud Byzantium sedes habebatur*] Non injuriâ Clarissimus Vir, M. Brynolfus Svenonius, illustre in hac *Byzantij* voce mendum esse, juxtà mecum suspicatur, ortum ab imperitis rerum Normannicarum librariis, qui insano studio, quicquid obsoletum viderunt ac desitum, maluerunt pervertere, quam ignorantiam fateri. Nisi forsan affectavit Græciam Latiumq; in nomine Saxo: quod Monachis per quàm solens erat. Accedit, quod Odinus collegio Byzantiorum deorum nunquam fuerat ascitus: quare nec inde per contumeliam submoveri potuit. In Septentrione, & extremis Scythiæ magnæ oris, divinitatis opinionem habuit: Byzantij ne natum quidem noverunt; tantum abest, ut primatum illic unquam exercuerit. Proinde aliud loci nomen quæratur necesse est. Quid enim Asis hoc tempore cum Byzantio rei fuit?

43. *In divinitatis infulas subrogavêre*] *Infulæ* propriè quidem Sacerdotibus, rebusque sacris tribuuntur. Justinus Lib. 24. Cap. VIII. *In hoc partim certamine repentè universorum templorum antistites simul & ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus atq; infulis, pavidi vecordesq;, in primam pugnantium aciem procurrunt.* Alioquin pro regiæ dignitatis insignibus ea vox accipitur. Iterum Justinus Lib. XI. Cap. 10. *Tunc in Syriam proficiscitur: ubi obvios cum infulis multos Orientis Reges habuit.* Trebellius Pollio in Gallienis Cap. X. *Odenatus Rex obtinuit totius Orientis imperium, quod se fortibus factis, dignum tantæ majestatis infulis declaravit.* Interdum generalius sumitur. Ut apud Spartianum in Adriano, Cap. 6. *Infulis ornatus Pannoniæ*, hoc est, titulo præfecturæ Pannonicæ. Ammianus Marcellinus Lib. XV. *Die quinto, antequam insulas susciperet principatus.* Seneca Consolat. ad Helviam, Cap. 13. *Vir constans ipsas miserias infularum loco habet.* Et Epist. 14. *Literæ etiam apud mediocriter malos infularum loco sunt:* quomodo hunc locum restituit Vir consummatæ Eruditionis, Joh. Freinsheimius, in Notis eruditissimis ad Justinum. Ità Valerius Maximus, *Infulis misericordiæ permulcere* dixit Lib. IV. Cap. 7. *At quo secessu quosdam fugeris, aut quibus infulis misericordiæ permulseris; non cohibebis, ne alienis malis, perinde ac bonis suis lætentur ac gestiant.* Et Alhelmus de laudibus Virginitatis Cap. III, *Infulas virtutum*, & Cap. X, *Infulam virginalis pudicitiæ.*

Pag. 46. vers. 20. *Nocturno vivum igni incenderat*] Valdè fuerunt olim Normanni omnes huic perfidiæ dediti, ut levissimis quandoque de causis, præstantes viros nocturnis ignibus oppresserint. Sexcenta licet ex antiquitatibus nostris exempla proferre, quibus indignis modis incendiarij sunt grassati. Sed vero nobilioribus ingeniis hoc maleficij genus semper displicuit.

27. *Cum Boo congressus occiditur*] Hotherum hunc Regem à Boo oppressum, sunt qui funeratum volunt in eleganti ac magno tumulo illo, qui in cœmiterio pagi *Horlef*, prope Ryggeveldium Selandiæ, conspicitur, fraxinis undiq; cinctus: quem etiam, lapidem tali inscriptione insignitum, olim exornasse, conjiciunt:

Denne Høi er giord uden meen /
Her i huiler den rige Kong Hothers been:
Denne Steen er ofuer ham set /
Uiser hans Graf / hannem ey forget:
Jeg hafde nock trette oc Krig /
Met Bo den Afguds Søn Ottin:
Jeg blef slagen oc døde bort /
Oc huilis her i Jorden fort.

Hotherus, Regum decus, hic tumulatus, aviti
Promeruit saxi hoc decus, & monumenta decora.
Tanta viri virtus nam vinci nescia, quamvis
Impiger Othini Bo dictus filius, altam
Turbaret regni pacem: nunc ossa quiescunt
Cespite sub viridi, telluris pondere pressa.

Pag. 48. vers. 10. *Nec mora: circulatur campus*] Longè rectius ità legendum existimo, quàm *Circuatur*. *Circulari* enim dicitur *campus*, cum orbiculatum aliquod terræ spatium, circuli in modum, designatur, vel etiam lapidibus circumdatur, aut hominum astantium turbâ, sive circulo circumscribitur, in quo athletæ manus conserunt. Ejusmodi spatium ità circi in modum circumscriptum, nostratibus hodieq; dicitur een Kreebs. Unde formula de Athletis usitata, at sla en Kreebs. Antiqua lingua Danica Spar-

Spatium, in quo pugiles dimicabant, dicebatur *Holmur.* Gloſſarium Islandicum: ᚼᚯᛚᛘᚢᚱ, Holmur / *ſpatium, in quo pugiles concurrunt. Unde* Holmganga / *ſingulare certamen*: at gange a Holm / *in arenam deſcendere*: Holmganga løg / *leges dimicationis.* Cæterùm non abs re erit, quæ in Conjectaneis ſuis ad hunc locum M. Brynolfus noſter commentatus eſt, in medium producere. Palos, inquit, ex arbore certa, ſolo in circuitu impegerunt, campum hac ratione metantes: quem nemo, præter ipſos gladiatores, impunè intraret, nec ipſi, qui duello decernebant, ſinè perpetua infamia egrederentur. Erat autem, unde palorum conſtitit materia, *Corylus* arbor. Unde hos vallos Heſliſs Steingur vocitarunt. Et Heſliſvoll/ campum duello deſtinatum: & ad heſla / in campum gladiatorium provocare. Hucusq; M. Brynolfus. Circulari autem Columellæ Lib. XII. eſt *circumdari: Isq; debebit ante circulari foſſula, quæ & repleatur lapidibus & calce.* Eâdem notatione vox non ignota Martiano Capellæ Lib. VIII. Cap. de Circulo Antarctico: *Quem quidem meantem, quibus ſideribus circuletur, ego poteram memorare.* Porro de hac voce videatur Petrus Victorius Lib. VIII. Var. Lect. Cap. 13. Ubi ejus vim atq; uſum explicat, ex Evripide in Andromacha, Cicerone in Bruto, & Epiſtola ad Q. Fratrem.

18. *Per ſummam rerum gloriam piraticæ incubuerat*] Maximæ ſibi laudi, nobiliſſimi fortiſſimiq; Normannorum, *Piraticam* duxerunt, ut olim Athenienſes & Spartani. Tacitus de moribus Germanorum: *Nec arare terram, aut exſpectare annum, tam facilè perſvaſeris, quàm vocare hoſtes, & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſangvine parare.*

35. *Invicem humanitati deferendum eſt*] Senſus eſt; Habenda eſt ratio humanitatis, tribuendum aliquid eſt humanitati, honor habendus & reſpectus eſt aliquis humanitati. *Deferre* etenim abſolutè poſitum, hujus ævi ſcriptoribus idem eſt, quod *honorem deferre, rationem alicujus rei habere, magni aliquid æſtimare.* Lambertus Schafnaburgenſis: *Nec manibus in eos furor populi temperaſſet, niſi paucorum ſapientium moderatio, propter jus gentium, quo legatis eſt deferendum, interceſſiſſet.*

40. *Ut victum victor inferiis proſequatur*] Erat apud veteres pugiles atq; gigantes in tanto pretio ſepultura, ut ne inimicis & apertis ſuis hoſtibus eam denegârint, ſed pro piaculo apud ipſos ſit habitum, hoſtes cæſos proſtratosq; inſepultos relinquere. Ac ſi quando accidit, ut inter adverſarios res ferro aut duello, quod uſitatiſſimum eo ſeculo erat, dirimenda eſſet, tùm priusquam certamen inirent, inter ſe paciſcebantur utrinq; adverſarij, quòd victor honeſtam ſepulturam victo procuraret: quam proA miſſionem fallere, aut negligere, infamiæ loco habitum eſt. Svaningius in Prolegomenis ad Hiſtor. Dan. D. Olaus Wormius Lib. I. Monum. Danicor. Cap. VI.

42. *Faceſſat poſt fatum livor, ſimultasq; funere ſopiatur*] Quintilianus Declam. IX, quæ *Gladiator* inſcribitur: *Decet ſimultates, quas maximè omnium mortales eſſe voluêre ſapientes, in his deſinere, in quibus naſcuntur.* Et Declamatione CCLVII. *Non oportet immortales eſſe inimicitias:* B *Et ità demum tutum perpetuumq; eſſet humanum genus, ſi amor ac fides nullam haberent oblivionem: ea rurſus, quæ aliquo incommodo commutantur, brevi morte deficiant.* Ovidius: *Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.*

Pag. 49. verſ. 31. *Stoliditatis ſimulationem amplexus*] Multis dementiæ ſimulatio feliciter ceſſit, ejusq; beneficio varia pericula, imò præſentiſſimam ſæpe mortem evaſerunt. Junius Bru- C tus, ille Libertatis Romanæ auctor, ut Tarquinij avunculi ſui tyrannidem eluderet, non aliter ac Amlethus hic noſter, *obtuſi ſe cordis eſſe ſimulavit, eâq; fallaciâ maximas virtutes ſuas texit.* Valerius Maximus Lib. 7. Cap. 3. Regius quoq; vates David ad Aciſchum Regem Gadi adductus, amentiæ ſimulatione ſævitiam ejus evaſit, quam Sacræ nobis literæ deſcribunt 1. Samuel. XXI. v. 14. & ſeqv. *Quapropter mutavit ſibi ſpeciem ſuam in oculis eorum, & agebat inſanum in manu eorum,* D *& ſignabat valvas portæ, demittebatq; ſalivam ſuam in barbam ſuam.* De Solone etiam tradit Juſtinus Lib. 2. quod cum non auderet legem, de vindicanda Salamina inſula, ad populum Athenienſem ferre, ſubitam dementiam ſimulaverit; cujus veniâ non dicturus modò prohibita, ſed & facturus erat. Ita Druſus alienationem mentis ſimulans, quaſi per dementiam, funeſta Tiberio imprecatur. Tacitus Annal. 6.

35. *Ridiculæ ſtoliditatis dementiam figurabant*] E Id eſt, indicabant, exprimebant. Sic Lib. XIV. *Læva arcum, reflexo in latus brachio, figurabat.* Uſus eſt etiam hac voce puriſſimæ Latinitatis impurus autor, Petronius Arbiter, pag. 47. *Uniusq; hominis veſtigium ad corporis mei menſuram figuravi.* Item Q. Curtius Lib. VII. *Utinam prudentius ſollicita eſſet pro filio, & non inanes quoq; ſpecies animo figuraret.* Quintilianus Declamatione IX pro Filio: *Eſt quidam felicibus difficilis miſeriarum vera æſtimatio: figurare tamen poteſtis, qui tunc ani-* F *mus mihi, quæ cogitatio fuerit.* Sed apud ſequioris ævi ſcriptores nihil invenitur frequentius; & præſertim Ordericum Vitalem, Monachum Uticenſem, qui Eccleſiaſticam ſcripſit hiſtoriam, aliosq; numero innumeros.

46. *Nec credi poterat obtuſi cordis eſſe*] Hoc eſt, animi diminuti. Ità & infrà Lib. XVI, & ultimo loquitur: *Haraldum quendam regij ſangvinis, ſed obtuſi cordis, è Svetia adſciſcunt.* Phraſis eſt Valeriana. Sic etenim Valer. Max.

Lib. VII.

Lib. VII. Cap. 5. Ubi de Bruto agit: *Obtusi se cordis esse simulavit, eâq; fallaciâ maximas virtutes suas texit.* Cor verò pro *animo* posuerunt veteres, Metonymiâ quadam. Nam in corde animi sedem quosdam olim collocasse, diligentissimè monuit Athenæus Lib. XIV. atq; ità Homerus καρδίαν, seu κραδίαν, usurpat. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει. Vid. Obertus Gifanius in Conlectaneis ad Lucretium. A

Pag. 50. vers. 3. *Inter quos fortè quidam Amlethi collacteus erat*] *Collacteus* idem est, qui *Collactaneus, coævus*, qui ijsdem mammis est nutritus, qui eandem nutricem simul bibit, & in nexu germanitatis simul coaluit: ut loquitur Apulejus Lib. 2. Metamorph. Glossarium Vetus: ὁμογάλακτος, *Collactaneus*. Danis antiquis **Fosterbroder** dicebatur. Solent autem plerumque ejusmodi ὁμογάλακτοι ardentius inter se amare, quàm ipsi fratres germani: adeò ut à teneris mox ungviculis, cum ipso lacte nutricis, igniculos quosdam amoris suxisse videantur, qui deinceps cum ætatis incremento indies magis magisq; gliscit & augetur. Illustre hujus rei specimen de se juvenis ille præbuit, qui imminentes Amletho insidias quovis modo detegere conatus est. Consentaneâ quoq; fide & amore nutrices & collactaneos suos prosequi Hibernorum nationem, autor est elegantissimus Scriptor, Richardus Stanishurstius Lib. I. de rebus Hibernicis: *Nutrices*, inquit, *ad extremum vitæ spatium in loco parentum habent. Eorum natos, quos vocant Collactaneos, magis ex animo, quàm germanos fratres amant, singula illis credunt, in eorum spe requiescunt, omnium consiliorum sunt maximè conscij. Collactanei etiam eos fidelissimè & amantissimè observant. Nihil perfidiosum & insidiosum, nihil fallax in illis invenies; quin etiam parati sunt offerre capita sua, pro lacteorum fratrum, ut appellant, salute, periculis omnibus. Cæstibus hominem contundas, eculeo excrucies, ignitis laminis amburas, omnia exquisita supplicia vehemens feroxq; tortor in illum expromas: tamen nunquam eum de insitâ mentis fidelitate deduces, nunquam ut officium prodat, induces.*

5. *Inter deputatos comites*] *Deputare* interdum notat *assignare*. Solinus: *Propter dies impares dijs superis Januarius dicatur, & propter pares Februarius, quasi abominosus dijs inferis deputatur.* Sulpitius Lib. 1. *Turba inutilis servitio exercendis colendisq; agris, ne incultum esset solum, deputata.*

7. *Sensati animi*] *Sensatus*, est sensu valens, intelligens, prudens. 2. Chronic. II. v. 12. *Filium sapientem, & eruditum, & sensatum, atq; prudentem.* Robertus, Rex Franciæ XXXVI, qui obijt Anno Christi cIↃ XXXI, Princeps pientissimus, in Hymno mellitissimo, & vere flammeâ Odâ, quam in laudem Spiritus Sancti cecinit, Commate VI: *Amator sanctè sensatorum semper cogitatuum.*

17. *Faceto imprecationis genere*] Amlethus enim per ὀξύμωρον Patruo suo Fengoni, interfectori parentis sui, imprecatur non solum luporum gregem, aliaq; noxia animalia, quæ & ipsum, & quicquid possideret pecorum armentorumq;, laniarent, lancinarent, funditusq; devastarent; sed & quodvis exitium, imò extremam inopiam.

Pag. 51. vers. 5. *Arcanam juvenilis industriæ seram patefacere*] Translatio Saxonis dictioni B conveniens, petita à rebus, quas arcis recondimus & seris occludimus. Nihil etenim est, à quo non similitudo, ac proinde Metaphora duci potest. *Industria* autem positum pro *prudentia*.

49 *Præteritosq; ignes*] Id est, præteritum amorem, nempe conjugalem illum & castum, quo juncta Horvendillo marito fuerat. *Ignis* pro *amore* poëticum est. Virgilius 4. Æneid. *Cæco carpitur igni.* Claudianus de nuptijs Ho-C norij: *Insolitos ignes hauserat virginis.*

Pag. 52. vers. 9. *Textilibus aulam nodis instruat*] Jubet Amlethus, ut totius aulæ suæ parietes aulæis suspensis, & nodis quibusdam sibi invicem connexis & colligatis, undiq; secus exornet & circumducat; veteri ex more, quo magnatum aulæ, imminente solennitate aliquâ, cultius instrui solebant. *Textiles* autem *nodos* hic usurpat fortè Saxo pro *aulæis*, textilibus sigillorum quasi nodulis elaboratis. Sed D & aliquando legendum putavi: *textilibus aulæam nodis instruat.* Nam sic infrà: *Aulæam dormientibus injici.* Et Lib. 5. *Post aulæam consistere jussos.* Quin & ipse se explicat Saxo sub finem hujusce libri: *Deinde ædem, in quâ proceres passim fusis humi corporibus permixtam somno crapulam ructabantur, ingressus, compactam a matre cortinam, quæ etiam interiores aulæ parietes obducebat, rescissis tenaculis, decidere coëgit.* Sic Lib. V. *Eædem deintus pensilibus per totum aulæis obductæ erant.*

E 11. *Nam id celebre quondam genus chartarum erat*] Non una in materia scribebant veteres. Nam primò quidem in arborum stirpiumq; folijs scriptitatum fuit. Sic de palmarum, vel ut alij legendum censent, malvarum folijs, loquitur Plinius Lib. XI. *Ante chartarum usum in palmarum folijs primò scriptitatum.* Et Virgilius Lib. 3. innuit, ità de Sibylla canens:

Insanam Vatem aspicies, quæ rupe sub imâ,
Fata canit, folijsq; notas, & carmina mandat.
F *Quæcunq; in folijs descripsit nomina Virgo,*
Digerit in numerum, atq; antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis, neq; ab ordine cedunt.

Juvenalis Sat. VIII.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ,

Idem Virgilius alibi:

——— *folijs ne tantùm carmina manda*
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Et hunc quidem ſcribendi morem ab ipſis etiamnum Indis ſervari affirmat Hieronymus Oſorius Lib. 2. de rebus Emanuelis Luſitaniæ Regis: *In ſcribendo*, inquit, *neq; chartâ utuntur, neq; papyro, ſed ſtylo in folijs arborum ſylveſtrium literas exarant.* Et penes me eſt palmæ folium, cui ſtylo ferreo literæ ſunt impreſſæ, ex India huc allatum: quod mihi dono dedit Ampliſſimus Vir, Dn. D. Olaus Wormius, cujus non poſſum non, ob ſingularem ejus erga me humanitatem, honorificam ſemper in hiſce Commentarijs mentionem facere. Is etiam aliquandò, cum Pinacothecam ejus, varijs & viſu dignis refertam monumentis, perluſtrarem, exemplum literarum amatoriarum Runicis Characteribus ligneæ virgulæ inciſis, mihi oſtendere dignatus eſt. Deindè ſcribi cœptum in tenuioribus arborum philyris ſive libris, qui pars corticis ſunt ligno adhærens; ut Platani, fraxini, aceris, populi albæ, itèm fagi & ulmi. Nonnunquam in ipſo cortice. Hieronymus Epiſtola 1. Lib. 1. *Rudes illi Italiæ homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi, ut in Rhetoricis Cicero ait, ritu ferino victum quærebant, ante Chartæ & membranarum uſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutua Epiſtolarum alloquia miſſitabant. Undè & portatores earum tabellarios, & ſcriptores à libris arborum, librarios vocavêre.* Huc pertinent illa Venantij Fortunati Lib. VI, de literis in fagi cortice ſcribendis, & fraxineis tabulis:

Scribere quò poſſis, diſcingat faſcia fagum,
Cortice dicta legi, ſit mihi duce tui.
Barbara fraxineis ſculpatur Runa tabellis,
Quodq; papyrus agit, virgula plana valet.

Scitè vereq; dixit Venantius *fraxineis tabellis ſculpendas* eſſe Runas. Etenim antiqui ſuas Runas, hoc eſt, literas, tabellis ligneis, quas Spiöld & Speldtefle nominarunt, commiſerunt, non atramento, pigmento, aut colore illitas, verùm cultellis inciſas. Atq; hanc inciſionem ad rita/ vel, ad riſta vocitaverunt, quod eſt, leviter incidere. Atq; ità & literas ligno inſculpebant. Tales fuerunt Solonis Ἄξονες, hoc eſt, Leges, quas ità Athenienſes appellarunt, quod illæ in ligneis tabulis eſſent inſcriptæ: teſte Svida & alijs. Ejuſmodi fuit etiam Epiſtola, cujus hic Saxo mentionem facit. Poſteà in linteis ſcribendi modus inventus: de quibus Livius diſertè Decad. primâ Lib. IV. *In diſcrepanti*, ait, *editione & Tubero & Macer Libros linteos authores profitentur.* Et mox: *Licinio Libros haud dubiè ſequi linteos placet.* Et paulò ſuperius: *Nihil enim conſtat, niſi in libros linteos utroq; anno relatum inter præfectos nomen.* Vopiſcus in Aureliano: *Et ſi his contentus non fueris, lectites Græcos, libros etiam linteos requiras, quos Ulpia tibi Bibliotheca, cum volueris, miniſtrabit.* Hinc tandem in tabulis ceratis, ſeu cerâ obductis, ſtylo ferreo aut oſſeo, literas pingebant. Hæ tabulæ *Pugillares* dicebantur,

A quod pungendo ſcriberentur; & à planâ formâ, *tabellæ*; & quia ex codice arborum conſtarent, *Codicilli*; imò & *Ceræ*, quia cerâ obducerentur. Plinius Lib. 1. Epiſt. *Erat in proximo non venabulum, aut lancea, ſed ſtylus & pugillares: meditabar aliqua, enotabamque; ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Plautus Curculione:

Dum ſcribo, explevi totas ceras quatuor.

B Etſi autem tabulæ ſive pugillares ex variâ ligni fiebant materiâ, buxeas tamen frequentiſſimo in uſu fuiſſe video. Ut taceam quod in ære, plumbo, lapidibus, inteſtinis animalium, ebore, veteres ſcripſiſſe memoriæ proditum ſit. Demum Membranæ ſcribendi materiam veteribus ſuppeditabant. At ultimum Chartæ ſeu papyri genus inventum eſt, quæ ex linteolis concerptis & aquâ maceratis, & poſteà in lanuginem contritis conficitur; quæ hodieq; in uſu eſt. Atq; C hæc breviter hoc loco dicta ſufficiant de materiâ ſcripturæ concinnandæ aptâ & idoneâ. Plura qui deſideret, adeat Gvidonem Pancirollum Lib. 2. de Novis repertis, Titulo XIII. de Chartâ. Guilandinum de Papyro: et Alexandrum ab Alex. Lib. 2. Genial. dier. Cap. 30. Chriſtoph. quoq; Brovverum in Notis ad Lib. 7. Venantij Fortunati. p. 190. Item Hermannum Hugonem Cap. X. de prima ſcribendi Origine, & univerſa rei literariæ Antiquitate.

D 12. *Quibus Britannorum Regi transmiſſi ſibi juvenis occiſio mandabatur.*] Tales erant Literæ, quas Prœtus ad Jopaten hoſpitem deferendas Bellerophönti commiſit. Unde Proverbium ortum eſt: Βελλεροφόντης τὰ γράμματα: quod extat apud Zenodotum, & Eraſmum Chiliadis II. Centur. VI. Neq; diſſimilis eſt hiſtoria apud Hebræos, de Vria.

Pag. 53. verſ. 8. *Neminem ſe præter regem paſſam*] E Proteſtatur Regina ſe cum alio caput non colliſſe, aut concubuiſſe, quàm Rege. *Pati* de rebus Venereis frequenter adhiberi, notiſſimum eſt. Ovidius III. de arte: *Concubitus pati.* Quà in ſignificatione uſurpare videtur Cæſar apud Salluſtium, deſcribens belli effectus: *In bello*, inquit, *videmus rapi virgines, liberos avelli à parentum complexu, matresfamilias pati, quæ victores volunt.* Hinc *paſſivi amatores* Julio Firmico Lib. VII. Cap. 18. & Lib. VIII. Cap. 23. *Paſſivæ* F *libidinum nundinatio.* Aldhelmo quoq; Cap. 1. de Laud. Virginit. *Paſſivus* dicitur Impudicus, inhoneſta patiens, qui alijs autoribus *paticus*, ſive *pathicus*; ut ſit à Græco πάθος. Juvenalis Sat. II.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis.

Vetus Vocabularium: *Pathicus, Sodomita, impudica patiens.*

Clàm

26. *Clàm cavatis baculis infundendum curavit*] Sic & Brutus Delphos profecturus cum Tarquinij filijs, quos ad Apollinem Pythium muneribus sacrificijsq; honorandum ille miserat, *aurum Deo nomine doni* (verba hæc sunt Valerij Maximi Lib. VII. Cap. 3.) *clàm cavato baculo inclusum tulit*. Eadem de Bruto legere est apud autorem de Viris illustribus : *Juvenibus* A *regijs Delphos euntibus, ridiculi gratiâ, comes ascitus, baculo sambuceo aurum infusum Deo donum tulit*. Ita & Annibal, callidissimus Imperatorum, ad Prusiam Regem contendens, aurum suum in statuis, quas secum portabat, infudit ; ne conspectæ opes vitæ nocerent : teste Justino, Lib. XXXIII.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM IV. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 54. vers. 42. QUibus in Regem fides] *Regis* Vocabulo hic, non totius Daniæ Regem Roricum ; sed Jutiæ Præfectum seu Proregem, seu Vicarium Regium, intelligendum esse, manifestum erit & planum ei, qui superiora simul & sequentia attentius considerârit. Nam præter alia & suprà, Fengo Rórici Regis metu à cæde Amlethi abstinuisse dicitur : & infrà, Rórico defuncto, ei successisse in regno Viglethus expressè narratur. Et sic infrà quoq; Lib. V. sub Rege C Frothone Hóginus Jutorum Regulus appellabatur. *Rex* itaq; non est βασιλεύς hoc loco ; verùm ἄναξ. Ἄναξ autem ὁ φροντιστής, curator & inspector. Ἀνακῶς enim est ἐπιμελῶς, diligenter, & cum curâ : id quod antè me observavit Rex ille Criticorum Daniel Heinsius in Notis ad Oden 36. Lib. I. Venusini Vatis. Ejusmodi Proreges sivè Vicarij Regij Danis dicebantur antiquitus Under Konger sive Statte Konger : quales habuit multos olim Norri- D gia, attestante passim Snorrone Sturlesonio, in Chronico Norvagico lectu dignissimo.

Pag. 55. vers. 11. *Incineravi ego alios*] *Incinerare* hoc loco est, in cineres redigere. Invenio etiàm vocem hanc apud Cæsarium Heisterbachsensem, qui Saxoni nostro σύγχρονος fuit, Lib. IV. Histor. Memorab. Cap. 99. Ubi dè Juvene quodam sermo est, qui ab adulterâ muliere, quod in illius amorem consentire noluerit, stupri accusatus, & ignis supplicio necatus est. *Juvenem hunc*, inquit, *luxuria per fœminam pervasit, corpus ejus incineravit, sed non superavit*. Et Lib. X. Cap. 67. *Vidit bufonem extinctum sua sequi vestigia, quem cum denuò transfodisset, & multoties concremando incinerasset, non tamen profecit*. Usus hac quoque voce Gvillermus Brito Armoricus Lib. 1. Philippidos :

——— *Captumq; solo prostravit, & iræ*
Motibus indulgens radicitus incineravit.

B Et pag. 241.

Quotquot apud Brajam Judæos repperit omnes
Igni supposito, Domini pugil incineravit.

Et Lib. II. pag. 245.

Dùm pro Ferrando, sua mœnia versa, recepto,
Turritasq; domus viderunt incineratas.

Et pag. 246.

Non cessat populos populari, ducere prædas,
Incinerare domos, in vincula trudere captos.

Et Lib. III. pag. 260.

Dum per circuitum fumos videt undiq; volvi,
Ruraq; tot subitis simul ignibus incinerari.

Et Lib. IV.

Ebroicas primò sic incineravit ———

Et alibi passim. Joannes itèm Hantvillensis Architrenij, Lib. 6. Cap. 3.

Audit & incinerat gelidis fornacibus ignes,
Et sepelit vivam prius Architrenius iram.

Atq; ità Pagninus juxta ac Vatablus verbum illud Hebræum *Jedasschne* interpretati sunt, quod extat Psalm. XX. v. 3. *Et holocaustum tuum incineret*. Germani hodiè dicunt Einäschern.

24. *Ab amicis consputus*] *Consputus*, pro *contemptus*. Plautus : *Ab omnibus derisus atq; consputus*.

30. *Quem non passionum mearum compassio molliat*:] Par hic occurrit vocum inventu rarum, & usu ferè incognitum. Earum tamen ultimam usurpare non dubitarunt Petrus Chrysologus Sermone XX. de sedata à Christo maris tempestate, ad hæc verba : Domine, salva nos perimus. *Nec tamen*, inquit, *ulla compassio, pietas ulla, ullus pavor, quicunq; pudor nos vel compunctio exsuscitat ad dolorem*. Et mox sequenti Homiliâ XXI. ad hæc verba : Et erat in puppi dormiens : *Ad dormientem confugiunt vigilantes, & credunt obsistere sævientibus Elementis eum, cui somnum dominari sua compassione conspiciunt*. Ivo Carnotensis Epist. XXXVI. *Hæc ratio mihi* E *servanda videtur, ut nihil eis detur, nisi intuitu & compassione humanæ indigentiæ*. Hericus Monachus Altisiodorensis Vitæ S. Germani Lib. III.

Verùm nota bonis fessi compassio fratris
Cui non ferre manum pars est indigna reatus.

Compassio igitur idem hic erit, quod *condolescentia*; quæ Germanis mitleiden.

44. *Patricio suscipite spiritu*] Hoc est, forti ac præsenti animo. Sic infrà Lib. XV. Absolon Archiepiscopus *patricij spiritus Pontifex* dicitur. Imitatus est Saxo Valerium suum, qui Lib. VI. Cap. I. ad eundem locutus est modum: *Virginius plebeji generis, sed patricij vir spiritus.* Ita & Livius Lib. 4. Decad. 1. *Hortensius ad Sempronium conversus, Ubi illi patricij spiritus, ubi subnixus & fidens innocentiæ animus esset, quærebat.*

Pag. 56. vers. 5. *Rex alacri cunctorum acclamatione censetur*] *Rex*, id est, Jutorum Præfectus, non Daniæ Rex: quomodo suprà hanc vocem exposuimus. Roricus etenim tum legitimus Daniæ Rex erat & Monarcha; *cui dignitatum jura dandi tollendiq; jus erat*, ut Saxo mox loquitur.

9. *His apud Daniam gestis*] In Jutia nempè, potissima Daniæ provincia: ut cognoscere licet ex illis, quæ libro præcedente fuerunt, verbis: *Ut Jutiam attigit.*

15. *Exquisitis picturæ notis adumbrandum*] Solenne fuit & usitatissimum vetustissimis Heroum, res gestas suas, aliorumq;, in clypeis scutisq; militaribus depingi jubere. Sic conditæ Carthaginis contextum habes in clypeo, quem Calleci dono Annibali miserant, de quo Silius Italicus Lib. II. pag. 81, & 82. ab illo versu: *Condebat primæ Dido Carthaginis arces*: usq; ad, *Pœnorum populos Romana in bella vocabat.* Integrum enim heic locum adscribere, brevitatis causâ, supersedeo. Quin & in Græcia communissimum fuisse studium scuta clypeosq; pingendi, elaborandi, & fortium virorum factis ornandi, testis est Homerus Iliad. Σ. de clypeo Achillis:

Ποίει δὲ πρώτιστα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
Πάντοσε δαιδάλλων ——————

quod latè modo posteà prosequitur, ut cum inquit: — αὐταρ ἐν αὐτῷ Ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδύῃσι πραπίδεσσιν. Sic & Virgilius VIII. Æneid. Æneam admirari scribit elegantiam divini operis in armis, inprimis verò

—————— *Clypei non enarrabile textum:*
Illic res Italas, Romanorumq; triumphos,
Haud vatum ignarus, venturiq; inscius ævi,
Fecerat ignipotens ——————

18. *Isthic depingi videres Horvendilli jugulum*] Hiulca videtur & deficiens Oratio; nisi si voce aliquâ suppleatur. Itaq; vel sic legendum existimo: *Horvendilli jugulum confossum*; *aut abscissum*; vel, *Horvendillum jugulatum*, vel tandem, *Horvendilli jugulationem.* Ipse expendas, Lector.

53. *Juratoria præponderavit fides*] *Juratoria fides* procul dubio hic erit *fides jurata*, seu pactio jurejurando firmata, cujus paulò antè meminit. Quæ vox paucis, quod equidem sciam,

A usitata est autoribus. In Codice quidem Legum Scanicarum, quas ante 450 annos Latinas reddidit Andreas Sunonis, Archiepiscopus Lundensis, fit mentio *juratoriæ cautionis*, quam Lingua patria Trygeed appellat. Lib. V. Cap. IV.

54. *Hospitalitatis sacra violare nefas credebatur*] Antiquissimi fuit instituti, ut hospitij necessitudo non modo inter privatos, sed etiam inter populos contraheretur: neq; id quidem modo, sed etiam inter singulos privatosq; ho-

B mines & civitates: quod genus amicitiæ Græci προξενίαν, Latini, *hospitium publicum* nominarunt. Nam quod hospitium inter privatos contrahebatur, Græcè ἰδιοξενία, Latinè *privatum hospitium* dicebatur; cujus erat nota pignusque *tessera hospitalis.* Unde & illud apud Plautum in Pœnulo: *Deum hospitalem & tesseram mecum fero.* Et in Cistellaria: *Abi quærere, ubi tuo jurejurando satis fiet subsidij; Hic apud nos*

C *jam fidei confregisti tesseram.* Lucianus: Οὔτε Ἀκραγαντίνων πρόξενος ὤν, οὔτε ἰδιόξενος αὐτοῦ Φαλάριδος. Demosthenes in nobili illa Oratione pro Ctesiphonte, objicit Æschini, quod Legatos quosdam Philippi hospitio susceperit, & quod hospitij jus cum eis contraxerit: καὶ σὺ προυξένεις αὐτῶν. Livius Lib. V. de Timasitheo Liparensi loquens, qui Legatos Romanos hospitio exceptos reduxerat: *Hospitium*, inquit, *cum eo, ex Senatus consulto, factum est, do-*

D *naq; publicè data.* Idem Lib. VIII. de Bello Macedonico: *Princeps Legationis, expositis initijs amicitiæ cum Pop. Romano, meritisq; Rhodiorum; Nihil, inquit, nobis tota nostra actione, Patres Conscripti, neq; difficilius, neq; molestius est, quam quod cum Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maximè Regum, & privatum singulis, & quod magis nos movet, publicum civitati nostræ hospitium est.* Cicero in Verrem act. Ult. de Senatu Syracusano verba faciens: *Decernunt statim, ut fratri meo hospi-*

E *tium publicè fieret.* Cæsar de Hœduis loquens: *Quibus prælijs calamitatibusq; fractos, qui & sua virtute, & Populi Romani hospitio atq; amicitia plurimum antè in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare.* Arctum autem necessitudinis hujus fuit olim vinculum, atq; etiam divini numinis reverentiâ sanctum, quod juris hujus disceptationi præfecit antiquitas, *Jovem hospitalem* appellans & invocans, quasi hospitij præsidem & Vindicem: Græci ξένιον & ἐφέστιον

F dicunt, quasi contubernalem aut Lararium. Cicero in Verrem actione proximè citatâ: *Pater aderat Dexio Tindaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus, cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaveras. Eum quum illâ authoritate & miseria videres præditum, non te ejus lacrymæ, non senectus, non hospitij jus atq; nomen, à scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit. Sed quid ego hospitij jura in hac tàm immani belluâ commemoro, qui Sthenium absentem, & hospitem suum in reos retulerit.*

retulerit. Idem in Verrem III. hoſpitij neceſſitudinem *arctiſſimam* appellat. Et nullam veteres perfidiam ſceleratiorem eſſe merito cenſebant, quàm quæ in hoſpitem admittitur, ab eo, qui hoſpitio alicujus crebrius exceptus fuit. Videatur Guilielmus Budæus Annotation. Poſterior. in Pandectas ad Legem poſtlim. De Captivis, pag. 165, & 166. Indè & *hoſpites* olim in gradu atq; ordine officiorum tertium obtinebant locum: quâ de re elegans eſt locus A. Gellij Lib. V. Noct. Attic. Cap. XIII. *Conſtabat*, inquit, *ex moribus Populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere; fidei tutelæq; noſtræ creditos: ſecundùm eos, proximum locum clientes habere, qui ſeſe itidem in fidem patrociniumq; noſtrum dediderunt: tunc in tertio loco eſſe hoſpites; poſteà eſſe cognatos affinesq;.* Itaq; juſtisſima illa hoſpitis ingrati pœna fuit, quam commemorat Seneca Lib. IV. de Beneficijs, Cap. XXXVII. *Philippus Macedonum Rex habebat militem manu fortem, cujus in multis expeditionibus utilem expertus operam, ſubindè ex prada aliquid illi virtutis causâ donaverat, & hominem vænalis animæ crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus in poſſeſſiones cujusdam Macedonis expulſus eſt. Quod ut Macedoni illi nunciatum eſt, accucurrit, ſpiritum ejus recollegit, in villam illum ſuam tranſtulit, lectulo ſuo ceſſit, affectam ſemianimemq; recreavit, diebus triginta impensâ ſuâ curavit, refecit, viatico inſtruxit ſubindè dicentem: Gratiam tibi referam: videre tantum mihi Imperatorem meum contingat. Narravit Philippo naufragium ſuum, auxilium tacuit, & protinus petijt, ut ſibi prædia cujusdam donaret. Ille quidam erat hoſpes ejus, is ipſe, à quo receptus erat, à quo ſanatus. Philippus illum in bona, quæ petebat, induci juſſit. Expulſus bonis ſuis ille, non, ut ruſticus, injuriam tacitus tulit, ſed Philippo Epiſtolam ſtrictam ac liberam ſcripſit. Quâ acceptâ ità exarſit, ut ſtatim Pauſaniæ mandaret, bona priori domino reſtitueret. Cæterùm improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, avidiſſimo naufrago, ſtigmata inſcriberet, ingratum hoſpitem teſtantia. Dignus quidem fuit, cui non inſcriberentur illæ literæ, ſed inſculperentur, qui hoſpitem ſuum, nudo & navfrago ſimilem, in id, in quo jacuerat ipſe, littus expulerat.* Hactens Seneca. Ergò non injuria inter vitia ferreæ ætatis id quoq; recenſet Ovidius Lib. I. Metamorphos. Fab. IV.

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer à genero, fratrum quoq; gratia rara eſt.

Pag. 57. verſ. 24. *Ex affixis notulis argumenti ſummâ elicuit*] Hoc ait, non tàm ex artificio ipſo, quàm lemmatis aſcriptis, rem à Regina & quidem curioſius contemplatam, agnitam. Ruditatis hoc ſeculi indicium erat, ac pictoriæ artis infantiæ, quæ niſi notoriis titulis agnoſci non poterat.

Pag. 58. verſ. 34. *Subarmalem veſtem indutus*] Sic paulo poſt: *Ni ferrum ſubarmalis togæ duritiès reppuliſſet.* Papias: *Subarmales tunicæ dicuntur ſuccinctæ, id eſt curtæ.* Math. Martinius Etymolog: *Subarmalia, quæ ſub armis induuntur.*

36. *Adeò honeſtatem in cunctis obſervandam putavit*] Rectè obſervavit in Conlectaneis ſuis Cl. Vir, M. Brynolfus, Epiſcopus Scalholtenſis, *honeſtatem*, quam hic Amletho Saxo adſcribit, ad fortitudinem animi transferendam. Noluit enim Amlethus timoris aut ignaviæ opinionem facere Britanniæ Regi, convivium inſidiosè paratum detrectando, quaſi vitæ nimium ſolicitus, & ſalutis cautus fuiſſet. Nam ſi ſubterfugiſſet, certus erat, formidinem ſibi objectam iri, vitium illis temporibus plusquam capitale. Etenim ſæpè, quo repellerent hanc maculam, præſentaneo mortis diſcrimini ſe objecerunt. Adeò necem certiſſimam pati, quam hoc verbum *timidi*, maluerunt. Quod cum hoſtes probè noſſent, ſæpè hac techna Heroas numero ſuorum oppreſſerunt, objectantes timorem, niſi congrederentur. Cujus dicti fere ſemper impatientes vitam amiſerunt, dum fortes videri volunt, prudentiam deſerentes.

Pag. 59. verſ. 8. *Fraudato Lethrarum Rege.*] Qui idem Rex Daniæ eſſet. Nam ſic κατ' ἐξοχὴν dicebantur Daniæ Reges, à totius Daniæ Metropoli, & regiâ arce atque ſede *Lethra*; de quâ abunde ſuperius dictum nobis.

9. *Jutiæ regnum occupaſſe conqueſtus*] Diligenter notandum opinor, quod hèic Saxo ſcribit, tyrannidi ſuæ Vigletum, quâ in filij abſentia, matrem Amlethi divexavit, σοφὸν φάρμακον, & ſapiens commentum inveniſſe, quo ſe purgaret, ac ſi opus eſſet, excuſaret; videlicet, ſe prius ab Amletho læſum jus ſuum repetere. Etenim Daniam primis temporibus regulos plures habuiſſe, adeo ut in Jutia unus, in Sælandia unus, in Scania, ac Fionia, itidem unus fuerit, ex Jomsvikinga Sogu/ & alijs monumentis, liquido conſtat: qui tamen omnes ſub univerſali Daniæ Monarcha, & potiſſimùm Lethrarum Rege, ſua imperia adminiſtrarunt, atq; ejus beneficio regna obtinuerunt. Ideoq; eos *populi Reges*, Fylkiskonga / vocarunt, quod certo populo, non univerſæ genti, imperitarunt; cæteros autem, *Reges gentium*, Thiodkongum. Erant itaq; illi quidem Reges, ſed diſparati à regibus gentium. Quod ubi diligenter obſervamus, duo nobis, ſatis alioquin infeſti tolluntur ſcrupuli: unus, quod Daniæ Regum nonnulli in Hiſtoriis nominantur, quorum tamen neq; Saxo, neq; alius, qui univerſalem Hiſtoriam ſcripſit, meminerunt. Nimirùm, hi beneficio regnum, non ſucceſſione aut electione tenuerant, atque alicui majori Regi, inprimis Lethrarum principi, quodam modo obnoxij erant. Alter, quod illorum poſteritatis, quæ etiam regnarit, rara ſit mentio. Indidem hoc factum opinor. Quandoqui-

quidem enim penes Lethranos potestas erat A regni tribuendi adimendiq; ut promotos volebant illi suos, vel propinquos, vel amicos, ità illis, tanquàm præmia virtutis, regna ista minora assignarunt. Sæpius verò sinè aliis regibus partes illæ manebant, & universalis illius Lethrani duntaxat imperio parebant: nempè, si vel non erat, qui sceptris dignus putabatur, vel ipse dominandi cupidior, non ferebat alium, quàm se in patria regem salutari. Quam observationem diligenter tenere convenit. Non tàm B causatur ergo Vigletus, quòd Amlethus Rex in Jutia dictus fuit, quàm quòd iniussu Lethrarum Regis, regnum in Jutia occupaverat, cum ejus autoritate beneficioq; ratum illud regnum esse consvevisset. Proinde majestatis imminutæ causam tyrannidi prætexit Vigletus. *M. Brynolfus.*

14. *Ad locum, cui Undensakre nomen est*] Fortè intelligit Schytiam, sive Tartariam, quæ Idiomate Norvagico antiquitus dicebantur Serckland. C Nam verisimile est in longinquas terrarum oras concessisse Fiallerum, demendæ ignominiæ causâ, *ubi nec Pelopidarum facta, neq; nomen audiret.* Clarissimus Vir, M. Brynolfus Svénonius, existimat Saxonem scripsisse Vdaensakur: quem sibi commenti sunt antiqui agrum solo fertilissimo, quem bonos & quietos homines ab hac vita excepturum crediderunt, ubi immortales manerent justi & pacifici homines, quiq; strepitum Valhallæ non affectarent, ve- D rùm in vita ad præclara pacis ac togatæ virtutis merita à sago transiissent, ac mortalibus hac ratione publicè profuissent, ubi in alternis deliciis ac voluptatibus versarentur, sinè labore, metu, ac molestia, ipsâq; adeò morte. Unde nomen accepit Vdaensakur/ id est, *Ager immortalium*, aut, *Vitalis ager*, aut, *Ager Superstitum.* Ille verò ager bonis tantùm, ut dixi, viris, & qui justitiâ, aliisq; magnis, præsertim togatis virtutibus, illustres fuêre, patuit, ut sangvinariis & E cruentis *Valhalla.* Nam Gimbell in cœlo, deorum immortalium, ac bonorum Dæmonum locus credebatur: Huergemell/ perditissimorum ac pessimorum: Helgrindur/ vulgi turbæque mortalium ignobilis: Valhalla/ Regum, Heroum, Asarum, Ducumq; in bello fortiter occumbentium: Vdaensakur/ optimorum virorum, ac virtutum claritate præclarè de genere humano meritorum. Jam verò, quamvis alicubi terrarum locum hunc existimabant; F ubi tamen esset potissimùm, vulgò nescitum est. Antiquitates Islandicæ innuunt opinionem fuisse, ultrà Grandvicum, Norvegiæ terminum, ubi *Jötumheimos* ponunt, esse: ac potissimùm Glasewell/ id est, splendidos campos. Hinc erant, qui peregrinationem sponte susceperunt Vdaensakurs inquirendi causa. Ex quorum numero Fjallerum Saxonianum extitisse opinor, qui post rem non è sententia bello gestam, militaribus artibus & Reipublicæ se subduxerit, atq; peregrinationem longinquissimam susceperit. Ex qua quia nunquam redierit, verùm in remotissimis, ac dissitissimis locis diem suum obiverit, unde certus nuncius ad populares & gentiles non pervenerit; hominum familiaris superstitio, omnia in majus fingens, Fjallerum non reversum, in hoc immortalitatis agro versari credidit, ac amicorum desiderium consolata est.

39. *Insignis ejus nomine ac sepulturâ campus apud Jutiam extat*] Qui hodieq; appellatur Amlets Hede/ teste Cl. Viro, M. Andrea Vellejo, Saxonis interprete non infelice.

49. *Ut labiorum continentiam jugi silentio premeret*] Simile exemplum refert Cuspinianus de Maximiliano Primo Imperatore: cujus coronationem pater Fridericus III. cum lacrymis spectasse dicitur, eo quod ab infantiâ pænè in nonum ætatis annum, quasi elinguis fuisset, ut plerisq; mutus judicaretur; qui tamen in perfecta ætate, facundiâ fuit admirabilis. Nempè quemadmodùm præcocia ingenia rarò solent ad frugem pervenire: ità contrà quæ initio plurima habent vel sensuum obstacula, vel sentiunt alia incommoda, postmodùm tarditatem alacritate & magnitudine rerum gestarum compensare videmus. Et juxtà Baptistam Mantuanum:

Pag. 60. vers. 26. *Frovvini filios VVermundus paternæ dignitatis honoribus evehit*] Ex his verbis colligas, Slesvicensem Præfecturam olim precariam & beneficiariam à Danorum Regibus extitisse.

Omne quod excellens opus & sublime futurum,
Difficiles ortus habet incrementaq; tarda.

41. *Felicem recentis vulneris ultionem*] Id est, Cladis acceptæ cæde Frovvini. Frequentissima Saxoni est hac in significatione vocis hujus usurpatio, quomodo semel aut iterùm monuisse me memini. Scilicet Valerium Maximum etiàm hac formula expressit, apud quem similis planè τοῦ *Vulneris* notatio sæpius occurrit. Libro II. Cap. 8. *Piget tædetq; per vulnera Reipublicæ ulteriùs procedere.* Et Lib. VI, Cap. 2. *Obducta jam victis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera revocare.*

Pag. 61. vers. 7. *Receptum à Rege craterem*] Ità legendum duxi pro *cruorem*, quod in antè excusis erat. *Craterem*, id est, *poculum* à Rege donatum.

21. *Hos siquidem esse*] In prioribus ità legebatur editionibus: *Hos siquidem, quos diuturna armorum experientia.* Sed omninò supplenda oratio erat τοῦ *esse*, quæ alioquin obscuritatis nonnihil contraxisset.

Pag. 62. vers. 6. *Patriamq; cædis causâ liquisse testantur*] Cædis, scilicet non perpetratæ, sed ulciscendæ. Nam in paternæ cædis ultionem conjuraverant. Et sequitur: *Quod Rex eos, non de*

de patrandi facinoris voto, sed de patrati noxâ a-struxisse credebat.

8. *Arenam pressit*] Substitit, pedem eo in loco, ubi Keto & Wigo eum occuparunt, ex improviso fixit, quod imminentes vitare deforme existimaret. Locutio est ab Athletis desumpta. Sic *gradum & vestigia premere* Poëtæ usurparunt. Valerius Flaccus II. Argonaut. *Gradum pressêre attoniti.* Virgilius VI. Æneidos: *Sic effatus vestigia pressit.* Ità & Livius Lib. VIII. *Pedem premere*, pro *figere* dixit. Dani dicerent: Hand holt stand.

45. *Duos siquidèm cum uno decernere ut iniquum*] Nam, ut in Proverbio est: *Ne Hercules quidèm adversus duos.* Et erat hæc apud veteres pugiles duelli lex, ne duo unum aggrederentur; verùm singuli cum singulis dimicarent.

Pag. 63. vers. 24. *In proverbium apud exteros ductum*] Quod & apud nostrates inolevit, hanc in sententiam: ᛅᛏᛁᛋᛚᛁᛋ ᛒᛅᚾᛁ ᛒᚱᛅᛁᚦ ᚠᛅᛘᛚ ᚴᛁᛘᛒᛁᚱᛋ ᚢᛅᚾᛁ. Achilles bane brœd gamle Kempers vane.

50. *Subitoq; velut ex muto vocalis evasit*] Sic apud Gellium Lib. V. Cap. 9. legere est de filio Crœsi Regis, qui diu mutus & elinguis habitus est. Cùm vero in patrem ejus bello magno victum, & urbe, in quâ erat, captâ, hostis gladio deducto Regem esse ignorans, invaderet: diduxit adolescens os clamare nitens: eoque nisu & impetu spiritus vitium nodumq; linguæ rupit; planeq; & articulatè elocutus est, clamans in hostem, ne Rex Crœsus occideretur. Item de Samio quodam Athletâ, qui cum anteà non loquens fuisset, ob similem dicitur causam loqui cœpisse.

Pag. 64. vers. 7. *Nec mora, condicitur pugnæ locus*] Hic non injuria quæritur, An in bello, à parte utriusq; exercitus, unus aut plures eligi possunt, à quorum fortitudine universa debet stare victoria? Affirmativa videtur probabilis. I. Exemplis ubiq; obvijs, ut Davidis cum Goliatho, 1. Reg. 17. & militum Abneri atque Joabi, 2. Reg. 2. Item Romanorum & Albanorū, ut legere est apud Livium Lib. III. Sic Monomachias sæpius de rerum summa olim à nostratibus & vicinis nationibus institutas, non solùm præsens hoc Uffonis, qui cum Saxoniæ principe de imperio, duello conflixit, exemplum, verùm etiàm aliorum Historicorum monumenta testantur. II. Ratione, quia sine magnâ clade & multo sangvine finis obtinetur, nempe victoria. Sed hodie hunc morem merito deserendum esse putamus. Nam I. periculosum est universæ gentis imperium unius virtuti & fortunæ committere. II. Hoc nostro seculo magis periculosum est, quia bombardæ usu, minimo negotio, vel à vilissimo cacula interficitur vir fortissimus.

19. *Tantoq; ætatis spatio*] Nempè ad tricesimum ætatis suæ annum. Sic etenim de Uffone Sveno Aggæi, Saxonis σύγχρονος, Cap. 1. Histor. Dan: *Hujus filius extitit VVermundus; qui adeo prudentiæ pollebat virtute, ut indè nomen consequeretur. Undè & Prudens dictus est. Hic filium genuit Uffi nomine, qui usq; ad tricesimum ætatis suæ annum fandi possibilitatem cohibuit.*

26. *Danis opprobrio extabat*] Hic etiàm audis, Slesvicensium delictum, quo contrà unum & solum duo dimicarunt, Danicæ gentis convitio ludibrioq; adscribi. Quare Slesvicenses Danos olim habitos esse, hinc firmiter colligas. Quod annoto contrà quorundam opinionem, qui regni Danici terminos, citrà quàm par est, migrant, Holsatos Germaniæ adscribentes, quos jure meritissimo prius sibi Dania vendicavit. Nam quorsùm alioqui Slesvicensium dedecus homo Danus genti suæ ignominiosum dixisset?

45. *In profunda defoderat*] Recepta consvetudine charissimas rerum usibus mortalium interverterunt. Atqui enses & gladios, secundum corpus, gens illis solis tota dedita, diligebat: ac proinde, vel secum sepeliverunt gloriæ suæ ac fortunæ vindices, quod multæ nos Historiæ docent; vel quovis modo alio abdiderunt. Erant etiàm, qui famam post fata aucupantes, vel saxis subdiderunt ingentibus, vel in puteos ac profundas voragines demerserunt, positis prœmij vice depositis armis, si quis postea tanta virtute exsurgeret, qui superatis obicibus ac difficultatibus, illa sibi assereret. Similiter Wermundus exspes futuri successoris, *Screp* gladium ante diem absconderat, melius illum sic perire arbitratus, quam si vel promiscuo vulgo publicaretur, vel in hostium manus, & pessimè meritorum hominum, traderetur, qui illo ad vexandam patriam abuteretur. Illa fuit ejus temporis ζηλοτυπία.

Pag. 65. vers. 37. *Nimietate gaudij vultum fletu solvit.*] Hoc est, præ gaudij magnitudine, abundantiâ, vehementiâ. Apulejo, Arnobio, Ammiano Mercellino, Martiano Capellæ, alijsque medij ævi sciptoribus, vox non inusitata. Apulejus Lib. II. *Oppidò formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur.* Et Lib. III. *Hi gaudij nimietate gratulari, illi dolorem ventris manuum compressione sedare.* Et Lib. IX. *Insignis tutelæ nimietate instinctus atq; inflammatus.* Arnobius Lib. IV. p. m. 78. *Quæ vel cursim perstrinximus, vel nimietatis non attigimus tædio.* Et Lib. VII. pag. 137. *Sequitur ut de thure deq; mero, aliquid sine ulla nimietate dicamus.* Ammianus Marcellinus Lib. XIX. pag. 149. *Nimietatem frigoris aut caloris, vel humoris, vel siccitatis, pestilentias gignere, Philosophi & illustres Medici tradiderunt.* Martianus Capella Lib. VI. pag. 196. de Zonis loquens: *quarum tres intemperies multa à contrariorum nimietate relega-*

relegavit. Johannes Cassianus Collat. 2. Cap. 16. *Omni igitur conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæsos ab utraq; potest nimietate servare. Vetus namq; sententia est, ἀκρότητες ἰσότητες, id est, nimietates æqualitates sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunij & voracitas pervenit.* Eugippius in Vita S. Severini, Cap. IV. pag. 6. *Ad cujus immanitatem frigoris comprobandam, testem constat esse Danubium, ità sæpè glaciali nimietate concretum, ut etiam plaustris solidum transitum subministret.*

42. *Ità Saxoniæ regnum ad Danos translatum*] Regnum hic disertè Saxoniam vocat, & verissimè. Nam Odinus filiorum suorum Baldum illo donavit, teste Edda. Illud notatu dignum, quod gentes illæ omnes, quibus Odiniani filij imperitabant, eandem linguam servaverint, Sveones, puta, Dani, Norvegi, Saxones, etc. In illis etenim omnibus miram deprehendent convenientiam, qui radices ac fontes vetustatis eruere velint. *M. Brynolfus.*

54. *Tetro superbiæ squalore fuscavit*] Undè & *Superbi* cognomen meruit. Hunc etenim esse Danum puto, cujus meminit Snoro Sturlesonius in antiquissimo illo Norvagiæ Chronico, quod egregio publico in lucem edidit Studiosissimus Antiquitatum Patriæ conservator D. Olaus Wormius, pag. XVIII. Vdi disse forbenefnde Kongers tid udi Vpsal/ vare disse Konger i Danmarck 1. Dan/ den Stolte eller Storsindede/ hand blef saare gammel/ 2. Hans Søn Frode hin Stercke. [Nam ità legendum arbitror pro Frode hin Fredgode/ ut series Regum & Genealogia sibi accuratè conveniat] 3. Frodis Sønner vare Haldan och Fridlef. In Odini quoq; Genealogia MS. Dan hic dicitur ᚦᛅᚾᚢᚱ ᛘᛁᛏᛁᛚᛅᛏᛁ. Danur mitilate. Sequentem verò *Danum*, qui Saxoni post Frothonem Vegetum regnasse traditur, non *Danum*, sed *Haldanum*, dicendum esse, omninò existimo, antiquâ illa Genealogia adductus.

Pag. 66. vers. 6. *Hómothum & Hógrinium*] Rescribe *Hógrimum:* aut ex nostro Idiomate *Hæmodum & Hægrimum*; quibus familiare est æ diphthongum, ut ai pronunciare, ubi Dani ø proferunt. *M. Brynolfus.*

22. 23. *Fronsq; nullis armorum vestigijs exarata*] Hoc est, Frons nulla vulnerum, quæ ab armis infligi solent, signa ostendens; frons nullis cicatricibus insignita. Poëticè hoc dictum, quomodo multa in Saxone; ductâ Metaphorâ à sulcis, quos aratrum ducit. Virgilius VII. Æneid.

Et frontem obscænam rugis arat ———

Ovidius Lib. III. Metamorphos.

——— *posuitq; ad tempora canos,*
Sulcavitq; cutem rugis ———

Et alibi:

Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

A Et:

Jamq; meos vultus ruga senilis arat.

Horatius:

Cum sit tibi dens alter, & rugis vetus
Frontem senectus exaret. ———

Plautus in Bacchidibus: *rugæ consulcant frontem.* Apulejus Apologetico suo: *frontem sulcis rugarum inaratam*, dixit. Petrus Chrysologus Sermone CLIV. de Sarâ: *Si vetula conciperet exa-*
B *rata jam rugis.* Hieronymus ad Heliodorum: *Forsitàn & laxis uberum pellibus mater, aratâ rugis fronte, antiquum referens mammæ lallare congeminet.* Item Epistolâ II. *Nunc jam cano capite, & aratâ rugis fronte.* Et ad Furiam: *Fronte rugis aratâ, vicina est mors in foribus.* Et in Esaiæ Cap. 40. *Pulchra mulier, quæ adulescentulorum post se trahebat greges, aratâ rugis fronte contrahitur, & quæ prius amori, posteà fastidio est.* Vide eundem in Cap. VII. Zachariæ: & Josephum
C Devonium de Bello Trojano Lib. IV. pag. 102.

24. *Bina quadratæ formæ spatia*] Apud veteres Danos duello pugnaturi areas quadratas lapidibus prius designare solebant, extra quas si quis fuisset robore adversarij pulsus, pro victo habebatur. Videatur Clarissimus Vir, *multaq; tenens vetusta sepulta*, ut cum Ennio loquar, D. D. Olaus Wormius, Professor in Regiâ Academia Hafniensi, mihique Affinis & amicus
D conjunctissimus, Monument. Danicorum Lib. 1. Cap. 9.

39. *Perinde ac continuo ponte juncta puppium tabulata præstarent*] Navibus pontes fecerunt antiqui hoc modo. Naves plures parvo intervallo in ordinem collocarunt rectâ lineâ: deinde tabulis omnes inter se & cum terra conjungentes, transitum liberum ab unâ parte ad alteram præstiterunt. Quod suum temporarium opus, cum placebat, subitò dissolvere po-
E terant, reductis undique tabulis, & in naves tantillo intervallo dissitas compositis, ut nulli, nisi cum vellent, trajicere licitum esset, nec tamen classem loco moveri necesse esset. *M. Brynolfus.*

43. *Hvirvvillus Hallandiæ princeps*] Ità cum Svaningio, Meursio, Pontano, imo & Parente meo beatissimæ memoriæ, M. Johanne Stephanio [cujus brevissimis ad oram Libri sui, quo ego nunc fruor, ascriptis Notis & Emendatio-
F nibus, non parum me adjutum ingenuè profiteor] emendandum duxi, pro eo, quod in antehac divulgatis extabat Codicibus, *Hollandiæ princeps.* Notatu verò digna est hoc de loco Observatio Pontani, Historiæ Danicæ Lib. 1. *Hvirvvillum,* inquit, *Hallandiæ, ut suprà indicatum, principem, perperàm Hollandiæ principem, Latini Saxonis Exemplaria typis excusa præferunt. Et perperàm similiter, qui Saxonem Danicè transtulerunt, aff Holland/ item, Hollender/ reddiderunt, reclamantibus præter alia, eamq; versionem arguentibus satis, ipsis illis,*

illis, quæ posita sunt, Buggonis & Gunholmi, cæterorumq; nomenclationibus, Svetiam Hallandiamq; Daniæ Norvagiæq; conterminas, non Hollandiam, ævo adhuc Saxonis parùm notam aut nominatam, redolentibus. Sed & in ea fui sententia legendum hic esse *Halogalandiæ princeps.* Est autem *Halogalandia*, quæ hodieq; Incolis Heliéland / vel Helgeland dicitur, Saxoni alicubi *Halogia*, Provincia quædam in ea Norvagiæ plaga, quæ *Nordlandia* appellatur. Norvagiæ vero Imperium inter A multos olim principes divisum fuisse, ex Chronico Norvagico ante citato liquido constat. Adde quòd nomina illa *Broddonis*, *Bildi*, *Buggonis*, *Fanningi*, *Gunholmi*, *Finni*, idioma potius Norvagicum, quàm Hollandicum resipiant.

17. *Hostile ferrum carminibus obtundere solitum*] Modum hunc aciem ferri obtundendi, at deyffa eggiar / nominarunt antiqui, crebrò lectum in priscorum actis. Dani hodieq; dicunt; at døffue Sverd.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM V. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 67. verſ. 44. R*Erum exciderent summâ*] Ità unicâ literâ vocem hanc auxi & locupletavi, quâ eam priores Editiones spoliaverant. Exstabat enim pro *exciderent*, quod ipse contextus flagitat, τὸ *excideret*, sensu genuino prorsus reclamante.

Pag. 68. verſ. 7. *Fallaciarum laqueis strangulabat*] Imitatus est Martianum Capellam suum, qui fere eundem in modum loquitur sub initium Lib. IV. *Donec nexilis complexio circumventos ad interrogantis arbitrium strangularet.*

12. *Hos simul conceptos idem partus absolvit*] Hic quidem locus esset dicendi de numerosâ prole simul uno partu editâ: sed ne multis exemplis benevolum Lectorem detineamus, sufficiat in præsentia meminisse, quæ Gellius Lib. X. Cap. 2. ex Aristotele de numero puerperij commemorat: *Aristoteles*, inquit, *Philosophus memoriæ tradidit, mulierem in Ægypto, uno partu quinque enixam pueros: eumq; esse finem dixit multijugæ hominum partionis; neq; plures unquam D simul genitos compertum. Hunc autem esse numerum ait rarissimum. Sed & divo Augusto imperante, qui temporum ejus historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti, in agro Laurente, peperisse quinque pueros dicunt; eosq; pauculos dies vixisse; matrem quoq; eorum, non multò post quàm peperit, mortuam; monumentumq; ei factum, jussu Augusti, in via Laurentina, inq; eo esse scriptum numerum puerperij ejus, de quo diximus.* Unicum saltem addam de miraculoso illo puerperio filiæ Florentij, Comitis E Hollandiæ, quod contigit Anno Christi 1278, secundùm Mejerum, ex cujus Annal. Lib. IX. sequentia ascribenda duxi: *Anno 1278 obijt Mathildis, filia Florentij Comitis Hollandiæ, ea quæ uno partu liberos peperit CCCLXV; qui omnes ab Othone, Episcopo Trajectensi, sacris abluti sunt fontibus, in pelvi simul jacentes, ac deinde obierunt. Hoc Mathildi accidisse putatur, ideò quod pauperculæ cuidam mulieri geminos exprobrasset, perinde atq; adulteræ, quæ conscia pudicitiæ suæ: Oro, inquit, Deum, ut tot parias ipsa, quot dies continet annus. Erat au-* B *tem Mathildis, uxor Comitis Hennebergensis, Hermanni; mater illi Mathildis, filia Ducis Brabantiæ Henrici; frater Gulielmus, Hollandiæ Comes, qui ad Imperij apicem electus est contrà Fridericum II. Sepulta est apud Losdunum in Monasterio à matre fundato. Errant, qui eam Margaretam Comitem Hollandiæ vocant, eumq; partum anno 1314 ascribunt.* De partu hoc prodigioso ità & Junius Bataviæ Cap. XX. *Losdunum duobus passuum millibus ab Haga-Comitis dissidet, à collibus, quos inter habita-* C *tur, nomen adeptum: Bernardi institutum sequitur, à Mathilde constructum. Ubi ostenditur inter alia monumentum Margaretæ Principis fœminæ, quæ Florentij IV. Comitis è Mathilde, jam dictâ uxore, filia, Comiti Hennebergensi nupta, uno pauciores, quàm annus vertens dies habet, liberos, partu portentoso edidisse memoratur: quæ res, ut compendio absolvam, ad hunc habet modum. Pauperculam gemellos enixam, & pendentes utrinq; ab uberibus lactantem, quæ Comitis uxori se forte obtulerat, stipem flagitans, probro incessebat ipsa princeps, & adulterio concepisse incestam prolem ajebat; fieri enim posse, ut uno ex marito bina stirps nasceretur, pernegabat. Illa pudicitiæ intemeratæ Deum testem citans, imprecatur illi sobolem, quæ numerum solidi anni dierum æquet, si pudicitiæ suæ constaret honos. Precum efficaciam comprobasse eventui fides dicitur, partu incredibili, nisi publici monumenti auctoritatem convellere, fidemq; tabulæ, ad testandam sempiternam rei memoriam positæ, dissolvere nefas putarem. Epigraphen non abs re fuerit hoc loco ascribere, servatâ ejus seculi lexi, ut Saliorum & Carmentæ obsoleta verba religiosè retinenda duxit antiquitas, & conservanda, ne fides periclitetur. Illustris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoq; habuit Guilielmum Alemanniæ Regem. Hæc præfata Domina Margareta, anno salutis 1276, ætatis suæ anno 42, ipso die Parasceves. hora IX. ante meridiem, peperit infantes vivos, promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor; qui postquàm per Venerabilem Episcopum, Dominum Guidonem Suffraganeum*

neum, præsentibus nonnullis proceribus & Magnati- A *bus, in pelvi quadam, baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Joannes, fœmellis verò nomen Helisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium, simul cum matris, animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Consimilis exempli in partu numeroso observati fides, (ne quid Dei potentiæ derogetur) adnotata legitur ab Annalium Brunsvicensium scriptore: consentientibus Alberto Cranzio in Vandalicæ Historiæ Commentarijs, & Ernesto Anhaltinorum Principum* B *historiographo: quorum consensus testatur, tricesimo septimo post prædictum prodigium anno, Margaretam, huic, de qua loquimur, cognominem, Holsteinij Comitis conjugem, totidem capitum sobolem maturo partu enixam edidisse, in quo fœtus omnes humanam manifestè speciem repræsentantes, in baptisterio salutari undâ abluti fuerint.* Hæc vir Clariss. Hadrianus Junius: cui concinit Ludovicus Gvicciardinus in Descriptione Galliæ Belgicæ. Verùm hodie Tabula illa aliter legitur, ad hunc C videlicet modum:

En tibi monstrosum nimis & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo stupefactus Lector abibis.

Margareta, Hermanni, Comitis Hennenbergiæ, Uxor, Florentij quarti, Comitis Hollandiæ & Zelandiæ, filia, Gvilhelmi Regis Romanorum, ac posteà Cæsaris, seu Gubernatoris Imperij, atq; Aleitheiæ, Comitis Hanno- D *viæ, soror, cujus patruus Episcopus Trajectensis, avunculi autem filius, Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem illustrissima Comitissa annos quadraginta duos circiter nata, ipso die Parasceves, nonam circiter horam, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, trecentos sexaginta quinq; enixa est pueros, qui priùs à Gvidone, Suffraganeo Trajectensi, omnes in duobus ex ære pelvibus baptisati sunt, quorum masculi, quotquot erant, Joannes, puellæ autem Elisabethæ vocatæ sunt: qui simul omnes cum* E *matre uno eodemq; die fatis concesserunt, atq; in hoc Lausdunensi templo sepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis gestabat pueros, quam rem ipsa Comitissa admirata, dicebat; Id per unum virum fieri non posse, ipsamq; contumeliosè rejecit. Unde hæc paupercula animo perturbata, ac perculsa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipsi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur; quod quidem præter naturæ cursum* F *obstupendâ quadam ratione ita factum est; sicuti hic in perpetuam hujus rei memoriam, ex vetustis, tàm manuscriptis, quam typis excusis Chronicis, breviter positum & enarratum est. Deus ille ter maximus, hac de re suspiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula, Amen.*

15. *Proximo necessitudinis ordine contingebat*] Quippe qui Frothonis fratre genitus erat, ut mox sequitur in contextu: *Eodem tempore quidam Frothonis fratre genitus pro tuendâ patriâ gerebat rei nauticæ summam.*

27. *Violensq; amplexuum usus extabat*] Id est, Violentus, & raptim petitus, ut mox loquitur Saxo.

28. *Publicata est Venus*] Diffusus erat & promiscuus libidinis usus, nec se *Venus*, sive concubitus, intrà limites conjugalis amoris continebat. Hic satis constat per *Venerem* significari τὰ ἀφροδίσια, sive ipsam μίξιν, quam *corporale concilium* Arnobius appellat. Idem Arnobius in extremo Libro V. *In usu sermonis vestri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Minervam pro stamine, pro obscœnis libidinibus Venerem.* Notandum etiàm, quod *Veneris* vocabulo utatur Saxo noster, tanquam inter illa esset, quæ μέσα dicuntur, seu ancipitia; hoc est quæ tàm in bonam, quàm in malam partem interpretari possunt; ut, *Valetudo, gratia*, & similia. Non possum, quin hoc loco adducam verba Quintiliani ex Declamatione XV, quibus eleganter nobis ob oculos ponit discrimen honesti & meretricij amoris: *Amoris*, inquit, (*si sapientiæ sequamur auctores*) *antiquissimum numen, & cui se natura debet æternitas. Sed ille mitis & serius, honestis cupiditatibus & viribus sacræ charitatis exultans, ut qui cuncta priscæ noctis opertâ caligine diduxerit primum, deinde miscuerit. Hic verò, quo perditis visceribus adhæremus inquieti, lascivientis adhuc ætatis instinctu, tumultuosus ac petulans, tedis funereis facibusq; armatus. Præstat igitur ille mortalibus liberos hac usitatâ conjugij pietate; hic incœsta, libidines, adulteria, meretrices.*

29. *In causa otium erat*] Undè Ovidius.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:

Otium certe incentivum est libidinis, & variorum flagitiorum radix, fons, & origo. Nam sicut aquæ, quæ non moventur, putrescunt & fœtorem contrahunt: ità & animus marcessit, corpusq; langvescit, quum utrumq; agitationis expers est. Virtus autem exercitio perseverat. Petrus Chrysologus Sermone XXVIII. Sic mox infrà auctor: *Cujus contubernales otio petulantiam nacti.*

31. *Errabundæ Veneris portum*] Quam Lucretius Lib. IV. eleganter *Vulgivagam Venerem* appellavit, hoc est, mixtionem meretriciam, & cum scortis. Saxo ipse paulo post *Vagabundam atq; erroneam Voluptatem* vocat. Valerius Maximus Lib. II. Cap. I. *Venerem inconcessam: Proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Julius Firmicus *erraticos amores*; Lib. VI. *Luna si in Veneris domo fuerit inventa, faciet infamibus semper amoribus implicatos, impuros, libidinosos, & qui erraticis semper amoribus inhærescant*: qui & paulo antè, *furtivam Venerem agitare* dixerat.

34. *Ità à populari prolem regiam*] *Popularis* & hoc loco, & alibi passim apud Saxonem nostrum,

nostrum, nequaquam significat, quem *conterraneum* vulgò dicunt; sed hominem vulgarem, ex infima plebis sorte, & abjectæ conditionis. Sic infrà: *Indignum regiæ stirpis puellam thoro popularis astringi.*

35. *Septum vallo conclave petivit*] Ejusmodi conclavia, sivè potius carceres, in quos se Virgines ambitiosè pulchræ, partim suo, partim parentum fastu, se incluserunt, ut à conspectu promiscuæ multitudinis tectæ ac semotæ forent, veteres Dani Stemmur vocarunt; & custodes, quæ virgines plerumq; cum nutricula maximam partem pro more fuerant, Stemmu Meyar dicebantur.

Pag. 69. vers. 24. *Lævâ tanquam dextrâ utentem*] Summa hæc olim apud nostrates viri fortis ac robusti laus erat & commendatio, *ambimanum*, sive περιδέξιον censeri. Et de tali fortitudinis nota multos Heroas commendat Snoro Sturlesonius in Chronico suo Norvagico, ut Haraldum Tryggonis, & alios. Quin etiam *Ehud*, quem populo Israelitico salvatorem suscitavit Dominus, *utrâq; manu pro dexterâ utebatur.* Lib. Judicum Cap. 3. v. 15. Sic & habitatores Gabaa, *Septingenti erant viri fortissimi, ità sinistrâ, ut dextrâ præliantes.* Judic. Cap. XX.

43. *Ad præcordialem puellæ sententiam relegatus*] Westmaro injunctum, ut ipse mentem & interiorem animum puellæ exploraret. Eo sensu voce hac solens utitur Saxo noster. Sic *præcordialem amicum* Absolonis Archiepiscopi, infrà Lib. XV. nominat Fridericum Episcopum Slesvicensem, id est, quem ex penitissimis cordis recessibus dilexit. Cæsarius Heisterbacensis Lib. VIII. Cap. 13. *Servum suum amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi, in mutuæ familiaritatis signum eum ad pectus suum attrahendo strinxit.* Sic Henricus II Anglorum Rex Fridericum Cæsarem in Epistola quadam sua *præcordialem amicum* vocat, notante Joh. Balæo Cent. 3. Scrip. Britan. Hinc Ivo Carnotensis *præcordialiter diligere* dixit. Epist. CXXI, & *præcordialiter dolere*: Epist. CXV.

44. *Ità versilis esse propositi*] Comicus Hecyra:

Itidem Mulieres sunt fermè ut pueri, levi
sententiâ.

Pag. 70. vers. 10. *Pendulâ corporum impulsione vexabant*] Non secus ac olim, delectabilis exercitationis gratiâ, corpora funibus per aërem jactabantur; quod genus ludi sub *Oscellarum* aut *petauri* appellatione à veteribus significatum puto: de quo Juvenalis Sat. 14.

An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quiq; solent rectum descendere funem.

Quanquam credo *petauro* valde similem esse jactationem illam, quæ hodie apud multas puellas & pueros efficitur, assere funibus quatuor ad laquearia suspenso, & ibi sedentibus pueris,

A aut puellis, veluti per aërem jactatis. Atq; id forsan est, cujus meminit Avicennas prima quarti tract. II. Cap. XIII. Ubi ad coercendum sudorem laudat, ut æger ponatur super instrumentum, quo pueri vel juvenes solent in aëre concuti. Sago pariter consvevisse jactare alios per ludibrium in aera, præter Martialem id hoc versu testantem:

Ibis ab excusso missus in astra sago:

est etiam testimonium Svetonij in Othone, B Cap. 2. *Ferebatur & vagari noctibus solitus, atq; invalidum quemq; obviorum, vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare.* Videatur Hieron. Mercurialis de arte Gymnastica, Lib. III. Cap. VIII. ubi simulacrum petauri, sive Oscellarum egregiè repræsentat.

24. *Adeò sub rege puero*] Hinc non injuriâ exclamat Ecclesiastes, Cap. X. v. 16. *Væ tibi terra, cujus rex puer est; & cujus optimates manè comedunt*, id est, diem à voluptatibus & luxu inchoant. C Et v. 17. *Felicem te, ô regio, cujus Rex est filius ingenuorum*, id est, claris & generosis majoribus ortus; *& cujus optimates suo tempore comedunt ad robur*, id est, reficiendo corpori, *& non ad compotationem*, id est *non ad luxum*. Quos versus tali paraphrasi illustravit Theodorus Beza: *ô te infelicem regionem, cui Rex dominatur, sive ætate, sive mente sensus & usus rerum expertè puer: & cujus Principes à voluptatibus diem inchoant, quem à consilijs capiendis auspicari oportuit.* D *At tu contrà, quàm es beata ditio, cui Rex contigit generosa stirpe ac indole: & cujus sobrij primores opportunè cibum capiunt, non ut gulæ satisfaciant; sed ut corpus validum, & rebus gerendis accommodatum, reficiant.* Heroico autem carmine ità reddidit Jacobus Lectius, Ictus Genuensis:

O terram miseram, si cui puer imperat infans,
Et cujus primo proceres epulantur Eoo!
Felicem, ingenuo cui rex è sangvine, terram,
E *Et nullo proceres vini tanguntur amore,*
Sed tempestivo curant qui corpore victu.

Quantum verò regnis noceat, si regum filij etiam impuberes, in regno succedant, tutorum arbitrio subjecti; vel Caroli Gallorum Regis exemplum ostendit, qui cum solo nomine rex esset, æmulatione factionum Gallia intestinis bellis miserè agitata: Angli à Burgundione evocati, regnum occuparunt; & regi in suam potestatem redacto, quas voluF erunt, fœderis conditiones scripserunt. Paul. Æmilius, Lib. X. Polydorus Virgilius Lib. XXIII. & Frothonis hujus nostri, sub quo Rege impubere Dania miserrimè improborum præsidum tyrannide oppressa est. Sed hic non incommodè quæri potest; Num in magistratu legendo ætatis ratio habenda? Juvenibus ne ille an senibus committendus? Resp. Etsi ob multas rationes, quas adducit Melchior Junius parte I. Quæst. Polit. Quæst. XIV. Senibus

 magi-

magiſtratus gerendus, resq; capeſſenda publica; tamen & juvenes ad honores & magiſtratus admittendi. Sunt etenim animoſi & fortes, ſunt laudis & gloriæ cupidi, inq; rebus agendis honeſtatem, non utilitatem, propoſitam habent. Ariſtoteles 2 Rhetor. Nec annorum ſpatium, ſed ingenium ac diligentia in cauſa, ut alios prudentia ſuperent. Iſocrates in Archidamo. Et juvenes ad imperia & magiſtratus fuerunt evecti. Sic David, fratrum ſuorum minimus, Rex eſt Judæorum electus; I. Sam. Cap. XVI. Salomon duodecim natus annos, 3. Regum, Cap. 3. Alexander Magnus, cum res magnas geſſiſſet, tertio ac trigeſimo anno mortem obijt. Romæ Corvinus, Marius Junior, Scipio Africanus, Pompejus, Auguſtus, ante tempus, Conſulatum, & alios honores conſecuti ſunt. Alexander Severus puer adhuc à Senatu Cæſar eſt factus. *Lampridius.* Gordianus anno ætatis decimo-tertio, vel ut alij, decimo ſexto. *Julius Capitolinus.* Ottho III. annos vix undecim natus, *mirabilia mundi* dictus, propter ſapientiam ipſam ætatem ſuperantem. *Sigebertus Gemblacenſis.* Carolo V ætate non magnâ prædito, diadema impoſitum eſt. *Sleidanus* Lib. I. Carolus VIII. Francorum Rex, anno decimo tertio regnum inijt. *Ricius Lib. 3. Franciæ Regum:* Raimerus III. annum ætatis quintum agens patri in Hiſpania ſucceſſit. *Ricius Lib. 2. Hiſp. Reg.* Henricum proceres Angliæ novennem Regem crearunt. *Polydorus Virgilius Lib. XVI.* Et ſanè ſi in magiſtratibus ætas certa obſervanda ſit, fit, ut magna Virtutis indoles prius extinguatur, quàm prodeſſe Reipubl. poſſit. Cicero V. Philipp. cujus & notatu digna ſunt verba: *Curſus ætatis non eſt expectandus in feſtinatione virtutis.* Cui conſentit Nazarius Panegyrico Conſtant. *Iniquum eſt cum honori nondum tempeſtivum videri, qui jam virtuti maturus eſt.*

30. *Ut cum Regina commercio libidinis habito*] Eleganter dictum. Quomodo & Julius Firmicus Lib. VI. Cap. XII. loquitur: *Qui ſic Venerem habuerint, facinus ſuum latenter exercent, ut proſtituti pudoris ſcelerata commercia, abſconſis libidinum impuritatibus, protegantur.*

35. *Opinio ſceleris primùm ſuſurris alita eſt, dehinc excepta rumoribus*] Apprimè huic loco illuſtrando faciunt verſus Herici, Monachi Altiſſiodorenſis, Lib. I. Vitæ S. Germani. p. m. 15. quibus Famam prolixè deſcribit; indigni certè, qui ibi tantùm legantur:

Fama quid in cœlo rerum pelagoq; geratur
Et tellure, videt, totiq; eſt conſcia mundo:
Quod uſquàm eſt, toto quanquàm ſit ab orbe remotum,
Inſpicit, inq; cavas penetrat male fida latebras.
Omnia cum didicit, mox omnibus omnia pandit.
Et quia dicentem ſequitur nonnulla venuſtas
Verborum, creſcitq; novis facundia cauſis,
Multa fides illi vulgò præbetur ab omni.
Non ea rem clamore gerit, ſed MURMURE VOCIS
Neſcio quid raucum & grave cornicatur inepta
MILLE TRAHIT SECUM RUMORES, MILLE SUSURROS,
Mixtaq; cum veris pariter quoq; falſa feruntur.
Cumq; novis vacuas implet ſermonibus aures
Succedunt comites, nonnunquàm gaudia caſſa,
Nunc timor, interdùm rabies inviſa furoris,

Hactenus Hericus, qui claruit circà tempora Caroli Craſſi Imperatoris, Anno DCCCLXXX. Caſparus Barthius, ſidus literati orbis, & fugientis Antiquitatis deſtina, in Animadverſion. ad Claudiani in Rufin. Lib. I. v. 20.

Diſſenſu alitur rumor ——————

Rumoris vocabulum, obſcurum aliquem & incertum notare ſtrepitum contendit; ità Auſonius Moſella:

Subterlabentis tacito rumore Moſellæ.

46. *Ni munera detuliſſet*] Quemadmodum qui Reges Perſarum olim adibant. Nam ità apud Perſas moribus comparatum erat, ut Regem abſq; munere adiret nullus; ac vel tenuiorum munuſcula, & quæcunq; pro viribus offerebantur, à Rege ſummâ facilitate & humanitate excipi conſveverant. Barnabas Briſſonius Lib. I. de Regno Perſarum, pag. 26. Eumq; morem, poſtquàm Perſæ in Parthorum poteſtatem venerunt, retinuerunt. Seneca Epiſtolâ XVII. ità ſcribit: *Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere.* Nicolaus Lyranus in Caput II. Evangel. Matth. *Dicitur,* inquit, *quòd Reges Perſarum ſemper cum muneribus ſolent adorari. Quo more & Magi Chriſtum adorantes ei munera obtulerunt.*

50. *Ingruentem calumniam*] *Calumnia* mediæ ætatis Scriptoribus eſt ἀδικία. Hinc *calumniam facere,* ſignificat opprimere vi, vel fraude, damno afficere. Græci exponunt ἀδικεῖν, θλίβειν. Luc. 3. v. 14. *Neq; calumniam faciatis*: id quod Beza exponit: *Ne dolo opprimite.* Indè exiſtimo Saxoni, alijsq;, uſurpatum vocabulum hoc pro afflictione, calamitate, oppreſſione. Cæteroquin ICtis *Calumnia* eſt vendicatio, ſeu Juris in re aliqua poſtulatio. Formula vett. ſecund. L. Rom. Cap. V. *Quælibet Perſona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præſumpſerit, illud quod repetit, non vindicet.* Videatur Archæologus Nobiliſſ. & Doctiſſ. Viri, Henrici Spelmanni in voce *Calumnia.* Saxo mox infrà: *Si inflictas vobis calumnias muneratis.*

51. *Dolor hoc acrius, quò occultius lacerabat*] Idem Phocenſibus olim accidit, quos ruptâ fide, calcatoq; ſacramento, Philippus Macedonum Rex, omni injuriarum genere divexavit. De his etenim egregius & inſignis Hiſtoricus Paulus Oroſius ità loquitur Lib. III, Cap. XII. pag. 151. *Premebat miſeros inter injuriarum ſtimulos*

los superfusus pavor, ipsâq; dissimulatione dolor crescebat, hoc altius demissus, quò minus profiteri licebat, timentibus, ne ipsæ quoq; lacrymæ pro contumacia acciperentur. Quæ ipse verba à Justino mutuatus est, miserandum Græciæ statum parili modo describente. Lib. VIII. p. 86. P. Syrus:

Heu dolor quàm miser est, qui in tormento vocem non habet.

Ovidius:

Strangulat inclusus dolor, & cor æstuat intus.

Huc pertinent illa Severi Sancti, sive Endelechi Rhetoris, de Mortibus Boum; quibus Ægon Buculum hortatur, ut ipsi tristitiæ suæ causas adaperiat: Nam inquit:

——— divisa minùs sarcina fit gravis:
Et quicquid tegitur, sævius incoquit;
Prodest sermo doloribus ———

In quam Sententiam & Seneca Agamemn.

Lacrymas lacrymis miscere juvat;
Magis exurunt, quos secretæ lacerant curæ,
Juvat in medium deflere suos.

Est autem major consolatio in querelarum usurpatione liberiore, & in accusationum & expostulationum libertate, cum speciem quandam habeant vindictæ. Undè Ovidius:

Expletur lacrymis, egeriturq; dolor.

Latinus Pacatus Drepanus Panegyrico, quem Theodosio Seniori dixit: *Est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis, & pectus laxasse suspirijs: & nulla major est pœna, quàm esse miserum, nec videri.*

Pag. 71. vers. 3. *Sæpè inquiens, alieni appetitores*] Brevis equidèm, sed elegans est Oratio hæcce Erici; quæ imitando effingi atq; exprimi poterit, quoties Regi alicui suadere volumus, ne alienum in regnum expeditionem suscipiat, temereq; bellum moveat. Constat vero his argumentis. 1, Aliena qui appetunt, sua sæpè amittunt. 2, Discordes ac dissentientes in regno facile hostium adventus conjungit ac conciliat. 3, Prudentèr hic agendum; ne qua, sed sera nimis, pœnitentia subsequatur. 4, Ipse quiete fruatur, belli negotium proceribus demandet. Ad conciliandum valet, & est ἠθικόν: cum & prudentiam suam Ericus ostendit, & testatum studium ac benevolentiam facit: pericula sese futura prævidere indicat: de rege regnoq; esse solicitum docet. Collocatio & tractatio dissvasionis hujus primùm argumentis, deindè προτροπῇ adhortatione, absolvitur; ut quiete & tranquillitate suâ contentus temere bellum non moveat. Loci observandi: de alienis non appetendis; de syncretismo, reconciliatione, ac concordiâ acerrimorum hostium, hoste, aut malo aliquo communi imminente: de fugiendo periculo, à quo immunes esse possimus.

Ibid. *Sæpè alieni appetitores proprio privari solere meminimus*] In eandem sententiam de Demetrio, fratre Antiochi, Ægypto A bellum inferre statuente, eleganter Justinus Lib. XXXIX, Cap. 1. *Sed dum aliena effectat, ut assolet fieri, propria, per defectionem Syriæ, amisit.* Ita Tartarorum Princeps, victi à se & occisi Moschi calvariæ, in scyphum formatæ, inscribi jussit: *Hic amisit propria, dum appetit aliena.* Jacobus Zevecotius Observat. Polit. ad Sveton. C. 43.

4. *Sæpè amborum captator, utriusq; perditor fuit*] Juxtà Proverbium: ὁ δύο πτῶκας διώκων, οὐδέτερον καταλαμβάνει. Id est, *Qui duos* B *insectatur lepores, neutrum capit.* Erasmus Chiliad. III. Centur. 3. Adagior. *Hujus*, inquit, *Proverbij sensus est: Qui simul duplex captat commodum, utroq; frustratur.* Effertur in Græcorum Collectaneis, & citrà figuram, Δυοῖν ἐπιθυμήσας, οὐδετέρου ἔτυχες, id est, *Ambo concupiscens, neutrum assecutus es*

8. *Crebrò corrixantes porcos conciliavêre lupi*] Hinc Axioma Politicum: *Nec semper tutum dissidentes aggredi.* Nam ut Livius Lib. 2. Decad. 1. C de plebe Romana, Patribusq; dissidentibus, scribit: *Externus timor, maximum concordiæ vinculum, quamvis suspectos infensosq; inter se jungit animos.* Sic Tacitus Lib. V. Historiar. p. 622. eleganter de Judæorum ducibus Joanne, Simone, & Eleazaro, in hanc sententiam scribit: *Erant*, inquit, *inter se discordes, donec propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret.* In eandem fere sententiam Paulus Orosius Lib. 2. Cap. 16. *Otio discordiæ nutriuntur: at ubi necessi-* D *tas incubuit, postpositis privatis causis atq; odijs, in commune consulitur.* Undè Tacitus Annal. Lib. 1. *Fas est privata odia publicis utilitatibus remittere.*

Ibid. *Patrium quisque ducem extero præfert*] Eodem usi sunt inter alia argumento Scythæ, in Oratione ad Alexandrum Magnum elegantissima, quæ extat Lib. VII. Curtij: *Nam ut major fortiorq; sis, quàm quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult.*

12. *Pœnitentiâ vacuum debere contuitum esse* E *prudentis*] Innuit autor eum, qui prudentis nomen cum laude & dignitate sustinere cupiat, ità debere consilia, sua & actiones moderari, nè quid agat, cujus post ipsum pudeat aut pœniteat. Non enim Sapientis est dicere, *Non putâram. Contuitum* etiam ad animum transtulit Cicero Orat. pro Sestio: *Facit, Judices, vester iste in me animorum oculorumq; contuitus, ut cogitem remissiore uti dicendi genere. Contuitus* igitur hic erit *acumen ingenij & animi perspicacia.*

F 13. *Per alios gerendi sanè belli facultatem*] Apprime huc facit Quæstio illa diu inter Politicos agitata, *An ipsum principem bellis interesse expediat?* Sunt equidem qui statuant, melius fore, si seponatur, quàm si ipse pugnæ intersit Imperator: quia princeps nullo modo objici periculo debet; verùm dubijs præliorum exemptus, summæ rerum & Imperij reservari. Nam in milite tantum unius sors versatur: at vero in Imperatore omnium periculum agitur. Hinc multi

Impera-

Imperatores per Legatos bella ſibi gerenda eſſe A exiſtimarunt, quia dignitatem Imperij ſui proſtituere noluerunt. Sic Antoninus Imperator in Palatio urbis reſidens, bellorum auſpicia Legatis ſuis demandavit. Eodem modo Juſtinianus Beliſarij & Narſetis operâ vicariâ uſus, Italiâ Gothos, Africâq; Vandalos ejecit. At contrà ſæpe numerò juxta iſtud Plautinum:

——— Ubi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum,
Citius quod non facto eſt uſus, fit, quàm quod facto eſt opus.

Et Imperator præſentiâ ſuâ militi robur addit, & non leviter animum firmat, Unde Virgil. IX. Æneid.

——————— Urget præſentia Turni.

Verùm totam hanc controverſiam prudenter decidit Mutianus apud Tacitum Hiſt. Lib. IV. *Si nimirum Imperij ſtatus aut provinciæ alicujus ſalus, in diſcrimen vocaretur, debere principem in acie ſtare. Minoris verò momenti bella minoribus delegan da. Quin in urbem limitaneam ſe recipiat, illinc vim fortunamq; principatus è propinquo oſtenſurus: nec periculis parvis mixtus, neq; magnis defuturus.* Et hoc ipſum Alexandrum, temerè periculis ſe quibuscunq; objectantem milites monent apud Curtium Lib. IX. *Obſcura bella, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus: temet ipſum ad pericula ea ſerva, quæ magnitudinem tuam capiunt. Citò gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus, nec quicquam indignius* D *eſt, quàm conſumi eam, ubi non poſſit oſtendi.* Porrò de hac Quæſtione conſule Melch. Junium Parte 2. Quæſt. Polit. Quæſt. LXXII. & Joannem Meurſium Quæſt. Polit. VIII.

17. *Manus cauterium cavet*] *Cauterium* hìc poſitum pro aduſtione, à *καίω*, *uro*. Quid autem aliàs *Cauterium* ſit, probè norunt Medicorum filij. Ità *Cauma*, pro Calore, uſurpavit Hericus Monachus ſub finem Lib. VI.

Aſtra, poli, nubes, & machina cuncta polorum,
Solq;, ſororq;, nives, lymphæq; & Spiritus omnis,
Cauma, geluq;, dies, & denſæ nubila noctis.

Pag. 72. verſ. 8. *Parvulumq; foramen furtivâ luminis applicatione trajiciens*] Id quod Petronius Arbiter ſic extulit: *Quartilla per rimam improbè diductam applicuerat oculum curioſum, luſumq; puerilem libidinosâ ſpeculabatur diligentiâ.*

33. *Ut etiam ferinarum pecudaliumq; vocum interpretationem calleret*] Inveterata fuit gentilium opinio, inter ſe colloqui bruta, & eorum ſermones à multis intelligi. Undè ars *οἰωνική*, vel interpretandi voces animalium: in qua excelluiſſe dicuntur apud Veteres Melampus, Tireſias, Thales Mileſius, Apollonius Thyanæus. Democritus autor quoq; eſt, quod dentur aves, quarum ex confuſo ſangvine naſcatur ſerpens, quem ſi quis ederit, avium linguas & colloquia interpretaturum, teſte Plinio Lib. X. Cap. 49, & Lib. XXIX, Cap. 4. Cæterùm de loquelâ brutorum fusè diſſeruit peculiari tractatu Hieronymus Fabricius ab Aquapendente. De Apollonio Thyanæo refert Porphyrius, quod Brutorum ſermones intellexerit. De Solomone hoc conſtanter affirmant Doctores Hebræi. Porphyrius, ſuprà nominatus, cenſuit, omnia bruta inter ſe ſermocinari. Canes & Equi intelligunt humanas voces, ſiſtunt, accedunt, vadunt, prout juſſeris. Cervus educatus à Ptolemæo Philadelpholo, quentes Græcè intelligebat. B Hiſtoria Norvagica meminit Ruſtici cornicum ſermones exponentis. Sed non abs re fuerit, in medium adducere eruditiſſimam diſſertatiunculam Viri Clariſs. & verè ſeculi noſtri Maronis, Auguſti Buchneri, de avium & cæterarum animantium vocibus, ad iſtum Hymni Venantiani verſum:

Hinc tibi nunc avium reſonant virgulta ſuſurro.

C *Aves,* inquit, *in id canere, ut Dei conditoris ſui laudes perſonent, etiam D. Cyprianus ſenſit Orat. pro Martyribus:* Cui, *inquit, (Deum intelligens)* omnes aves cannnt laudes. Huc pertinet & illud incerti autoris de Philomela, in fine:

Sed cunctas ſpecies animantum nemo notavit,
Atq; ſonos ideò dicere quis poterit?
Atq; ſuo domino depromunt munera laudum,
Seu ſemper ſileant, ſive ſonare queant.

His non abſimilia ex Davidicis Pſalmis & alijs ſacris Libris adduci poſſent, ſi res poſceret. Quæ tamen omnia eâ de causâ ſcripta exiſtimanda ſunt, ut invitarentur hominum animi ad laudes divinas perſolvendas promptiùs, quum ipſa etiam bruta in eo laborare videri poſſunt. Minimè enim omnium arbitrandum eſt, pios & ſanctos illos Scriptores, quum talia mandarent libris, crediſiſſe, communi quadam cum hominibus ratione animantes eſſe præditas, cujus ductu Numen cognoſcant & celebrent, atq; putaſſe E *adeò, earum voces ità eſſe comparatas, ut tùm ipſæ eas inter ſe, tùm homines quoq; intelligant, hoc eſt, articulatas atq; intelligibiles eſſe, non autem confuſas, quod quosdam Philoſophorum antiquitus, Pythagoreos præcipuè, qui hominum animas in bruta transmigrare ſciſcebant, opinatos, ex ijs quæ* Sextus Empiricus *Lib. 1. Pyrrhoniarum Hypotyp. Cap. 14. Item* Porphyrius *Lib. 3. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων memoriæ prodidit, eruditos latere non poteſt. Quin refert Porphyrius eo loci, unum atq; alterum, qui intel-* F *lexerint, quid inter ſe garrirent aves: ac eâ ſcientiâ & Apollonium Thyanæum præſtitiſſe commemorat. Sed eum ipſum Apollonium famoſiſſimum magum ſui temporis, & hominem omnium jactantiſſimum vaniſſimumq; fuiſſe, luculentiſſimi Scriptores ſatis ſuperq; docuerunt. Quin ipſum Pythagoram tale quidpiam de ſe exiſtimari voluiſſe, pellepida illa, hiſtoriane an fabula, videtur arguere, quam* Jamblichus *narrat in Sophi illius vita Cap. 13. Tarenti enim in publicis paſcuis conſpicatus bovem, fabas attingentem, bubulcum monuit, ut pecori id interdiceret. Ridente*

dente effusè bubulco, & dicente, se quidem βοϊστὶ, A *bovinè, nescire; cæterùm si ipse quid amplius calleret, suâ pace licere, moneret bovem, quæ facta vellet: accessit, inq; aurem nescio quid armento insusurravit: & sic effecit, ut bos confestim fabas relinqueret, iisq; in perpetuum abstineret. Plinius Lib. X. Natur. Hist. c. 49. & Lib. XXXIX. cap. 4. auctor est, tradidisse Democritum, facultatem intelligendi avium voces, comparari esu certi anguium generis. Philostratus quoq; Lib. 3. de Vita Apollonij Thyanei scribit, incolas Bacaræ, Indorum urbis, jactare, eum qui cor & epar* B *Draconis comedisset, omnium animalium conceptus & voces intellecturum. Quod ipsum de Arabibus scribit Lib. 1. ejusdem operis. Ericum quendam comesto epulo, ex serpentibus, à Cracâ quadam magâ, confecto, sibiq; apposito, omnium scientiarum copiam consequutum; ità ut ferinarum pecudaliumq; vocum interpretationem calleret, Saxo Grammaticus Lib. V. Histor. Danic. narrat. Sed hæc certè nugamenta, opinor, sunt, & fabulæ meræ. Et perstringit hos nugatores meritò, Georgius Pisides, præclaro illo carmine* C *de mundi Opificio v. 994. & seqq. quos Latinos, uti Morellus vertit, quum Græcorum copia nunc non sit, non pigrabor adscribere. Sunt autem isti:*

——— quisve linguam garrulis,
Velut organum, formavit avibus tinnulum?
Ut inde rentur fabulatores novi,
Ipsos habere cognitos vocum sonos.

Quinimò Saxonem nostrum (quem perperàm *Joannem Grammaticum* nominat) vehementer D suggillat & acerbè insectatur Joannes Wierus Lib. III. de præstigijs Dæmonum Cap. XV, quod virulento epuli gustu, rationis atq; eloquentiæ summum munus, ac manuum feliciter conferendarum donum, consequi aliquem posse, non dubitavit asserere præsenti hac historiolâ, de Erico & Rollero, ab eo, ut verâ, inter res verè gestas descriptâ & intextâ. *Nam* inquit, *quòd nulla creatura, multò minus virulenta anguium tabes extillaticia, gignat rationis & eloquentiæ summum do-* E *num, aut prosperitatem in bellis donet, sed peculiaria illa Dei esse munera, tam est manifestum, ut bonarum horarum malè impensarum meritò insimulari debeam, si huic convellendæ historiæ diutius immorer.* Verùm πανοῦργον illum Satanam, permissu omnipotentis Jehovæ, multa efficere posse, ijs similia, quæ muneris loco, hominibus sibi dilectis, numen cœleste conferre solet, extrà controversiam est; & infinita ferè exempla testantur, quamplurimos gentilium (quos inprimis F internecinus ille generis humani hostis perfidiæ suæ laqueis circumvenire studebat) magicâ quadam arte hostes suos, aliàs vinci nescios, superasse. Ergò & hoc loco strigilem obtrectatorum suorum evadit autor, quem potius venerandæ antiquitatis respectu venerari & admirari meritò deberent, quàm toties calumnijs impetere, vocantes eum Scriptorem fabulosum, spermologum, logodædalum. etc.

37. *Concham transpositam*] *Concha* hèic patellam denotat, in qua appositum erat magicum illud pulmentum. *Concha* propriè piscis est genus testâ contectum: à cujus similitudine quævis vasa concava, & superius patula, *Conchæ* dicuntur. Cato de re Rustica Cap. XIII. *In cellam Oleariam hæc opus sunt; dolia olearia, labra olearia XIV. Conchæ majores duæ, & minores duæ.* Juvenalis Sat. VI.

Quum bibitur conchâ, quum jam vertigine tectum
Ambulat ———

Ubi commentarius antiquissimus: Conchâ, *id est, ex amplo vase. Erat autem vas vinarium, in quod è dolijs hauritur vinum. Conchæ* etiam sunt vasa ampla balneatoria, quibus olim lavabantur. Juvenalis Satyrâ eâdem:

——— Conchas & castra moveri
Nocte jubet ———

Veteres quoq; Commentarij, quos edidit P. Pithœus, ad versum hunc Juvenalis, Satyra III:

Ut sint contentæ patulas defundere pelves,

Pelves interpretantur *Conchas, in quibus pedes lavant, ut vasa fictilia,* ποδονιπτῆρα. Quin & aliæ quædam Glossæ veteres manu exaratæ ad versum illum Juvenalis Satyrâ VI.

Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari ———

Pelves dicit *Conchas æreas. Tanto, inquit, strepitu loquitur, ut ille qui adest, dicat multa vasa ærea, & conchas inter se collidi.* Hinc nata est vox Barbara *Inconchare*, quod est, absorbere. Chronic. Cameracense Lib. III. Cap. XXII. *Ad quandam Tabernam de more profectus, cerevisiam nimiam inconchavit.* Vide sis Archæologum Nobilissimi Viri, Henrici Spelmanni, p. 374. Ammianus Marcellinus Lib. XVI. p. 68. de Alexandro Magno: *Ille namq; ænea conchâ suppositâ brachio extrà cubile protento, pilam tenebat argenteam, ut cum nervorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum.*

48. *Ericus se ad astandum fratri*] *Astandum* dixit, pro, *assistendum. Astare advocatus alicui* apud Plautum est in Casinâ. Et vix eâ significatione apud bonos & probatos auctores obvia vox est. In Bernhardo Morlanensi, qui claruit Anno Christi MCXL. extat Lib. 2. de contemptu Mundi, pag. XLVII.

Censor adest, labra vendit, amat lucra, censet iniquum,
Astat habentibus, obstat egentibus, os inimicum.

49. *Probrosum referens alitem, qui proprium polluat nidum*] Proverbium est antiquum, quod etiamnum Islandis in usu: Sa er fuglenn werstur / sem i sialfs sinß hreidur drittur / simili prorsus, cum Saxonianâ, sententiâ.

Pag. 73. verſ. 11. *Cætera quæ acceperant, intimantes*] *Intimare* eſt ſignificata denunciare, ſeu occulte ad aliquem deferre. Livius: *Intimaſſe fertur filio, ut milites ſcriberet.* Prudentius Hymno XIV. Periſtephan. verſ. CXI.

Geſta intimaſſe cuncta fertur Principi,
Præfectus, addens ordinem voluminum.

Hinc *Intimatio*, quâ voce utitur Feſtus Avienus in Oræ maritimæ deſcriptione:

Ut aperta verò tibimet intimatio
Sudoris hujus & laboris ſit mei,
Narrationem opuſculi paulò altius
Exordiemur ————————

Idem ſuperius dixerat:

———————— *eſſe te præ cæteris*
Memorem intimati ————

Eugippius in Vita S. Severini, Cap. IX. p. 12. *Addens, ut quidquid reperta ei diceret perſona, reverſus ſibi maturius intimaret.* Uſitatiſſima vero vox hæc eſt Julio Firmico: in quo centies, & pluries, occurrit. Gloſſarium Vetus: *Intimare*, Γνωρίσαι, ἐμφανίσαι, φανερῶσαι.

22. *Receptum immodicè fretum urceis egeri jubet*] Priusquam tubo receptum eſt aquâ naves exonerare, conſveverunt priſci vaſis, amphoris, urceisq; magno numero viribusq; ſed immenſo labore, exhaurire. Grettla nos luculenter docet, & quemadmodū iſto labore fungi ſoliti ſint; videlicet, nautis juxta navis magnitudinem bipartito vel tripartito diſtributis; quorum ordines alij ſuperſtabant, ac à ſubjectis porrectos urceos excipiebant, ac ſuperioribus adhuc tradebant: illi vero, qui omniū ſupremi ſtabant, in mare profundentes, eodem modo verſa vice reddiderunt inferius conſtitutis, ac ſic deinceps reciprocatis atq; alternantibus elevandi deferendiq; vicibus, ſentinam omnem exantlarunt. Id quandoq; perquam difficile & laborioſum fuerat, cum aperta & non fororum tabulis undiq; contecta navigia decumanos fluctus paſſim exciperent, nec firmis veſtigiis nautæ in fluctuante & jactata nave conſiſtere poſſent. Hunc antlandi modum Hiſtoriæ **Byttuauſtur** vocitarunt. Grettla conſulatur. *M. Brynolfus.*

Ibid. *Diſcurrentes per littora nautici, pecus ſternere aggreſſi ſunt*] Diripientes videlicet maritima loca & littora, prædam abegerunt, more piratis conſveto: quod frequens & ſolens erat in hoſtium ſolo. Sic vero littora deprædari, **at høggua Strandhøgg**/ id eſt, *cædere littus*, nominabant.

45. *In lapſu fauſtum ominatus eventum*] Non aliter ac Divus Julius Cæſar, qui prolapſus etiam in egreſſu navis, verſo ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa.* Svetonius in vita Cæſaris.

Pag. 74, verſ. 7. *Stulte quis es?*] Ita ignotos compellare ſolebant veteres. Virgilius Æneid. VIII. verſ. 114.

A ———————— *Quò tenditis, inquit,*
Qui genus? unde domo? pacemq; huc fertis, an arma?

Alcimus Avitus Lib. IV.

Qui genus? unde patres?

Et Græci: τίς πόθεν; εἰς ἀνδρῶν; πόθεν τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες.

36. *Optavi ſapere tantum*] Hunc quoq; locum, ſicut & alia multa Saxonis, vitioſa corrupit interpunctio. Sic etenim in prioribus erat
B Editionibus:

Optavi ſapere tantùm diſcrimina morum,
Luſtravi varium per loca nactus iter.

Quis jam hic tam Oedipus eſt, qui ſanum aliquem ex his verbis ſenſum elicere poterit? niſi ſi faculâ diſtinctionis adhibitâ, ita mecum legat:

Optavi ſapere tantùm, diſcrimina morum
Luſtravi, varium per loca nactus iter.

Hoc vult dicere Ericus: Hæc mihi ſumma vo-
C torum, ſumma curarum ſemper fuit, ut ſuprà vulgus ſaperem, & civilem aliquam mihi prudentiam compararem. Eam verè non exiguam conſecutus videor; quippe qui varias peragrando regiones, multarum gentium, nationumq; mores ac ingenia accurate exploravi atq; expertus ſum: non ſecus ac ille apud Horatium:

Qui mores hominum multorum vidit & urbes,

adeò ut non ſim neſcius, ſed probe internoſcere
D queam & diſcernere, quid diſtent erva lupinis, quid ſit diſcriminis inter ſapientem & ſtultum, inter malum & bonæ frugis hominem.

20. *Remorum ductus velorum vincitur uſu*] Forte tale aliquod vulgo jactatum fuit olim Proverbium, quale extat in Anonymi Chronico Norvagico: quod utinam diutius non invideret nobis, Vir ad omnem humanitatem factus, & reconditæ eruditionis, Joh. Kirchmanus, amicus meus: ᛒᛁᚦᛅᚾᚦᚢᚱ ᛒᛁᚱ
E ᛁᚢᛅ ᛁᚱ ᛒᚱᛅᚦᛁᚱ ᚼᛅᚾᚦᛅᚱᛅᚦᚢᚱ, **Bydandur byr eiga er brader handarødur**: *Expectantes ventum ſecundum, feſtinantius properant, quàm remigantes*: **de kommer ſnarere frem ſom Seiler / end de der Roer.**

23. *Iſtas ore premi conſtat, at illa manu*] Obſcurior nonnihil hic locus, niſi ſi quis ad genuinum proverbialis hujus locutionis ſenſum, animum diligentius advertat. Comparationem inſtituit noſter inter *mendacium & tempeſtatem*,
F edocere nos cupiens, non minori damno mendacia homines afficere, quàm miſeros nautas ſævientem in mari tempeſtatem. *Tempeſtas* etenim paucas quasdam naves disjicit, funditusq; evertit; ſed *mendacium* regnis, urbibus, totisq; nationibus perniciem adfert. Porro ſicut freta remigiis, quæ manibus premuntur & agitantur, urgente tempeſtate pulſantur; ita & *terræ*, hoc eſt, variæ gentes & nationes *premuntur*, & interdum opprimuntur, *ore*, id eſt, mendaci linguâ, ſeu menda-

mendacio, quod ore profertur. *Neq; enim manuum vi duntaxat, sed linguâ, æquè ac acuto gladio, jugulari inimicos*, rectè monuit Emanuel Comnenus apud Nicet. Chon. Lib. V. Et Demosthenes Oratione de falsâ legatione: *Nullâ re populus lædi gravius potest, quàm audiendis mendacijs.* Hinc verè Petronius in Trojæ halosi vocat *Mendacium in damna potens.*

26. *Sorde gravis putes*] Vanum hominem, & nullius frugi, suâ linguâ, veteres Dani probrosè appellabant ᛂᚿᚦᛂᛘᛂ, Endeme/ id est, Sterquilinium, & ᚮᚼᚱᛂᛋᛂ, Ohrese/ quæ vox propriè ramenta & quisquilias significat, item lutum, sordes. Hinc per contemptum & convicium vilem aliquem, despectum, & abjectissimum mortalium, præcipuè quando aliquis stultè loqui ausus fuerat, ita compellabant: ᚼᛂᛁᚱ ᛂᚿᚦᛂᛘᛂ, Heyr Endeme/ id est, audi cœnum. I Jarla Sogu: thall Jarl sagdi: Heyr Endeme/ id est, audi sterquilinium. Bua Søgu: En hitt Ohræsid er thar sita a støl num og hlyder a tall manna. Men det andet Skarn/ som der sidder paa Stolen/ oc hører paa Folckens tale. Hodieq; nobis eadem formula in usu in convicijs est, quum hominem nullius frugi nominamus det Skarn/ det Møg; Hand er eet skarn/ eet møg/ eet droog/ etc. Itidem Romani olim loquebantur, hominem impurum, flagitiosum & sceleribus coopertum appellantes *lutum, cœnum, labem, sordes.* Tullius Oratione pro P. Sextio de Calpurnio Pisone: *Habeo, quem opponam labi illi atq; cœno.* Et in L. Pisonem: *O Pestis, ô scelus, ô labes.* & eâdem Oratione: *ô tenebræ, ô lutum, ô sordes!* & mox: *Cùm se Philosophum esse diceret, istius impurissimæ atq; intemperatissimæ pecudis cœno ac sordibus inquinavit.* Plautus in Persa, Sc. *curate*

——————— Eho lutum lenonium
Commixtum cœno sterquilinium publicum,
Impure, inhoneste, injurie, illex, labes populi.

Item:

Possum te facere, ut argentum accipias, lutum?

Catullus Epist. XXXIX.

Non assis facis, ô lutum, ô lupanar,
Aut si perditius pote est quid esse.

44. *Esca feris, avidæ præda futurus avi*] Minatur Grep Erico ipsius sepulturam *in Volucrum potestatem fore*, quod Augustus olim respondisse dicitur captivo cuidam suppliciter sepulturam precanti; innuens, aves facultatem habituras cadaver relictum discerpendi & recondendi intrà ventrem, tanquàm sepulchrum. Qualem sepulturam Curioni tribuit Lucanus Lib. IV.

———— Libycas en nobile corpus
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.

Et Euryalo Virgilius Æneid. IX.

Heu, terrâ ignotâ, canibus data præda Latinis,
Alitibusq; jaces ———————————

Quanquam mos, imò honos fuerit alijs gentibus, ut Caspijs, Iberis, Barchœis, Indis, Persis, Parthis, inhumata cadavera abjicere. Cl. Vir Berneggerus ad Sveton. August. Cap. XIII. Apud Iberos Vultures erant pro sepulchro. Unde Silius in XVI. Punic.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus, Iberâ,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.

53. *Non ego reginam*] Suo ipsius indicio perijt Sorex. Ericus nullam planè injecit Reginæ mentionem à Greppo stupratæ, priusquam ipse se prodat. Scilicet hæc vis malæ est conscientiæ, de quâ verè Polybius in fragmentis: Οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις, ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς: *Nullus neq; testis tàm formidabilis, neq; judex tam gravis, quàm Conscientia, quæ mentibus cujusquè insidet & inhabitat.*

Pag 75. vers. 6. *Decipitur, servum quisquis sibì poscit amicum*] Proverbium est, de fortissimo viro Grettero Asmundio servi negligentiâ decepto, prolatum & usurpatum: Illt er ad eyga thræl fyrer einka Win. *Inconsultum est, cui servi tium in summa amicitia est. M. Brynolfus.*

13. *Improvida plerumq; nocere consilia*] Præcocium consiliorum infelix & tristis solet esse exitus. Hinc rectè Livius: *Consilijs*, inquit, *nulla res tàm inimica, quàm celeritas. Celer enim pœnitentia, sed eadem sera atque inutilis, sequitur, cum præcipitata raptim consilia, neq; in integrum restitui possunt.* Quare rectè præcipitur, ut antequam res magnæ, & ardua negotia suscipiantur, animus, repudiatis præcocibus actionibus, consilio maturo & prudenti in omnem eventum diligenter sit muniendus. Benè itaque Tacitus monet: *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipubl. utile, IPSIS gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit.*

23. *Immolati dijs equi abscissum caput conto excipiens*] Heic denuo Magici cujusdam apparatus luculentam scenam habemus. Modus autem & formula talis maleficij peragendi hæc erat. Apud veteres Danos, juxtà ac Boreales ferè gentes omnes, Ethnicismi superstitionibus adhuc imbutas & incantationibus deditas, qui caput inimicis devovere, vel etiam qui hostilem impetum à se & fortunis suis avertuncare, cupiebat, contum quendam, sive oblongam hastam ex corylo, vel alia quavis arbore, sibi anteà ritè conficiebat. Hujus hastæ summitati cranium equi, quem prius dijs inferis solenni sacrificio immolaverat, cadaveri abscissum ità infigebat, ut distentis faucibus, hiantiq; rictu, ingentem terrorem visentibus incuteret. Hanc deindè hastam *Runis*, id est, magicis characteribus inscriptam, in colle, seu alio quocunq; loco editiore, interdum etiam in promontorio aut Isthmo, qui è diametro oppositus erat regioni

isti,

isti, sive loco, in quo hostis versabatur, vel per A quem eum irrupturum putabat, erigebat, adhibitâ insuper certâ diræ imprecationis formulâ. Hunc contũ nominabant ᚿᛁᛁᚦᛋᛏᛆᚿᚴ, Niidstong/ hoc est, Hastam imprecatoriam; à ᚿᛁᛁᚦ, Niid/ quod priscâ linguâ Danica significat diram imprecationem, & ᛋᛏᛆᚿᚴ, Stong/ id est, contus, hasta. Indè formula loquendi, At opsette/eller reise/ Niidstang mod een. hoc est, contum, seu hastam imprecatoriam, B vel mali voti, adversus aliquem erigere. Illustre hujus rei exemplum extat in Historia antiquâ Egilli Skallegrimi, quæ EGLA veteribus dicta est; cujus meminit Glossarium priscæ Linguæ Danicæ, quod penes me est, MS. hunc in modum: Egill Skallagrimsson risste niid Eirycke Konge. det er: Egill Skallegrimsen reiste forbandelse mod Erick Konge; nemlig som efterfølger: Han tok i hond sien hesleslong/ og giek fram a Bergnos eina/ tha er viiste til lands up/ tha C tok hañ Hroshofud/ og veitta thar formála/ og mállte svo; Hier set eg up niidstong/ og sny eg thettu niid a hond Eirycke Konge og Guñhillde: sny eg thessu niid a landvætter/ ther er thetta land byggia/ so ad allar fare ther a villa vega/ ad einge hitte sitt inne/ fyr een ther reka ur lande Eiryck Kong/ og Guñhillde: Epter thad skaut hañ nider stonginemi Biargrifu eina/ og let thar standa: hand suere Hroshofud land up/ eñ riist Runa a stonginem/ og sagdi thar thennann formála. D Det er: Hand tog sig i Haand Hesselstang/ oc gick frem for en Biergnæs/ som viiste op til Landet/ da tog hand et Horse Hoffuet/ oc giorde denne Fortale: Her opsetter Jeg Niidstang/ oc vender Jeg dette Niid Kong Erick och Guñhilde/ til haande. Jeg vender dette Niid paa Lande/ oc alle de som boe i dette Land/ Saa at de skulde alle fare paa villde weye oc ingen skulde kunde finde sin Bolig/ forend de drifue Kong Erick oc Guñhilld aff Landet. Effter det stiod hand stangen neder i en Biergreffue/ oc lod den staa der: Siden vente hand Horse Hoffuedet op til Landet/ oc riistede Runer paa stangen/ oc sagde der denne Fortale/ etc. Oc stackit der effter bleff Erick meget hadelig aff alle/ oc rømbte aff Landet. E

27. *Obscœnitatis apparatum*] Ità propriè expressit noster vocem antiquam ᚿᛁᚦᛁᚿᚴᛋᛣᛆᛒᚢᚱ, Nidingsskapur/ quæ infamiam & nefandum scelus significat. Exemplum suggerit Glossarium modò laudatum ᚿᛁᚦᛁᚿᚴᛋᚢᛁᚱᚴ, Nidingswerk/ detestanda scelera, F quorum mentio occurrit etiam in Codicibus legum Danicarum.

47. *Nudum habere tergum fraternitatis inopem*] Hoc est, subsidio fraterno destitutum. Statius IV. Thebaid. *Inops comitum.* Tacitus VI. Annal. *Inops sociorum.* Apulejus de Deo Socratis: *Inops veritatis.* Et Apologia: *Omnium peccatorum inops.* Prudentius Hamartig. vers. 364. *Mens vulgi rationis inops.* Et Psychomach. v. 12. *Magnarum virtutum inopes.* Hilarius Genesi: *Qui natalis inops.* Ubi vide elegantissimæ eruditionis Weitzium, pag. 26.

25. *Ardebat intra ædem ignis*] Non est, quòd hoc tempestati Saxo ascribat, quod in priscis monumentis, sine temporis mentione passim occurrit. Amarunt antiqui Heroes ad focum epulari, quem in medio pavimento, secundum ædis longitudinem, aluerunt: ipsi cum senatu, optimatibus, & legatis, in interiore domus parte, & loco sublimiore considentes, inferius utrinq; ad focum satellites & ministri. Crebrò antiquitates Láng-ellda meminerunt, hoc est, *longorum ignium*; & crebro, ellda brenna a Stiidum/ id est, *ignes in lignis splendidè arsisse* narrant. *M. Brynolfus.*

52. *Ignis vultui temporis haud indebitus*] Κατάχρησις est hic nimis dura. Ità durius dicitur πρόσωπον ὀρανῦ: quomodo Evangelista Matthæus loquitur Cap. XVI. Cui simile est, quod Ovidius initio Metamorphos. *Naturæ vultum* dixit. Item Virgilius nunc *feris* tribuit vultum, nunc *mari*.

Pag. 76. vers. 19. *A Rennesô prodij*] Inter insulas, quæ magno numero fretum Buchenfiord/ quod civitatem Norvegiæ Stavangriam alluit, complent, unam hoc nomine Rennesø animadverti exstare in Tabula Chorographica Diœcesis Stavangriensis, editâ ante annos XXVII. à Viro Clarissimo, & insigni Mathematico, M. Laurentio Scavenio; quæ forsitan illa esse poterit, è quâ se prodijsse hic commemorat Ericus, Et infrà, Rennesø/ disertim insulam fuisse tradit. Et vero totus hic sermo Erici plane ænigmaticus; quo tamen nihil aliud indigitare existimo, quàm iter illud maritimum à se in Daniam cum fratre Rollero susceptum.

Pag. 77. vers. 8. *Nec diu manum ictu exhilarari solere*] Hodieq; regium hoc dictum Islandis in ore est, quoties significant, intempestivè quempiam jus suum manu persequi: Stutta Stund verdur hønd hogge feigen: hoc est, *Breve, nec diu est, cum ob ictum illatum manus exultat. M. Brynolfus.*

16. *Laboranti optima est mali mora*] Adagium itidem est, quod viget, quoties in magnis & impendentibus malis, in dilatione & incertitudine eventus requirimus: Frestur er a Illu bestur. Vel, Frest er a Illu best. *M. Brynolfus.*

24. *Campum gelati maris*] Eleganter & Poëticè dictum. Sic non absimili loquendi modo Virgilius *liquentes campos*, pro *mari* dixit VI. Æneid. Et Ovidius Lib. 1. Metamorph. *Latum aquarum campum.* Iterum Virgilius VI. Ænid. *Latum aëris campum.*

30. *Nec pœnam infligendum esse*] Græcismus est evidentissimus, quo usos video antiquos sæpè,

ſæpè, non Poetas modo, ſed alios etiam ſcriptores. Varro Lib. 3. de re Ruſticâ: *Acus ſubſternendum gallinis parturientibus.* Virgilius:

——— *pacem Trojano à rege petendum.*

Cicero in Catone Majore: *Volumus ſanè niſi moleſtum, Cato, tanquàm longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoq; ingrediundum ſit.* Varro eodem libro ferè ità: *Eas horas ſubſternendum paleâ.* Sic Lucretius Lib. 1. v. 23.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Et ibidem verſ. 18.

Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum.

Pag. 13.

Aut igitur motu privandum eſt corpora quæq;.

Id quod Græci dicerent: φοβητέον τὰς ποινὰς, πρακτέον πολλὰ, τὰ σώματα ϛερητέον. Plures ejusmodi formulas congeſſit Obertus Gifanius in conlectaneis ad Lucretium.

32. *Epulaturi in convivio militis*] *Miles* hoc loco per Synecdochen numeri, & quidem Singularis pro plurali, poſitum eſt, pro *Militibus:* ut mox: *Aſſoletne Gótari miles?* Eundem ad modum loqui amat Florus Lib. 1. *Adactus miles ſuâ ſponte jurejurando, niſi captâ urbe remearet.* Et Lib. II. *Sic redacto in diſciplinam milite commiſſa acies.* Et Lib. IV. de voce, quâ uſus Cæſar: *Miles, faciem feri.* Ità & *Eques* pro *Equitibus* in eodem ponitur, Lib. 2. *Quippè nebulâ lacus, paluſtribus virgultis tectus eques.* De hujusmodi ſermone ità B. Auguſtinus Lib. 2. Locutionum S. Scripturæ, qui de Exodo eſt: *Et extendit Aaron manum ſuper aquam Ægypti, & eduxit ranas, & educta eſt rana, & operuit terram. Repetitio à Plur. ad ſingularem numerum trajecta eſt. Nam utiq; rana pro multitudine ranarum poſitum eſt. Neſcio, quo autem modo, per loquendi conſuetudinem, imbutis ſenſibus hominibus ſæpè plus videtur, quod Singulariter, quàm quod Pluraliter dicitur. Nam plus accipitur, cum dicitur, verbi causâ: Eſt illic miles, quàm ſunt illic milites; eſt illic piſcis, quàm ſunt illic piſces.*

50. *Nemo non natum*] Ità ſcitè expreſſit Proverbia illa Danica hodieq; in vulgus nota: Harr er wfød Heſt at binde ved Krybbe. Et, Ont er at baaſe for wfød Fee. Quorum poſtremum verſu plane barbaro, ut omnia, reddidit Petrus Laglandicus (vulgò Lolle) Legiſta, Parabolarum Fol. 58.

Non natæ pecudi rude fit boſtaria cudi.

Ubi *Boſtaria*, bovis ſtabula, interpretatur Aſcenſius, in Notis ad iſtum authorem. Senſum autem horum adagiorum fortè Metahpyſicum hoc Axioma revelabit: *Non entis nulla datur affectio*, ſive, *nulla ſunt accidentia.*

Pag. 78. verſ. 12. *Inania pacta revocare*] Conſentit πολυθρύλλητον illud: *In malè promiſſis haud turpe eſt fidem reſcindere.*

Ibid. *Maturitati potiùs quàm inconſtantiæ*] *Maturitas* hic eſt prudentia. Uſus eſt eodem ſignificatu Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pag. 3. *Ipſe quoq; arrogantis ingenij incitationem ejus ad multorum augeri diſcrimina, non maturitate vel conſilijs mitigabat.*

15. *Cruſtatum glacie æquor*] Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pag. 57. *Hyeme verò humus cruſtata frigoribus, & tanquàm levigata, ideoq; labilis, inceſſum præcipitantem impellit.*

20. *Altercandi collibitum ſibi fore certamen*] Id Veteres Dani nominabant ᛆᚱᚦᛆᚼᚿᛒᛒᛁᚿᚠ, Ordahnipping. Gloſſ. Iſland. MS. ᛆᚱᚦᛆᚼᚿᛒᛒᛁᚿᚠᚢᚱ, Ordahnippingur/ Verborum pugnæ ſeu contentiones.

24. *Quando tuam limas*] Non injuriâ ſpurcum hoc, & honeſtis indignum auribus carmen, priſcâ linguâ Danicâ ᚿᛁᚦ, Nid/ appellares, de quo Gloſſarium Iſlandicum MS: ᚿᛁᚦ, NID, Neutr. Gen. Spurca Poëſis, qualis apud Latinos, Martialis, Catulli, & conſimilium. Rhyt. Mingſt er frŷd ſa mærdar ſmid/ margan tid ad yrkia Nid. id eſt, Minimè eſt pulchra iſta Poëſis, multoties edere obſcœna carmina. Hinc ad Nida nockurn: id eſt, Obſcœnis vel infamibus cantilenis aliquem lædere. Grettla: Monum tøtthi illa er han Nidde Hafſlida Bonda/ det er: Dette tocktis Folck ilde/ at hand quad ſlemme Viiſer om Hafſlide Bonde. Dicitur etiam ᚿᛁᚦᛋᛏᛆᚱ, Nidſtâr/ promptus ad tales cantilenas, & aliam infamem Poëſin. Halfredur Saga: Halfredur var Skald thegar a unga aldre / og al nidſtár. det er: Halfred var ſtrax Skalldr in ſin unge dage/ oc meget rede til at quæde ſlemme Viiſer.

29. *Remigijs homines*] Cl. Vir, & Philologus eminentiſſimus, Caſpar Barthius, in literis ad me ſuis Anni cIɔ Iɔ CXXXIII. ex MS exemplari Saxonis noſtri, ita hunc Verſum emendat: *Videbantur*, inquit, *ævi ſui pede benè hæc conciliata ire. At in optimo codice erat.* Res Veneris homines. *Scribendum vides*: Re Veneris. *Et ultimis verbis*: Quid ad hæc addere mas runit? *Omninò ſcribendum*, mas renuit? *Peſſimè qui ediderunt primùm, non intellectis veteris ſcripturæ ductibus.*

30. *Motus quippe ſuos nam labor omnis habet*] Pleonaſmus eſt, *quippe* & *nam*: quo tamen gaudent interdum Scriptores. Plautus Menæchmis Actus V. Sc. IX. *Vænibit uxor quoq; etiam.* Sic Florus Lib. 1. *rurſus redire.* Svetonius in Vitâ Cæſar. Cap. 2. *rurſus repetere.* Claudianus in Ruffin.

——— *revocataq; ſecula rurſus.*

Juſtinus; *rurſum recipere.* Livius; *Legati deinde poſteà miſſi.* Barthius loco jam dicto: *Quarto verſu ex uſu ſeculi* τὸ quippe *abundat, ne de mendo quis argutetur. Quo pacto poſitum invenies apud Auguſtinum pag. 29. Libri de geſtis Pelagij. Guilielmum Armoricum Lib. IV. Philippidos, verſ. 465, Hiſtoricos Nordmanniæ à Ducheſnio editos. pag. 106, 108, 138. &c.*

Agoni-

46. *Agonizans Ericus*] Græcis Ἀγὼν, *Certamen.* Undè ἀγωνίζομαι, *certo, pugno.* Hinc mediæ ætatis Scriptores formarunt Verbum Latinum *Agonizo,* eâdem significatione; & secundùm Papiam, *Agonizor.* Adamus Bremensis Lib. I. Cap. VIII. de S. Vinifrido, seu Bonifacio, primo Germanorum Apostolo: *Gesta ejus, à Discipulis plenariâ manu edita sunt; quæ eum ferunt agonizasse, cum aliis quinquaginta, & amplius, commilitonibus suis.*

47. *Arduum reor contra fortem fune contendere*] Quid si rescribamus *funem contendere?* ut propius ad certaminis formam respiciamus. Sic enim suadet nobis Proverbium hoc integrum adhuc & superstes: Jllt er ved Ramman reip ad draga. *M. Brynolfus.*

Ibid. *Perquam utile referens rebus integris incolumi redire curru*] Accedat hoc item ad proverbiorum nostratium censum: Hollast er heilum wagne heim ad aka: quod in alium sensum, verbis tamen ex parte retentis, Dani verterunt: De haffue gott/ som kiøre med heele Vogne. *M. Brynolfus.*

52. *Imagine profligatus*] Nî fallor, sensus erit: Consimili mortis genere, quo cæteri perierunt, peremptus. Sic infrà loquitur: *Quis hanc prior imaginem præbuit.*

37. *Frustrà volentem perire servastis*] Quasi diceret: Parvam à me refertis gratiam, qui mori cupientem prohibetis. Huc facit illud πολυθρύλλητον: *Qui servat invitum, idem facit occidenti.* Item: *Invito non confertur beneficium.* At contrà Seneca Lib. 2. de Beneficiis: *Pulcherrimum opus est etiàm invitos nolentesq; servare.* Et Calpurnius Flaccus Declamat. XLI. *Misericordiæ maximum munus est servare nolentem.*

Pag. 81. vers. 37. *Suam nec dùm cautibus abstitisse fortunam*] Hoc est, fortunam adversam suam nondum planè expiatam; nondum adversâ fortunâ se defunctum; adhuc se in cautibus versari ac scopulis. *Absistere bello, absistere pugnâ,* antiquis usitatum est. Vicina huic locutio est Lucretii sub finem Lib. II. *ad scopulum ire,* pro ad interitum:

Nec tenet omnia paulatìm tabescere, & ire
Ad scopulum, spatio ætatis defessa vetusto.

Metaphorâ scilicet à navi sumptâ, quæ infligitur scopulo: quomodo rectè ad illum locum Dion. Lambinus, optimè de Lucretio meritus, commentatus est. pag. 286.

38. *Fascem labilem esse, qui vinculo non firmetur*] Proverbium antiquum tale fuit: Lauss er bandlauss bagge. *M. Bynolfus.*

44. *Manum siquidem capitis periculo objici*] Cum præsenti periculo occurrenti, vel ob vicinitatem, vel debitum naturæ, ignoscimus, & quodammodo excusamus, hoc proverbio uti convenit: Skyllt er hende aff hoffde bera. Quod
A hoc Rhythmo comprehendit avus maternus, Paulus Jonæ filius, Vir in illis talibus rari exempli: Jll er hond sem aff ei ber/ eff ytar a hoffuded kasta: *Turpe manus jactum quæ non defendit ab ore. M. Brynolfus.*

Pag. 82. vers. 38. *Litharfulki quoq; provinciam tradit*] ᚠᚢᛚᚴᛂ, Fylke/ seu juxtà veterem pronunciationem ᚠᚢᛚᚴᛁ, Fulki/ priscis Danis in usu fuit pro Normarchiâ, sive Provinciâ,
B quam hodiè Læn nominamus, sed adeò refertâ, locuplete, & copiosâ, ut justus inde exercitus colligi ac conscribi potuerit. Singulis ejusmodi provinciis unus summâ cum potestate præerat Regulus. Propriè autem at fylcke/ aciem instruere significat; & Fylcking/ aciem instructam, sicut Fylckingearm/ cornu aciei dextrum vel sinistrum. Cæterùm tota olìm Norvvegia in XXIII. Fylckas/ sive provincias, divisa fuit, quas hoc ordine recenset Chorographica Norvagiæ
C Descriptio, ante decennium linguâ vernaculâ Hafniæ edita: 1. Elfvar fylcke. 2. Vingulmorck fylke. 3. Raumaricks fylke. 4. Dalvig fylke. 5. Hadelands fylke. 6. Westfylda fylke. 7. Grenlands fylke. 8. Austaregda fylke. 9. Westeregda fylke. 10. Rygia fylke. 11. Sundhorda fylke. 12. Hardengra fylke. 13. Nordhaurda fylke. 14. Sygna fylke. 15. Fiala fylke. 16. Firda fylke. 17. Sundmøra fylke. 18. Raumdøla fylke. 19. Nordmøra fylke. 20. Tronheim fylke. [sub
D se comprehendens octo Provincias. I. Auna fylke. II. Sparbyggia fylke. III. Werdøla fylke. IV. Staunafylke. V. Stiørdals fylke. VI. Strinda fylke. VII. Gauldøla fylke. VIII. Orkdøla fylke.] 21. Naumdøla fylke. 22. Halogaland fylcke. 23. Findmarken. Has inter non occurrit nostrum Lithar fylke; ideoq; legendum puto Listar fylki/ quæ nunc dicitur Listelæn.

Pag. 84. vers. 9. *Sclavorum mandatur irruptio*] *Mandatur* hic positum pro *nunciatur,* significa-
E tione medii ævi Scriptoribus usitatâ. Gallus Confessor, Cap. XXII. *Serò quoq; cum factum est, ipsâ die apparuit Apostolis suis, & eis gaudia pacis mandans, insufflavit.* Ad quem locum ità Clariss. Vir, Caspar Barthius: Gaudia pacis mandans, *id est, Spiritus Sancti adventum nuncians. Pax enim, in Evangelio B. Johannis, Spiritum Sanctum notat. Mandare autem nunciare est illi seculo Scriptorum. Sic usurpant Sidonius, Ennodius, Fortunatus, Fulgen-*
F *tius, Marculfus Monachus, alii innumeri.* Alioquin *mandare* ejusdem commatis Scriptoribus *mittere, ablegare* significat. Fulgentius Fab. XLV. *Postquàm in Thraciam redit, Philomelam mandat ad Lynceum Regem.*

42. *Regem deindè manum spargere hortatus*] *Manum spargere,* id est, exercitum dividere: quomodo *bellum spargere* dixit Silius Italicus, Lib. IX.

Scindent se turmæ, prædicit spargere bellum.

Et

Et *agmina spargere* Lucanus Lib. VI.

Ipse quoq; à tutâ deducens agmina petrâ
Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
Laxet, & effuso claudentem milite tendat.

Q. Curtius sub initium Lib. VIII. *Cùm propter vagum hostem spargendæ manus essent, in tres partes divisit exercitum.*

46. *Ut compendij gratiâ complanasse montes*] In eandem sententiam de Xerxe loquitur Justinus Lib. II, qui *fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad navigationes commodum per compendium ducebat.*

53. *Quisquis primam feliciter militiam gesserit*] In primo certamine & conflictu cum hoste parta victoria, vel opinio virtutis, magnum ad terrendum hostem, & ad totum reliquum bellum conficiendum, illiusq; victoriam, posteà momentum habet & affert. *Bella* etiam ut plurimùm *famâ constant:* & timetur ille potissimum, qui sibi jam opinionem virtutis ac strenuitatis comparavit. Unde Janus Gruterus in Commentar. super aliquot loca Taciti: *Pro belli initijs Dux aut timetur aut spernitur.* Adeo ab initijs haud temerè præsumitur de fine. Et per initia sæpè de eventu decernitur. Hinc etiam Tacitus memorat de Cæcina Lib. 2. Histor. *Consilia curasq; in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cætera fore.* Et in Vita Agricolæ: *Cæsâq; propè universâ gente, non ignarus, instandum famæ; ac prout prima cessissent, fore universa.*

Pag. 85. verf. 22. *Quarum præsens quasdam ritus usurpat*] Paucas admodùm ex legibus hisce Frothonianis hodierna apud nos consvetudo celebrat: sed maximam partem vel sunt prorsus abolitæ, inq; desuetudinem venerunt; vel hodieq; in usu sunt, sed quo ad formam, si non quà materiam, immutatæ. Sic illa quæ ordine Septima Lex est de Fure impunè non dimittendo, extat in Volumine Legum Cimbricarum, Cap. XCI. Lib. II. sub hoc titulo: **Bonden maa ey lade Tyff lobe.** Illam verò, quæ sequitur, de fuga non capessenda, non tàm expressa legis scripta verba, quàm ipse pudor & honestas confirmat. Jam eas quod attinet leges, quas Frotho in Daniam rediens tulit, ejus, quæ ordine secunda est, de fœminâ liberâ amittente libertatem, si servum duxerit, exemplar exstat in *Recessu* Christiani III, Regis Daniæ, Articulo XXXVI. **Om frij Quinde tager vfrij Mand.** Tertia item, quæ mox subjungitur, de eâ ducenda, cui vitium primus attulit, confirmatur Novellis Constitutionibus Friderici II. Regis Daniæ, Tit. de Styprat. Virg. nec non Legg. Cimbricar. Lib. 1. Cap. XXXIII. & Lib. 2. Cap. XVI. XVII. XVIII. Octava deniq; de eo, qui ad exequendum Regis Imperium ob animi contumaciam piger extiterit, Nobiles hodieq; aliquâ ex parte

A obligat, sicut videre licet in Recessu Christiani III. Articulo II. §. 2. **At Adelen skal vere plictig/ at vere Kongen hørig oc lydig/ oc tiene med Hest oc Harnisk/ oc affverie Kongens oc Rigens Skade.**

26. *Dignitatis causâ captivum concessit aurum*] *Aurum captivum*, opes significat ab hoste captas: quomodo *agros captivos* olim dixit Tacitus Annal. Lib. 12. *Captivam vestem* Virgilius; *Captiva thura* Ovidius in Fastis: *Captivum ebur* Horatius Epistol. 2. & noster mox infrà: *Capti-*
B *va navigia.*

33. *Si quis in acie primus fugam capesseret*] Digestor. Lib. XLIX. Tit. XVI. §. VI. *Qui in acie prior fugam fecit spectantibus militibus, propter exemplum capite puniendus est.* Quam Legem mihi suppeditavit Excellentissimus Vir, D. Henricus Ernstius, Collega meus plurimùm honorandus. Αἰσχρὸν τὸ φεύγειν: *Turpe est pedibus vitam redimere.* Aristid. Orat. 2. Manuel Comnenus apud Nicetã. Lib. II.
C Θάρσος γὰρ μερόπεσσι μέγα κλέος, φύζα δ' ὄνειδος: *Fortitudo enim ingens hominibus gloria, sed fuga dedecus.* Cointus Smyrnæus Lib. VI, v. 46. Calvinus Domitius, primipili Centurionem nomine Vibillium, ob turpem ex âcie fugam, fuste percussit. Vellejus Paterculus Lib. 2. Historiar. Crassus quingentos primos, à quibus initium fugæ ortum fuerat, decimavit. Plutarchus in Crasso. Hinc Polybius Lib. 3. *Est hoc unum ex institutis disciplinæ militaris apud Roma-*
D *nos, quod diligentissimè observant, NON FUGERE, neq; ordines deserere.*

40 *Quamcunq; primitùs cognovissent*] *Cognoscere* Latinis Scriptoribus est de nuptis verbis. Ovidius Epist. VI. Heroid.

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

Lampridius Alagabalo: *Antonino Caracallæ stupro cognita.* Eutropius Lib. VII. de Caligula: *Stupra Sororibus intulit, ex una etiam filiam cognovit.* Sed etiàm Græcis: Plutarchus in Evmene
E non longè à principio: Βαρσίνην γὰρ τὴν Ἀρταβάζου πρώτην, ἐν Ἀσίᾳ γνοὺς ὁ Ἀλέξανδρος ἐξ ἧς υἱὸν ἔσχεν Ἡρακλέα. In Alexandro: Οὔτε τούτων ἔθιγεν scil: τῶν γυναικῶν, οὔτε ἄλλην ἔγνω γυναῖκα πρὸ γάμου πλὴν Βαρσίνης. In Pompejo. Ὅσαι δὲ τῶν Μιθριδάτου παλλακίδων ἀνήχθησαν οὐδεμίαν ἔγνω. Imò & Hebræi, ad significandum viri cum muliere congressum, hoc verbo utuntur, ut mille patet Sacrorum Bi-
F bliorum locis. Videatur Caspar Barthius Advers. Lib. XXIII. Cap. 9.

Ibid. *Ducendi legem inflixit*] Lex divina Deuteronom. Cap. XXII. v. 28. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum &, apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit.* v. 29. *Dabit, qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Jus Canon. Cap. 1. de Adult.

Sagitta

49. *Sagitta lignea ferreæ speciem habens*] Apud Veteres Islandos conventus habendi signum erat ᚦᛅᚱᛋ ᚼᛅᛘᛅᚱ, Thors hamar/ *Malleus Thor Deastri.* Deindè post annum à nato Christo millesimum, quum jam in fidem Christianam jurassent, pro ejus temporis religione, *Crux lignea*, quam quilibet Colonus ad suum vicinum perferret, die, loco, & causâ conventus indictis; cujus signi neglecti aut intermissi certa pœna. Posteà in usu fuit ad cogendos provinciales conventus, *forma securis. Norvagicæ lignea*, eâdem ratione circumlata inter provinciales concives, ut de cruce lignea jam dictum. Conventus autem, quem hæres occisi intrà triduum cogebat ad sepulcrum cadaveris, index fuit *telum ligneum.* Arngrimus Jonas Islandus, Rerum Islandicarum Lib. I. Cap. III.

Pag. 86. vers. 6. *De qualibet verò controversiâ ferro decerni sanxit*] Sensus est, Frotho Rex, inter alias leges, hanc etiàm tulit, quâ nimirùm sanxit, ut subditi sui inposterùm lites armis dirimerent, & pleraq; causarum judicia duello, sive singulari certamine, decernerent. Quæ consvetudo primùm abrogata legitur à Rege Danorum *Svenone* cognomento *Tivveskeg*; in ejus locum substituto ferri candentis usu: ut tradit Saxo Lib. X. donec eam funditus everteret Haraldus, qui non armorum usu, neq; testium, sed solâ sacramenti fide & jurejurando defendendi potestatē subniti voluit: prout verba Saxonis habent Lib. XI. Talis etiàm *Lex* fuit *Gundebadica*, à Burgundiæ Principibus lata; quam ut planè impiam, atq; scelestam abolendam esse, Epistolâ verè lectu dignissimâ suadet S. Agobardus, Episcopus Lugdunensis fol. 103. Cæterùm hic locus postulare videtur, ut de varijs *probationum*, sivè *purgationum* modis, nonnihil inpræsens, quantum fert ratio instituti nostri, agamus. Varia igitur olìm apud varias gentes *Probationum*, sivè *purgationum* genera fuerunt; quibus veritas culpæ, vel innocentiæ, decidenda permittebatur. Nulla verò frequentior erat *Monomachia*, quod *duellum* vocant; Saxo *Singularem congressionem*; Agobardus *Singulare certamen.* Cujus inventionem quidam Mantinæis tribuunt; alij volunt antiquiorem esse. Sed post Barbarorum in Italiam irruptionem truculentus ille mos inolevit apud *Longobardos*, *Germanos*, *Francos*, *Anglos*, *Hispanos*, *Moschos*, & nostros quoq; *Danos.* Et extendebatur tàm ad causas criminales, quàm civiles. De hujusmodi purgatione illustria extant exempla apud Lambertum Schafnaburgensem, & alios Historicos. Fuit & purgatio vulgaris per *Ignem*, quæ triplex: per *rogum*, per *prunas*, per *ferrum ignitum*, hoc est, *vomeres*, sive *laminas*, vel *chirothecas candentes.* Ac *ferrum ignitum*, sive candens, quod attinet, meminère ejus variæ leges Septentrionalium. Apud Radevicum Lib. 1. Cap. 26. fit men-

A tio legis militaris, quâ Servus non deprehensus in furto, sed accusatus jubebatur vel domini juramento, vel igniti ferri judicio se purgare. Leges Francicæ & Longobardicæ jubebant per novem vomeres ignitos, homicidij accusatum se purgare. Sic & Sclavi ad veram religionem conversi offerebant criminosos Sacerdoti ferro vel vomeribus examinandos, ut habet Helmoldus Chronic. Sclavor. Lib. 1. Cap. 84. In Flandria quoq; hanc legem Philippus Comes tulit

B Ann. Christ. 1164. *Si quis vulnus in nocte acceptum alij imputaverit, ferro candenti se excusabit.* Mejerus in Chron. Flandriæ. Nostrates Sterß Jern appellabant: cujus etiàm Leges Scanicæ antiquissimæ fusè meminerunt. Exempla hujus purgationis suppeditant nobis passim Historicorum monumenta. Caroli III. Imperatoris uxor Richarda fuit insimulata adulterij; sed candenti ferro crimen diluit; Aventinus Lib. IV. Sic Cunigundam Henrici II. uxorem se

C purgasse constat, Crantzius Lib. IV. Saxon. Cap. 32. Emmam quoq; Angliæ Reginam nudis pedibus super ignitos vomeres, ad contestandam pudicitiam, ambulasse scribit Polydorus Virgilius Histor. Angl. Lib. 8. Inprimis singulare est, quod refert Saxo noster Lib. X. de Poppone; & Lib. XIII, de Haraldo Hibernico, de matronâ quadam in Rugiâ per injuriam à conjuge adulterij insimulatâ. Lib. XIV. Hunc morem Honorius Papa, ejus nominis. III rectè

D abolevit. Nam isto modo purgare, non levis est Dei tentatio: quam tamen Deus optimus in multis tulit. Qui *rogum*, sive pyram ingressi probandæ innocentiæ causâ, multos recensent Historiæ. Paulus Æmilius Histor. Francor. Lib. 4. de Petro Massiliensi Episcopo videatur. Non dissimile fuit judicium per *prunas*; quas vel in sinum conjiciebant, vel manu ferebant, vel calcabant. Leontius in vita Joannis Eleemosynarij. Gregorius Turonensis Histor. Lib. II. Cap. I.

E Fiebat etiàm purgatio per *aquam* vel *calidam* vel *frigidam.* De *Calida* vel *fervente* constat receptum Legibus Longobardorum, Saxonum, Rhenariorum, & Frisiorum. Hanc aquam ore non bibebant, sed in eâ ad examen innocentiæ brachium nudum immergebant. Dictum est autem judicium ferventis aquæ *aënum*, seu potiùs *Æneum.* Hinc *mallari ad æneum* in Lege Salica, pro citari ad judicium ferventis aquæ. Dictum est etiàm *Ordalium*, & *Judicium Dei*: quod

F tamen nomen commune fuit omnibus probationum modis. Qui plura de hoc argumenti genere scire desiderat, adeat Martinum Delrium, Disquisit. Magicar, Lib. IV. Cap. 6. Quæst. VI. Sect. 2. Henricum Spelmannum, Equitem Britannum, Glossarij Latino-barbari, pag. 118. Johannem Seldenum Libr. 2. Jani Angl. pag. 115. Nicolaum Hemmingium Commentar. in Psal. 15. p. 375. Jvonem Carnotensem Epist. 74. & ad eandem Notas Doctissimi

Jureti.

Jureti. Cæterùm operæ duxi pretium heic nonnulla ascribere de Judicio *Candentis ferri* ex codice LL. Scanicarum, Cap. XV. *Gestaturus ferrum, lota manu, nihil debet contingere, priusquàm ferrum levet, nec caput, nec crines, nec aliquod vestimentum, ne per tactum alicujus succi vel unguenti per fraudem potius, quàm per innocentiam, ferri candentis effugiat læsionem. Triplex autem ferri Judicium, quod usus recipit, invenitur. Unum, quod in duodecim ignitis vomeribus calcandis consistit. Est item aliud ferri judicium illi soli conveniens, qui pro furti crimine convenitur, quod* Tryggs Jern *in linguâ patriâ nominatur, ab alveolo, qui per duodecim pedum vestigia, debet à baculis, quibus ferrum superponitur, elongari. Quod accensum, prius præstito ab adversario juramento, quod* Aasuoren Eed *appellatur, sumptum à baculis, in ipsum alveolum nudâ manu debet immittere reus ipse, & immissum, si fortè resilierit, vel extrà ceciderit, resumet iterùm, & pronunciet, donec ipsum ibi contigerit contineri. Est item tertium ferri Judicium, illis gestaturis ferrum attinens, quibus prædicta judicia non incumbunt, quod ignitum sumptum à baculis, reus ipse, donec processerit novem vestigijs, deferre tenetur, & tunc primò à se jactare. A quo jactu ipsum lingua patria* Skuds Jern *appellat, & si dicatur ab adversario insufficienter vel minus legitimè detulisse, probet duobus testimonijs se deferendi modum legitimum observasse. Hoc est autem circà quodlibet ferri judicium observandum, ut nullum eorum debeat in septimana, quæ diem festum habeat, exerceri. Duobus quidem primis diebus, in secunda, videlicet, & tertia feria, reus in pane & aqua & vestimentis laneis jejunabit, & in quarta subibit judicium. Hoc completo in continenti, vel pedes, si vomeres calcati fuerint, vel manus, si ferrum gestatum fuerit, panno aliquo involventur, cui diligenter astricto, sigillum etiam apponetur, ne quid adveniat fraudulenter, quod vel possit extinguere ustionem, vel auferre saltem apparentiam ustionis. Hoc velamen in pedibus vel manibus usq; ad Sabbathum permanebit, eodem die coram actore adversario usq; ad solis descensum post meridiem expectando. Et si nec tunc advenerit, coram astantibus auferendum, qui statim cum nudam manum, vel pedes, conspexerint, vel innocentem reum, vel culpabilem judicabunt.*

45. *Quicquid contingit primò, semel accidit*] Involutus est sermo, & mentis subobscuræ; quæ hæc tamen esse videtur: Nullam fortunam ejus constantiæ esse, ut possis affirmare, nihil unquam sequius obventurum; quin eam hujus naturam esse, quæ ludum omnem ludere soleat, ut nihil heic inexspectatum esse conveniat, quicquid unquam evenire possit. Nostrum Proverbium est: Einu sinne verdur allt fyrst: id est, *Quicquid evenit, aliquando accidit. M. Brynolfus.*

53. *Ericus se ubiq; adventantem, nec usquam compertum vocitari*] Si divinare licet, forsitan Normannico idiomate dixit: Widkuænur/ stiendur. *M. Brynolfus.*

A Pag. 87. vers. 3. *Nec hostem in ædibus opperitur*] Tale quid dixerat: Fer mot fiendum fiode w Sende ei fier ovnie innan gätta. Quod sit de Rhythmo, veteribus usitato, Liod dicto, quartum membrum: totum autem hoc Erici responsum, prius virtute continet. Vaka verdur/ vægnrete Swift i Sueffne sigrast vargar/ ut integrum Erici dictum, eodem genere, quo cæpit, desinat. *M. Brynolfus.*

B 4. *Nemo stertendo victoriam cepit*] In eandem prorsus sententiam Valerianus Cimeliensis, qui floruit sub An. Chr. CDL. Libr. de Bono disciplinæ, pag. XXIV. *Quis unquam otiosus trophæa composuit? aut quis circumstantibus undiq; hostium legionibus, ad victoriam dormitando pervenit?*

13. *Earumq; quamlibet quina navium millia complectentem*] *Vocato ad rationem calculo, reperiuntur in agmine Hunnorum capita 9000000. Ete*C*nim sex Classes, singulæ quinquies millenûm navium, comprehendunt naves 30000. Atq; hæ singulæ 300 habuerunt remiges: fuêre ergò remigum seu militum 9000000, nongentæ myriades. Totus exercitus in millenarios seu chiliarchias divisus, (sic ut Chiliarchia contineat duodecies centena capita) comprehendit Chiliarchias 7500 constantes è quaternis alis. Proindè numerabantur alæ 30000, totidem scilicet, quot fuere naves. Atq; ità alam fuisse trecentorum militum, rectè enuntiatum est. Quod autem Millenario seu Chiliadi* D *non mille, sed duodecies centena capita inclusa ac censita sunt, id non tantùm in re militari usitatum fuit, sed etiàm in Agrimensoriâ. Nam Centurioni 120 milites suberant: Centuriam verò castrensem Metatores 120 perticis constratis finiebant. Centuria etiam Urbana in assignationibus 120 comprehendebat jugera. Retinetur etiamnum & populariter usurpatur hæc supputandi ratio in mercimoniorum, è Norvagia, viciniâq; venientium, dinumeratione. Centuria enim abjegnarum trabium, tigillorum, asserum, clavorum* E *ferreorum, piscium arefactorum, sex continet εικάδας* (snesse) *chilias 60 εικάδας, hoc est, 1200. Ingens hæc multitudo non usq; adeò mirabilis & incredibilis est æstimanda. Nam in expeditione Xerxis longè plures fuisse homines memorantur. Stipendia enim facientium numerus fuit 5283220: onera autem gestantium multitudinem nemo potuit comprehendere aut numerare. Tamberlani quoq; exercitus hunc longè superavit.* Vir Clariss. & mihi Collega amicissimus, Joh. Laurenbergius.

F 25. *A macro & tenui petendus est cibus*] Quoties parva & exigua contemnenda non esse docemus, usus erit hujus Proverbij: af Megru skall mat hafta: ex macro etiàm convenit esuriem satiare, nec semper opima & pinguia, flagitante potissimùm necessitate, exspectanda. *M. Brynolfus.*

26. *Raro pinguescet, qui cadit*] Adagium sanè utile & elegans: quo scilicet denotare voluit, hos Rutenos, licet nunc abjecti contemptiq;

L vide-

viderentur, nec digni, in quibus vires regia classis experiretur; posse tamen conjunctos hostilibus copiis non solum formidabiles, verùm etiam exitiales existere. Proinde occupandum esse, ne posteà periculo erepti vires sumerent. Quidvis enim de superstite & vivo fieri & exspectari posse; mortuos hac esse conditione, ut indubitatum sit, nihil pericula ex ijs timendum esse. Proinde satius esse hos mortuos, quàm vivos relinquere. Nobis hoc sonat: Siälldan fittnar hinn fallne. *M. Brynolfus.*

27. *Neq; enim mordendi potens est, quem vastus occupaverit follis*] Tertium hoc ejusdem Proverbium est, quo significat *ἐξ ἐναντίας*, mortuos nulla ratione vivis incommodare; ut prius à vivis cujuscunque conditionis timendum esse monuit. Nobis hoc ità sonat: Ecke biitur sa J Belg liggur. Vel: Ecke biitur thad i belg liggur: id est: quod sacco inclusum contines, id te non mordet *M. Brynolfus.*

Pag. 88. vers. 4. *Ne quis uxorem, nisi empticiam, duceret*] *Empticia uxor*, est, quam quis sibi dato pretio, aut sicut Romani solebant, *per æs & libram*, desponsavit. Matrimonij emptio non modo apud Danos, sed & Gothos, Francos, Romanos, aliasq; nationes, quondàm fuit usitatissima. Testis ipse Saxo noster Lib. VIII. *Jarmericus ex eo genitus, cum sororibus admodùm parvulis, præda hostibus fuit: quarum altera Norvagiensibus, altera Germanis, quòd venalia quondam solebant esse connubia, pretio vendita est.* In Codice Legum antiquarum, quem bono seculi in lucem edidit Fridericus Lindenbrogius ICtus, Lex exstat Wisigothorum Tit IV. *Si inter Sponsum & Sponsæ parentes, aut cum ipsa forsitan muliere, quæ in suo consistit arbitrio, DATO PRETIO, sicut consuetudo est, & antè hostes facto placito, de futuro conjugio facta fuerit definitio.* Lex Salica Tit. XLVI. de Sponsalitijs Viduarum: *Ille qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui adprobare debent, tres solidos æquè pensantes & denarium habere debet, & hoc facto, si eis convenit, viduam accipiat.* Lex Saxonum Tit. VII. de Hæredibus & Viduis: *Qui Viduam ducere velit, offerat tutori pretium emptionis ejus, consentientibus ad hoc propinquis ejus. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus, & eorum consensu accipiat eam, paratam habens pecuniam, ut tutori ejus, si fortè dicere aliquid velit, dare possit; hoc est, solid. CCC.* Et alia de Conjugio Titulo, XVII. *Lito Regis liceat uxorem emere, ubicunq; voluerit, sed non liceat ullam fœminam vendere.* Est autem *Litus* idem qui dediticius, seu homo Regis. Collectio Chron. ex Thoromacho apud Canisium Tom. 2. Antiquar. Lect. pag, 681. *Eam se daturum spondet* [scilicet in matrimonium] *legato offerens solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsavi. Solidus* autem quis fuerit, & cujus valoris, explicat Lex Saxonum Tit. XVIII. *Solidus,* inquit, *est duplex: Unus habet duos tremisses, qui*

A *est bos anniculus XII mensium vel ovis cum agno: alter solidus tres Semisses, id est, bos XVI mensium. vel ovis cum agno: alter solidus tres semisses, id est, bos XVI mensium. VVestfalajorum & Angrariorum & Oostfalajorum solidus est, secalis sceffila XXX, hordei XL, avenæ LX.* Cæterùm hic omitti non debent, quæ hunc ad locum in Conjectaneis suis observauit Cl. Vir, M. Brynolfus Svenonius. *Emptitiam,* inquit, *uxorem, hoc est liberam ac ingenuam, nè promiscuis connubiis nativa sobolis* B *indoles pollueretur. Si enim uxoria dote emi dicerentur, illis certæ pecuniæ summa dotis causa assignabatur, atq; expensa ferebatur: quod nunquam factum erat, nisi cum liberas uxores ducere se palam sunt testificati. Hanc rem appellarunt* ad kaupe munde: *& uxorem hac ratione ductam* Munde keyffta konu, *hoc est, dote empticiam, ac proinde liberam ac legitimam uxorem, non concubinam aut ancillam. Attigit de moribus Germanorum Tacitus hoc modo*: Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. C *Et post paulo*: In hæc munera uxor accipitur, atq; invicem ipsa armorum aliquid viro offert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos jugales deos arbitrantur.

7. *Supplicia abscissis corporis partibus lueret*] Nempè vel genitalibus, vel naribus, vel auribus; quibus olim multatos fuisse adulteros, non pauca Historicorum nos edocent monumenta. Et quoniam hæc tàm commoda emersit occasio, operæ mihi videtur pretium exempla nonnulla D de varijs adulterorum pœnis, ex Sacris juxtà ac prophanis monumentis huc inpræsens congerere, quæ argumento sint nobis, adulterij crimina apud omnes ferè nationes severâ semper animadversione coërcita fuisse. Antiquissima adulterij pœna est, quam ab ipso Jehova Opt. Max. promulgatam, cœlestis ille aulæ Cancellarius Moises tradit Deuteron. Cap. XXII. v. 24. nimirùm, ut is qui Virgini vitium intulisset, *extrà portam civitatis lapidibus obrueretur.* Apud E Ægyptios, ei, qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur: quoniam uno crimine tria haud parva scelera complexus esset, injuriam, corruptelam, & liberorum confusionem. In adulterio spontaneo deprehensus virgis cædebatur ad mille plagas; mulier naso mutilabatur. Quo dedecore vultus maculatus eâ multaretur parte, quâ maximè facies exornatur. Joannes Boemius Lib. 1. de moribus Gentium pag. 44. Apud Græcos, primus Hyettus Argivus F Molurum Arisbantis filium, in uxoris adulterio deprehensum, interfecit. Sed multò pòst Dracon, cùm Leges Athenis in magistratu ferret, de adulteris quoq; liberè capitis pœnas sumi posse promulgavit. Pausanias Lib. IX. Solonis lege deprehensum mœchum interimere licebat. Plutarchus in ejus Vita. Apud Homerum Antinous Iro interminatur narium, aurium, & genitalium abscissionem, Odyss. 18. & 22. Apud Græcos quoq; Didymus tibicen testiculis suspensus

spensus ex nomine mulctam tulit. Laërtius in Diogene. In Tenedo lege erat sancitum, quam Tennes quidam tulerat, ut adulter securi percuteretur. Heraclides in Politijs. Hippomenes Archon Atheniensium IV. adulterum cum Limone filia deprehensum, equis discerpsit: hanc vinctam unà cum equo carceri inclusit, neutri alimentũ præbens. Unde equus actus in rabiem puellam vivam devoravit. Svidas in Ἱππωμένης. Apud Athenienses mœchi inopes deprehensi, quia non habebant in ære, luebant in pelle; itaq; publicè illis cinere calido inspersо, depilabant nates & pudenda: atq; id suppliciũ παρατιλμὸς dicebatur: meminitq; Aristophanes Pluto; & ibidem Scholiastes. Impingebant etiam rhaphanos in anum, atq; id Ῥαφανίδωσις & Ἀποραφανίδωσις dicebatur. Meminit idem Aristophanes in Nubibus: ubi etiam Scholiastes & auctores item alij. De hac pœna sic Svidas in voce Ῥαφανὶς. Ῥαφανιδωθῆναι, καὶ τέφρᾳ τιλθῆναι, παρὰ Ἀριστοφάνει, ἐπὶ τῶν ἀσελγῶν. οὕτω γὰρ τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ᾐκίζοντο. ῥαφανῖδας λαμβάνοντες, καθίεσαν ἐπὶ τοὺς πρωκτοὺς τούτων. καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς, θερμὴν τέφραν ἐπέπαττον, βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. Hoc est: Ῥαφανιδωθῆναι, id est, *raphanis in podicem injectis puniri.* Et τέφρᾳ τιλθῆναι, est *evulsis pilis podicis cincere calido aspergi. De impudicis dicitur. Sic enim Mœchos in adulterio deprehensos fœdè tractabant. Raphanos capiebant, quos in eorum podices immittebant, & eos pilis evulsis nudabant, & calidos cineres aspergebant; eos abundè sic excruciantes.* Et rursus Aristophanes in Nubibus pag. 108. & 109. Scholiastes Annotat. 15. & pag. 109. Annot. 1. Zeleucus adulteros oculis privabat. Valerius Maximus Lib. VI. Cap. V. Apud Cumæos deprehensam in adulterio mulierem in forum producebant, & in lapide omnibus conspicuo sistebant, deindè asino impositam circà urbem circumducebant. Posteà rursum in eodem lapide astare coacta, infamis per totam habebatur vitam, & vocabatur ὀνοβάτις. Lapidem autem ob eam rem, ut pollutum abominabantur. Plutarchus in Quæstion. Græcis, p. 520. Thuriensium Legibus rectè cautum erat, ne ulli cives in Comœdijs traducerentur, præterquàm adulteri & curiosi. Plutarchus de Curiositate p. m. 144 Lepreatæ adulteros comprehensos triduo per urbem vinctos circumducebant, & per totam vitã infames habebant. Mulierem autem adulteram indutã perlucidâ veste sine cingulo, in foro per undecim dies statuebant, atq; ità ignominiâ notabant. Heraclides in Politijs p. 24. Gortynæ in civitate Cretæ adulter deprehensus, inq; judicium adductus, criminisq; convictus lanâ coronabatur. Hæc verò coronatio significabat, eum esse hominem mollem & effœminatum. Ælianus Lib. XII. Cap. 12. Variæ Historiæ. Sed & apud Romanos adulterij pœnam ex Catonis Oratione recitat Aulus Gellius Lib. X. Noct. Att. Cap. 23. quod fuerit jus marito *uxorem in adulterio deprehensam impunè necare.* Sempronius Musca C. Gallum deprehensum in adulterio flagellis cecidit. C. Memmius L. Octavium similiter deprehensum nervis contudit. Carbo Accienus à Vibieno, item Pontius à P. Cernio deprehensi, castrati

B sunt. Valer. Maximus Lib. VI. Cap. I. De gravi hac pœnâ Horatius:

> ———————— *Quin etiam illud*
> *Accidit, ut cuidam testes, caudamq; salacem*
> *Demeteret ferrum* ————————

Apud Romanos etiàm, sicut & apud Athenienses, vetus mœchorum supplicium fuit *Mugile plecti.* Et autem *Mugilis* piscis magno capite, cætera gracilis, qui solebat ipsis adulteris per podicem vel anum immitti. Sed id privatìm fa-

C ctum, & nullâ lege, ut apparet ex Catulli carmine ad Aurelium:

> *Ah tum te miserum, maliq; fati,*
> *Quem attractis pedibus, patente portâ,*
> *Percurrent raphaniq; mugilesq;.*

Et cui ignota est *Lex Julia?* non tamen à Julio, sed ab Augusto lata, quæ pœnâ capitis omninò adulteros puniendos edicit. Recentiorum Imperatorum Constitutionibus variè id interpola-

D tum. Si quis enim per vim puellam depudicasset, jam alij pactam, ut adulter puniebatur, qui facinus perpetrârat: si verò ἀμνήστευτον, tùm ducere eam, licet pauperrimam, cogebatur. Quod si verò nuptias illa stupratoris non optaret, naribus abscissis triente bonorum reus multabatur. At verò si solis blandimentis in fraudem pellecta in Venerem consensisset, aut ducebat eam, aut suarum facultatum partem dabat: sin secùs, verberatus & tonsus relegabatur.

E Zonaras & Balsamon in Canon. Apost. 67. Eclogâ Βασιλικῶν Lib. LX. Harmenopulus Lib. XI. Tit. 3. Non absimile Græcorum scitum: ἢ γάμος, ἢ θάνατος, apud Aphthon. Sopatr. & Quintilian. in Controversijs. Apud Arabes aliasq; nationes, adulteris semper capitis pœna fuit. Strabo Lib. XVI. Eusebius Præparat. Evang. Lib. VI. Cap. 8. Saraceni seu Turcæ justitiæ exactores strenuissimi, in adulterio deprehensum cum adulterâ, absq; misericor-

F diâ, absq; morâ, lapidatione interficiunt. Johannes Boëmus de moribus gentium. p. 124. Tartari similiter, licèt incontinentissimi omnium sint hominum, in adulterio tamen deprehensos, tàm Virum, quàm mulierem occidunt. Idem pag. 108. Indi virgines, quæ non castè vixerint, clavis cruci affigunt, & in fluvium dejiciunt Hydaspen: ut memorat Plutarchus Libello de Fluminibus. De Germanis ità Tacitus in

in Lib. de moribus German. *Paucissima in tam numerosâ gente adulteria; quorum pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coràm propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia.* Fridericus II. Imperator villicum jubebat mutilari vasis seminarijs, qui domini sui pedissequam & uxorem violaverat, ac corruperat: *ut ejus acerbæ, sed justæ vindictæ terrore, rustici, quin etiàm quilibet famliares addiscerent luxuriæ suæ frænum imponere: & non tantùm in uxoribus dominorum, sed in focarijs etiàm, cùm pudicitiâ fidem, & cum fide pudicitiam observare.* Petrus de Vineis Lib. V. Epist. Cap. 9. Luitbrandus Lib. VI. Cap. ult. *Presbyterulus, qui ad dominæ asseclas adhinnivit, virilibus amputatis dimittitur.* Nimirùm uti quâ parte peccavit, eâdem multetur. Nicephorus Hist. II. δι' ὧν γὰρ τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν ἢ παιδεύεται. In LL. Alfridi Regis Cap. 25. *Servus si ancillam stupraverit, virga virilis ei præciditur.* Adulterorum pœnam apud Polonos hanc fuisse scribit Dithmarus Episcopus Lib. VII. *In pontem mercati ductus* (adulter) *per follem testiculi clavo affigitur, & novaculâ propè positâ, aut moriendi, aut se de his absolvendi dura electio datur.* Et paulò pòst de Meretricibus, non leviora addit, quæ referre pudor vetat. Quin etiam Jure Græco-Rom. οἱ κηνοβάται caulis abscissione plectebantur. Attaliat. Synop. Tit. 70. pag. 63. Saxones etiam Ethnici, si virgo in paternâ domo, vel maritata sub conjuge, fuisset adulterata manu propriâ strangulatam cremabant; & suprà fossam sepultæ corruptorem suspendebant; aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellabant eum castæ matronæ, & cultellis pungebant, & de villa in villam missæ accurrebant novæ flagellatrices, donec interimerent. Bonifacius Archiepiscopus in literis ad Ethelbaldum Regem Angliæ, apud Wilhelmum Mamelsbur. Lib. 1. pag. 28. Mavricius Dux Saxoniæ inter alias salutares Leges, quas tulit Anno 1548, hæc etiàm fuit, quâ adulteros gladio feriri jubet. Sleidanus p. 428. Lex Canuti Daniæ & Angliæ Regis extat Cap. 50. Uxor si vivo marito cum alio quocunq; corpus miscuerit, infamis omni tempore esto. Maritus res ejus habeto; mulieri verò tùm nasus, tùm auris præciduntor. Lindenbrogius in Glossario ad Codicem Legum Antiquarum, p. 1349. Apud Anglos quoque [teste Henrico de Bractonâ, antiquissimo Juris Anglici Scriptore, cujus mentionem facit Johannes Seldenus, patriæ antiquitatis callentissimus, Lib. 1. Jani Anglorum, pag. 46.] eorum libidinem, qui intemeratæ pudicitiæ vim olìm & vitium inferebant, *mantabat amissio membrorum, ut sit membrum pro membro. Quià virgo cum corrumpitur, membrum amittit, & ideò corruptor puniatur in eo, in quo deliquit. Oculos igitur amittat, propter aspectum decoris, quo Virginem concupivit:*

A *amittat & testiculos, qui calorem stupri induxerunt.* Nimirùm, *illam præcipuè partem*, ait Heraclides Ponticus in Allegorijs Homericis, *Legislatores consveverunt mutilare, quæ scelus commisit.*

Et pereant partes, quæ nocuêre ———

canit aliquis. Festivè Martialis Lib. III. Epigr. 43.

Quis tibi persvasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.

Olìm, ut est apud Ovid. Metamorph. Lib. VII.

B *Aut lignum, aut oculos, & quæ tibi membra pudorem*
Abstulerant, ferro rapiam ———

Et Plautus in Pœnulo:

ST. Facio quod manifestò mœchi haud fermè solent.
MI. Quid id est? ST. Refero vasa salva.

Sed nos satis exspatiati, ad lineas redeamus, quod dicitur, & in gradum.

Pag. 89. vers. 24. *Sundmoriam & Nordmo-* C *riam*] Hoc nomine duæ sunt hodieq; in Norvagia insignitæ provinciæ, divites, & incolis refertæ, multisq; hinc inde Insulis distinctæ, [Sundmør / och Nordmør /] in Diœcesi Nidrosiensi sitæ. Antiquitùs hæ provinciæ *Comitatum* complectebantur, cui summo cum imperio præerat Rolleri pater *Rangvaldus*, regnante Haraldo Pulchricomo, qui propterea Møre Jarl dictus est. Videatur descriptio Chorographica D Norvagiæ linguâ vernaculâ Hafniæ edita, An. CIƆ IƆ C XXXII.

26. *Jamtorum atq; Helsingorum Regem*] Pro *Jamitorum*, quod nobis priores obtruserant Editiones, omninò heic, sicut & paulò infrà scribendum duxi *Jamtorum*. Intelligit enim noster incolas duarum provinciarum *Jamtiæ & Helsingiæ* [Jamteland / och Helsingeland] quas olim Regibus Norvagiæ paruisse, rerum Norvagicarum Scriptores testantur. In utramq; verò provinciam primi Coloniam deduxerunt, pater & E filius, ex Norvagia oriundi, *Kietillus Jamte & Thorus Helsing*: unde appellationem istæ provinciæ sortitæ sunt. Etenim regnante in Norvagia Haraldo Pulchricomo, qui nimis impotenter & crudeliter rem administravit publicam, multi Norvagiæ incolæ, ipsius tyrannidem fugientes, novas sedes quæsituri in varias terrarum oras, insulasq; longè dissitas, habitandi gratia, concesserunt: quæ res etiam *Kietillo* huic ex paF triâ suâ aliò migrandi occasionem dedit; quem tamen Chronica Norvagica Oisteni Sveciæ Regis, qui Nidrosiensem Diœcesin occupaverat, metu *Jamtiam* incolere cœpisse commemorant: Kiettel Jamti heit madr/ Son Anundar Jarls aff Sparabo Trantheimi. Hand flydde firi Oistein Illrada / Suia Konung / austr om Kiøl; hand ruddi marker/ og bygdi dar/ som heiter Jamtaland. Item, Son Keittils het Thorir Helsingir/ er vid erfient Helsingaland tui ad hand bygdi/

bygdi / da en ad er Haraldr Harfagr ruddi ser til Rikis / etc. Hoc eſt: Kietillus Jamte *filius Anundi Comitis de Sparebo, provinciæ Trontheimenſis, fugiens ſævitiam Oiſteni Ilrade, Sveciæ Regis* [qui diſtrictum Trontheimenſum per vim occupaverat] *verſus orientalem partem montis, Kiöl dicti, conceſſit, ſilvasq; exſcindens, primus regionem illam, quæ nunc dicitur* Jamtelandia [*ſeu Jamtia*] *incolere cœpit. Ejus filius* Thorus Helſing *erat; cujus de nomine* Helſingia *dicta eſt; quòd primus ille, Haraldo Pulchricomo Rege, totam Norvagiam ſuam in poteſtatem redigere moliente, hanc provinciam novis incolis inſtruere cœpit.*

Pag. 90. verſ. 23. *Alrico Sveonum Regi adverſum Geſtiblindum*] *Geſtiblindus*, ſivè potius, Gieſtur Blinde / linguâ Danica antiquâ, ſignificat *Hoſpitem cæcum.* Quo nomine vetuſtiſſimi Iſlandorum Annales Regem celebrant, cui perpetuæ cum Sveonum Rege Heidrico [qui forſan eſt ipſe Alricus, cujus hic mentionem facit Saxo] interceſſerunt inimicitiæ, quæ tandem in apertum bellum eruperunt. Tradunt inſuper monumenta Iſlandica evocatum aliquando fuiſſe ab Heidrico Geſtiblindum, ut Logogriphis & Ænigmatis ſecum contenderet. Quum verò huic ſe certamini longè imparem agnoſceret Geſtiblindus, Odino ſacrificat, ipſumq; in ſubſidium advocat. Qui ſub perſonâ Geſtiblindi in aula Heidrici Regis comparens, varia propoſuit Ænigmata; quæ ordine omnia ſoluit Herdricus, præter ultimum, ex quo ipſum Odinum adeſſe cognovit. Sed cum evaginato gladio eum impeteret, Odinus in formâ accipitris avolavit. Unde inter alia ſynonyma, quæ Odino aſſignat, etiam iſtud ᚠᛁᚼᛏᚢᚱ ᛒᛚᛁᚾᛏᛁ, Gieſtur blinde / ipſi contribuit. Cæterùm Ænigmata iſta, Heidrico ab Odino propoſita, penes me MS. aſſervantur, quæ fortaſſe olim cum Deo & die lucem videbunt publicam.

Pag. 91. verſ. 10. *Humanæ ſiquidèm cupiditatis more, quo plura poſſederat plus, affectans*] Totidem ferè verbis Juſtinus Lib. VII. pag. 66. *Lacedæmonij more ingenij humani, quò plura habent, eò ampliora cupientes, non contenti acceſſione Athenienſium opum vires ſibi duplicatas, totius Aſiæ imperium affectare cœperunt.*

17. *Cum cane & equo terreno mandatur antro.*] Equum veteres Danorum Heroes ac Proceres tanquam bellatoris inſigne, canem ceu venatoris, unà ſecum condi volebant, ut quibus in vita rebus ac ſtudiis ſe oblectaſſent, iisdem in morte comitati deponerentur, aut etiam in altera vita ex illis uſum exſpectabant. Viva autem hæcce animalia ſepulta eſſe credo. *M. Brynolfus.*

Mala ſoli gravis uni manet omnis domus orbis] Senſus eſt: Quum ego in horrendum hunc ſpecum ſponte me abdiderim, ut in ea cum amico meo Aſuito vivus contumularer, odiſſe cœpi A lucem, tenebrisq; adeò inſueſcere, ut amœniſſima hæc orbis totius domus, quæ cæteris mortalibus ſuavis atq; jucunda eſſe ſolet, mihi uni & ſoli gravis, mala, atq; moleſta permaneat. Eleganter vaſtam hanc mundi machinam cum domo pulcherrimâ comparat, ad exemplum multorum melioris notæ autorum. Ità Macrobius Lib. I. Cap. 23. mundum *deorum domum* vocat ex Platonis Timæo: Μένει ἡ ἑςία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη: *Terra ſola manet immobilis intrà domum deorum*, B id eſt, intrà mundum. Petrus Chryſologus Sermone CXLVIII. *Nonnè tota iſta, quam vides, tibi facta eſt mundi domus?* Minutius Felix Octavio: *Nos gentes nationesq; diſtinguimus: Deo una domus eſt mundus hic totus.* Lactantius Lib. IV. Cap. XXIX. *Hic mundus una Dei domus eſt.* Et Senecæ de Beneficiis Lib. IV. Cap. XXIII. *Mundus humani generis domicilium dicitur.* Et Varroni Tellus *æviterna hominum domus.*

C Pag. 92. verſ. 9. *Perfodiq; nocens ſtipite corpus*] Quoties infernali tenebrarum poteſtate factum eſt, ut mortuorum hominum corpora ſuſcitata, mala damna darent; [quod ſœpius in Hiſtoriis contigiſſe legimus] variis modis obviam ire conati ſunt, quibus Manes illi infeſti videbantur. Vel enim corpus univerſum, receptum humo, concremarunt; vel in cineres minutiſſimos redegerunt, vel caput abſciſſum partibus obſcœnis applicuerunt, & corpus reliquum, ſtipite D palove, humo affixerunt, quem vi quadam immani per corpus adegerunt. *M. Brynolfus.*

Pag. 92. verſ. 14. *Viritim lapide in acervum miſſo*] Ità & Cecrops, Athenienſium Rex, poſtquàm Atticam, quam deſolatam accepiſſet, frequentem hominibus animadverteret; ſcire cupiens multitudinem incolarum; cum allatum ſingulos in locum unum lapidem juſſiſſet ferre, atq; numerum inijſſet, viginti eos millia eſſe deprehendit. Sholiaſtes Pindari Olymp. Od. IX. E Φιλόχορος ἡ φησὶ, Κέκροπα, θελόμενον τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον, καὶ τὸ πλῆθος, ἐπιγνῶναι, κελεῦσαι αὐτοὺς λίθους εἰσφέρειν, καὶ βάλλειν εἰς τὸ μέσον, ἐξ ὧ ἐπιγνῶναι δισμυρίους αὐτοὺς ὄντας: *Philochorus verò refert, Cecropem cupientem ſcire Athenienſem populum, atq; ejus multitudinem, juſſiſſe ipſos afferre lapides, & in medium projicere: inde autem comperiſſe, viginti eos mille eſſe.* Euſtathius ad Iliad. α. Κέκροψ πολυανθρωποῦσαν ἰδὼν τὴν Ἀττικὴν, F συγκαλεῖται τὸν ὄχλον. καὶ παραφημαίνεται τὸν ἀριθμὸν λίθοις, ἑκάστου ἕνα ῥίψαντος. *Cecrops, cum videret frequentem hominibus Atticam eſſe, convocat multitudinem: & unoquoq; lapidem unum jaciente, indè numerum obſervat.* Vide ſis aureum illum de Regibus Athenienſium Tractatum Collegæ & amici noſtri, heu! olim conjunctiſſimi, D. Joannis Meurſij, cujus obitum totus orbis literatus immenſo dolore proſequitur.

45. *Ut malitiam hominis acerbitate bellvæ similitudo exæquaret pœnæ*] Solenne quondam fuit, sceleratos tali pœnâ afficere, quæ malitiam & animi pravitatem proxime assimilaret. Exempla in authoribus subindè occurrunt. De nocturno illo grassatore Ballistâ, qui lapidibus obrutus perijt, elegans est locus Phocæ Grammatici, Lib. 2. Epigrammat. Veter. pag. 47.

Ballistæ vitam rapuit lapis: ipse sepulchrum
Intulit; umbra nocens pendula saxa tremit.
Crimina Latronis dignissima pœna coërcet,
Duritiam mentis damnat ubiq; lapis.

Sic ipse Saxo suprà Lib. II. *Duos ex cubicularijs palam insidiarum convictos, ingentibus saxis affixos pelago obruit; ponderosum animi crimen annexa corporibus mole mulctando.* Ità Lib. VIII. de Slavorum optimatibus, quorum quadraginta captos, applicatis totidem lupis, laqueo adegit Jarmericus Daniæ Rex: *Quem supplicij modum, inquit, olim parricidis debitum, ob hoc circà hostes peragere voluit, ut quantæ in Danos rapacitatis extiterint, ex ipsâ atrocium belluarum communione videntibus conspicuum foret.* Et mox eodem libro, ubi de Sclavorum quoq; ducibus captis agit, quos itidem Jarmericus, trajectis fune tibijs, equis in diversa raptantibus præbuit lacerandos. *In hunc modum consumpti principes, corporum suorum distractu pertinacis animi pœnas dederunt.*

Pag. 93. vers. 6, *Grandibus & latis sagittis dimicant*] Finnos ab usu sagittarum, & à venationibus commendat quoq; Tacitus sub finem Libri, de morib. German. *Fennis* [qui nostri Finni sunt] *mira feritas; fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. Sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri ossibus asperant. Idemq; venatus viros pariter ac fœminas alit. Passim enim comitantur, partemq; prædæ petunt.* Venatibus incumbere Finnos, itidem tradit Procopius rerum Gothicarum Lib. II. *οὔτε γὰρ αὐτοὶ γῆν γεωργοῦσιν, οὔτε τι αὐτῶν αἱ γυναῖκες ἐργάζονται. ἀλλὰ ἄνδρες ἀεὶ ξὺν ταῖς γυναιξὶ τὴν θήραν μόνην ἐπιτηδεύουσι.* Hoc est: *Neq; illi*, [subintellige, Finni] *terram excolunt, neq; uxores eorum quicquam operantur; sed cum ijs viri semper venatibus student,* De Finnis passim Olaus Magnus in Historia Septentrionali. Nobilissimus Vir, Caspar Barthius, Libr. Adversar. XXVIII. Cap. 13. pro *Venationibus*, legit *Venenationibus.* Sed mihi placet priorem retinere lectionem.


8. *Pandis trabibus vecti*] Loquitur hìc Saxo de *Xylosoleis*; sive ligneis soleis oblongis, quas veteres ᛋᛉᚢᚦᛁ, Skydi/ sive ᚮᚾᚦᚱᚢᚱ, Ondrur/ vocarunt, Sveci Skidher/ Norvagi Skiier. His populi Septentrionales ferè omnes in transmittendis montium jugis nive obtectis olim utebantur; sed inprimis Finni, qui & hodieq; affabrè eas conficere norunt. Eas sic describit Magnus Olavi Islandus, Eddæ interpres: Skydi *sive* Ondrur/ *asseres sunt oblongi, & antrorsum sublevati, quinq; vel ad summum sex ulnarum longitudine, latitudine verò transversam plantam non excedentes. His etiamnum pedibus inductis nostrates per superficiem profundissimarum nivium, & infirmæ glaciei, si alias corporis humani pondus non sustineant, ingrediuntur. Usi etiàm sunt veteres Norvagi in terrâ planâ & nudâ ejusmodi Xylosoleis, subjectis rotulis: & sic plus itineris unâ die, quàm absq; illis, tribus confici potuit; habitusq; est hic modus proficiscendi inter præcipuas agilitatis artes.* Asservatur inter *ἀξιοθέατα* mea par ejusmodi solearum, trium duntaxat ulnarum longitudine, ab aversâ pate, quâ solo ad currendum applicantur, pellibus vituli marini subductum. In medio earum pedes vinculis alligantur, ut firmius planta insistat, nec inter currendum vacillet, quomodo in adjuncto Schemate videre licet:

SCHEMA XYLOSOLEARUM,

quas Veteres Dani Ondrur/ *Norvegi* SKIIER *appellarunt.*

A B C D. longitudo trium ulnarum.
E. Vestigia pedum.
F F. Vincula, quibus pedes alligantur.

Pag.



Pag. 94. verſ. 32. *Adultas oleo lampades*] In eandem mentem Apulejus, *flammis adultam facem*, dixit, XI. Metamorph. *At manu dextrâ gerebam flammis adultam facem, & caput decor Coronæ cinxerat.* *Adultum incendium* Nazarius Panegyrico: *Maxima benigniſſimi Imperatoris fuit cura, non modò ut incendium non adultum ſeneſceret, ſed oppreſſum emori poſſet:* quemadmodum hunc locum reſtituit Petrus Colvius in Notis ad Apulejum. Alioquin variè hanc vocem inanimatis tribui, notiſſimum eſt & protritum: quomodo dicimus, *adultam peſtem, ſeditionem, noctem, civitatem, hyemem, authoritatem, æſtatem*: *adultum ver, adulta vitia*, & ſexcenta id genus alia.

42. *Nec bubalinorum cornuum*] Nihil in lectione Hiſtoricorum occurrit frequentius, quàm variorum animantium cornua poculorum uſum vel vetuſtiſſimis mortalium præbuiſſe, eaq; argento, vel auro, à labris, ornatus gratiâ, circumcluſa fuiſſe. Et *Bovinum* quidem *Cornu* pro poculo adhibuiſſe Bacchum, auctor eſt C
Nonnus Dionys. Lib. XII. p. 339.

——————— καὶ οἰνοχύτου Διονύσου
Λευκὰ, διαινομένων ἐρυθαίνετο δάκτυλα χειρῶν
Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας ———

——————— *Et vinum fundentis Bacchi*
Albi madefactarum rubebant digiti manuum,
Et poculum curvum habuit bovis cornu ———

Hinc etiàm Bacchum taurinis cornibus effingebant veteres, quia ijs poculorum vice uteban-
A tur. Imò *Taurum* vocat Bacchum Lycophron Caſſandra:

Ταύρῳ κρυφαίας χέρνιβας κατάρξεται.
Tauro abſtruſa liba offert. id eſt, Baccho.

Ad quem locum vide ſis Notas D. Meurſij, Viri ſummi, & Collegæ olim conjunctiſſimi. Nicandri Scholiaſtes ἀλεξιφαρμακοῖς: Οἱ παλαιοὶ κέρασιν ἐχρῶντο ἐν τῇ πόσει ἀντὶ τῶν ποτηρίων, ὅθεν καὶ τὸ κεράσαι εἴρηται. ἢ διὰ τὸ
B ταυρωτικὸν τῶν πινόντων, τουτέστι τὴν ἀπὸ τοῦ οἴνου ἰσχὺν. ὁ γὰρ διόνυσος καὶ ταυροκέρως. Idem Nonnus de Satyris paulò poſt:

Καὶ βοέοις ἀρύοντο κεράασιν ἀντὶ κυπέλλων.

Et bubulis hauriebant cornibus loco poculorum.

Quod & de Satyris tradit Nemeſianus, Ecloga III, quæ Bacchus inſcribitur:

Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quiſq;
Obvia corripiunt: quod ſors dedit, hoc capit uſus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco,
Concavat ille manus, palmaſq; in pocula vertit.

Urorum cornibus Septentrionales pro poculis utebantur. Plinius Lib. XI. Cap. 37. *Urorum cornibus barbari Septentrionales potant, urnaſq; binas capitis unius cornua implent.* Cæſar Lib. VI. de Bello Gallico: *Tertium eſt genus eorum, qui Uri appellantur. Hi ſunt magnitudine paulò infra Elephantos, ſpecie, & colore, & figura Tauri. Magna vis eſt eorum, & magna velocitas: neq; homini, neq; feræ, quam conſpexerint, parcunt. Hos ſtudioſè foveis captos inter-*

interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atq; hoc genere venationis exercent; et qui plurimos ex his interficiunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assvescere ad homines & mansvefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. Amplitudo cornuum, & figura, & species, multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiosè conquisita, à labris argento circumcludunt, atq; in amplissimis epulis pro poculis utuntur. Hactenus Cæsar. Isidorus Lib. XII. Orig. Cap. 1. *Uri agrestes boves sunt in Germania, habentes cornua in tantum protensa, ut regijs mensis, propter insignem eorum capacitatem, ex eis pocula fiant.* Bonasi Cornua Anglis in usu fuisse, testis est Johannes Cajus Britannus libello de rariorum animalium Historia, quem Conrado Gesnero inscripsit, Pag. 14. *Multa,* inquit, *hujus generis animalia olim fuisse in nostra Anglia [silvestri olim & nemorosâ insulâ] verisimile est, quòd nobis adhuc pueris, multus erat usus hujusmodi animalium cornuum, in mensâ, solenmoribus epulis, loco poculorum. Sustinebantur pedibus ex argento tribus, & ab oris itèm argento concludebantur.* Inprimis vero *Bubalina cornua* in magnatum mensis poculorum vices supplebant, quippè quæ omnibus alijs insigni venustate antecellerent. Hinc vel cælaturæ artificio, vel exquisito gemmarum fulgore, operosius culta visebantur. Imò inter thesauros reponebantur: quod utcunq; colligi posse videtur, ex loco Saxonis Lib. VIII. Sic inter alia anathemata, quæ Gulielmus II Angliæ Rex, sub Annum Christi MLXVIII. Monasterijs Normanniæ dono obtulit, fuerunt etiàm *vasa aurea vel argentea, item bubalina cornua fulvo metallo circà extremitates utrasq; decorata:* teste Orderico Vitali Historiæ Ecclesiasticæ Lib. IV. pag. 507. Notandus verò etiàm ille est ritus, quo antiquitus prædia & alia bona, exhibitione & propinatione cornuum abalienabantur. Hujus meminit Clariss. Vir, D. Olaus Wormius, præclare de me ac studijs meis meritus, Fastorum Danicorum Lib. 1. pag. 44. ex veteri MS. *Ulphus Thoraldi filius Eboracum divertit, & cornu, quo bibere consvevit, vino replevit, & coràm altari, Deo, & B. Petro Apostolorum principi, omnes terras & reditus flexis genibus propinavit.* Mamelsburiensis Lib. II. Cap. 2. *Pusca* [inquit] *illi qui de Pusci nominati, adhuc tenent, per cornu majoribus olìm à Rege Canuto Danico donatum.* De Cornuum usu plura qui desiderat, adeat eruditissimam dissertatiunculam ejusdem D. Wormij, de aureo illo Serenissimi Principis Electi Cornu.

48. *Quos maximè venatica referserat præda*] Sic M. Junianus Justinus Lib. XXIII. pag. 226. de Lucanis: *Cibus his præda venatica, potus mellis, &c.*

51. *Ut patriæ pace loquar*] Honestus hic est reprehendendi modus, multis bonæ notæ authoribus usitatissimus, quo veniam prius captare solent. Catulus apud Ciceronem Lib. 1. de A Natura Deor. p. m. 17. ubi Roscium laudat.

Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestrâ,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Petronius Arbiter: *Pace vestrâ liceat dixisse.* Arnobius Lib. I. pag. 10. Edit. Antverp. *Cum pace hoc vestrâ, & cum bona veniâ dixerim.* Marius Victor Præfatione in Genesin:

Porrò etiàm [mihi si fas est hoc dicere salvâ
Pace tuâ genitor] majus fortassis apud te est.

Inprimis Saxo videtur Ciceronem expressisse in B Oratione pro Milone; ubi sub finem ità loquitur: *Utinàm Dij immortales fecissent [pace tuâ, patria, dixerim; metuo enim ne scelerate dicam in te] ut P. Clodius non modò viveret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset.*

Pag. 95. vers. 17. *Totum occipitij crinem abradit*] Solennis olim fuit, & usitata militaribus viris, capillorum abrasio, imo & barbæ. Ità Abantes natura pugnaces, & cominus pugnanpi periti, anteriorem capitis partem tonde- C bant, ne ullas hostibus ad accipiendum ansas darent. Similiter Curetas & Ætolos tradunt abrasisse frontem, & ab occipite cæsariem nutrisse, ne ab hoste crinibus raperentur. Ob eandem rem suis ducibus, ut barbas raderent, imperavit Alexander, ut scribit Plutarchus in Theseo. Certè Ambrosius Lib. VI. Hexamer. dixit comam esse terribilem in bellatoribus, sed tamen barbam rasisse erat militare volentis; ut ille ait:

Si quem recisâ fortè barbâ videris
D *Mihi videtur militare velle.*

Alioquin, ut Doctioribus notum est, cùm sacris in literis, tùm profanis, mos tondendi caput & barbam jam mœroris & luctus fuit, jam verò lætitiæ & melioris fortunæ. Quin & in Sacrificijs usurpatur capillorum abrasio; & morituri comam abscindebant. Quâ de re videantur aurei Commentarij Johannis de Pineda in Jobi Cap. 1. vers. 20. num. 12. & Pentecontarchus Ramirezij, pag. 205. Cæterùm de crinium & bar- E bæ tonsurâ apud Cambrenses [quæ gens Hyberniæ vicina est] usitatâ, Giraldus Cambrensis, author vetustissimus, in descriptione Cambriæ Cap. XI. pag. 259. *Barbam viri præter gernoboda solùm radere solent. Et hanc non de novo, sed ab antiquo, longisq; retrò seculis consvetudinem tenent, sicut ex Libro de Gestis Julij Cæsaris ab ipso conscripto, perpendi potest; ubi & hæc verba reperies: Britanni capillo sunt promisso, omniq; parte* F *corporis abrasâ, præter caput & labrum superius. Solent etiàm, ut agiliores fierent, & comis capita nudare, casum Absolonis, quoniam sylvas & nemora sæpè percurrunt, vitare volentes. Unde & usq; in hodiernum gens hæc quoq; præ gentibus alijs, pilositatem magis abradit.*

20. *Post tergum lanceas jaculari*] Id quod alijs quoq; nationibus usitatum, varij tradunt autores. Inprimis Parthi, qui sagittandi arte ac peritia cæteris semper gentibus præstiterunt, non tantùm in aciem adversus hostes consistentes, verum

verum etiam terga vertentes, fugamq; capientes, sagittas adversus insequentes emittere notant. Plutarchus in Crasso: *Fugientes Parthi, sagittas simul emittebant, quod post Scythas nemo iis melius novit: estq; id optimum inventum, quòd salutem defendentibus etiam fuga turpitudine caret.* Unde Virgilius Lib. III. Georgic.

Fidentemq; fugâ Parthum, versisq; sagittis.

Ad quem locum Servius: *Benè*, ait, *fidentem: tunc enim melius jaculantur sagittas.* Inde & Horat. Od. II. Lib. 1. *Versis animosum equis* Parthum appellat. Ubi Interpres *Versis* ait, *id est, versis in fugam.* Sic,

Et missam Parthi poscunt in terga sagittam,

Atq; hinc Ovidius *Parthos fugaces* Lib. 1. de Remed. Amor. dixit. Leo Imperator in Tactico Cap. XVIII. num. XXXVIII. *Quidam enim ex hostibus, ut Persæ, cum aciem dissolvere nolint, facilè terga sua objiciunt iis, qui contra eos conversi sunt, & quasi fugiendo pugnant.* Id etiam Turcis ac Tartaris in more positum est.

38. *Magni ponderis auream armillam triviis affigi curavit*] Consentanea de Ælfredo Anglorum Rege tradit Matthæus Westmonasteriensis ad annum gratiæ D CCC XC II. Is etenim salutaribus quibusdam legibus latis tantam infudit provinciis suis pacem, *ut eas* [verba sunt Florilegi] *per publicos aggeres, ubi semitæ finduntur in quadrum, armillas juberet aureas appendi, ut viantium aviditatem irritaret, cum non esset, qui eas acciperet.*

50. *Cum jàm terræ sopitis bellorum incendiis*] Christum Dei filium, veræ pacis auctorem, in tranquillissimo rerum statu, & cum inauditâ pace, mirabili modo, totus orbis frueretur, natum fuisse, plurimi testantur historici. Inprimis notatu digna sunt verba Pauli Orosii Lib. III, Cap. 8. Ubi de Jani portis clausis agit: *Liquidissimâ probatione est manifestum, pacem istam totius mundi & tranquillissimam serenitatem non magnitudine Cæsaris, sed potestate Filii Dei, qui in diebus Cæsaris apparuit, extitisse; nec unius urbis Imperatori, sed Creatori Orbis universi, orbem ipsum generali cognitione paruisse: qui sicut Sol oriens diem luce perfundit, ità adveniens misericorditer extentâ mundum pace vestierit.* Freculphus Tom. II. Lib. I. Cap. 2. de Anno Nativitatis Christi: *Qui etiàm annus quantis, quàm novis, quàmq; inusitatis bonis abundaverit; satis, etiam me non proferente, compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe Una pax, omnium abolitione bellorum, clausæ Jani Gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus.* Ottho Frisingensis Lib. III. Cap. 7. *Itaq; jam sedatis omnium seditionum motibus pace inauditâ seculis redditâ, JESUS CHRISTUS Filius Dei nascitur.* Pax itaq; fuit ubiq;, in Daniâ, Sveciâ, Scotiâ, Britanniâ. In Sveciâ quidem sub Erico qui XXXVIII. annis regnavit pacificè. Johan. Magnus Lib. IV, Cap. 31. In Scotiâ sub Metellano Rege Scotiæ; Hector Boëtius Lib. III, pag. 35. In Britannia sub Kymbalino. Boëtius ibidem.

53. *Divino ortui famulatam*] Chistus etenim erat, de quo Psalm. LXXII. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.* Ubi Hieronymus: *Quod in diebus Augusti Cæsaris est impletum, cum Dominus de thalamo Virginali processit. Nam ità his diebus omnia bella quieverunt, ut etiam illud impleretur, quod alius Propheta cecinit, dicens: Convertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.*

Pag. 96. vers. 22. *Hujus egestis visceribus salitum corpus*] Variæ apud Veteres cadaverum humanorum conduturæ fuerunt. Potissimum adhibebant Salem, Mel, Ceram, Myrrham, Balsamum, Gypsum, Calcem. De Sale Plinius Lib. XXXI. Cap. 9. *Salis*, inquit, *natura est per se ignea, omnia erodens, corpora verò astringens, siccans, alligans: defuncta etiam à putrescendo vindicans, ut durent ità per secula.* Apud Ægyptios, ut putrefactio caveretur, corpora sale condiebantur: quomodo de Amasi Herodotus scribit. Vide sis etiam Diodorum Siculum Lib. 1. de ritibus sepulcralibus Ægyptiorum. Et Eunapius salita Martyrum corpora irridet de Vitis Philosophorum. Plura de his qui desiderat, adeat Clariss. Virum, ac illustre patriæ decus & ornamentum Johannem Kirchmannum de Funeribus Romanorum Lib. 1. Cap. VIII. Petrum Bellonium de Sepulcris Veterum, & Laurentium Pignorium in Epistolis. Nolo etenim hic actum agere.

32. *Secus VVeram Selandiæ pontem*] Locus tumuli adhuc conspicuus, & paucis in Sælandia ignotus. Quà enim Roschildi a Slangendorpium itur, medio fermè itineris tractu, pons hic extat, per quem transeundum eodem tendentibus. Nomen adhuc obtinet priscum à Saxone notatum, vulgò Were Broe. Propè collis ostenditur ab accolis, quâdam sui parte quasi collapsus, ubi tumulatum referunt Frothonem, Frode Høy dictus, de quo mira ac varia vulgò fabulantur. D. Olaus Wormius Monument. Danicor. Lib. II. Cap. 1.

NOTÆ

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM VI. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 96. vers. 40. R*Egnum hæredis inopiâ claudicare*] A Tralatè dictum. Ità Cicero sæpissimè locutus. Lucretius Lib. III. vers. 14.

Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;.

Elegans est locus in Justino, Lib. VI. p. 67. qui vocis hujus usum Metaphoricum confirmat. Cum enim mittendus esset Imperator idoneus contra Conona Atheniensium Ducem, *postulantibus socijs Agesilaum ducem, Regem tunc Lacedæmoniorum:* B *propter responsum oraculi Delphici, diu Lacedæmonij, an eum summæ rei præponerent, deliberaverunt, quibus futurus imperij finis denunciabatur, cum regium claudicasset imperium, erat enim pede claudus. Ad postremum statuerunt melius esse incessu Regem, quàm imperio regnum claudicare.*

Ibid. *In regia gente*] In regia familia. Svetonius Augusti Cap. 1. *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse multa declarant.* Quamquam gens aliquanto latius patet, & familias, seu stirpes, C seu domos, sub se complectitur. Ità Svetonius in Nerone Cap. 1. *Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorum & Ænobarborum.* Et in Cæsare Cap. 6. *A Venere Julij, cujus gentis familia est nostra.* Videantur Cl. Viri, Matthiæ Berneggeri ad Svetonij Octavium Notæ.

44. *Specioso posteris titulo commendaret*] Jam tùm scilicet existimantes, *nihil in mausoleis & marmoribus, nihil in sculpturis, aut ullo metallo, perpetuum* D *aut duraturum existere, nisi id ingenij & Musarum tubâ commendaretur.* Pontanus Histor. Dan. Lib. 2.

45. *Danicæ admodum Poësis peritus*] Hiarnus hic Poëtici spiritus vir, ejus fuit sectæ & Ordinis, qui Celtis olim à sono & murmure, quod canendo edebant, *Bardi* dicti, quosq; *Skaldros* ob eandem causam, Dani Veteres vocitabant. Hinc nostratibus dictus est Hiarne Skald / inq; vetustissimo Skaldatal / hoc est, E Poëtarum veterum nomenclatione, principem obtinet locum.

Pag. 97. vers. 1. *Longùm vivere*] Paucis verbis expressit immensum illud desiderium, & flagrantia vota Danorum, quibus Frothonem, principem longiori vita dignissimum, usurâ lucis hujus frui exoptassent. *Longùm* adverbialiter positum: quomodo apud Virgil. 10. Æneid. *Nec longùm lætabere.* Idem Ecloga 3. & Claudianus Lib. 2. de Rapt. Proserp. *Longùm vale.* F

2. *Tulêre diu*] Triennio nempè. Supra: *Hujus egestis visceribus salitum corpus triennio proceres asservandum curabant.*

5. *Autorem Dani diademate munerati sunt*] Imitati hac in parte Athenienses, qui olim Phrynichum, propter unicum Poëma, belli Ducem crearunt. Planè est geminum, quod de tibicine quodam, qui ita populum delectarit, ut Rex fieret, ex Varrone refert Augustinus Libello de Quantitate animæ.

8. *Divus siquidem Julius*] Quis hic fuerit Scriptor rerum gestarum Cæsaris, quem municipio donârit, nuspiam me invenire potuisse, equidem ingenue fateor. Suspicor ævi sequioris auctorem hic secutum Saxonem; cujus generis Chronica tunc plurima extabant.

11. *Sed ne Africanus quidem*] P. Scipio Africanus Poëtam Ennium, à quo res suas celebratas videbat, gaudebatq;, & vivum benevolentiâ omni complexus est, & mortuum stare in effigie jussit, in suo & Corneliorum monumento. Opus ipsi inscriptum dicebatur SCIPIO: de quo vide Clariss. Virum, Belgarumq; Doctissimum, Gerardum Vossium, de Historicis Latinis Lib. I. Pag. XI. Cicero Oratione pro Archia: *Carus fuit Africano superiori noster Ennius: itaq; etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus è marmore.* Livius Lib. XXXVIII. *Romæ extrà portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt, quarum duæ L. & P. Scipionum dicuntur esse, tertia Poëtæ Q. Ennij.* Ovidius in tertio de Arte:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Valerius Maximus Lib. VIII, Cap. 15. *Superior Africanus Ennij Poëtæ effigiem in monumentis Corneliæ collocari voluit.* Cæterùm & aliorum Principum ac magnatū in doctos viros, & inprimis Poëtas, liberalitas celebratur. Pompejus Magnus Scriptorem rerum suarum Theophanem Mitylenæum Græcum, in frequenti concione militum, civitate donavit. Augustus Cæsar quinq; scutatorum aureorum millibus Virgilium donavit, propter unum & viginti carmina ab eo composita, atq; in Æneide citata: in quibus ipse Virgilius mentionem fecerat de Marcelli morte, ejusdem Cæsaris ex sorore nepotis, adoptiviq; filij. Budæus de Asse Lib. III. Vespasianus eximio Poëtæ, Salejo Basso, unâ donatione HS. quinquaginta dedit, hoc est, juxta calculum J. Lipsij, duodecim millia Philippicorū & quingentos. Stupenda quoq; est illa Antonini Caracallæ, qui delectatus elegantiâ carminum Oppiani, quæ illi inscripta leguntur, in singulos versus singulos aureos jussit rependi. Et quid dicam de Venetorum munificentiâ, à quibus

quibus Actius Sincerus Sannazarius Sexcentos aureos consecutus est ob sex illos versus, quos hic subjeci:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Juppiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem aspice utramq;,
Illam homines dices, hanc, posuisse Deos.

17. *Norvagiæ oriundorum*] Insolens locutio, & quæ seculi istius sordes trahit. Simili usus est Aurelius Victor libello de Cæsaribus: *Statim Aurelio Alexandro, Syriæ orto, potentia delata.* Et Lambertus Schafnaburgensis, Chronographus doctissimus & accuratissimus, ad annum Christi MLIX: *Abbatiam VViderادus obtinuit ejusdem cœnobij monachus, ejusdem quoq; familiæ oriundus.* Ipse Saxo Lib. 13. *Per eadem tempora Haraldus Hybernicarum partium oriundus.* Et Libro sequenti: *Fioniam usq;, cujus erat oriundus, concessit.*

23. *Intra insulam*] Quam summæ vir Eruditionis, & Historicus incomparabilis, Andreas Vellejus, nescio quibus fretus documentis Valdis Holm indigitat; & manifestissima ejusdem munitionis vestigia hodieq; in eadem insula extare contendit.

26. *Continentem petere*] *Continens* ea terræ pars dicitur, quæcunq; non est insula. *Terram firmam* vulgo vocant. Svetonius Octavij Cap. XVI. *Cum partem reliquam copiarum continenti repeteret;* ubi *continentem*, scil. terram, Italiam vocat.

27. *Funiculorum regimine moderari*] Elegans certè descriptio *pontis versatilis*, cujus usum ignorasse Veteres Romanos pariter ac Græcos, quod vix unicum ejus exemplum in Antiquitatibus istarum gentium reperire mihi licuerit, omnino adducor, ut certo mihi persvadeam. Affine quidem nonnihil habet Machina illa cum ponte, quam repræsentat Lipsius ex Herone, Poliorceticωn Lib. 1. p. 499. verùm in usu magnum est discrimen. At nostrâ ætate nulla fere civitas est, nulla arx aut propugnaculum, quod non ejusmodi pontem, & munimenti loco, & simul ingentis commodi ac opportunitatis, habeat.

35. *Obstrepentem indefessus vorticem*] Julius Firmicus Præfatione ad Mavortium Lollianum, *qualis sit lacus, qui propè alveum Symeti amnis ostenditur, cui Palicus nomen est, qui semper crassitudine sordidâ luridus, liventibus spumis obatrescit, & strepente conluvio stridulus, argutum murmur exibilat.* Nam ita hunc locum emendandum censeo. Anteà legebatur: *cui Paliscus nomen est.* De *Palico* Macrobius videatur Saturn. Lib. V. Cap. 19. ad hos Virgilij versus:

——— genitor quem miserat Arcens
Eductum matris luco Symetia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.

Deinde pro *Conjugio stridulus*, melius puto *Colluvio* vel *Conluvio*. Glossæ: *Collubium*, Σύγχυσις. *Collubium* est *Colluvium*. Dixit autem *Colluvium* sicut *diluvium*.

50. *Inter pascua tuebatur armentum*] In Norvegia, ab omni memoria, incolæ canes armentorum custodes aluêre, qui vim & rapacitatem ursorum ac luporum propulsarent. Nobis dicuntur Fæe Hunde / à tutando pecore. Sed & alibi terrarum idem obtinuisse certum est. De Ægypto sic Oppianus Lib. 1. de Venatione, ubi Canes præcipue insignes, & qui maximè à venatoribus curantur, recenset:

Ὅσσοι τ' αἰγύπτοιο πολυψαμάθοισιν ἐπ' ὄχθαις
Βουκολίων οὐρεῖ ———
Et quotquot Ægypti arenosas ad ripas
Armentorum custodes sunt.

Longo etiam Sophistæ *ποιμενικῶν* Lib. I. commemorantur: *Καὶ οἱ κύνες οἱ τῶν προβάτων ἐπιφύλακες, καὶ τῶν αἰγῶν ἑπόμενοι. Canes ovium & caprarum custodes Chlöen sequuti:* qui Dorconem pelle Lupinâ circumamictum, & in frutetis, Chloës rapiendæ causâ, latitantem, morsibus malè mulctarunt. Apud Romanos ejusmodi *canes, Pecuarij & Pastorales* dicti sunt, teste Columella Lib. VII. de re Rust: Cap. XII. Justinianus in LL. Georgicis Tit. VI. mentionem facit *καὶ ποιμαίνοντος, καὶ τῆς ποίμνης κυνός.* Glossarium Lindenbrogij inter varia canum genera meminit etiàm canis, qui *custos est pecoris, & ovile sequitur*, itèm, qui *lupum mordet*, & canis *Ursaritij*, qui ursos persequitur. Videatur Joh. Cajus in libello eruditissimo de canibus Britannicis, pag. 6.

Pag. 98. vers. 3. *Pontem secum trajicere non audebat*] Synechdochicè, pro *per pontem*, vel *cis* aut *ultrà pontem*. Sic Livius: *Trajecit copias Iberum.* Et Plancus ad Ciceronem Lib. 10. *Trajecimus exercitum Rhodanum.*

13. *Exuvias mutuatus*] Sicut *Induviæ*, ab induendo; undè *Indumenta*, vestimenta: ita *Exuviæ*, ab exuendo dictæ, itidem vestimenta notant, quæ exuuntur. Hac significatione solens hoc vocabulum usurpat author noster; ut Lib. XIV. *Exuvias* Absolonis à muribus corrosas tradit.

14. *Periclitationis regiæ species daretur*] Ut obvij ex cruento cadavere undis innatante conjecturam facerent, quasi Fridlevus Rex illic vitâ periclitatus esset. Sed mirum, cur Saxo hic Fridlevum *Regem* nominet, & regio exornet titulo, quum nondum Daniæ Rex esset constitutus; quamvis ut legitimus regni hæres, paulò pòst defuncto parenti, expulso Hiarno Poeta, successerit.

17. *Eoq; superato amne, delapsus*] Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 2. de juventutis Romanæ fortitudine: *Ne acies nostra jam inclinata propellaretur,*

leretur, equis delapsa, se ipsam centuriavit. *Equo delabi*, est equo descendere, & se in pedes sistere. Justinus Lib. XXXIII. *In ea pugna M. Cato, Catonis Oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre prælium aggreditur.*

20. *Levi suspensoq; vestigio petit*] Apulejus Metamorphos. Lib. 3. *Ad illud superius cubiculum suspenso & insono vestigio me perducit.* Julius Firmicus: *Molliter ambulantes, vestigia sua, cum delicata quadam moderatione, suspendant.* Quintilianus, sive quis auctor alius, Declamatione 1, quæ *Paries Palmatus* inscribitur: *Gradu suspenso ponere certa vestigia, & in omnem timoris sui partem, solicitum circumagere vultum.*

39. *Mente altius repositam*] Virgilium imitatus est Lib. 1. Æneidos:

Nec dum etiam causæ irarum, sæviq; dolores,
Exciderant animo, manet altâ mente repostum
Judicium Paridis, spretæq; injuria formæ.

41. *Intercutis tantùm cruoris*] *Intercus* adjectivè sumitur, & inter carnem & cutem existens, quicquid sit, significat. Hinc *aqua intercus*, pro hydrope: cujus meminit Cicero 3 Officiorum. *Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem.* *Intercutia vitia* Gellius dixit Lib. XIII. Cap. 8. quæ non foris apparent, sed penitus sunt imbibita: sicut *Intercutia stupra* nominat Cato.

51. *Pontem continenti committere.*] Nempe illum versatilem, cujus anteà facta mentio; non recens à se extructum.

54. *Collegam adscivit*] In pugilum seu militum suorum collegium ac societatem, non in consortium imperij, assumpsit.

Pag. 99. vers. 18. *Adulterinus possessor*] *Adulterinus* est falsus, alienus: quo sensu frequenter hanc vocem usurpat Saxo. Sic Tertullianus de Pallio: *Aufidius Lurco primus saginâ corpora vitiavit, & coactis alimentis, in adulterinum provexit saporem.*

24. *Vocabulum ex ejus nuncupatione sortita*] Dicta enim inposterum est Hiarn Oe / prope Hothersnesium in Cimbria.

29. *Decoquendi salis opificem*] Frequentes in Dania tum temporis Salinas fuisse, haud temerè crediderim; nisi quis fortè contendat moris fuisse, ut ex aqua marina salem decoxerint, & ardore solis congelatum, in usus suos adhibuerint. Ex alga marina salem coctum viderunt, qui Cæsareos milites ante decennium in Cimbria concives habuerunt. Salem verò ex aqua marina decoxisse veteres, Vegetius ostendit, Lib. IV, Cap. XI. obsessos edocens, quid illis faciendum, si sal defuerit: *Si*, inquit, *maritima sit civitas, & sal defuerit, liquor ex mari sumptus, per alveos atq; patula vasa diffunditur, qui à calore solis duratur in salem. Quod si hostis ab unda prohibeat, [nam hoc sæpè accidit] arenas, quas exagitatum ventis mare effuderat, aliquando colligunt, & dulci*

A *aquâ eluunt, quæ sole siccata nihilominus mutatur in salem.*

47. *Totam ponti faciem*] *Facies* hoc loco vel pro superficie, vel habitu & forma ponitur. Apposite Gellius Lib. XIII. Cap. 28. *Non solùm in hominum corporibus, sed etiam in rerum cujuscemodi aliarum, facies dicitur. Nam montis, & cœli, & maris facies, si tempestivè dicatur, probè dicitur.* Sic *Stagni faciem*, Tacitus, Lib. 21. *Cœli faciem*, Sidonius, Lib. VIII. Ep. 12. *Exæstuantis fluctus minacem*
B *faciem*, Quintil. Declamat. 387, dixêre. Ipse mox Saxo: *Prodigialem illam maris faciem.*

48. *Mox puniceis fluctibus intumescens*] Geminum gemellum est illud Ovidij Lib. IV. de Ponto, Eleg. 7.

Non negat hoc Ister: cujus tua dextera quondam
Puniceam Getico sangvine fecit aquam.

Pag. 100. vers. 12. *Trium olorum supernè clangentium*] Rectè dixit *olores clangentes.* *Clangor*
C etenim propriè Olorum & anserum est. Elegantissimus est locus Sidonij Apollinaris de vocibus avium quarundam, Epistola 2. Lib. 2. ubi prædium suum describit: *Hic jam*, inquit, *quàm volupe auribus insonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepusculo incumbente blacterantes, Cygnos atq; anseres concubiâ nocte clangentes, intempestâ gallos gallinaceos concinentes, oscines corvos, voce triplicatâ, surgentis auroræ facem consalutantes: diluculo autem Philomelam inter frutices sibilantem,*
D *Prognem inter asseres minurientem.* *Clangor* verbum fictum à sono vocis. Carisius Lib. II. Livius de anseribus Capitolinis Lib. V. *Namq; clangore eorum, alarumq; strepitu, excitus M. Manlius.*

14. *Dum mare verrit Hythin, rabidosq; intersecat æstus*] *Verrere mare, æquora*, usitata maximè Poëtis loquendi forma. Maro, Poëtarum princeps, Lib. III. Æneid. de nautis:

Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

E Et rursus eodem Libro:

Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.

Qui versus totidem verbis recurrit Lib. V. Æneidos. Catullus:

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

Secare quoq; fretum, mare, æquora, usurpant Poëtæ: Virgilius Lib. VIII.

Et circum argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumq; secabant.

F Et Lib. X. de Nymphis:

——— *Innabant pariter, fluctusq; secabant.*

Lib. V. Æneid. pro *navigare:*

Intereà medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusq; atros Aquilone secabat.

Lib. X. Æneid.

——— *Mediâ Æneas freta nocte secabat.*

Festus Avienus in oræ maritimæ descriptione:

Non usq; cymbis turbidum latè fretum
Et belluosi gurgitem Oceani secant.

Regis

19. *Regis Thialamarchiæ filium*] Videtur hic legendum *filiam*. Nam paulo post dicitur Fridlevus Hythini filiam, quam monstro exemerat, Haldano Regi Sveciæ impetrasse: sed confusis nominibus Regis & Gigantis. Nam hic Gigantem, illic Regem Hythinum, nominat. Nisi forte alia sit historia puelli liberati, quæ hic narratur, alia vero puellæ exemptæ, ad quam illic respicitur nusquàm narratam.

26. *Cygnico fuisset carmine lacessitus*] Ità legendum pro *Cynico*. *Cygnicum carmen*, fuit *trium olorum supernè clagentium carmen*, de quo paulo antè Saxo: quod cum Athenæo Lib. XIV. *Κύκνειον ᾆσμα*, seu *μέλος* dicere liceat.

27. *Cum sis gigas tricorpor*] Epitheton hoc referendum videtur ad monstrosam Gigantei corporis molem, & immensam staturæ longitudinem, quâ angustiorem humanæ mensuræ habitum longè excedebat Hythin Gigas: non autem ità capiendum, quasi triplici corporum compagine constaret. Sic de Geryone Silius Italicus Lib. III.

Geryonis peteret cum longa tricorporis arva.

32. *Habitusq; corporalis instar negligis*] *Instar* hìc non Adverbialiter, sed Substantive positum, pro forma, seu specie: quomodo & infrà Lib. VII. *Si propinquæ mortis instar alicujus imagine spectaculi pervidisset.* Ubi pluria illustrandæ voci exempla vide notata.

Pag. 101. vers. 5. *Raptu violavimus aurum*] *Violare*, verbum est ad vim faciendam accommodatum; quod alioquin de rerum sacrarum abusu, & violento contactu, usurpari solet. Juvenalis de aureo seculo:

Fictilis & nullo violatus Juppiter auro.

Pedo quidam apud Senecam Rhetorem Svasoriâ prima:

——— aliena quid æquora remis
Et sacras violamus aquas, divumq; quietas
Turbamus sedes? ———

6. *Tonsis everrimus æquor*] *Tonsis*, id est, remis. Lucretius Lib. II.

Sed quasi naufragijs magnis multisq; coörtis,
Disjectare solet magnum mare, transtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonsasq; natantes.

Lucanus Lib. III. Pharsaliæ:

——— Impulsæ tonsis tremuére carinæ.

Et paulo post:

Ut tantum medij fuerat maris, utraq; classis
Quo semel excussis posset transcurrere tonsis.

Statius Lib. V. Thebaidos:

Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis.

13. *Quàm roseum liquidis Titan caput exerat undis*] Varios hic imitatur Saxo Poetas. Ut I. Lucretium Lib. V.

Forsitan & roseâ Sol altâ lampade lucens.

Et in eodem inferius:

Dum roseâ face Sol inferret lumina mundo.

A II. Virgilium Lib. VI. Æneid.

Hac vice sermonum, roseis Aurora quadrigis,
Jam medium ætherio cursu trajecerat axem.

Eundem Lib. VII. Æneid.

Jamq; rubescebat radijs mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Iterum eundem Lib. XI. Æneid.

Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos. ———

B III. Valerium Flaccum Lib. II. v. 261.

Regina ut roseis auroram surgere bigis
Vidit. ———

IV. Tibullum Lib. I. Eleg. III.

Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

V. Martianum Capellam Lib. IX.

Aurora exoriens roseis spectabit ocellis
Floris refecti præmia.

29. *Sequioris ordinis viro*] Sic omninò legendum hoc loco arbitror, pro eo, quod priores C repræsentarunt editiones, *Sequestris ordinis viro.* Quis etenim, quæso te, vir *sequestris* est *ordinis*? Forte dicas eundem esse ac sequestrem & arbitrum. Si id statuas, toto aberras cœlo. Nam Biórno nequaquàm se tanquàm sequestrum aut arbitrum interposuit, ut Fridlevum & Avonem in gratiam reduceret, vel de jure provocationis cognosceret. Nonnullis heîc placuit reponere, *equestris ordinis viro.* Sed & illi D falluntur. Biórno enim non fuit vir equestris dignitatis, cujus usum, nulla tunc temporis, apud nostros, consvetudinum frequentabat auctoritas: verùm potius Fridlevi asecla & Commilito. Mihi verò, *vir ordinis sequioris*, pro, obscuriore loco nato, & vilioris sortis ac conditionis homine, rectius dici videtur. Siquidem se Biórno Rege Fridlevo longè inferiorem agnoscit, ideoq; certamini cum Avone, viro ex ultima fæce plebis, ineundo aptiorem; quum Regi nefas E esset cum plebejo homine congredi. Et convenit prorsus hoc Biórnonis monitum cum illo Starchateri, quod mox eodem hoc libro adducit Saxo. Quum etenim Saxones, duello Frothonem opprimere tentantes, mitterent, qui Regem ex provocatione lacesserent: Starchaterus piraticâ regressus, ex hoc maximè provocationis habitum reprehendit, quòd diceret *Regibus non nisi in compares arma congruere, eaq; adversus populares capienda non esse: per se verò tanquam* F *obscuriore loco natum* [hoc est, sequioris ordinis virum], *pugnam rectius administrandam existere.* Idem Hunnorum Rex respondit Westhmaro se ad pugnam provocanti, Lib. V. *Non decere amplitudinem regiam, quem honore præcelleret, æquare conflictu, nec oportere dignitate impares, pugnæ paritate conferri.* Et ejusmodi omnino est, quem infrà Lib. VII. Saxo *inferioris ordinis virum* nominat. *Adhæc Guritha adduci se non posse retulit, ut regiæ nobilitatis reliquias inferioris ordinis viro copulare-*

lare sustineat. *Sequior* autem Latinis Scriptoribus deteriorem significat. Unde Apulejo Lib. VII, & X, *Sexus sequior* est minus præstabilis, muliebris. Et eleganter Ammiano Marcellino Lib. XVIII. *Sequior fortuna*, pro adversa, dicitur Hinc Adverb. *Sequius* est deterius. Seneca Lib. VI, de Beneficijs Cap. 42. *Vereor ne homines de me sequius loquantur.* Ibi Lipsius: *Sequius*, deterius, sinistrius.

31. *Chordæ summa transfixit*] Hoc est, supremam nervi, quo arcus tenditur, partem transfixit. Itaq; pro τῷ *Cordis*, quæ vox in priorem Saxonis editionem male irrepsit, omnino legendum erit *chordæ*. *Chorda* autem idem est, quod fides seu nervus: quem νεῦρον passim appellat, & ex muliebribus crinibus optime confici tradit Hero Ctesibius in Belopœecis. Ita etiam vocat Sidonius Apollinaris Epistolâ II. Lib. 1. pag. 6. ubi sagittandi peritiam in Theodorico Gothorum Rege laudat: *Igitur*, inquit, *acceptum arcum, modò insinuatis è regione capitibus intendit, modò ad talum pendulum nodi parte conversâ languentem chordæ laqueum vagantis, digito superlabente, prosequitur, & mox spicula capit, implet, expellit.* Sic ipse Saxo infrà Lib. VIII. *Emisso per chordam spiculo trajicit.*

Pag. 102. vers. 3. *Arbores stirpitus evertebat*] Ad eundem modum Livius Lib. XXI. describit serpentem mirâ magnitudine, quem ad Etovissam urbem vidit Annibal *cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri.*

7. *Pecuniam hypogæo erutam*] *Hypogæum*, locum quemcunq; subterraneum, antrum sive speluncam significat. Græcis ὑπόγαιον est. *Hypogæa* olim dicebantur subterranea illa ædificia, arcuato opere extructa, pavimentis strata, ac parietibus circumsepta, in quæ tanquam in cellas quasdam mortuorum cadavera inferebantur & condebantur. Petronius Arbiter de matrona Ephesinâ: *Positumq; in hypogæo, græco more, corpus, custodire, ac flere totis noctibus diebusq; cœpit.* Tertullianus de Anima, Cap. VIII. De Sepulchro Pythagoræ: *Respice ad hypogæum, & si capit, crede.* Hesychius: Ὑπογαίδιον, ὑπόγ(ε)ον τύμβον.

17. *Deorum ædes precabundus accedit*] Nequaquam verisimile videtur, fuisse ijs temporibus ædem ullam visendæ magnitudinis extructam, vel operosioris cultus sacellum. Cave putes. Sed intelligit hic fortè Saxo antrum quoddam vel speluncam, quæ sacrata Nymphis sedes erat. Porphyrius de Nympharum antro: *Sicut Dijs quidem cœlicis templa, ædes & altaria constituebantur: terrenis autem & Heroibus foci, ac inferis foveæ, hypogæa & cryptæ: sic Nymphis antra, speluncæq; dedicabantur.* Imo & cæteris numinibus. Porphyrius ibidem: *Speluncas & antra antiquissimi homines, antequam templorum structura inventa esset, numinibus dedicabant. Itaq; in Creta Curetes Jovi specum sacrarunt. In Arcadia Lunæ & Pani* A *Lycæo sacrum erat antrum. In Naxo Insula, Dionysio. Mithræ quoq; cultus, ubicunq; Deus hic notus erat, in speluncis fiebat.* Ita & Vetustissimi Danorum gentilium in antris & specubus Nymphas habitare credebant, & ex ijs oracula consulentibus depromere. Habebant utiq; Septentrionales populi, etiam dum Ethnicismi tenebris altum immersi, Fana, Delubra & Lararia Idolis suis dicata, & sumptuosè satis extructa; quale fuit Upsaliensè illud, totum auro fulgens, cujus luculenta B exstat descriptio apud Olaum Magnum, Lib. 3. Cap. VI. & Albertum Crantzium in Præfatione Libri 1. Sueciæ: qualia etiam fuerunt delubra veterum Islandorum: quorum duo leguntur fuisse CXX pedum longa; unum in præfectura **Watsdal** Islandiæ Borealis: alterum in **Kialarnes** / Meridionalis Islandiæ, & hoc quidem pedes latum LX, teste Arngrimo Jona Crymogææ Lib. 1. Cap. 7. Verum hæc ipsa omnia, aut quotquot alibi locorum, in Arctoo C hoc orbe reperiri potuerunt templa seu lararia, vix puto ultimæ antiquitatis fuisse, sed posterioribus condita seculis, quum jam undiq; secus invalesceret profanus ille numinum cultus. Ante illa tempora cryptas quasdam subterraneas sacrorum usibus destinatas fuisse, in quibusdam monumentis invenio. Cujusmodi nonnullas etiamnum in quibusdam Norvegiæ locis conspici, partim durissimis petris incisas, partim ingentium saxorum accumulatione congestas, D testatur Excellentissimus Vir, D. Olaus Wormius Monumentor. Danicor. Lib. 1. Cap. 3. Ejus generis illæ sunt, quæ in ditione Asloënsi, juxta Parochiam *Quille* adhuc ostentantur. Nec non illæ in *Sodenes* parochia **Astind** / aliæq; alibi. Quin & antiquitus Idola sua inde ᛋᛦᚢᚱ-ᚠᚢᚦᛁᚱ, **Skurguder** dicta, mapalijs & tuguriolis tegebant. Quum vero sacrificandi tempus instaret, in lucos & campos, ubi aræ E ipsis instructæ, efferebant. Tandem crescente luxu, magnifica ipsis ædificabant Delubra, Lararia, & Fana. Wormius dicto loco.

18. *Ternas sedes totidem Nymphis occupari cognoscit*] Quæ hoc loco Saxo noster de Parcarum Oraculis, & Nympharum sedibus ac responsis, in medium adfert, omnia ex Mythologia veterum Islandorum, unde tam multa alia in Historiam suam retulit, deprompsisse manifestum est. Sic enim nos edocet Edda, Fabula F XV. *Multæ sunt in cœlo amœnæ urbes, & omnes illarum munitiones divinæ. Prima est Regia eximiæ pulchritudinis sub fraxino, ex qua tres prodeunt virgines, quæ sic nominantur* ᚢᚱᚦᚢᚱ, ᚢᛁᚱ-ᚦᛅᚿᚦᛁ, ᛋᛦᚢᛚᚦ, **Vrdur** / **Verdande** / **Skuld**. *Has* ᚿᚮᚱᚿᛁᚱ, **Norner** / *id est*, Fatidicas *vocamus, quæ hominum ætates dispensant. Sunt plures adhuc tales* **Nornæ** / *ad hominum quemlibet in mundum natum venientes, ut fatales illi dies determinent.*

minent. Harum quædam sunt divinæ, quædam ex A *Faunorum, quædam ex Nanorum genere*, sicut dicitur: Sundur borner miog seigi eg ad Norner sie: eigu ther ei at saman / sumar er Asfungar; sumar Alffkungar; sumar Dualins dœtur. Id est, *Diversè natas dico Nymphas: non commune capiunt genus. Sunt Fraxineides, Fauneides, & filiæ Dualini. Id nomen Nani est. Nornæ bonæ felicem tribuant vitam: sed si quis sinistris premitur fatis, hoc malæ efficiunt. Hinc dicimus*. ᚾᛆᚱᚾᛆᛋᛘᛆᛒ, B Nornastop / *Parcarum fata*. Undè in Epicedio Regneri Lodbrog:

Hitt siunist mier ranvar
ᚼᛁᛏᛏ ᛋᛁᚢᚴᛁᛋᛏ ᛘᛁᛁᚱ ᚱᛆᚴᚢᛆᚱ
At forlogum fylgium
ᛆᛏ ᚠᛆᚱᛚᛆᚠᚢᛘ ᚠᚢᛚᚠᛁᚢᛘ
Fær geingur um Skop
ᚠᛆᛁᚱ ᚠᛁᛁᚴᚠᚢᛆ ᚢᛘ ᛋᛘᛆᛒ
Norna. C
ᚾᛆᚴᚾ.

Id est:

Hoc videtur mihi revera,
Quòd fata sequimur;
Rarus transgreditur fata Parcarum.

24. *Permixta liberalitati parcitas tribueret cognomentum*] Quod etiam cognomen postea sortitus est, ut dictus sit Olaff hin Nidste. Nidst enim nostratibus tantundem est ac deparcus. D

33. *Ut ne humi quidem incedere aut consistere toleratus*] Mollis hæc educatio fuit; quam jure in suis Romanis reprehendit Quintilianus Institut. Orat. Lib. 1. Cap. 2. *In Lecticis crescunt: si terram attigerint, è manibus utrinq; sustinentium pendent.*

42. *Opes in propatulo habere*] Quintilianus Declamat. CCLX: *Opes suas in publico posuit, quo locuplete nemo pauper est, nemo eget.*

44. *Quod difficillimum est, virtute invidiam* E *vincere contendebat*] Plane affine est illud Micipsæ in Oratione ad Jugurtham, apud Sallustium Belli Jugurthini Cap. X. *Postremò, quod difficillimum inter mortales est, gloriâ invidiam vicisti.* Verè item vetus Panegyrista, quem laudat Clariss. Vir, & Bonis literis juvandis natus, Johannes Freinsheimius in Notis ad Curtij Librum VIII. Cap. 5. *Difficillimum est invidiam virtute superare.* Nam in omni laudis genere; ait porro ibidem Freinsheimius ex Polybij 1, 36. *Illustres atq; ad-* F *mirandæ actiones graves invidias, & acres calumnias conflare solent.* Et ipsa Virtus parit Invidiam, secundum illud Justini Lib. V. Cap. 2. *Virtus Alcibiadis plus invidiæ, quàm gratiæ contraxit.* Rerum tamen amplitudine Invidiam superari idem Justinus docet, extollens res gestas Semiramidis Lib. 1. Cap. 2. *Magnas deindè res gessit, quarum amplitudine, ubi invidiam superatam putat, quæ sit, fatetur.* Ideò Cleo, quamvis Græculus adulator, in Oratione in laudes Alexandri institutâ apud Curtium Lib. VIII, Cap. 5. commemorat: *Ne Herculem quidem, & Patrem Liberum prius dicatos deos, quàm vicissent secum viventium invidiam.*

Pag. 103. vers. 9. *Inusitatâ manuum numerositate prodiderit*] Vulgare est Poetarum & aliorum Mythicorum commentũ, quo monstrosam membrorum multitudinem Gigantibus, fortitudinis significandæ gratia, affingere solent. Unde non est dubium, quin fabulosa Danorum de Starchatero profluxerit opinio. Hinc *Centimani* sunt dicti Telluris hi filij; cujusmodi fuisse Cottum, Briareum, & Gygem, refert Hesiodus in Theogonia.

Ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο
Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοὶ
Κόττος τε, Βριαρεώς τε, Γύγης θ', ὑπερήφανα τέκνα,
Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δ' ἑκάστῳ πεντήκοντα
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον, ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν.

Alij rursus è tellure & cœlo prognati sunt
Tres filij magni, & prævalidi, non nominandi,
Cottusq;, Briareusq;, Gygesq;, superba proles;
Quorum centum quidem manus ab humeris impetuosè movebantur
Inaccessæ: Capita verò unicuiq; quinquaginta
Ex humeris prognata erant, super robustos artus.

De Briareo Virgilius VI Æneidos; qui Homero dicitur ἑκατόγχειρος:

Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ.

De Gyge Horatius Lib. II, Ode 17.

Me nec Chimeræ spiritus igneæ,
Nec si resurgat centimanus Gyges,
Divelles unquàm ——————

Et Lib III, Od. 4.

Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum notus. ——————

De Typhæo Ovidius Lib. 3. Metamorphos.

Nec quo Centimanum dejecerat igne Typhæa.

Pindarus eundem Ode IV. Olymp. ἑκατογκέφαλα vocat. Notetur Adagij forma, quâ usus Nazianzenus Orat. XIX. Βριάρεω χεῖρες: *manus Briarei*: de homine avidè appetente lucrum, & veluti centum manibus inhiante ad quæstum. Sic de Geryone Lucretius:

Atq; tripectora tergemini vis Geryonäi.

Et cui Poetæ non cantatus Geryon? Silius Italicus Lib. 1.

Tres animas namq; id monstrum, tres corpore dextras
Armarat, ternâq; caput cervice gerebat.

16. *Thor videlicet & Othinus*] Heic jam consentaneum est, ut memor promissi, quo me in Notis superioribus Lectori obstrinxi, fidem meam utcunq; liberem, traditurus in præsenti,

quæcunq; se mihi diligenter satis inquirenti, in Antiquitatibus nostris, alijsq; autoribus, de Danicæ vetustatis numinibus, hactenus obtulerunt. Satius vero duxi, ipsa monumentorum juxta ac autorum verba in medium adducere, quàm iis immutatis, novam quasi deorum Septentrionalium Historiam condere; quod hominis videretur nimis curiosi & otio abutentis. Inter vetustissima igitur documenta, illud præcipuum est, quod de Othino nobis suppeditat *Edda*, [Liber de Re Poëtica vetustissimus, cujus nonnulli autorem faciunt Snorronem Sturlæsonium, alij Semundum Frode, id est Sapientem,] Cap. VI. VII. VIII. & IX: Jnorthr halfo heimsins fan H. Spakonu eina/ er Sibil het/ en vir kollum Sif. Engi vissi æt har/ sonr thera het Lorrithi. Hanß Sun Vingithor / hans Sun Vingen'. H. S. Mage: H. S. Seffsmeg. H. S. Bedvig. H. S. Atra/ er vir kollum Annan. H. S. Jtrman. H. S. Eremoder H. S. Skialldun/ er vir kollum Skiolld. H. S. Biaf er vir kaullum Baur. H. S. Jat. H. S. Gadolfr. H. S. Finr. H. S. Frialafr / er vir kaullum Fridleif. H. S. Vodden/ er vir kaullum Othin. Thesr Othin H. mikin Spadom/ Kona hans het Frigida/ er vir kaullum Frig. Han fystiz northr i heim mit miken her og Stormle fe. Og hur sem thrū foru thoti mikils vm tha v't og likr gothum en manum. Ther komu i Saxlande og eignadir Othin thar vitha landit. Og thar seti han til Landtß gezlo iij Syni sin. Vegdreg reth fir austr Saxlandi. Annar syn hans het Veldeg/ er vir kollum Balldr/ han atti vestrfal/ thet riki er sa heitr. Trithi sun hans het Sigi / H. S. Rerir fathr Volsungs/ er Volsungar ero fra komr. ther retho fir Francklandr. fra ollum ther ero storar ætir komnar. Tha for Othin i Reithgotaland og eignadis ther/ og seti thar Sun sin Skiolld fathr Fridleifs/ er Skiolldungr ero fro komnir. That heitr nu Jotland/ er var kaullothu Reidhgotaland. Tha for Othin i Suithiod/ thar var sa Kong er Gylfi het/ og er h' seti til Asia manne er Æsir voru Kallathir. for han i moti ther og bauth ther i sit Riki. En sa timi fylghi sith thera huar sem ther duolfus i Loudum/ tha var thar ar og fithr. Og trothi man at ther vari thr rathande. thui at rikis in sa tha olika flestum mannum othrum at fegrd og viti. Thar thoti Othin fagr Vellir og Lans Kostir gother/ og kauß si thar bugar Stath / sem nu heitr Sigtun. Skipathi thar Hauffkongia i tha liking sem i Trojo voru / setir Xij Hauffkongiar at dæma Landslog. Hoc est: *In plaga Septentrionali fæmina quædam erat Vatidica, seu Sibylla, quam nos vocamus SIF, ejus nemo progeniem noverat. Filius ejus erat LORRITHI: ejus filius erat HEMREDE: ejus VINGITHOR, ejus VINGENER, ejus filius MODA; ejus filius MAGE, ejus filius SEPHSMEG, ejus filius BEDVIG, ejus filius ATRA, quem nos vocamus ANNAN. Ejus filius ITRMAN, ejus filius HERMODER, ejus filius SKIALDUN, quem nos vocamus SKIOLD,*

A *ejus filius BIAF, quem nos vocamus BAUR, ejus filius JAT, ejus filius GUDOLF, ejus filius FIN, ejus filius FRIALAF, quem nos vocamus* Fridlevum. *Hic filium habebat, quem vocant VODEN, quem nos ODEN seu OTHIN vocamus. Is erat eloquentissimus & inter omnes formosissimus. Uxor ejus erat FRIGIDA, quam nos vocamus FRIG. OTHINUS vates erat, ut & uxor ejus. Hinc illustre sibi peperit nomen, adeò ut in plaga Septentrionali postmodùm omnium Regum celeberrimus fuerit. Incessit igitur,* B *ipsi cupido primùm Turciam relinquendi, unde secum duxit magnum exercitum juvenum, virorum & mulierum, cum ingenti thesauro. Quocunq; pervenit, multa præclara de ipso relata erant, ut similior videretur Dijs quàm hominibus. Nec prius sedem fixit, quàm in Saxoniam perveniret. Ibi per aliquod temporis spatium commoratus est, & ejus territorij magnam partem in suam redegit potestatem, sibiq; asseruit & vindicavit. Ibi tres suos filios constituit Præfectos: quorum unus erat VEGDER vel VEGDREG,* C *qui opulentissimus erat, & Orientalem Saxoniæ plagam possidebat. Ejus filius fuit VITRGUT, ejus filius erat PITTA pater HEMGELSTS, & SIGAR pater SVEBDEG, quem nos vocamus SVIPDAG. Alter filius Odini erat BELDEG, quem nos vocamus BALDER. Hic possidebat terram dictam Vestphaliam, ejus filius erat BRANDER, ejus filius FRIODIGAR, quem nos vocamus FRODA, ejus filius FREAVIN, ejus filius YVIS, ejus filius GENIS, quem nos vocamus GAVE. Tertius Odini filius dictus HENGIR, ejus* D *filius HERIR, illorum Majores tenebant terram dictam FRANKELAND. Inde traducta est familia dicta* Volsunger, *ex hac magnæ ortæ sunt & præclaræ familiæ. Tunc Odinus iter Septentrionem versus direxit, & venit in REIDGOTALAND seu* Cimbriam, *& sibi totam terram pro lubitu subjugavit. Huic præfecit filium SRIOLD dictum; Filius ejus erat FRIDLEVUS; Hinc familia orta* Skioldungorum, *qui sunt Regum Danorum, jam verò vocatur Jutlandia, quæ olim erat REITGOTALAND. Hinc Septen-* E *trionem versus migravit in SVIDIOS seu Sveciam: Ibi erat Rex dictus* Gylfr, *ubi percepit is adventum Asianorum, qui vocabantur ÆSAR, eis obviam factus, obtulit Odino, ut Regnis suis pro lubitu uteretur. Hoc pactum prosperè adeò successit, ut quocunq; pervenirent, & ubicunq; commorarentur, fertilitas & pax abundaret. Hinc credebant omnes in eorum potestate hæc esse: omnes videbantur superare homines sapientia & pulchritudine. Hæc regio visa est Odino commodissima. Elegit igitur sibi hic locum civitati ex-* F *truendæ idoneum, quem vocabat SIGTUM de filij sui nomine, sibiq; Regis titulum assumpsit, & vocabatur NIORDUR. In annalibus namq; extat, quod primus Rex Svecorum dictus sit NIORDUR, Successorum omnium maximus, & Rempublicam ibidem constituit talem, qualis erat in TROJA, duodecim eligens viros, qui Judicum officia sustinerent, & sic leges omnes, quæ olim erant in Troja, rogavit, & quibus uti solebant Turcæ.* Et hæc quidem Edda. Accedamus jam ad aliam de eodem Othino Narrationem ex Chro-

Chronico Norvagico itidem antiquiſſimo deſumptam, cujus autor putatur Snorro Sturlæſonius Iſlandus, quam nos utcunq; Latio donavimus, inſiſtentes veſtigijs Interpretis recentioris, Petri Undallenſis. Ea pars Aſiæ, quæ Orientem verſus fluvio Tanai alluitur, Metropolin quondam habuit dictam ASGARD. Huic ſumma cum poteſtate præfuit Heros quidam nomine OTHINUS: qui Sacrorum gentilium in eadem civitate, ſummus erat Antiſtes, cum crebra illic Sacrificia in cultum & venerationem Idolorum celebrarentur. Duodecim vero ex Senatoribus urbanis, qui cæteris pietate & ſapientia præſtarent, non ſolùm religioni ceremonijsq; ritè curandis, ſed & litibus dirimendis, juriq; dicundo præfecerat. Hi nominati ſunt ᚦᛁᛅᚱ, Diar / id eſt, Dij ſive divini; & ᚦᚱᛅᛏᛘᛅᚱ, Drotnar / id eſt, Domini: quibus per vices ſervire, & ad quævis munera præſtò eſſe, totus tenebatur populus. Othinus magnanimus & fortis erat bellator, multasq; per orbis terrarum oras & regiones victricia circumferens arma, innumera regna ditionesq; ſuam redegit in poteſtatem: utpote Victor & triumphator feliciſſimus, ſemperq; pugnâ ſuperior excedens. Quare in omnibus prælijs victoriam ipſi ſingulari quadam cœlitum indulgentiâ tribui, vulgo erat perſvaſiſſimum. Quotieſcunq; Ducibus ſuis bella gerendo committeret, vel alia munia alicujus momenti obeunda injungeret, manus vertici eorum imponens, quaſi eos conſecrabat. Quod illi pro fauſto omine arripiebant, nihil credentes ſibi infortunij exinde eventurum. Quin etiam Othini nomen inter quæcunq; pericula nuncupantes, promptum neceſſitatis remedium experti ſunt. Undè & omnem in illius auxilio, quocunq; in diſcrimine conſtituti, fiduciam collocabant. Othino duo fratres erant, quorum natu major ᚢᛂ, VE; minor ᚢᛂᛚᛁᚱ, VELIR, ſive Vuli, appellatus fuit. Hi peregrè abſente, vel bellis occupato Othino, vicarium gerebant imperiũ, cunctaq; regni negotia magnâ curâ atq; induſtriâ adminiſtrabant. Ea occaſione aliquando contigit eum diuturniorem in exteris moram trahere, quàm illi ſperaverant. Ideoq; diviſis inter ſe provincijs & regionibus, quibus frater hactenus præerat, regni legitimo principe deſtituti, jus & poſſeſſionem ſibi vendicabant, Othini uxoris Friggæ ſimul ſuſcipientes tutelam & patrocinium. Mox è loginquâ peregrinatione redux Othinns, unà cum reſtituta ſibi à fratribus uxore, expeditionem ſuſcepit adverſus Scythas Tanai contiguos, VANER dictos: qui tamen Othino animoſe reſiſtentes, patriamq; fortiter tutati, victoriæ palmam ipſi ſæpe numerò dubiam fecerunt, & maturo ſibi reditu conſulere coëgerunt. Ex illo

A tempore crebris incurſionibus & ingentibus invicem prædis actis, mutua ſibi damna intulerunt; quorum tandem pertæſi, datis utrinq; obſidibus, firmam inter ſe pacem fœdusq; pepigerunt. Scythæ Othino ampliſſimos viros, *Niordum* cognomento divitem, unà cum ipſius filio *Frói*, obſidis loco tradiderunt. Sed Aſiani viciſſim Scythis ſelectiſſimum par virorum, tàm corporis dignitate & formâ vere Imperatoriâ, quàm virtute, ſapientiâ, alijsq; animi dotibus B eminentiſſimorum, *Heinerum* videlicet, quem ſummi Imperatoris munere rectè defungi poſſe aſſerebant, & magiſtratibus gerendis eſſe aptiſſimum: & alterum *Mimerum*, omnium mortalium ſapientiſſimum, transmiſerunt. Cui officio ut paria facerent Scythæ, inſuper & alium Heroa, cui *Quaſir* nomen erat, qui apud illos cæteris mortalibus ſapientior habebatur, ad Aſianos ablegarunt. Heinero ſtatim in Scythas imperium obtigit; qui fidem & pruden- C tem nactus conſiliarium Mimerum, nihil ferè ipſo geſſit inconſulto. Varios etenim mores, ritus, leges, inſtituta, quibus in judicijs alijsq; negotijs uteretur, ipſum edocuit. Sed eo deſtitutus, cum in conventibus graviores controverſiæ pro tribunali ſedenti exhiberentur, quibus ille dirimendis non eſſet, crebro jactabat illud: Vos jam ipſi in medium conſulite, quicunq; conſilio valetis, in me nullum vobis præ- D ſidium. Tum Scythæ cognito ſe ab Aſianis in æquali permutatione obſidum deceptos, Mimeri abſciſſum caput eis mittendum curarunt, Quod Othinus balſamo conditum magicis carminibus vocale reddidit, adeo ut quævis ipſi arcana & rerum abdita revelaret. Dehinc Niordum & Frói divinitatis participes factos in Deorum Aſiaticorum numerum aſcripſit. Frói quoq; filia Freja in Dearum cœtum & conſortium aſſumptâ. Quæ præſtigias, veneficia, & E incantamenta ab Aſiaticis edocta, Scythis mirificè placuit. Niordus autem inter Scythas vitam degens, ſororem ſuam duxit uxorem, quod ipſorum lege permittebatur; cum apud Aſiaticos nefas ſit eas matrimonio ſibi jungere, quæ tam arcto ſangvinis gradu ſe contingant. Cæterùm prærupti & editi montes à Septentrione Auſtrum verſus in longitudinem procurrentes, majorem Scythiam à vicinis regionibus velut naturali limite ſeparant: qui- F bus à meridie circumjectæ nationes Othini imperio omnes parebant. Sub idem tempus Romani rerum Domini innumeris gentibus devictis, victricibus armis longè lateq; graſſantes, vaſtiſſima regna, fortiſſimos populos, florentiſſimas urbes, clariſſimasque civitates ſub jugum Imperij Romani redigere cœperunt. Quare multi procerum & magnatum, patriâ ſponte excedentes, Romanis ſubditos ſuos, deditione factâ, prodiderunt. At


Othinus,

Othinus, Magus inſignis, & præcipuâ divinandi ſolertia præditus, gnarus ſe, progeniemque ſuam, ad ſeros usq; nepotes, in Boreali mundi plaga imperitaturum, fratribus ſuis VE & VELIR regimen Aſgardiæ demandavit; ipſe in Ruſſiam profectus, & illinc in Saxoniam concedens, eam ſibi ferè ſubjugavit, ſubjugatamq; filijs ſuis regendam commiſit. Quos inter Skioldum Daniæ præfecit, qui deinceps Lethram imperij ſui arcem, ſedemq; regiam habuit. Cùm verò Othinus fando comperiſſet Gothiam Sveticam, cui regia cum poteſtate præerat Gylvo, regionem eſſe fertilem, copioſam, multisq; incolis alendis ſufficientem, ad ipſum inviſit, ictoq; cum eo fœdere, novas ſedes & domicilia in iſtis oris quærendi facultatem veniamq; obtinuit. Metus enim Gylvonem inceſſerat potentiæ Aſiaticæ, quippe qui verebatur, ne ſummo cum periculo novos advenas laceſſeret, quibus ſe viribus & fortitudine longè impares, agnoſceret. Intereà Gylvo & Othinus præſtigiorum & incantationum quaſi certamen quoddam inſtituerunt: undè Othinus cum Aſiaticis ſuis ſemper victor diſceſſit. Hinc Othinus ad fluvium *Loger* incolere cœpit; ubi civitatem condidit Sigtunenſem [quo nomine oppidum in Svecia majorum ætate fuit] Baſilicamq; extruxit magnificentiſſimam, Sacrificijs ibidem ſecundum ritus & ceremonias Aſianorum inſtitutis. Quin & regione iſta undiq; ſecus occupatâ, in eam quaſi coloniam quandam deaſtrorum deduxit, quibus certas ſedes & delubra aſſignavit. Ita Niordo Moatun, Frejo Vpſala, Thoroni Trudvanger, Heinero Hundbierg, Baldero Bredeblik ceſſerunt. Tandem Othinus Arctoas Sveciæ partes cum agmine Idolorum ſuorum repetens, inauditi generis miracula varijs exercuit præſtigijs, & ſimul veluti publicum magiſterium Magiæ percipiendæ inſtituit; cujus uſus anteà planè nullus iſthoc loci extiterat. Quod habitum Othini & formam attinet, vultu ſemper hilari, jucundo, & ad omnes lepores, facetiasq;, ad jocum, atq; lubentiam compoſito, amicis ſe conſpiciendum præbuit; hoſtibus verò truculentum ſe exhibuit; quippe in varias formarum ſpecies, inſtar Prothei cujusdam, ſe transmutare noverat. Tantâ etiam Svadâ & eloquij dulcedine audientes demulcere poterat, ut ipſius dictis nullam non fidem adhiberent. Rhythmis etiam & carminibus inter loquendum crebrò prolatis miram ſermoni gratiam conciliabat. Undè & ipſe & complices ipſius Schialdri & Poetæ dicti. Prætereà ſolebat Othinus vi quadam magicâ omnem ſenſuum uſum hoſtibus eripere, & immenſum illis terrorem incutere; imò cum hoſtili exercitu manum conſerens, ità gladiorum aciem carminibus retundebat, ut ſui milites abſque ſcuto & lorica, tanquam efferi canes & lupi, adverſarios lancinantes, vulnerantes, & pecudum inſtar trucidantes, incederent, ipſi omnium vulnerum & damnorum expertes. Undè poſteà Berſerkerorum inceſſus, hoc ferociæ genus appellatum fuit. Adhæc Othinus tantâ ludificandorum oculorum peritiâ callebat, ut ſæpenumero corpus ſuum, veluti ſuppreſſo ſpiritu, humi exanime proſterneret, quod interea nunc in piſcis aut volucris, nunc in ſerpentis formam mutatum apparebat. Evigilans ſe longinquas terrarum oras peragraſſe, & quid ibi rerum gereretur, exactè & accuratè comperiſſe, aſſeverabat. Incendia reſtinguere, tempeſtates ſedare. inundationes ſiſtere, ventos ad arbitrium ſuum immittere, unico verbo potuit. Defunctorum manes ſubindè eliciens, alio tranſlatos collibus & monticulis incluſit: Unde ᚦᚱᚮᚢᚴᛆ ᚦᚱᚮᛏᛏᛁᚿ, Drouga Drotten/ vel ᚼᚮᚢᚴᛆ ᚦᚱᚮᛏᛏᛁᚿ, Houga Drotten/ hoc eſt, Lemurum Dominus dictus eſt. Binos habuit corvos humani eloquij uſum ab ipſo edoctos, qui diſſita loca pervolantes, hero ſuo copioſam rerum novarum ſeriem renunciabant. Apertis deniq; vi magicâ montibus aurum & argentum ex abditis terræ venis pro lubitu deprompſit, & abſconditos inſuper theſauros, nemine monſtrante, eruit. Ad ſummam, Othinus Runis ſuis & Carminibus ac incantationibus [quæ ᚵᛆᛚᚦᚱᛆᚿ, Galdran/ ᛋᛂᛁᚦ, Seid/ ᛚᛁᚮᚦ, Liod/ ᚠᛁᚮᛚᚴᚤᚿᚵᛆ, Fiolkynga/ dicebantur] incredibilia patrando, tàm clarum ſibi ubiq; nomen peperit, ut fama ſapientiæ & potentiæ Othinianæ, juxtà ac Aſianorum per omnes gentes & nationes brevi ſpatio ſit didita. Quare hoſtes ità conterruit, ut nihil adverſus eum moliri auſi fuerint. Sed è diverſo ſocios & amicos ità in fide retinuit, ut raro aut nunquàm ab eo deſciverint. Quo evenit, ut Sveci, alijq; populi Boreales, Othino pariter ac duodecim ipſius complicibus, ſolennia ſacrificia dependerent, & cultum vero cœli terræq; Domino debitum exhiberent. Eorum quoq; nomina liberis ſuis recens natis adaptabant, vocantes Audun & Ovden, ex Othino; Thord, Thore, & Toraren, Steintor, & Haſtor à Torrone; quorum adhuc quædam apud Norvagos in uſu ſunt nomina. Varias porrò Leges tulit Othinus; quas inter has fuiſſe præcipuas memoriæ proditum eſt. Edixit namq; ut mortuorum, vel in bello cæſorum cadavera igne conſumerent, unà cum bonis & ornamentis potioribus: cineres verò aut defoderent in terram, aut in fluvios ſpargerent. In memoriam Procerum & magnatum, colles erigerent, monumentis impoſitis, quæ defunctorum res geſtas celebrarent. Ter ſingulis annis ſolennia ſacrificia peragerent; Brumali tempore pro anni felicitate; mediâ hyeme pro fertilitate; circa finem hyemis pro Victoriâ. Scythæ quotannis

Othin-

Othino denarium tributi loco ſolvebant, in ſingula capita: cujus propterea eſſet viciſſim officium, tueri eos contra adverſarios ac hoſtes, & cultum Deorum religionemque propagare. Niord uxorem duxit nomine **Skade**/ quæ priore relicto marito, paulo poſt Othino nupſit: ex qua plurimos filios ſuſtulit: quorum uni nomen erat **Semming**. Tunc nova Scythia, videlicet Svecia, dicta eſt **Manheim**/ & magna Scythia **Gudheim**. Demum Othinus vitæ ſatur in Svecia ſupremum obijt diem. Jam fato vicinus omnia membra & artus novem cicatricibus inſigniri juſſit, quas ᚠᛂᛁᚱᛋ ᛆᚦᚦᛂ, **Geirs odde**/ antiquitus vocabant. Imperavit etiam, ut bello proſtratos ſibi mactarent. Hoc etenim ſibi gratiſſimum fore placaminis & Sacrificij genus prædicabant. Poſt obitum multis apparuit, præſertim ſi grave aliquod prælium immineret. Multis victoriam contulit; alios in **Valhalden**/ hoc eſt, Palatium Plutonis, invitavit. Cadaver ipſius ſolenniter combuſtum, epulumq; funebre & ſacrificia in honorem defuncti inſtituta. Hactenus Chronicon Norvagicum. A quo cum diſceſſerimus, vix ſuperant antiquiora monumenta, quæ nos de vetuſtiſſimis Danorum numinibus aliquid ſcitu dignum edocere poterunt. Idcirco nunc reliquum eſt, ut ad inferioris ævi Scriptores deſcendamus. Hos inter familiam ducit Olaus Magnus Svecus, cujus hæc ſunt verba Hiſtoriæ ſuæ

A Libro III. Cap. 3. *Erant apud veteres Gothos paganos, tres dij, primâ veneratione obſervati: quorum primus erat potentiſſimus* **Thor**; *qui in medio triclinio, ſtrato pulvinari, colebatur: cujus bini inde latera, duo alio numina,* **Odhen**/ *videlicet &* **Frigga** *cingebant.* **Thor**/ *inquiunt, præſidet in aëre tonans, & fulgurans, ventos & nubes, ſerenitatemq; gubernans, fruges adminiſtrans cum fructibus univerſis, peſteſq; tollens. Alter* **Odhen**/ *hoc eſt fortior, bellis præſidet, hominibus in hoſtes auxilia ſubminiſtrans:*
B *ipſi Thor à dextris collocatus: tanto opinionis ſulgore clarus, ut ipſum non ſecus, quàm datum mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus orbis locus extaret (Saxone teſte) qui numinis ejus potentiæ non pareret. Tertius* **Frigga** *pacem, voluptatemq; moderabatur: cujus etiam ſimulachrum turpitudinem Sexus præ ſe ferebat: & ob id tantum apud Gothos, quantum Venus apud Romanos venerabatur; Diemq; Veneris usq; ad noſtra tempora ſibi retinet conſecratum. Pingebatur gladio, & arcu cum armis,*
C *quòd in illis terris, uterq; ſexus ſemper ad arma promptiſſimus eſſet.* **Thor** *autem cum Corona & ſceptro ac duodecim Stellis deſignabatur: cujus magnitudini nihil digna æqualitate conferri poſſe exiſtimatum eſt. Obtinuitq; diem hebdomodatim, imò & menſem primum totius anni, quem Januarium dicimus. Odhen verò armatus ſculpitur, uti Mars, ſimili gentilium ſuperſtitione, apud Romanos, diemq; obtinuit æternâ memoriâ ſuo nomini conſecratum.* Et en tibi Imagines Deorum veterum.



De

De ijsdem Vir Cl. Johannes Svaningius, Historicus quondam Regius; Lib. III. Commentarior. priorum de Rebus gestis Danorum, in hunc modum disserit: *Dani antiquitus vicinarum gentium exemplo, Deorum numero eos solùm habuerunt, quos & præsentes viderunt, & quorum auxilijs apertè adjuti essent. In quorum omnium numero primi Magi erant, dicti etiam gigantes, quod corporum vastissimâ mole cæteros homines longè excellerent. Inter quos nonnulli mediæ staturæ homines quoq; erant, magicarum rerum peritiâ, gigantes multis modis superantes. Qua de re inter duos hos præstigiatorum ordines, perpetuum de dignitate certamen erat, donec medij, gigantibus superatis, divinitatis opinionem sibi apud plebeculam usurparent. Hi per summam ludificandorum oculorum peritiam, proprios vultus transformantes in varias figuras, se Deos esse, simplici vulgo, illusionis errore decepto, persvaserunt; quale genus hominum hodie in Turcia quoq; esse, ex illorum descriptione constat, qui ejus gentis mores & religionem literis mandarunt. His accesserunt & Harioli, qui nec corporum granditate, nec artis magicæ scientiâ prioribus æquales: quibus tamen opinio divinitatis, vel ob beneficia, quibus se vulgo commendabant, vel ob rerum futurarum præscientiam, tribuebatur. Ab his in gentilitate apud Danos primum totius religionis ratio pendebat. Ad hos, qui gravioribus morbis correpti erant, & in periculis versabantur, confugiebant. His sacrificabant, ac donaria offerebant, interdum pro victimis homines vivos immolarunt, aut immolaturos se voverunt. Tandem, ut fieri solet, quod homines facilè ab una Idololatria in aliam relabuntur, his contemptis successerunt alij, qui dij & dicti & habiti ab incolis sunt. Quorum primus dictus est OTHINUS, per omnem Europam priscis illis temporibus cum primis celebris. Is Vpsaliæ, quod Sveciæ oppidum est, nunc summi Pontificis ejus regni metropolitana sedes, templum habuit nobile, quod foris catena aurea maximi ponderis circumquaq; ornatum erat. Intus trium Deorum statuæ aureæ stabant, Othini, quem alij Vodanum appellant, Thoris, & Friconis, ita collocatæ, ut Othinus supremum locum obtineret. Othinus armatus erat, Marti assimilatus, quòd bello eum præesse credebant. Thor sceptrum tenebat, Jovi comparatus, quòd illorum opinione, fulmina & tempestates regeret. Frico verò cum ingenti pudendo sculptus stabat, quem pacem voluptatemq; hominibus adferre duxerunt. Porrò singuli dij suos habebant Sacerdotes, quos more Gallorum Druides nominabant, qui sacrificijs atq; immolationibus præerant. Si pestis aut fames immineret, Thoro sacrificabant; si bellum, Othino; si nuptiæ celebrandæ, Friconi litabant. Quin etiam, in summis necessitatibus, homines nonnunquam immolabant, quod pro salute hominis, nisi vita hominis redderetur, non posse Deorum iram placari arbitrarentur, publiceq; ejusdem generis institutum in Svecia habebant. Vpsaliæ Sacrificium, ad quod nono quoque anno reges Aquilonares, primates, ac populus conveniebant, aut donaria sua transmittebant, novem dies commessando sacrificabant, singulis ex ditioribus, qui eò venerant,*

A *novem capita diversi generis animantium, offerentibus. Immolatorum autem sangvinem ante Deorum statuas effuderunt, cadavera verò in proximo luco, qui illis sacer erat, de arboribus, hominum ac brutorum animantium, mixtim simul, suspendebant. Porrò Othini statua aurea Bizantium à Svecis olim transmissa, omnibus admirationi fuit; ubi diu ostentationis gratia, inter cæterorum Deorum imagines, quæ multæ & admirandæ per ea tempora Bizantij erant, servata est. Cujus rei gratia, eidem Othino, ex Græcia, & alijs na-*
B *tionibus, votiva in Sveciam non rarò missa sunt. Erant & alij dij, Mathethis & Vgarthilocus, cæteris, quos præscripsi, longè deformiores, quos antiquitus etiam Dani coluerunt: de quibus qui plura scire volet, Saxonem consulat. Mihi quidem fidem excedere videntur pleraq;, quæ de ijs scripta extant. Tales olim gentilibus sub regibus dij culti sunt in Dania, tales etiam fuerunt religiones, quibus etiam nationes pleræq; Septentrionales subjectæ erant, quales breviter sunt præscriptæ. Ad quos non modò incolæ, sed magni Reges, preces suas*
C *fuderunt, hos ut in periculis haberent propitios, complura placendi genera invenientes, quibus non solùm pecudes, sed & homines uti dictum est; immolarunt. Turpes sanè & indigni dij, quibus humanarum rerum cura demandaretur: quos si cæterarum gentium Idolis comparaveris, ejusdem generis omnes omnium gentium Deos esse, cum ad juvandum impotentes, tum ad ferendā opem implorantibus difficiles fuisse intelligas; postquàm mens humana à Deo deserta suo feratur arbitrio, & sibi pro rationis captu cultus sine verbo insti-*
D *tuat. Meruit parentum primorum nostrorum lapsus, perquàm gravis, hanc tantam tamq; horribilem cæcitatem, ut à vero Deo aversi, cui non auscultabant, illorum posteri ad Idola converterentur, ac secundum illusiones mentis suæ Deos sibi quærerent alienos, eosq; inter se dissimiles, alij feles ac bruta animantia, alij arbores, truncos, lapides, herbas, alij sydera, alij deniq; præstigiatores, veri numinis loco, aliaq; monstra adorarent. Quâ in re magnitudo divinæ iræ, quæ peccatum consecuta est, conspici potest. Nam si primorum*
E *Parentum inobedientiam tantâ cæcitatis pœna Deus punire voluit, ut hominem ad similitudinem suam creatum, in tantam cæcitatem abjiceret, profectò ad nostra peccata, in quibus perduramus securi, haud connivebit. Est autem res commiseratione inprimis digna, considerare diligenter hanc mortalium calamitatem, quòd oppressi cæcitate, verâ Dei cognitione olim caruerint, Deosq;, pro errore judicij sui, varios atq; inutiles prorsus, quæsierint; donec summus atq; omnipotens rerum opifex Deus, nostri misertus, misso de*
F *cælo suo verbo, ab errore in rectam viam genus humanum revocavit. Hoc ingens Dei beneficium, pluris æstimare, quàm totius mundi opes, pij omnes debebunt; maximè autem omnium, Reges, Principes ac Magistratus, qui regnis, ducatibus, ac civitatibus præsunt, quòd ijs erroribus atq; idololatricis cultibus modo liberati sint, in quibus olim illorum prædecessores excæcati hæserunt, idq; beneficio verbi divini, quod Dominus sub extrema hæc mundi tempora, pro ineffabili sua bonitate erga humanum genus mundo denuò patefecit.*

Quid

Quid, quæso, gentilibus regibus sceptra, quid stemmata, quid opes, quid regna profuerunt? qui nulla vera imbuti religione, sine certa cognitione Dei hinc emigraverunt, post hanc temporalem vitam, ubi, aut quo in statu essent mansuri, prorsus incerti. Quâ incertitudine cum jam sincera divini verbi notitia nos liberet, certosq; nos seriò pœnitentiam agentes, de æterna vita reddat; profectò studium provehendi verbi, tantæ rei, tamq; diu mundo absconditæ, inæstimabilis thesaurus, in bonis principibus excitare debebit, ut Deo pro pura doctrina sua grati sint, eamq; suis tradi subditis, atq; ad posteritatem purissimè transferri, summo studio curent. Neq; bonos principes, ad studium propagandæ pietatis, parùm incendat utriusq; religionis collatio; si cum vero Dei cultu, istam impuram Idolorum culturam conferant, quibus in Boreali hac plaga omnes gentes servierunt: in quibus ut nihil opis omninò extitit, ità tanta illorum erat deformitas, atq; turpitudo, ut monstra terræ potius, quàm Deos fuisse, verisimilius sit. An non humanus animus hoc tempore magis aversetur Vgarthilocum, illud immane monstrum, ut à Saxone depingitur, quàm adoret? aut divinitatem sic vinculis irretito ac squaloribus obsito, tribuat? quod quidem in Fabulis Poëtarum Deorum nemo deformior reperiatur. Attamen in tanta hominum cæcitate, & in tot ludibrijs Sathanæ, quibus, varijs modis, in hac ora Boreali, in gentilitate, homines est ludificatus, pro Deo suis temporibus cultus est. Equidem monstrum tale sub cœlo nunquam fuisse existimo, sed si fuit aliquando quisquam sub hoc nomine habitus, cultusq; pro Deo, ludibrio Diaboli id accidisse verisimile est, quo mentes hominum ità fascinavit, ut nihil videntes, tamen fascinatis oculis ejusmodi aliquod portentum, cernere se multi crediderint. Quid enim in tanta tyrannide, in qua totum mundum captivum tenuit Sathanas, non potuit in Septentrione, nimirum sub cœlo crassiore? Cujus portenta, illusionesq; jam multas & varias apud Orientales gentes fuisse legimus, Soli propiores, & propterea sagaciores ac prudentiores. Sed hæc de dijs gentilibus, quos ab initio Regni Daniæ, ad tempora usq; Ludovici Pij Cæsaris, Dani coluerunt, attigisse sufficiat. His subjungamus, quæ Arngrimus Jonas Islandus, vir præclarè de patria meritus, Crymogææ suæ Lib. 1. Cap. 4. de Othino suppeditat: *Anno XXIV ante natum Christum facta est prima Asiaticarum gentium in orbem Arctoum immigratio, duce & antesignano Othino; regnante in Svecia Gylvo; Romanis exercitibus, auspicijs Pompeji Magni in Asiæ parte, Phrygiâ minore, grassantibus.* Et Cap. VII. ejusdem Libri: *Porrò in singulis tertijs, ut & Borealis Quartæ quartis, quas olim (Thyng, hodie etiam* Sysslu/ Herrad*) præfecturas appellabant; tria loca insigniora designabant, foro sacrata & judicijs. Præter ea etiam sacris Ethnicis dicata, illis* Hoff/ *nobis Lararia, & delubra; Lararium quodlibet, pro ratione hujus terræ, magnificè extructum erat. Quorum duo leguntur fuisse 120. pedum longa; unum in præfectura* Watzdal/ *Islandiæ Borealis: alterum in* Kialarnes *meridionalis Islandiæ: & hoc quidem pedes latum 60. Singula, adhæc,*

A *Lararia, Fanum, in Sacelli morem, sibi adjunctum habebant. Hic locus sacratissimus. Hic idola & dij manu facti, in suppedaneo seu ara quadam consistebant quos circum pecudes ijsdem mactandæ disponebantur. Deorum autem princeps & medius Juppiter; illis* Thor/ *à quo Septentrionalia hæc regna, diem Jovis,* Thorsdag/ *etiamnum indigetant. Huic reliqui Dij collaterales; quorum nec numerum certum accepi, nec nomina. In veteri tamen juramenti formula, tres, præter Thorum nomine notantur:* Freyr/ Nior-
B dur/ As. *Quorum tertium, nempe* As/ *existimo esse Odinum illum famosum, inter Dives Ethnicos non postremum habitum, dictum* As/ *Synecdochicωs: quod is Asianorum huc in Septentrionem migrantium princeps fuerit. Singulariter namq;* As/ *at multitudinis numero* Æsar, *vel* Æser *dici cœperunt. Hic Odinus, ob insignem Magiæ diabolicæ peritiam, quâ Divinitatem, ut Machomet alter, adfectabat; post obitum, in Deorum nnmerum relatus est: à quo hodie, dies Mercurij* Odens dagur/ *Odini dies:*
C *undè fortasse, Odinum Mercurium, ut Thorum Jovem, non malè appellavero. Odinum tamen Martis loco colebant veteres: & bello cæsos, Odino mactari dicebant. Odini autem socij sive filij fuerunt,* Freyr/ *&* Niørdur: *ijsdem artibus, quibus pater aut princeps Odinus, Divinitatis opinionem adepti.* Idem in Literis ad me suis, Anno Christi 1632. *Quod autem ulterius exigis, ut Numinum Ethnicorum, Orbis Arctoi, Catalogus à me suppleri possit; id sane est, in quo, Viro præstantissimo, mihiq; suo merito amicissi-*
D *mo, minus satisfacere valeo: ut scil. gratiam aut venustatem aliquam habeat; nec sane aliter, quàm in hac ipsa charta cernere est. Habet autem Crymogæa, migrationem quandam populi ex Asia, in plagam Europæam factam, cujus Princeps fuerit* Odinus *vel* Othinus, *in hoc Orbe famosissimus, & Magiâ diabolicâ celebratissimus: cujus Socij ac posteri ejusdem farinæ, si non vivi, certè post fata, Numinis cultum, in his oris, à stultis mortalibus meruerint. Nominatim illic tanguntur, FREYR & NIORDUR isti*
E *Odino* συγχρόνοι *&* ὁμοψύχοι, *juxta Odinum, pari cultu adorationis invocati & pro Dijs habiti; ut ex Veteri Juramenti formula, ibidem annotaveram. Quod ipsum, si paulò prolixius commemorari non sit ingratum, sic habeas. Migrationis Asiaticæ Principes, ÆSER, Asiatici dicti sunt: cujus singulare est AS, vel AAS: ipsi Odino* κατ' ἐξοχὴν *attributum: cum adjecto:* den Almegste Aaß. *Hi fuisse traduntur rumero XV, vel eo plures; quorum etiam no-*
F *mina, hæc extant.* I. ODINUS; *alio nomine,* Yggur. II. Thor/ *sive* THOR. III. Yngve/ *vel* Yngvar. IV. Freyr. V. Vidar. VI. Balldur. VII. Tyr. VIII. Niørdur. IX. Bragie. X. Hoddur. XI. Forsete. XII. Loke. XIII. Vale. XIV. Vllur. XV. Hœnir. *Quin etiam Fœminæ Asiaticæ, illa immigratione contentæ, &* Asyniur *dictæ, divinos honores sortitæ sunt, & quidem numero plures:* I Frygg/ *Odini Conjunx.* Freya/ *altera.* III. Fulla IV. Snotra. V. Gerdur. VI. Gefiun. VII. Gna

VIII. Loffn

VIII. Loffn. IX. Skade. X. Jord. XI. Idun. XII. Ilmur. XIII. Bil. XIV. Niorun vel Jorun. XV. Hlin. XVI. Hnoß (*vide quomodo L & N, veteres aspirârunt*) XVII. Nanna. XVIII. Rindur. XIX. Siofn. (*Monosyllabum*) XX. Sol. XXI. Saga. XXII. Sygin/ vel Signy. XXIII. Vør. XXIV. Var. XXV. Thrudur. XXVI. Ran. XXVII. Hilldur. XXVIII. Gondull. XXIX. Hlock. XXX. Mist/ vel Nist. XXXI. Skøgull. XXXII. Hrind/ vel Hrund. XXXIII. Hrist/ vel Rist. XXXIV. Skulld. XXXV. Nipt. XXXVI. Dis vel Disa. *Harum fœminarum appellationes sive nomina, nostrum quoq; ævum usurpat; quasdam mulieribus proprias: ut* Gerdur; *item* Thorgerdur (*à Toro &* Gerdur/ *composit: item* Idun/ Jorun/ Signy/ Thrudur/ Hilldur etc. *Quasdam appellationes: ut* Hrund; Nanna; Nipt; Dis: *Unde etiàm* Thordijs/ *à Thor compos:* Herdijs; Viggedijs/ *à Viggone, hoc est, Odino, ut supr.* Asdijs/ *ab* Aß/ *Odino.* Arndijs/ *ab Aquila.* Geirdijs/ *à gladio*, Freydijs/ etc. *Odini præterea filij (etiàm fortè in his, nepotes) multi recensentur:* 1. Balldur. 2. Meile. 3. Vijdar. 4. Nefur. 5. Vale. 6. Ale. 7. Thor. 8. Hilldulfur. 9. Hermodur. 10. Sigge. 11. Skiolldur. 12. Asabragur. 13. Olldner. 14. Itrekur. 15. Heimdallur. 16. Semingur *vel* Hemingur. 17. Hauddur. 18. Brage. 19. Ennilangin. 20. Eindreide. 21. Biorn. 22. Hlodide. 23. Hardveor. 24. Sonnungur. 25. Vingthor. 26. Rymur. *Reliquorum Principum Asiaticorum filios, nominatim expressos non inveni. Horum Principum alij, alijs rebus præstabant; ut scientiâ vel magiâ Odinus: animositate Tyrus: formâ Balderus, è cujus nomine, herba vulgaris, sed pulcherrimi aspectus, nobis dicitur* Balldenbraa. *id est, Supercilium Ballderi. Quomodo autem ab his, dies hebomadæ 4, nomen acceperint, notum est:* Tyrßdagur/ Odenßdagur/ Torsdagur/ Friadagur. *Inter simulachra, Thori fit mentio super aram collocati:* Thar var Thor â stalle -- der vaar Thor sat paa en Steel/ eller Alter. *Vid. Crymog. Præter hos autem cæci Ethnici & Diabolo mancipati, alia sibi numina fingebant: de quibus non ità constat: ut Haquinus, Baro Norvegicus* (Lade Jerll) *apostata, & Regi Danorum fœdifragus ac Regni Norveg. invasor, simulacrum fœminina specie & nomine colebat*, Thorgerdam, Horga Brudur/ *quia in* Horgaland/ *Norvegiæ quadam Præfectura, præcipuam adorationem haberet: unde Præfectura nomen, ab* Horgis/ *id est, Idolis, accepit: &* Horga Bruder: *Idolorum Sponsa. Hanc, inquam, dictus Baro, humi profusus & projectus colebat, varijs immolationibus, etiam humanis; ità ut à proprijs filijs non abstineret, quin eos Thorgerdæ, ut Molocho alteri, sacrificaret; ut piratis Jomsvvichsensibus prævaleret, Norvegiam invadentibus. Piratæ isti, oppidum* Jomsburg/ (*quod Julinum, Chytræus, ut credo, vocat*) *non procul Stralsundio, occupabant, in Syrtibus Neptuni extructum, sed avorum memoriâ, undis absorptum, ità tamen, ut tranquillis undis, rudera oppidi sub aquis conspici possint. Vide Saxoniam D. Chytræi. Ex hoc oppido incolæ bellicosissimi sæpius excurrentes, viciniam, & simul Norvegiam infestabant. Quibus ubi Haquinus ille Baro, impar, aliquot conflictibus navalibus, esset factus, ad prædicta Thorgerdæ sacra confugium habuit, & ope diaboli superior factus est. Horum Piratarum Historiam, in Archivis Dn. Hvitfeldij, veteri linguâ Norvegica, in membrana perscriptam vidi: quam etiam, ipso mandante, latinè vertebam; sed non est mihi exemplar. Nec jam plura occurrunt hujus generis, in gratiam Dn. Magistri, scribenda: nisi aliquid ejusmodi, in Crymogæa reperiatur, hic frustrà repetendum: ut de Opplandorum Svecorum Idolo*, Freyero: *& ejusdem cultu, &c. Lib. 2. Crymog. de Augmundo quodam Islando.* Cui per omnia consentit Excellentiss. Dns. Doctor Olaus Wormius, in Annotatis MS. *Septentrionales hasce gentes omnes ab Odino descendisse volunt Islandi. Hic autem Odinus, tempore Pompeji Magni, ex Asia pulsus, in Europam migravit, ac in Saxonia primò sedem fixit. Deindè in Cimbriam se contulit* Reidgotaland *dictam, cui filium Sciold præfecit, unde Reges Scioldungi. Mox in Sveciam migravit, ac Ingonem filium Regem constituit. Unde Sveci* Inglidær. *Hinc in Norvegiam ivit, cui H---- præfecit. Odinus autem hic primus non fuit, qui has terras occupavit, sed ex Asia fugiens, ad Septentrionales deveniens populos, leges & politiam Asianorum docuit, undè tanto in pretio habitus. Ferniottus enim Rex Finlandiæ ante tempora Odini celebratur, Norus item, Rolfo de Rupe, Sogne, Gorus, Snæro, Gylvo. alijq; de quibus in Islandicis fit mentio.* Verùm plenius & diffusius hæc eadem persequitur Lib. I. Monument. Danicor. Cap. IV. *Deorum, quibus vota sua nuncupare consveverunt majores, ut numen frivolum, ità numerus incertus; interim in majoris & minoris pretij distinctos fuisse classes, historiæ testantur. Saxonem nostrum de præcipuis audiamus disserentem, ac quibus artibus & machinis mortales hi, apud Septentrionales divinitatis gloriam sint assecuti, disertis exponentem. Olim, inquit, quidā magicæ artis imbuti, Thor videlicet & Othinus, alijq; complures, miranda præstigiorum machinatione callentes, obtentis simplicium animis, divinitatis sibi fastigium arrogare cœperunt. Quippe Norvegiam, Sveciam, ac Daniam, vanissimæ credulitatis laqueis circumventas, ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo ludificationis suæ contagio resperserunt. Adeò namq; fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipsis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eosq; Deos, vel Deorum complices, autumantes, veneficiorum auctoribus solennia vota dependerent, & errori sacrilego, respectum sacris debitum exhiberent. Quo evenit, ut legittima feriarum series apud nos eorundem nominibus censeatur, eum ipsis Latinorum Veteres, sive à Deorum suorum vocabulis, sive à septeno Planetarum numero, nuncupationem singillatim adaptasse noscantur. Duobus hisce numen tertium adaptarunt, quod masculini aut fœminei num extiterit sexus, incertum: licet fœmineo choro plures*

illud ascripserint. Hoc juxta quosdam, Fricco, vel Frigo, juxta alios Frigga, Frea, vel Freya, vocatum invenio, qui Otthini uxorem scortationibus & furtis celebrem eam fuisse volunt. Ab hac dies Veneris Fredag/vel, Freidag/ nostratibus indigetatur. Hæcce tria primaria & majorum gentium fuisse numina plerique arbitrantur. Ac Othinus quidem, ab alijs Vodanus, ab alijs As dictus; eò quod Asianorum huc in septentrionem migrantium princeps fuerit. Singulariter namque As; at multitudinis numero Æsar vel Æser dici cœperunt, teste Arngrimo Crymog. Lib. 1. Cap. 6. Armatus sculpi solet, cum ense, Martis instar. Ejus effigiem Septentrionis Reges aureo complexi simulacro, statuam suæ dignationis indicem, maximâ cum religionis simulatione, Bysantium transmiserunt, cujus etiam brachiorum lineamenta, confertissimo armillarum pondere perstringebant. Saxo Lib. 1. & paulò pòst. Othinus statuam in crepidine collocavit, quam etiam mirâ artis industriâ ad humanos tactus vocalem reddidit. Ex quo, quantâ polluerit arte præstigiatrice, liquidò constat. Instar senis monoculi albo clypeo tecti & equo insidentis, quandoque suam implorantibus opem, se conspiciendum præbuisse, non uno in loco docet Saxo noster. Hinc illud Lib. 2.

Et nunc ille ubi sit, qui vulgo dicitur OTHIN
Armipotens, uno semper contentus ocello?

Atque huc trahendum quod Lib. 1. ait. Spoliatum nutrice Hadingum, grandævus forte quidam altero orbus oculo, solitariam miseratus, &c. Item Lib. 7. Cujus eventum Haraldo oraculis explorare cupienti, Senex præcipuæ magnitudinis, sed orbus oculo, obvius extitit, qui hispido etiam amiculo circumactus, Othinum se dici, bellorum usu callere testatus. Historia Norvagica refert ab hoc Odino ad regni administrationem adscitos duodecim ex præcipuis suis in Magia complicibus, qui postmodùm, non secus ac ipse, divinis honoribus à rudi plebe culti sunt. Thor cum Sceptro Regis instar fingebatur, de quo posteà plura. Apud Vpsalenses in Svecia eorum præcipuus vigebat cultus, ubi etiam inauratum ijs dicatum fanum, in quo statuæ trium horum singulari devotione colebantur; quod his docet Albertus Crantzius in præfatione Libri primi Sveciæ: In hoc templo (quod totum fulgebat ex auro) statuas trium venerabantur Deorum, antequam Christo crederent. Potentissimus Thor, in medio, triclinio strato pulvinari, colebatur. Hinc indè latera ejus cingunt VVodan atque Fricco. Thor, inquiunt, præsidet in aëre, tonitrus & fulgura, ventos & imbres, serenitatemque gubernans, fruges administrat, cum fructibus universis. Alter VVodan (hoc est fortior) bellis præsidet, hominibusque fertur in hostes vires subministrasse. Tertius Fricco pacem & voluptatem moderatur, cujus etiam simulachrum turpitudinem præ se ferebat. VVodanem sculpunt armatum, ut alij Martem, Thor autem cum Sceptro Jovem videbatur exprimere. Hæc maxima ex parte ex Johanne & Olao Magno deprompta video. Addit verò Olaus Lib. 3. Cap. 3. Triggam depictam etiam fuisse cum gladio & arcu, cum armis, quòd in

A illis terris uterque sexus semper ad arma promptissimus esset. Thor verò cum Corona & Sceptro ac duodecim, (alij septem) stellis. Statua Thorronis, quam cum socijs venerabatur Dala Gulbrandus, loco sceptri, malleum manibus tenebat, docente Historia Olai Crassi, quem inter divos retulerunt Norvagi. Per hunc solennia juramenta præstitisse veteres comperio. Unde etiamnum multis familiaris hæc formula: Mei Thore gud/ ex mala consvetudine in usum tracta. Quanvis hi tres semper primarij habiti sint Septentriona-
B lium Dij, vetus tamen & solennis jurandi formula, quæ extat apud Arngrimum Crymog. Lib. 1. Cap. 4. & 7. quartum ijs annumerat Niordur nomine, qui primus Norvegiæ statuitur monarcha, multis lustris ante Haraldum Pulchricomum. Juramenti formula inter reliqua hæc habet: Hialpi mier suo Freyr/ og Niordur/ og hinn Almachtke As. Sed nec hoc Idolorum numero contenta fuit Septentrionalis superstitio, verùm more aliarum gentium plures adhuc, quamvis minoris pretij, sibi selegit Deos atque Deas.
C Inter has & Disa vel Thisa locum invenit, Thorronis uxor, quæ quòd justitiæ singulariter favere credebatur, non minus locum inter Deas promeruisse videbatur, quàm Frigga Othini conjunx. Ab hac quidam volunt secundum Septimanæ diem dictum Tiisdag. Ei Vpsaliæ magnâ pompâ & solemnitate annuatim sacra fiebant, Tisething dicta. Quibus cum interfuisset Adels Regulus Sveciæ XXII, ab equo delapsus, ad lapidem caput ità confregit, ut paulò pòst vitam cum
D morte commutarit, attestante Historia Norvagica. Ab eâ quoque appellationem sumpsit Pagus Thisewelde propè Fridricsburgum, à scaturigine & fonte Thisæ dicato sic dictus. Fonti verò ipsi, pontificiæ religioni addicti, nomen mutarunt, ac D. Helenæ sacrarunt. Quò etiamnum & hodie confugiunt multi, morborum variorum curationes sibi pollicentes. Fuit & Tiis, Anglis Teves, Latinis Teutas, de quo Lucanus in hunc modum:

E Et quibus immitis placatur sangvine diro
Teutades, &c. ——

Refert namque Lactantius Lib. VII. Gallos Hesum & Teutadem humano sangvine placasse. Hisce affinis Tyr fuit, Odini filius, audaciâ & manuum promptitudine divinitatis honores adeptus, cui pro victoria, sive singulari certamine, sive aliter certandum esset, supplicationes fiebant. Ab hoc Islandi diem Latinis Martis, nobis Tiisdag dictum volunt. Tyrsdag enim se legisse memorat Arngrimus. De hisce consula-
F tur Lib. 1. Fast. Dan. Cap. XV. Goëam quoque Nori filiam, à Svecis pro Dea habitam, eique pro victoria consequenda, annuatim in Februario sacra facta esse, Arngrimus noster in supplemento Rerum Norvagicorum MS. testatur. Ab eâ mensis anni secundus, quem nos Februarium vocare solemus, Goëa dictus. In hunc censum relatus Fró Deorum Satrapa, qui sedem haud procul Vpsala cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus & seculis usurpatum, tristi infandoque piaculo mutavit: Saxo Lib 3. Hujus etiam classis, Methothin Deorum Pontifex, Vagnofthus, Hadingus,

aliaq;

aliaq; ejus generis monstra hominum quamplurima. Quò enim quis eo seculo audacia & sceleribus promptior, eò ad divinos honores viam adeptum esse compendiosiorem, credebant miseri. Fuisse etiam apud nostrates Idolorum terrestrium & aquatilium quoddam discrimen, in MSto quodam inveni. Nam pro annonæ fertilitate, & frugum copia, quandam sollicitabant, ut Latini Cererem, cujus nomen expressum non inveni. In mari imperium obtinere Noccam *quendam credebant, instar Neptuni; unde aquis suffocatos à Nocca abreptos spargebant.* Nocken tog hannem bort/ etc. Tandem ultimo loco ascribere operæ pretium duxi Joannis Vastovij Gothi de Idolis Borealibus Collectanea, in Præfatione Operi de Vitis Sanctorum præfixa. *Solem, Lunam, suosq; Reges, quemadmodum Persæ ac Chaldæi, ut numina colebant: animantes etiam quasdam cum Ægyptijs: Duces, Heroas, qui cæteris sapientia præstiterant, cum Græcis: cum Romanis omnium gentium serviebant erroribus, & magnam sibi videbantur assumpsisse religionem, quia nullam respuebant falsitatem. Soli ac Lunæ primos hebdomadæ dies dedicatos habebant; Disæ tertium; Othino seu Odino quartum; Thoroni quintum, eidemq; primum anni Mensem; Friggæ sextum; Flammæ ultimum; quorum nominum, omni reliqua superstitione sublatâ, etiamnum usus est. Et Thor quidem, Odinus ac Frigga, Majores Dij dicebantur, non septentrioni tantùm, sed etiam reliquo ferè orbi noti. Minores verò dicti fuere: Goëa Thoronis filia, cui secundus anni mensis nuucupatus: Vagnostus & Hadingus præsidiarij in bellis Dij: Rostiphus, exquisitis præscientiæ studijs celebris: Rostarus stupendæ immanitatis; Fro, seu Froto, Deorum Satrapa: Methotin summus Deorum pontifex, dignus & ipse, qui coleretur, judicatus, quòd Sacrificia Ceremoniasq;, quibus reliqui dij colerentur, distinxerit & ordinaverit: Mara,* [nobis Mare/ unde Maren rider ham] *nocturnum spectrum, & dormientibus insidiosum: Neccus* (qui Nicken est) *nullam beneficam Divinitatis opinionem adeptus, sed certa tantum pernicie metuendus, quòd aquis suffocaret. Et ne Gothico Oceano suus deesset Neptunus, ignoti nominis Virgini de Blakulla, ventorum ac maris imperium concessit antiquitas. Fatales Sorores, seu Nymphæ, in sylvis, montibus & speluncis, sua templa nullo humano artificio, præstigiosis quibusdam carminibus extructa habebant. Ab his oracula & consilia dubijs in rebus petebantur, eisq; vota solenni ritu nuncupabantur. Lares, Lemures, Fauni, Satyri, inter quos Mimmingus quidem clarus, Larvæ, Stryges, Lamiæ, Manes (Gastæ dicti) & similes monstrorum greges, Eluarum chorea dicebatur. Quid dicam de Lucis, arboribus ac fontibus, quibus etiam divinitatem quandam inesse credebant.*

44. *Paganâ Superstitione*] Quinam olim *Pagani* dicti sint, & quâ ratione ad gentiles nuncupandos id vocis translatum sit, egregiè, ut omnia, exponit Vir celeberrimus, & fati iniquitate heu! nobis & bonis literis maturè nimis ereptus, Matthias Berneggerus, in Notis suis eruditissimis ad Svetonij August. Cap. XXVII. A Commate 6. *Pinarium, Equitem Romanum, cum concionante se, admissâ turbâ paganorum, apud milites subscribere quædam animavertisset; curiosum ac speculatorem ratus, coràm confodi imperavit.* Sic in Galba Cap. XIX. *Ibi Equites, quibus mandata sc. cædes erat, cum per publicum, dimotâ paganorum turbâ, equos adegissent.* Ubi *Pagani*, non sunt, ut Sabellico placet, agrestes rustici: sed quicunq; Romani *non milites*, quomodo non solùm in Juris Civilis libris *Pagani* sæpius *militibus* opponuntur: sed & apud Juvenalem Sat. XVI. B

——— Citius falsum producere testem
Contra Paganum possis, quam vera loquentem
Contrà fortunam armati, contraq; pudorem.

Et Tacitum Hist. II. *Manente legionum auxiliorumq; discordiâ, ubi adversus paganos certandum foret, consensu.* Ità *cultu pagano* homines *armatis* opponit Plinius Lib. VII. Epist. 25. *Sunt enim ut in castris, sic etiam in literis nostris, plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus invenies.* C Cur autem *Pagani* dicantur, qui tamen urbani sunt, invenies in Dionys. Halicarn. Lib. IV. 19. Appiano ἀπόλεμοι sunt: Plutarcho & Herodiano ἰδιῶται. Atq; hinc in Constitutionibus Impp. Christianorum, & Patribus, alieni à fide Christiana Pagani quoq; dicuntur, quod scilicet militiæ Christi nondum nomen dederint. Sed longè aliam vocis hujus originationem adducit ὑπέρσοφος Casp. Barthius Advers. Lib. XIII, Cap. 4. D Blennum *Græcum Francicum* Villein *fecisse credat, qui nescit in omnibus ferè linguis* rusticum, *crassi cerebri, segnem, obtusum, minusq; civilem sonare. Ab eo, quòd qui pagos habitabant, aërem non mutabant ferè, sed avitis moribus contumaciter inhærentes, extra conversationem humaniorem educabantur. Undè & opponitur horrido & stupido* civilis. *Nec alia ratio videtur Christianorum apud Latinos primorum fuisse, cur Idolorum cultui sine rationis & veritatis respectu inhærentes,* E Paganos *appellarent. Et quidem non serios aut curiosos, qui promptius religioni divinæ obsistebant, sed pervicaces, velut rustico stupore pugnantes. Sanè &* paganica numina *sunt, quæ comparata cum alijs Idolis crassi intellectus & obtusorum sensuum dici possint. Ut Ausonius Ethnicæ phraseos nimium retinens, Faunos* Paganica numina *vocat, ex bestijs & hominibus mixtos.*

Pag. 104. vers. 27. *Ferrum hoc quatuor stilis dispertitum*] Graphicè heîc describit Saxo *Murices* F illos ferreos, qui in quamcunq; partem incubuerint, unum, aut plures, aculeos infestos protendunt. Eorum usus est in militiâ ad prohibendas hostium vel incursiones, vel eruptiones, sive illi pedites, seu Equites adventârint. Flavius Vegetius *Tribulos* appellat, Lib. III. Cap. 24. ubi de quadrigis seu curribus falcatis & Elephantis, quâ ratione ipsis in acie obsisti possit. *Maximè*, inquit, *hac Romanorum arte perierunt:* (in bello scilicet adversus Antiochum & Mithridatem) *ubi ad pugnam ventum est, repentè toto campo*

campo Romani tribulos abjecerunt, in quos currentes quadrigæ cum incidissent, deletæ sunt. Subjicit deinde Instrumenti hujus talem descriptionem: *Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quoquo modo abjeceris, tribus radijs stat, & erecto quarto infestum est.* Eorum quoq; mentionem fecit Herodianus Lib. IV, ubi de Macrino Imperatore, & bello Parthico adversus Artabanum: *Romani quoties pedem conferebant, facilè adversarios superabant. Posteà verò quum ab equitatu & Camelorum multitudine premebantur, fugâ simulatâ tribulos, aliaq; machinamenta ferrea acuminata projiciebant. Quæ sub arenis latentia, nec cuiquam conspecta, perniciem Equitibus & Camelorum insessoribus afferebant. Quippe illis calcatis, equi, potissimùm verò Cameli (quoniam huic generi mollissimæ sunt ungulæ) succiduè claudicabant, excussis tergo insessoribus.* Hos etiàm Persæ contrà equitatum Alexandri Magni spargebant. Q. Curtius Lib. IV. *Nondum ad teli jactum pervenerant, cum Bion quidam transfuga, quàm maximo cursu potuerat, ad regem pervenit, nunciaans murices ferreos in terram defodisse Darium, quâ hostem equites emissurum esse credebat; notatumq; certo signo locum, ut fraus evitari à suis posset.* Sic Valerius Maximus Lib. 3. ubi de Scipione Æmiliano: *Suadentibus quibusdam, ut circa mœnia urbis, quam obsideret, ferreos murices spargeret, nè subita eruptione hostes impetum in præsidia nostra facere possent.* Plutarchus in Apophtegmatis: καταπεῖραι τριβόλους σιδηροῦς ὅπως μὴ διαμιλλῶντες οἱ πολέμιοι προσμαχῶνται τοῖς χώμασιν. Hoc est: *Spargere tribulos ferreos, ne hostes aggeribus insistentes pugnam illinc ciëre possent.* Salvianus Massiliensis Lib. VI. de Gubernatione Dei: *Exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; scilicet ut etiàmsi non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat.* Nostrates Foedangell dicunt, & circa ambitus hortorum frequenter spargere solent, ne fures nocturni sepes inpunè transiliant, & pomaria, aliave loca custodibus destituta violent. *Tribulos* verò Robertus Walturius de re militari Lib. X. egregiè deformatos Lectoris oculis subjicit.

37. *Haconem Daniæ tyrannum*] Intellige Dynastam, aut Satrapam, aut virum armorum laude præstantem, sub imperio Frothonis.

49. *Circà mimos ac joculatores*] *Joculatores* sunt scenici illi artifices, & circumforanei agyrtæ, qui varijs corporum motibus, & stupenda ludificandorum oculorum peritiâ se ostentantes, miserum quærunt quæstum. Julius Firmicus Lib. II, Cap. 12. ubi de signo Virginis loquitur: *Significat viros sapientes, industrios, & joculatores.* Johannes Sarisberiensis, Lib. I. Policratici, Cap. VIII. *Hinc mimi, salij vel saliares, balatrones, æmiliani, gladiatores, Palæstritæ, gignadij, præstigiatores, malefici quoq; multi, & tota joculatorum scena*

A *procedit.* Unde Firmico, *Joculationes*, Lib. V. Cap. 5. *Erunt enim tunc læti, alacres, jocundi, sed joculationibus dediti.* Et Cap. VI. *Tunc in jocosis conviviis, lætisq; sodalitijs vocabuntur, tunc joculationes cantusq; exercebunt.* Iterum Lib. VI. Cap. 29. *Venus & Mercurius si in unum pariter fuerint collocati, joculationem ac ludorum amorem inducunt.* Saxo mox infrà: *Ita jocularis ministerij sordidæq; conditionis catervam probroso animadversionis genere insecutus.*

Pag. 106. vers. 26. *Cum ergò Svertingi facinus*
B *planè ab honesto desciverit, nè utile id quidem extitisse constabit*] Respexit Saxo ad illa Valerij sui verba Lib. VI, Cap. 5. *Nihil utile, quod parum honestum videri possit, ducitur.* Cicero quoq; Lib. 3. Officior. multis argumentis contendit, nihil esse revera utile, quod non honestum idem fuerit.

28. *Odiumq; in propatulo exercere*] Quod eleganter Seneca Controvers. Lib. IV. Cap. 28. *professas inimicitias cum aliquo gerere*, dixit.

50. *In obscœnissimas fœditatum voragines præ-*
C *cipitare gaudebat*] Ammianus Marcellinus Lib. XIV. p. 14. *Mensarum enim voragines, & varias voluptatum illecebras, ne longius progrediar, prætermitto.*

51. *Fartores, lixas, frixoria*] Inter sordidissimos luxuriosæ gulæ ministros, *Fartores*, etiàm recenset Comœdiæ Latinæ Scriptor undecunq; elegantissimus, Terentius, Eunucho. Actus II. Sc. II.

Concurrunt læti mî obviàm Cupedinarij omnes
D *Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, aucupes.*

Ubi Ælius Donatus, insignis Grammaticus: *Fartores, qui insitia & farcimina faciunt.* At vetus Scholiastes Eugraphius de ijs intelligit, qui altiles aves assiduè farciunt, ut citius pinguescant: quod ipsum in anseribus, columbis, Gallinis Indicis hodieq; fieri, tàm apud nos, quàm alibi gentium observavimus. Nam sic habent verba Eugraphij ad hunc locum: *Aucupes sunt Cupedinarij omnes. Fartores dicimus, qui farciunt, ut in*
E *meliorem sagenam pinguescant, putà aves.* Columella Lib. VIII. Cap. 7. *Pinguem quoq; facere gallinam quamvis fartoris, non rustici sit officium, tamen quia non ægrè contingit, præcipiendum putavi.* *Frixorium*, vasis est genus, in quo frigitur: Sartago etiàm fictilis, in qua farra torrebant. Hesychio est φρύγετρον vel φρύγετρος. Apicius Cœlius Lib. VII. quem *Politeles* inscripsit, Cap. V. p. m. 28. *Fretale* vocat: *Elixatur & infunditur in fretale piper.*

F Pag. 107. vers. 2. *Indigestam ventris saniem fœtido oris anhelitu ructabatur*] Martianus Capella Lib. III. pag. 49. *Fœtidos ructus vitiosi oris exhalant.* Cyprianus Epist: 7. Lib. 1. de ijs, qui Ecclesiam veram deseruerunt, & Dominum negaverunt: *Cœnis atq; epulis etiàm nunc inhiant, quarum crapulam, nuper superstite indies cruditate, ructabant.* Illustrissimus super hac re locus est Senecæ Epistolâ XCV. quem totum ascribere, quum prolixior sit, supersedeo.

9. *Ex quâ filios susceptos*] Corruptissimus A hic in prioribus Saxonis Editionibus locus fuit. Vitiose etenim in omnibus ita legebatur : *Ex quâ filios susceptos Frothonem, Fridlevum, Ingellum, atq; Olavum, quem quidem ipsius sorore editum asseveranter antiquitas perhibet.* Nullo plane sensu. Quare hunc in modum restituendus omnino erit, si quid sani inde elicere velis : *Ex quâ filios susceptos Frothonem, Fridlevum, Ingellum, atq; Olavum* [*quem quidam ipsius sorore editum asseverant*] *antiquitas perhibet.* Firmant hanc lectionem, B quæ sequuntur sub initium Lib. VII. de eodem Olavo : *Ingello quatuor filios fuisse, ex iisdemq; tribus bello consumptis, Olavum solum post patrem regnasse, perita rerum prodit antiquitas : quem quidam Ingelli sorore editum incerto opinionis arbitrio perhibent.*

29. *Exerto quoq; lumbari*] *Lumbare* hic *subligar*, sive *subligaculum* denotat, vel femoralia, quorum mox mentionem facit Saxo. Glossæ Isidori : *Lumbare, subligar.* Gloss. GræcoLat. περίζωμα, *Cinctum, Lombare, ventrale.* Ono- C mast. GræcoLat. *Lumbare*, περίζωμα. Catholicon Joannis de Janua : *Lumbare, quod & Lumbar dicitur, cingulum circa lumbos, quòd eo lumbi religentur, vel quòd lumbis inhæreat. Idem dicitur & coxale, & bracarium, & renale.* Sed de tali cingulo hic non agitur ; nisi si interpremur Et Skiødskind / eller Forklæde / som Guldsmidde haffuer for sig. Jerem. Cap. 13. v. 11. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi* D *omnem domum Israel.*

35. *Libidinosæ contrectationis petulantiam*] Convenientibus hic utitur verbis Saxo. Nam *contrectare, pertrectare, attrectare*, in rebus Venerijs, sæpè occurrunt apud melioris notæ Auctores. Videatur Bourdelotius, Vir Clariss. ad Petronij illud : *pertractato vasculo tàm rudi. Petulantia* est juvenilis in Venerem impetus. Petronius Arbiter : *Obstupui ego, & nec Criton verecundissimum puerum sufficere huic petulantiæ affir-* E *mavi.*

50. *Medias cæsus nates*] Ejusmodi vulnus, sive plaga, antiquissimis Danorum dicebatur ᚴᛚᛆᛘᚼᚯᚵᚵ, Klamhögg. Glossarium Islandicum MS. ᚴᛚᛆᛘᚼᚯᚵᚵ, KLAMHÖGG / *Fœm. Gen. Obscœnitatis verber*, *à* ᚴᛚᛆᛘ, Klam / id est, *fœdus, obscœnus sermo* ; *&* ᚼᚯᚵᚵ, Högg / id est, *ictus, verber*, *percussio.* Knitlinga Saga : Hañ slǒ ham̃ Klåmhögg vin F thiǒ thuer : hoc est : Hand slog ham Skendehug twerß offuer Rumpen. Tali etiam plaga affectus fuit Hildigislæus quidam, de quo Saxo infrà Lib. VII. *Hildigislæus ambas nates telo trajectus, elabitur* : & Haraldus, *cujus dependentis pygam sagitta aliquis confixit*, eodem hoc libro.

51. *Turpissimi ciniflonis exitio*] Non injuriâ id genus fabri, qui auro, argento, æri, ferro flando feriundo operantur, *Ciniflones* dicuntur, eò quod vel flatu oris, vel folliculis adhibitis, sopitos cinere ignes excitent : ut luculentum sui ipsius interpretem mox agit Saxo. Acron ad illud Horatij Lib. 1. Sermon. Sat. 2.

Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ.

Ciniflones, inquit, *& Cinerarij eâdem significatione apud veteres habebantur, ab officio calamistrorum, id est, verum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos crispabant. Dicti autem Ciniflones ab eo, quod in cinerem flant, ad calefaciendum ferrum. Ciniflones* etiàm dici merentur focarij, qui focum lignis extruunt, seu, ut Juvenalis loquitur, *foculum buccâ excitant.* Joh. Sarisberiensis Lib. VII, Policratici. p. 409. *Hi sunt, qui magnarum domuum, non modò officiales, sed ciniflones, rogant, ut cum locum viderint, meminerint sui.* Nostra vernacula quàm proximè exprimit, dùm Aske-pustere eos appellat.

Pag. 108. vers. 5. *Aut ubi nunc uxorius ille quiescit?*] *Uxorius*, nî fallor, hoc loco est mulierosus, φιλογύνης, vel ut Homerus Iliados N. γυναικομανής. Sic infrà Lib. VIII. Inter proceres, qui Ringoni Regi Sveciæ militarunt, Rolf quidam numeratur, cui cognomentum *uxorij* incesserat. Nam aliæ vocis hujus notationes vix huc facere videntur : qualis illa est apud Virgilium :

——————— *pulchram uxorius urbem*
Extruis ————————————

Ubi quidem *uxorius* eum denotat, qui uxori nimis inservit, γυναικοκρατούμενος : sicut & apud Horatium Od. 2. Lib. 1.

——————— *Vagus & sinistrâ*
Labitur ripâ, Jove non probante,
——————— *Uxorius amnis.*

Aut quando id significat, quod ad uxorem pertinet, ut apud Ciceronem : *In arbitrio rei uxoriæ melius est.*

19. *Castoreo cui tegmen erat chlamys obsita limbo*] Significantibus equidem verbis, vivisq;, quod ajunt, coloribus, intolerabilem aurifabri hujus luxum depingit hic Saxo noster, dum illi vestimenta attribuit tàm vilis atq; abjectæ conditionis homine prorsus indigna. Ità hoc loco *chlamydem* ipsi assignat, quod indumentum erat Imperatorium, idemq; cum paludamento : de quo videatur Lazarus Bayfius Libro de re Vestiaria, pag. 203. Hanc *chlamydem* dixit *obsitam* fuisse *Castoreo limbo*, hoc est, limbum in circuitu habuisse ad oram extremam adsutum, vel ex pilis Castoris animalis contextum, unde hodieque confectos pileos, magno ubiq; esse in pretio constat : (Galli vocant *un castor*, nos Ein Beffuerfilt dicimus) quemadmodùm etiàm ex pilis camelorum conficiuntur vestes : vel ex pelle Castoreâ in fascias dissectâ, quam olim non minus fuisse pretiosam testantur Plinius, Isidorus, & Johannes de Janua, cujus in Catholico hæc sunt verba : *Dentes habet accutissimos, pellem pretiosam.*

tiosam. Est autem *Castor*, qui & *Fiber*, & *Canis* A *Ponticus* dicitur, animal ex eorum genere, quæ Græci ἀμφίβια vocant, quòd tàm in terra, quàm in aquis vivant. Isidorus Lib. XII. Cap. 2. Origin. *Castores*, à *castrando* vult dictos. Nam *testiculi eorum*, inquit, *apti sunt medicaminibus; propter quod, cum præsenserint venatorem, ipsi se castrant, & morsibus vires suas amputant. De quibus Cicero in Scauriana: Redimunt se à parte corporis, propter quod maximè expetuntur. Juvenalis:*

——————— Qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damnum
Testiculi ———————

Hactenus Isidorus; qui hæc ad verbum ex Servio descripsit: cujus eadem sunt verba ad Lib. 1. Georg. Virgilij. A *Castore* est *Castoreum*, Substantivum. *Castorea*, autore Plinio Lib. XXXII. Cap. 3. vocantur *testes Castoris.* Unde *virosa castorea*, Virg. 1. Georg. *Grave Castoreum*, Lucretius Lib. 6. Est & adjectivum Castoreus; ut Casto- C reus odor. Plin. Lib. XII, Cap. 24. *Limbus* vero fascia est, quâ extremitates vestium ambiuntur & ornantur. Græci κύκλον vocant. Hinc κυκλὰς tunica, quæ Limbum habet. Glossæ: *Limbus*, πέζα, κύκλος, περιπόδιον. Dicitur etiam Latinis *Instita.* Virgilius:

Sidoniam picto chlamydem cirumdata limbo.

Et Ovidius:

——————— Qvam limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum.

Statius Papinius:

At tibi Mæonio fertur circumflua limbo
Pro meritis, Admete chlamys, repetitaq; multo
Murice ———————

20. *Instratæ gemmis crepidæ*] Mirus olim in calceamentis lusus luxusq; fuit. Ut nihil de calceis lunatis, lineis, albis, coccineis dicamus, inprimis multo auro calceos, crepidasq; ornatas gestabant. Justinus Lib. XXXVIII. de exercitu Syriæ Regis Antiochi: *Argenti certè auriq; tan-* E *tum, ut etiàm gregarij auro caligas* (hoc est, calceamenta) *figerent, proculcarentq; materiam, cujus amore populi ferrò dimicant.* Quod intelligendum est de clavis aureis, quos circumcircà soleis infigere solebant; ut patet è Clemente Alexandrino Pædagog Lib. II. Cap. XI. Non autem hic stetit luxus; itum est ulterius, & gemmæ quoq; adhibitæ, quas vel superiori calceorum parti, quâ pedes vestiuntur, hinc inde annectendas curabant, vel etiàm soleis suffigebant, ut sic F gemmæ quoq; calcarentur. Curtius de Sophite Libr. IX. *Vestis erat auro purpuràq; distincta, quæ etiam crura velabat: aureis soleis inseruerat gemmas.* Flavius Vopiscus de Carino: *Habuit gemmas in calceis.* Sed non magnum hoc in Principibus: affectàrunt etiàm pauperes. Plinius Lib. IX. Cap. 35. *Quin & pedibus gemmas, nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt. Neq; enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.* Plura de hoc calceamentorum luxu congessit Philippus Rubenius in Caput 14. Lib. II. Electorum. Videatur quoque Benedicti Baldvini Calceus antiquus & mysticus. Hic itaq; superbi juxtà ac effœminati hujus ciniflonis luxuria atq; mollities liquido apparet, qui non tantum crepidis, quod muliebre, sed & densâ gemmarum serie planè *instratis*, hoc est, tectis, ac coopertis uteretur, quod suprà fortunam ejus gestamen erat.

B Ibid. *Toga cultior auro*] Ut pote quæ vel filis aureis in tela contexta, vel signis & clavis aureis intexta & acupictilis. Illam Græci τὴν διάχρυσιν, hanc χρυσόπαστον, χρυσῷ κατάπαστον & κατάστικτον dici monet Doctissimus Salmasius ad Ælium Lampridium, pag. 224. Ubi quoque ad priorem significationem illud Virgilij referendum esse ait: *Et picturatas auri subtemine vestes.* ad posteriorem vero hoc ejusdem.

——————— pallam signis auroq; rigentem.

Lampridius eleganter *pallium auro sparsum* vocavit, hoc est, auro distinctum, vel signis aureis acupictum.

21. *Splendida nexuerant tortum redimicula crinem*] Solebant veteres Germani, Galli, & nostri Dani, crines à fronte ad verticem, atq; inde ad cervicem retorquere, vel ut Tacitus de Svevorum gente refert, *obliquare crinem, nodoq; substringere.* Hinc *tortus crinis* Poetis dicitur in po- D steriorem verticem flexus atq; reductus, & in nodum coactus. Martialis libro Spectaculorum, Epigram: 3.

Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.

Quod autem redimiculis & vittâ capillos constrinxerat mollis ille & delicatus Aurifaber, id insolitum effœminati cultus ornamentum repræsentabat. Nam mox infrà Starchaterus: *virilibus comis muliebre redimiculum injici non oportere*, rectè monet.

27. *Magni se credere cœpit*] Forte tantundem erit, ac *magni æstimare.* Nisi dicamus legendum esse *magnis*, scilicet parem, se credere cœpit.

54. *Atq; puellæ Ora premens pugno*] Hujus castigationis mentio paulo ante videtur desiderari. Nam suâ potius pœnâ, quàm fabri, ad melioris vitæ studium, animum intendisse puella videtur.

Pag. 109. vers. 7. *Digna molâ*] Digna, quæ in pistrinum detrudaris, ut ibi molam trusatilem versando te excrucies: quod ancillarum olim fuit. Videatur Plautus, & alij.

9. *Uber inops lactis*] Raro etenim virgunculis in mammis lac, antequàm virum passæ fuerint. Varro Andabatis: *Candidum lacte* (pro lac) *è papilla cum fluit, signum putant partuis* (pro partus) *quòd hic sequatur mulierem à partu liquor.*

10. *Sed noli suspicionis Ferre notas, aut te falsis permittere linguis*] Nam *magnus Pudicitiæ fructus est*

est, pudicam credi: & adversus omnes illecebras, atq; omnia delinimenta muliebris ingenij, est veluti firmamentum, in nullam incidisse fabulam, ait Seneca Lib. 2. Controvers. Cap. 15. Eleganter Ausonius:

——————— *Parum distare videtur*
Suspectus, vereq; reus ———————

Consimile est illud Quintiliani dignum memoratu: *Carendum non solùm crimine turpitudinis, verùm etiam suspicione.*

40. *Subducunt aurea massis*] *Massa* dicitur adhuc rude metallum, quod nondum formam recepit. Sic Lucanus Lib. VI.

Primus Thessalicæ rector telluris Ithonus
In formam calidæ percussit pondera massæ;
Fudit & argentum flammis, aurumq; monetâ
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Juvenalis Sat. X.

Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladiosq; parante
Incude, & luteo Vulcano ad Rhetora misit.

Persius Sat. II.

Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.

Et Idem Sat. V.

Tu neq; anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos ———————

Ibid. *Subducunt aurea massis crustula*] Nota fraudem Aurifabrorum; qua etiam Chymici hodierni, vel si fortè Alcumistæ sint dicendi potius, egregiè uti norunt. Hanc luculenter describit magnus ille Erasmus Roterodamus colloquio, quod inscribitur, ni fallor, *Convivium fabulosum.*

Pag. 110. vers. 35. *Diali itinere*] Hoc est, unius diei itinere, quantum viæ uno die confici potest. *Dialis* enim à die est; quomodò olim Otacilius Pitholaus Caninium per jocum *Consulem Dialem* nominavit, quòd ultimo anni die consul à Cæsare factus esset.

48. *Idem*] Starchaterus scilicet, non Helgo ipse, quomodo perperàm existimant interpretes.

Pag. 111. vers. 30. *Pergenuans*] Id est genibus repens. Græci unico vocabulo eleganter efferunt γονυπετέω. Matthæi Cap. XVII, vers. 14. προσῆλθεν ἄνθρωπός τις γονυπετῶν αὐτῷ.

48. *Præconis partibus*] Hoc est, rabulæ forensis. Nostratibus een Deelefoget/een Tingstud.

Pag. 112. vers. 3. *Emancipandæ conjugis gratia*] *Emancipare* hoc loco sumere videtur Saxo pro è servitute vindicare. *Emancipari* dicebantur, qui patris potestate exibant: & id propriè de liberis, ut manumittere de Servis: etiamsi hoc discrimen non usquequaq; observetur. *Emancipare* etiam veteres dicebant pro alienare & vendere. Plinius Epist. Lib. VII. *Agrum ex meis longè pluris actori publico emancipavi.* Svetonius in Othone: *Adhibitus arbiter totum agrum redemit*

A *emancipavitq;* : id est: suum jam factum mancipio tradidit illi. Ad quem locum ità Læv. Torrentius: *Emancipare, est quovis modo alienare, & in alienum transferre dominium rei alicujus.* Plautus: *Emancupo me tibi:* id est, tuæ me potestati trado. *Emancipati,* inquit Festus, *duobus modis intelliguntur; aut ij qui ex patris jure exierunt, aut ij, qui aliorum fiunt dominij.*

23. *Qui nimirùm quæstum non nossent*] M. Cato de re Rustica: *Majores nostri virum bonum*
B *cum laudabant, ità laudabant: BONUM AGRICOLAM, BONUMQUE COLONUM: amplissimè laudari existimabatur, qui ità laudabatur.* Et paulò post: *Ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximeq; PIUS QUÆSTUS, stabilissimusq; consequitur, minimeq; invidiosus. Minimeq; malè cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.* Aristoteles in Politicorum libris multoties illud iterat, optimam esse rempublicam, cujus cives ex re rustica atq; ex pastione vivunt.
C Cujus rei hanc causam reddit: ὅτι πολιτεύονται κατὰ νόμους. ἔχουσι γὰρ ἐργαζόμενοι ζῆν· οὐ δύνανται δὲ σχολάζειν: *quia ex lege seq; resq; suas regunt. Habent enim ex opere suo quantum satis ad vivendum sit. Et tamen eis otiosis esse non licet.* Cæteras respublicas, quas opificum & mechanicorum multitudo tenet, longè deteriores judicat, cum ignava eorum desesq; vita sit, neq; ullum opus eorum cum virtute congruat. Ita
D & Flavius Josephus, rerum Judaicarum scriptor, maximam genti suæ laudem tribuisse se putat, quòd eam ab agriculturæ studio commendat. χώραν ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐκπονοῦμεν: *terram fertilem habitamus, atq; in cultura ejus operam sumimus* : quem locum debemus Jurisconsultorum eminentissimo, Petro Cunæo, Viro profundæ eruditionis, & propter purissimæ dictionis elegantiam ac venustatem verè seculi nostri Ciceroni, & si quid Cicerone
E eloquentius esse poterit.

Pag. 113. vers. 8. *Hebetudinem ad acuminis habitum carbonibus*] Inest huic Starchateri responso translatio desumpta à fabrorum officinis, qui ferrum ignis beneficio ità torrent ac recoquunt, flatiliq; ardore sic procudunt, ut quævis inde tela, quævis arma, aliq; instrumenta inde conficere queant; imò ad eam interdum redigunt duritiem, ut proximè ad chalybis naturam accedat: quod Dani at Hærde. Ad eun-
F dem modum & Starchaterus significabat, se eum in finem in Daniam appulisse, ut crebris exhortationibus effœminato Ingelli animo faces ad virtutem subderet, eumq; ad ulciscendum parentis necem inflammaret. Quod ipsum feliciter confecisse, testantur illa, quæ inferius leguntur, verba: *Tantum autem monitus sui incitamento profecit, ut ab enervi & frigescenti animo, veluti quadam reprehensionis silice, flagrantissimum fortitudinis ignem extunderet.*

Rapi-

10. *Rapidum ac præceps iter explicuit*] Plinius Junior Lib. VIII. Epist. I. *Iter commodè explicui; excepto, quòd quidam ex meis, adversam valetudinem, fervescentibus æstibus, contraxerunt.*

Pag. 114. vers. 1. *Aliquo in momento ponendi luxuriam nunquam vacavit*] Insolens locutio, sed Valerianam redolens ἀκυρολογίαν. Sic enim totidem ferè verbis Valerius Maximus Lib. IV. Cap. 3. *Deinceps ex iis vocemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquàm vacavit.*

14. *Postquàm se enim Teutoniæ moribus permisit*] Thori videlicet sociam asciscendo Svertingi, Saxoniæ Ducis, filiam, ejusq; filios in intimam familiaritatem & convictum admittendo. Rectè monent Politici, tria peregrinorum connubiorum incommoda existere solere. Primum, quòd gens propria, sincera, suiq; similis, aliarum nationum connubiis inficitur, & ut sangvinis, ità morum labem trahit. Alterum, quòd per ea in habitum exoticum Respublica fœdari solet. Tertium, quòd concordia, præcipuum conjugij bonum, vix inter eos, qui gente, ac proindè genio, ingenio, moribusq; discrepant, locum habere potest. Hinc de Germanis scribit Tacitus, quòd nullis aliarum nationum connubiis infici voluerint, *ut propria, & sincera, & tantùm sui similis gens existeret.*

33. *Inextricabilibus amicitiæ hamis*] Sic Dudo S. Quintini Decanus Lib. 3. *Inextricabile amicitiæ vinculum* dixit: *Varijs donis & muneribus vicissim ditati, inextricabili amicitiæ vinculo connexi sunt & fœderati.*

47. *Fortunæ magis, quàm charitati cultum tribuunt*] Huc pertinet insignis ille Taciti locus Libr. 1. Histor. Cap. XV. *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eâdem constantiâ retinebis, sed alij per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuiq; utilitas. Etiàm ego ac tu simplicissimè inter nos hodieq; loquimur; cæteri libentius cum FORTUNA NOSTRA, quàm NOBISCUM.*

52. *Musam instituit*] Cantilenam exorsa est, quâ animum Starchateri deliniret, & ad hilaritatem flecteret. Poëticè dictum. Virgil:

Silvestrem tenui Musam meditaris avenâ.

Pag. 115. vers. 2. *Statuæ magis, quàm homini canere putaretur*] Statuæ hominem frequenter comparant authores, qui omnis veluti sensus expers, nullâ re commoveri potest. Nota est historia Thaidis meretricis, cui cum juvenes exprobrarent, quod Demosthenis animum suis blanditijs emollire nequiverat, sibi rem fuisse cum homine putasse, non cum statua, respondit apud Agellium, Valer. Max. & alios. Vide Adagium: *Statuâ taciturnior.*

14. *Tibicini tibiam erogavit*] Non tibiam, quam inflare poterat, sed tibiam carne nudatam; hoc est, os, quod inter vescendum carne spoliaverat, inq; frontem gesticulantis tibicinis impegerat. Est itaq; hic in voce *tibiæ* elegans ἀμφιβολία. Cæterum *tibiam*, instrumentum Musicum, à tibijs animalium, unde prima tibiarum materia, sic dictam esse, olim cum Bono Deo, in Tractatu meo de Tibijs, quem inter schedas etiamnum certis de causis asservo, luculenter demonstrabo.

Pag. 116. vers. 1. *Albicet quanquam senio capillus*] Martianus Capella sub initium Lib. 1. *Respersum capillis albicantibus verticem, incrementisq; lustralibus decuriatum, nugulas ineptas aggarrire non perferens.*

2. *Permanet virtus eadem vetustis*] Hoc est, senio confectis: quomodo etiàm Latini Scriptores alij usurpant. Claudianus de Eutropio:

——————— *Vetustum*
Mancipium, semperq; novum ———

Dudo de S. Quintino Lib. III. Cap. 91.

Cernuus hic senio probitatis prole gaudebat,
Et soboles luculenta ætatis patre vetustæ.

Undè Saxo *Vetustatem* pro *Senectute* dixit Lib. VIII.

Ipse ego quàm noceat, didici, damnosa vetustas.

Ità Laberius Mimographus in Prologo, apud Macrobium Lib. II. Saturnalium:

Ut hedera serpens vires arboreas necat,
Ità me vetustas amplexu annorum enecat.

S. Aldhelmus, Ænigmate IV. pag. 59. de Aquila:

Corpora dum senio corrumpit fessa vetustas,
Fontibus in liquidis mergentis membra madescunt.

Et Aldhelmus de Laudibus Virginitatis Cap. VIII. *Licèt moribundæ carnis fessa fragilitas fatiscat, & propinquante fati termino, cernuâ curvâq; vetustate senescat.* Quin & *Veteres* pro senibus positum in Inscriptionibus, quas Clariss. Vir, mihiq; quondam Collega amicissimus, D. Joh. Meursius, Exercitation. Criticar. Parte I. Cap. 3. exhibet.

1. ARCOBRICENSES. JUVENES. ET. VETERES. STATUAM. IN. FORO. POSUERE.

2. ARUNCITANI. VETERES. ET. JUVENES. OPT. CIVI.

3. TURIASON. VETERES. ET. JUN. STATUAM. IN. FORO. MINERVÆ. OPT. CIVI. P.

Plautus *Vetulos* appellat Epidico Actus II. Sc. 2.

Sed eccum ipsum ante ædes conspicor Apæciden
Qualis volo, vetulos duos: ————

quemadmodum & Saxo ipse hoc in carmine:

Cedat imbellis vetulo juventus.

Et Lib. VII. *Vetulum acrius dimicantem non memini.*

8. *Prærogat escis*] Ità fortè rectius legendum pro *Prorogat*: *Prærogare* est præferre. Expendat cordatus Lector.

38. *Stomachum reclinas*] Innuit, ni fallor, morem prandendi veterum, quo reclines mensæ accumbebant.

18. *Cujus enitar vitium ferire*] *Ferire*, latius hic sumitur, pro reprehendere, quod ipse autor sæpius *pulsare* vocat, aut *castigare*.

19. *Ne cutis curam sequar*] Respexit illud Poëtæ: *In cute curanda plus justo operata juventus.*

47. *Dum nates versans volucris rubellæ*] *Volucris rubellæ* est ad rubedinem usq; tostæ. Nos diceremus, Een Fugl som er smuct røde Bruun stegt. Nam de uxore Ingelli hæc minimè capienda. Id quod sequentia firmant in eandem dicta sententiam:

Non ego magnum memini Frothonem
Dexteram fibris volucrum dedisse:
Podicem cocti lacerasse galli
Pollice curto.
Quis prior regum potuit gulosus
Viscerum putres agitare sordes?
Aut manu carptim fodicare fœdam
Alitis anum.

A *rubro* est *rubellus, a, um*: & *rubellulus, a, um.* Persius Vejentanum vinum *rubellum* vocat, Sat. V:

——— *Vejentanumq; rubellum*
Exhalet vapidâ læsum pice sessilis obba?

Martialis:

Et Vejentani bibitur fex crassa rubelli.

Sic Martianus Capella Lib. VIII. p. m. 271. *rubellum calvitium* dixit: *Cupido hilarus accurrit, atq; ut depile rubellumq; calvitium senex baculo acclinatus afflixerat.* Et Lib. V. pag. 187. *rubellulum umbilicum.*

Tandem loquacis terminata paginæ
Asserta cursim, quæ tamen voluminis
Vix umbilicum multâ opertum fasciâ
Turgore pinguis insuit rubellulum.

Cæterùm hæ duæ partes *clunes* & *pectus*, semper in avibus expetitæ fuerunt. Seneca Epistolâ XLVII: *Alius pretiosas aves scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit.*

Pag. 117. vers. 24. *Ordinesq; conchyliorum*] *Conchylia* olim inter mensæ luxuriosæ delitias; sicut & ostrea. Petronius Satyrico:

——— *Inde Lucrinis*
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.

Nam Romani *ostrea* & *conchylia Lucrina* maximè amabant. Martialis Lib. III. Epigr. 60.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Seneca Epist. LXXXVIII. *O infelicem ægrum! quare? quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur.* Vide Cl. Meursij de Luxu Romanor. Tractatum. Cap. XIV.

27. *Podicem cocti lacerasse galli*] *Lacerandi* verbo usus est consimili in re Petronius Arbiter, ubi de convivio Trimalcionis agit: *Processit statim scissor, & ad symphoniam ità gesticulatus* A *laceravit obsonium, ut putares Darium, hydraule cantante, pugnare.* Sic ubi Saxo mox *carptim fodicare* dixit, itidem Petronius vocabulum *carpendi* usurpavit: *vides*, inquit, *illum, qui obsonium carpit.*

29. *Quàm vorax lactis vacuare sinum*] Hoc est, vas lacte plenum deplere, seu exhaurire. *Sinum*, vel *sinus*, vasis genus est ventris tumidioris & rotundioris, galeolæ cujusdam formam habens. Virgilius Eclogâ VII.

B *Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis*
Exspectare sat est. ———

Ubi Servius: Sinus *genus est vasis, quod cum significamus, producitur: cùm verò gremium significamus, corripimus.* Varro Lib. IV. de LL. *Sinum à sinu, quòd sinum majorem cavationem, quàm pocula, habeat.*

24. *Exhibens sumptum tenui salino*] Horatius Lib. II. Od. 16.

C *Vivitur parvo benè, cui paternum*
Splendet in mensa tenui salinum.

Et Lib. 1. Sermon. Sat. 3.

——— *Sit mihi mensa tripes, &*
Concha salis puri. ———

Nempè sic optat, qui paucis est contentus.

33. *Nec cibis lancem cumulavit olim*] Sensus est: Nec olim in frugali illâ Frothonis aulâ, comptus agaso, & minister altè præcinctus, patinam varijs ciborum generibus, tanquam in D cumulum assurgentibus oneratam, mensis intulit, nec ut Plautus loquitur, *struices concinnavit patinarias*; vel ut propius ad mentem Saxonis, Eubulus Comicus apud Athenæum, πατανίων σωρεύματα extruxit.

34. *Comptus agaso*] *Agaso* Græcum est, ἄγω, ἀγάζω, ἀγάζων: & propriè significat ἱπποκόμον, seu custodem equorum, equisonem, vel mulionem. Verùm Saxo latius vocabulum usurpat, & *agasonem* ponit inter servos fortè lautiores, E & ministros convivales, ad imitationem Horatij Lib. 2. Sat. VIII.

——— *Si patinam pede lapsus frangat agaso.*

Ubi rectè Acron: *Agaso propriè dicitur servus, qui jumenta curat. Hìc autem satyricè escarum ministrum Agasonem appellavit, quem vulgò dicunt Infertorem.* *Comptum* vero *agasonem* vocat ornatum convivali habitu & vestimentis nitidioribus, imò coma ipsa decorum, non aliter ac ibidem Horatius: F

——— *Ut omnes*
Præcincti rectè pueri, comptiq; ministrent.

Pag. 118. vers. 20. *Despuit Ursam*] Quid si legendum *despicit?* ut Lucanus Lib. 1.

——— *Certè populi, quos despicit Arctos,*
Felices errore suo ———

5. *Sorte tum barbam quaties sinistra*] Inter mœsti animi indicia fuit veteribus, comas lacerare, barbam vellere, caput foribus allidere, femur

mur percutere, & id genus alia. Videantur pas- A ſim apud autores exempla.

9. *Cum pavor mentem gelidus repigret*] Hoc eſt; cum effœminata illa timiditas, quæ animum tuum occupavit, retardet, inhibeat, & prohibeat te, ne præclarum aliquod facinus aggredi audeas, ne audeas ulciſci necem parentis tui. *Repigrare* etenim hoc loco ſignificat remoram injicere, cohibere, retardare, & id genus alia. Apulejus Lib. I. Metamorph. *Amatoris ſui uxorem, in ſarcinam prægnationis obſepto utero, & repigrato fœtu, perpetua prægnatione damnavit.* Et Lib. VIII. *Cum & ipſo lumine, dirarum beſtiarum repigratur impetus.* Martianus Capella Lib. I. *Stimulabat paululum Jovem, ne Cyllenius uxoris fotibus repigratus, ſomnolento repentè marcore torperet.*

Pag. 119. verſ. 50. *Dicere ſæpè foro*] Sic omninò lego pro *diſcere*, quod in prioribus fuit editionibus. Nam *dicere*, hoc loco, eſt *cauſas agere*, quod forenſe & oratorium eſt verbum. Seneca de morte claudij.

Deflete virum, | *Quo non alius*
Potuit citius | *Dicere cauſas;*
Unâ tantùm | *Parte auditâ,*
Sæpè & neutrâ.

Hinc *Cauſidici* dicti, & *Dicentarij*: Gloſſæ Philoxeni: *Dicentarius*, δικαστικός.

52. *Venali celebrans commiſſa negotia linguâ*] Oceanus eruditionis Caſpar Barthius Adverſ. Lib. XXVI, Cap. 19. *celerans* legit. Alioquin τὸ *celebrare* paſſim Saxo pro facere, peragere, curare, exercere, præſtare, perficere, aut ſimile ferè notione, uſurpat. Lib. I. *Neſcius ferri celebrabat ictu Enſis obtentum.* Et paulò antè: *Nec congruit monſtris amor Fœmineo celebratus uſu.* Lib. IV. *Complura rerum novarum officia ſedulo frequentationis ſtudio celebranda curavit.* Lib. V. *Regem celebrandi conjugij monitis adhortantur.* Et paulò poſt: *Futuri quoq; ſoceri majeſtatem ampliſſimis honoribus celebravit.* Et eodem libro: *celebrare bella*, pro bellis incumbere. Imò hoc ipſo libro:

Dum gravem gemmis nitidamq; cultu
Aureo gaudes celebrare nuptam,
Nos dolor probro ſociatus urit.

Et alibi centies. Lexicon Græco-Lat. Vetus. p. 471. ἐπιτελῶ, *celebro, perago, perficio, agito. Celebrare ſolutionem*, pro debitum repræſentare, ſeu ſolutionem præſtare, dixit aureus ſcriptor Joh. Sarisberienſis Policrat. Lib. VII. p. 413. *Et eo conſtat eſſe inopem debitorem, qui ſolutionem celebrare non poteſt, niſi novi gratiâ creditoris.* Ovidio alijsq; Poëtis, idem eſt quod *frequentare* Lib. IV. Metamorp. de Thebanis ſororibus in veſpertiliones converſis,

Tectaq;, non ſilvas celebrant, lucemq; peroſæ
Nocte volant, ſeroq; tenent à veſpere nomen.

Et paulò pòſt de exanguibus umbris in regia Ditis:

Parsq; forum celebrant, pars imi tecta tyranni,
Pars aliquas artes, antiquæ imitamina vitæ,
Exercent. ——————

Et Lib. VII.

Inde lacus Hyrias videt, & Cycneia tempe
Quæ ſubitus celebravit olor ——————

Et Lib. X.

Isq; metu vacuus, naturaliq; pavore
Depoſito, celebrare domos ——————

B Et Lib. XIV.

Najades æquoreæ, ſummisq; in montibus ortæ
Molle fretum celebrant. ——————

Lactantius de Opificio Dei, pag. 705. *Illud quoq; præſtat ut in lavacris celebrandis, quià nares calorem ferre non poſſunt, aër fervens ore ducatur.* Vincentius Lirinenſis Commonitorio: *Antiquitatem verò ità, ſi ab ijs ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos majores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt.* Gariopontus, Medicus Vetuſtiſſimus Lib. III. c. C 61. de Lithiaſi: *Quando ſupini jacuerint ægrotantes, facilius mictus celebrant.* Sic ejusdem Libri Cap. 70. *In uſu etiam Venereo, in quo difficiles ſunt, plurimus ſudor relaxatur, & ſeminis jactum non facilè celebrant.* Cæterùm eleganter Saxo *venalem linguam* dixit eorum, quibus lingua in quæſtu eſt, ut loquitur Quintilianus. Lucanus Lib. I. verſ. 268:

Hos jam mota ducis, vicinaq; ſigna petentes
Audax venali comitatur Curio linguâ.

D Seneca de morte Claudij *Cauſidicos* non minore venuſtate *venale genus* appellavit. Apprimè verò huc faciunt, quæ ex alijs autoribus huic loco illuſtrando collegit Nobiliſſimus Barthius: ut illa Manilij Lib. III.

Judiciorum opus in quarto natura locavit,
Fortunamq; fori: vendentem verba patronum
Pendentemq; reum linguâ ——————

Et Senecæ Hercule Furente:

E *Hic clamoſi rabioſa fori,*
Jurgia vendens, improbus, iras,
Et verba locat ——————

Item Statij Papinij Lib. IV. Silvarum:

Eſt & frementi vox hilaris foro,
Venale ſed non eloquium tibi.

Nec minus Martialis Lib. V. Epigramm. XVI.

Nam ſi falciferi defendere templa tonantis,
Sollicitisq; velim vendere verba reis.

In eandem Sententiam Petronius Arbiter Saty- F rico:

Ipſi qui cynicâ traducunt tempora cœnâ
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.
Ergò judicium nihil eſt, niſi publica merces.

Accedat his vetus Epigrammatarius in deteſtationem Avaritiæ ità ſcribens:

Hinc eſt, quòd populus aurum quaſi numen adorans,
Audet in ignotum ſpontè venire nefas:
Speq; lucri totiens excedere jus & honeſtum
Suſtinet, ut gratis nunc juvet eſſe reum

Jus ruit, ordo perit, sceleri placet ora manusq́;
Vendere, quàmq́; inopem, tàm pudet esse probum.

Auctor Queroli de togatis, hoc est, Causidicis: *Vende vocem, vende linguam, iras atq́; odium loca.* Fulgentius Planciades in Continentia Virgiliana; ubi forensem Causidicum Cerbero, cum Petronio, comparat: *Ergò tunc jurgij calumnia dicitur, & venalis lingua in alienis exercetur negotijs, dùm studij doctrina profecerit; sicut in advocatis nunc usq́; conspicitur.* Ità apud Livium Lib. XLV. C. Decimius Oratores, qui pro Perseo Rege adversus Romanos dixerant, *Concitatores vulgi, venalem linguam habentes*, rectè appellavit. Quibus ego adjungam, Epimetri loco, unicum hoc Bernhardi Morlanensis, de sui seculi censoribus & Judicibus, Lib. 2. de Contemptu Mundi. pag. 47.

Censor adest, labra vendit, amat lucra, censet iniquum:
Astat habentibus, obstat egentibus, os inimicum.

Notatu quoq; dignum est, quòd Antistitum ille Antistes, B. Augustinus, qui Mediolani Rhetoricam docuit, se ipsum *venditorem verborum* appellaverit: & ipsam Professionem suam, sivè Eloquentiam, *Nundinas loquacitatis.* Hæc etenim verba ipsius sunt ex Libro IX. Confessionum: *Renunciavi, peractis Vindemialibus, ut Scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium quæ-*
A *rerent.* Et: *Placuit tibi* (Deus) *in conspectu tuo, non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ Nundinis loquacitatis.* Et iterum Lib. IV. Confess. Cap. 2. *Docebam in illis annis artem Rhetoricam, & victoriosam loquacitatem, victus cupiditate, vendebam.*

Pag. 120. vers. 4. *Testudine nullâ*] Auctoris hanc esse mentem puto: Hunc ego mentis parum compotem, & cordis planè obtusi hominem dixerim, qui ullis latebris aut munimentis
B fatum evitare se posse confidit. Quamvis etenim in profundissima valle, & quidem confertâ clypeorum testudine tectus, recubet, mortis tamen spicula minimè effugiet. Firmant sequentia:

——— *Latebrâ letum depellere non est.*

Et paulò superius dixit:

Occidet nequam pavidumq́; pectus,
Nec fugax fati stimulum refellet,
Valle condatur licèt, aut opacis
C *Incubet antris.*


Testudinem facere, vocant rei militaris Scriptores, cum milites consertis scutis se tegunt, adversus impetum lapidum, aliorumq; telorum desuper incidentium. Ità Livius: *Galli testudine factâ conferti stabant.* Huc verò pertinere videtur illud Martialis Lib. IV. Epigram. 47.

Nullo fata loco possis excludere, cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM VII. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 120. vers. 22. *ALterum terris, alterum aquis regiâ ditione præesse*] Huc facit illud, quod suprà notavimus de Piraticâ veterum Danorum, quòd cum Reges sæpè copiosam post se relinquerent sobolem, singulisq; liberis pro dominandi libidine non sufficere videretur patria; alij eorum domi regnum patrium administrarint, alij classe atq; commeatu instructi, maris imperium, ex usu & commodo suo gubernando, sibi vindicarint. Cæterùm ut hoc etiam ὡς ἐν παρόδῳ adjungam, illi, qui olim pyraticam exercebant, antiquis Danis dicti sunt ᚢᛁᚴᛁᚾᚴᛁᚱ, Vikinger. De qua voce Vir Excellenti Doctrinâ, & incomparabili Antiquitatum nostrarum peritiâ, D. Olaus Wormius, ad Monumentum Tirstadense, hunc in modum commentatus est. *Pyratica olim honesta ac licita erat, atq́; in ea se crebrò Reges ipsi, aut eorum liberi, exercebant; ascitis famosioribus athletis, corporis robore & virtute præstantibus. Constabat autem Pyratica hæc certis legibus. Non imbelles, aut simplici navigatione victum quærentes, aggredi licitum erat: sed ij, qui VIKINGORUM superbiebant*
D *titulo, hostes saltem, aut alios hac arte celebres, quiq́; pyraticâ magnam opum vim corrasissent, debellabant. Dictos sic volunt à VIG, quod Danis maris sinum notat. In ijs enim delitescebant à tempestatum injurijs tuti, ut hostibus commodius insidias struere possent. Eâdem hac voce etiam homicidia & cædes olim notarunt; ac eo sensu pyratæ hi VIKINGER rectè dicuntur: quos enim devicerunt, vitâ mulctabant. Inter omnes verò Vikingos, quos Historiæ nostræ celebrant, famosissimi erant* Jomsvikinger *dicti; qui Julini,*
E *olim* Jomsburg/ *sedem fixam, & Rempublicam certis ac firmis legibus constitutam, habebant. Hi ex regiâ Danorum orti prosapiâ, omnibus semper erant formidabiles, & præclaro animi & corporis enitebant robore, ut fusè varijs in locis docet Historia Norvagica. Cambdenus refert, rerum Anglicarum Latinis Scriptoribus Danos dictos fuisse* Viccingos, *quòd Pyraticam exercuerint.* Viccingar *enim Saxonicâ linguâ, teste Alfrido, pyratam denotat.* Viccingos *autem vocat, quos nos* Vikinger. Hactenus Wor-
F mius. Ex ejusmodi Vikingorum numero erat Doalir, cujus meminit Monumentum Tirstadense, modò laudatum:

Frisi



Friki siodi Doalir Vikigar diaudu aug Vassur/ Sinian hand vard Taudun sun. Sinian han vard Dofoing. Eftr Froda fronti sin reisdu stein densi Osrad aug Hiltur. Hoc est: *FRIKI Piratam Doalir occidit & Vasfur. Sinian erat Tauduni filius. Sinian Dofonis erat Servus. Frotoni cognato suo lapidem hunc posuerunt Osradus & Hiltur.*

25. *Deformis evasit*] *Deformis* hoc loco, nî fallor, pro contempto, abjecto, vili, seu infelici, infortunato & infami positum: ut mox; *Deformem se fieri, contemptumq; sibi strui judicans.* Pro *turpi* solens utitur Valerius Max. Ut Lib. 2. Cap. 1. *Hac turpi & erubescenda sentina vacuefactus noster exercitus, qui paulò ante metu mortis deformi se fœderis ictu maculaverat.* Et paulò post: *Quid enim tam difficile factu, quàm copulato societate generis & imaginum, deformem in patriam reditum indicere?* Et Lib. 2. Cap. 2. *Eorum dignitatem domi collabi indignum, sibiq; deforme esse arbitrabantur.* Et alibi sæpius.

Pag. 121. vers. 1. *Subtellibus annectentes*] Hoc est, pedum volis. *Subtel*, τὸ κοῖλον τοῦ ποδὸς. Papias: Subtel, *ima pars pedis, vel medietas.* Priscianus Lib. V. *In EL correpta neutri generis sunt; ut; mel, fel, subtel.* Perottus: Subtel, *vel* Subtal, *concavum pedis, sicut vola, quod scilicet sub talo fit.* Saxo mox infrà:

Quid miri tenerum nobis durescere subtel?

11. *Latrantum quoq; iis vocabula indita*] *Latrantes* Substantive heic Saxo noster posuit; quomodò etiam loqui amat elegans Poeta Phædrus, Fabulâ ultimâ Lib. V.

A

——————— Hic tùm venator dolens
Canem objurgabat. Cui senex, contrà, latrans.

Senex latrans, id est, vetulus canis. Sic apud eundem *Laniger* pro *agno*, Fab. 1. Lib. 1. *Barbatus* pro *Capro*. Fab. 66. Lib. 4. & id genus alia passim occurrunt. Æmilius Macer Lib. 3. Cap. 2. de Folijs Agrimoniæ:

B

Morsus serpentis, pariter rabidiq; latrantis,
Atq; venena fugant. ———————

Svavissimus quoq; Poetarum Guntherus Lib. V. Ligurini:

Portavit scapulis passus plus mille latrantem.

Pindarus de Bello Trojano, mox sub initium Libri:

C

Iram pande mihi Pelidæ, diva, superbi,
Tristia qui miseris injecit funera Grajis,
Atq; animas fortes Heroum tradidit Orco,
Latrantumq; dedit rostris volucrumq; trahendos
Illorum exangues inhumatis ossibus artus.

Ipse Saxo infrà: *Dum obnixos latranti vertices inclinaret.* Sic *morientes* pro *mortalibus* usurpavit Sulpitia in Satyra:

Quasq; dedit quondam, morientibus eripit artes?

Et Johan. Sarisberiensis carmine, quod Nugis Curialium præfixit, *pennata* pro *avibus:*

Retia

Retia pennatis nequeunt prævisa nocere.

Natantes pro *piscibus*, Ammianus Marcellinus ſub finem Lib. XXVI. *Mare diſpulſum retrò fluctibus evolutis abſceſſit, ut retectâ voragine profundorum, ſpecies natantium multiformes limo cernerentur hærentes.* Et Lib. XXVII: *Atq; ut natantium genus elemento ſuo expulſum haud ità diu ſpirat in terris.*

14. *Rem quantalibet nodorum conſertione perplexam*] Id eſt, Rem abſtruſam, & veluti nodis quibusdam intricatam & abſconditam, qualis ille *nodus Gordius* fuit, cujus finem & exitum nemo invenire potuit, ob latentem vinculorum cohærentiam; de quo videatur omninò Curtius. Rem igitur ſic vocat per Metaphoram, haud ſecus ac vincula, quæ adeò in nodum arctè colligata ſunt, ut difficulter, ſummoq; non ſine labore diſſolvi queant.

20. *Auri incuſſione perfundunt*] Significantiſſimo uſus eſt vocabulo, ad abundantiam quandam auri denotandam, quâ veneficam placarunt, nè Haraldi filios proderet.

35. *Ad vigilias evocare*] Prò è ſomno excitare, & facere, ut evigilet. Nova loquendi formula.

42. *Lymphantium more ſe gerere cœperunt*] Ità legendum duxi; & rectius, ut opinor; quàm quomodo priores Editiones repræſentabant; *Lymphantibus morem gerere cœperunt.* Vel ſi mavis: *Lymphantium in morem ſe gerere cœperunt.* *Lymphantes* autem, ut notiſſimum eſt, dicuntur mente capti. Nam *Lympha* Latinis aqua eſt, quæ Græcis Νυμφὴ: undè *Lymphaticus*, furioſus, inſaniens, qui vitium mentis ex imagine Nymphæ in aqua conſpectæ contraxit, autore Feſto. Hinc *Lymphari*, inſanire, deſipere.

54. *Svetiæ manus injecit*] Valeriana locutio. Valerius Max. Lib. 2. Cap. IX. *Expugnentur urbes, corripiantur gentes, regnis injiciantur manus.* Alioquin *manus injicere*, ſignificat inhibere, ſiſtere, revocare, reprehendere: ut apud eundem Valerium Lib. 3. Cap. 1. *Ad externa jam mihi exempla tranſire conanti, M. Bibulus vir ampliſſimæ dignitatis, & ſummis honoribus functus, manus injicit.*

Pag. 122. verſ. 5. *Cæteris conſpicuo virtutis habitu præmineret*] Cum cæteros virtute antecelleret, anteiret, præcelleret, ſuperaret. *Præmineret*, pro *præëmineret*, id quod eſt, ſuprà alios emineret. Solent enim Latini interdum vocales confundere.

23. *Conſpectioris ingenij pugile*] Juſtinum hic expreſſit Saxo noſter, quem ſolens imitatur. Sic etenim ille Lib. XI. *Reges ſtipendiarios conſpectioris ingenij ad commilitium ſecum trahit: ſegniores ad tutelam regni relinquit.* Ubi nota *Segniores* opponi illis, qui *conſpectioris* eſſent *ingenij*, hoc eſt, in quibus ingenij vegetioris, & ad res maximas gerendas aptioris, nota atq; indicium ſe exſereret.

A 34. *Aciem in occiduo conſtitutam oppreſſit*] Fortè hoc ſignificat, in ſummo diſcrimine & extremo periculo verſantem, hærentem quaſi inter ſcopulos, inter ſacrum & ſaxum, ut vulgò dicitur, quæ evadere non poterat, cui nullum patebat effugium. Aut *in occiduo conſtituta acies* forſitam erit, in inferiore & depreſſiore loco, nempe in convalle, conſtituta, ideoq; lapidum ictibus undiq; expoſita.

37. *Ex montium & feritatis nuncupatione*]
B Nobis enim *Mons*, Bierg: & *Ferus*, Gram: ut intelligatur hoc cognomine, qui in montibus feritatem exerit, ferociamq; exercet.

45. *Ità dum injuriam inferre, quàm repellere maluit*] Variè agitata fuit olìm hæc quæſtio; An præſtet bellum domi excipere, an verò in hoſtilem agrum inferre? Certè Q. Fabius Max. cum Africam provinciam ſibi decerni peteret, inter alia retulit, ſatius eſſe ultrò metum inferre hoſti, & à ſe remoto periculo, alium in diſcri-
C men adducere: & multum interreſſe, alienos populari fines, an proprios uri excindiq; videas. Plus enim animi eſſe inferenti periculum, quam propulſanti. Adde quòd melior procul à domo futurus ſit miles, ubi nullum eſt refugium, & neceſſitas pugnandi imminet. Sed & tantò audacius fortiusq; pugnaturus eſt miles in hoſtili agro, quantò major ſpes, majorq; animus inferentis eſt bellum, quàm arcentis. Huc accedit, quòd hoſtes devicti extra fines ſuos, facilè re-
D ſtaurare bellum poſſint, & fines ſuos tueri: ubi ſi domi ſuæ hoſtes ſuperaveris, nullo ſpatio recreandi dato, facile eos opprimere poſſis, & bello finem imponere. Videatur Balthazar Ayala Lib. 2. Cap. VIII. de Jure & officiis bellicis. Profuit certè Erico Daniam bello laceſſere; ita etenim Haldanum amittendi regni metu, relictis Sveonum agris, patriam repetere coëgit, Svetiamq; armis hoſtilibus liberavit.

E Pag. 123. verſ. 11. *Circumpoſitis imminere provincijs*] Sic Svetonius Caligulæ Cap. 19. *Imminere Germaniæ* dixit. Cicero pro L. Manil. *Imminent duo Reges toti Aſiæ.* Horatius Lib. 1. Od. XII. *Parthos Latio imminentes.* Curtius Lib. III. *Alexander Dario imminens.* Tacitus Hiſtor. III. *Imminere excidio urbis*, hoc eſt, cupidè inſtare. Cl. Vir, Matth. Bernegger. ad illum Svetonij Locum Auguſti Cap. 24.

28. *Tantam illis rabiem*] Ejusmodi rabiem
F Veteres Dani ᚼᛅᛘᚱᛁᛘᛘᛁ, Hamremme/ dixerunt, & tali furore percitos Hamramur. Gloſſarium Iſlandicum MS: Hamramur/ id eſt, Biſterſterck; ſaa var den kaldet / ſom bleff bijſter. Inde nomen Hamremme/ Neutr: gen: id eſt, talis furor. Unde Hamaſt/ Bijſter vred. Vocabant etiam Berſerksgangur. Idem Gloſſarium; Berſerksgangur / ſic vocabatur *Berſerkerorum* rabioſus furor, quando dimicaturi erant; quaſi bacchantium inceſſus. Quinam autem fuerint

Ber-

Berſercheri, Gloſſarium modo citatum nos A hunc in modum edocet: Berſerkur] Maſcul. Gen. Berſerks in Genitivo. Berſerker in Plural. fuerunt olim viri famoſi, facinoroſi, robore plusquàm humano, quaſi ſemigigantes. Hiſtoria Gretteri: Their ſtorudu á Rykum Bændum og gofgum til fiår edur kvenna ſkyldu huorer ogyllder fodrum: ſlingu marger af theſu Sman ſuiner/ liiftión med ollu their toku konur/ manna/ og dætur/ og hiældu vid hond ſier viku edur halfan månud/ og færdu ſydan aftur thener åttu their B ræntu hoar ſem their fórn eda giordu adra óſpekt/ their geingu Berſercks gang/ og eirdu ongvo thegar their voru reider. Hoc eſt: Illi indixerunt Monomachiam viris divitibus, & magni æſtimatis, hoc fine, ut illorum bonis unà cum uxoribus fruerentur. Uter horum qui occubuerit, impune alteri ceciderit. Rapuerunt uxores & filias hominum, easq; ſibi ad manus retinuerunt, per hebdomadam, aut medium menſem: deniq; reſtituerunt iis, qui eas poſſidebant; C prædati ſunt quocunq; irent, aut alias turbas excitarunt. Furebant, & nemini parcebant, quum eſſent irati. Tales fuerunt ſeptem hi filij Syvaldi Svetici, cujus hic meminit Saxo. Harthbenum etiam, cujus paulò inferius mentionem agit Saxo, & duodecim athletas ejus, Berſercheris annumerandos cenſeo.

Pag. 124. verſ. 12. *Ut novem cubitis proceritatis ejus dimenſio tenderetur*] Harthbenus proceritate æquabat Og, Regem Baſan, qui ſolus re- D ſtiterat de ſtirpe gigantum, teſte Sacra Scriptura. Ejus etenim lectus ferreus in Rabbath monſtrabatur novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus. Deuteron. Cap. 3. verſ. XI.

25. *Quorum ſangvine per vim potitus fuerat*] *Sangvine*, id eſt, progenie, videlicet filiabus, more Poëtarum. Solens ità loquitur Saxo. Sic Libr. V. *Tantum ſiquidem ab univerſis Fridlevi memoriæ ac nomini tributum, ut tam tenero ejus ſan-* E *guini regnum daretur.* Et alibi paſſim. Ad animalia tranſtulit Phædrus Lib. I. Fab. 27. ubi de Vulpe, quæ in Aquilæ pullos catulorum ſuorum raptum ulciſci conabatur:

Totamq; flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſangvinis.

Et Calpurnius, Eclogâ VI, quæ *Litigium* inſcribitur:

——— *Genus eſt, ut ſcitis, equarum* F
Non jugale mihi, quarum de ſangvine ponam
Velocem Petaſon ———

Pag. 125. verſ. 18. *Cum ſine liberis eſſet*] Jam tùm fortè defuncto Almundo filio, quem ex Thorilda ſuſceperat: de quo paulò ante.

Pag. 126. verſ. 10. *Torpidos ſurſum radios reflecte*] Intellige radios oculorum. *Radius* enim, pro fulgore oculorum, frequenti in uſu eſt bonis autoribus. Plinius; *Cujus ex oculis radij noctè micantes cernuntur.* Gellius Lib. 5. Cap. 16. *Stoici cauſas eſſe videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emiſſionem, aerisq; ſimul intentionem.*

11. *Quare etenim cerebroſa adeò*] Nonius Marcellus Cap. 1. pag. 495. *Cerebroſi dicuntur ad inſaniam faciles, quibus frequenter cerebrum movetur.* Lucilius Satyrarum XV:

Te primum cum iſtis inſanum hominem & cerebroſum.

Gloſſarium vetus pag. 36. *Cerebroſus*, ὀξύχολος. Martianus Capella Lib. VIII. p. 273. *Quòd rapido fervebas cerebroſa motu.*

Ibid. *Dementire cœpiſti*] Id eſt, Inſanire, aut furere. Lucretius Lib. III. ---- *dementit enim, deliratq; fatur.* Apulejus Apologiâ: *Facilius fuit, Æmiliane, ac multò gravius, tete ut ipſum diceres interfuiſſe, & ex eo ſacro cœpiſſe dementire.* Tertullianus adverſus gentes: *Ut aliter dementire videatur, qui ſacras turres pervolat, aliter qui tecta viciniæ tranſilit.* Idem de Anima: *Nam & quum dementit homo, dementit anima, non peregrinante, ſed compatiente tunc animo.* Martianus Capella Lib. VIII. p. 272. *Næ tu*, ait, *infelix, vel Capella, vel quiquis es, non minus ſenſus, quàm nominis pecudalis, hujus incongrui riſus adjectione dementire cœpiſti.* Ubi alij *dementare* legunt; quod tamen etiam uſurpant Latini Scriptores. Apulejus Apologia: *Confeſſa eſt ſeſe meâ Magiâ in amorem inductam dementare.* Gloſſæ Veteres: *Dementat*, Ἀφρονεῖ, ἀπορεῖ, καταγινώσκει.

23. *Generoſis pullulaſſe ramalibus*] Hoc eſt, à generoſo ſtemmate originem duxiſſe. Martianus Capella Lib. VII. pag. 237. de Arithmetica loquens: *Quamvis ſingulos vos, univerſosq; recenſeam ex meis ramalibus germinari.* *Ramale*, ſeu *ramus*, eſt familiæ ſoboles ex ſtirpe deducta; vel ſucceſſor in rectâ lineâ. Unde *ramum ducere* Perſio, Satyra III.

——— *An deceat pulmonem rumpere ventis*
Stemmate quòd Tuſco ramum milleſime ducis?

Idem de Græcis, κλάδος. Gregorius Nyſſenus περὶ θεότητος υἱοῦ, καὶ πνεύματος, loquens de Iſaaco à patre ſacrificando: οὗτος τῆς διαδοχῆς ὁ κλάδος.

46. *Rei ſumma perhorruit*] Adeò tota perturbata eſt Suecorum acies, tantâq; formidine repleta, ut effusâ fugâ ſibi conſulendum duxerint.

Pag. 128. verſ. 6. *Quem ſequens ætas Hyldetand cognominavit*] Si hæc verba fixum hèic locum habere debeant, ſibi ipſe non conſentit Saxo. Nam paulò inferius, hoc eodem libro, exſertis verbis pronunciat, Haraldum, cognomento Hyldetand, ex Haldano & Guritha pregnatum eſſe: quomodo ergo Borcarum & Gro, Alvildæ comitem, parentes habere potuit? Sed omnino ſtatuo vel μνημονικὸν ἁμάρτημα Saxonis hoc eſſe, vel tanquam Gloſſema, nimiâ librariorum curio-

curiositate in textum irrepsisse. Clarifs. Vir, & (A) de patria nostra optime meritus, Johannes Jsaacius Pontanus, ita conciliare bina hæc loca contraria nititur, ut dicat, Haraldum hunc Borcari filium *Hyldetand*, dictum, alterum vero Haldani & Gurithæ filium *Haldtand*, ab hoc longè diversum esse. Sed fallitur optimus Pontanus. Nam unus idemq; est Haraldus *Haldtand & Hyldetand*; quia eadem est cognominis ratio, ab eminenti videlicet dentium ordine, de quo vide mox infrà eodem hoc libro (B)

9. *Fuere quondàm apud Danos fœminæ*] Bellatrices olim fœminas non Dania sola tulit, verùm aliæ etiam agnovêre gentes. Ut taceam Amazonas multorum scriptis decantatas, illustris est Pomponij Melæ de Sarmaticis mulieribus locus Lib. 3. Cap. 4. *Gens est habitu armisq; Parthicæ proxima, bellatrix, libera, indomita, & usq; eò immanis atq; atrox, ut fœminæ etiam cum viris bella ineant: atq; ut habiles sint, natis statim dextra aduritur mamma, ut indè expedita in ictus manu, quæ* (C) *exeritur, virile fiat pectus: ARCUS TENDERE, EQUITARE, VENARI, PUELLARIA PENSA SUNT. Ferire hostem adultarum stipendium est, adeò ut non percussisse, pro flagitio habeatur, sitq; eis pœnæ virginitas.* Apud Jaxamathas, teste eodem Mela, Lib. 1. Cap. 21. *Easdem artes fœminæ, quas viri exercent, adeò ut ne militiâ quidèm vacent. Viri peditibus inhærent, sagittisq; depugnant; illæ equestre prælium ineunt. Nec ferro dimicant, sed quos laqueis intercepere, trahendo conficiunt. Nisi qui hostem in*(D)*teremêre, virgines manent.* Nobis Viragines istæ Skioldmøer à scutis gestatis dictæ. Autor est Strabo Lib. VII. pag. 294. mulieres Cimbrorum veterum, unà cum viris, fortiter strenueq; obiisse *fera munera militiäi*, ut cum Lucretio loquar: Ἔθος ἦν ἐι τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τινὲς τοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις &c. *Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt, ut mulieres suas in commilitium assumerent.*

(E) 13. *Corpus animumq; patientiâ ac labore durare solebant*] M. Junianus Justinus Lib. 38. de Mithridate: *Quibus rebus & insidias vitavit, & corpus ad omnem virtutes patientiam duravit.* Et paulo post: *Exercitum quoq; suum ad parem laboris patientiam quotidianâ exercitatione durabat.* Seneca Svasoriâ II: *Qui pueritiam durat ad futuræ militiæ patientiam.*

17. *Id vitæ genus incedere*] *Incedere* hic usurpasse videtur autor pro *ingredi*, hoc est, aggredi (F) & incipere, quod frequentius reperire licet apud bonos autores: quomodo *Ingredi viam vivendi*, Cicero in Officijs, *Ingredi Consulatum*, Quintilianus Lib. VI. Cap. 1. dixit.

20. *Armorum potius quàm amorum*] Saxoni frequens est Paranomasiæ usus, quâ orationi decus conciliare nititur. Heic triplici jam luxuriat; utpote in vocibus *armorum & amorum*; *telas, telorum*; *lecto, letho.*

Ibid. *Manusq; quas in telas aptare debuerant*] Virgilius Lib. VII. Æneid. de Camillâ:

Hos super advenit Volscâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas,
Bellatrix, non illa colo calathisve Minervæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuq; pedum prævertere ventos.

Ita Silius Italicus de belligera Virgine Hasbita, Lib. II. pag. 61.

Hæc ignara viri, vacuoq; assueta cubili,
Venatu & Silvis primos assueverat annos;
Non calathis mollita manus, operatave fuso,
Dictynnam, & saltus, & anhelum impellere plantâ
Cornipedem, ac stravisse feras immitis amabat.

35. *Magnalium ejus spectata deflexit opinio*] *Magnalia* propriè sunt ingentia facta & admiratione digna. Gr. μεγαλεῖα. Vox est non admodum frequens apud profanos autores, sed veteri Sacræ Scripturæ versioni, & Theologis antiquis, Patribusq; usitatissima. Exod. XIV. v. 13. Deut. X. v. 21. & Cap. XI. v. 2. II. Samuel. VII. v. 21, 23. II. Reg. VIII. v. 4. 1. Chronic. XVII. v. 19. Psal. CVI. v. 21. Auctor. II. v. 11. Tertullianus ad uxorem Lib. 2. Cap. 7. *Sensit magnalia, vidit experimenta.* Item adversus Marcionem Lib. 1. Cap. 2. Cyprianus Lib. I. Epist. 3. *Nec præpositum servum deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem discipuli sui reliquerint.* Iterùm Tractatu de Habitu Virginum: *Quibus multa magnalia cum miraculo faceret.* Et quid attinet omnia Theologorum monumenta excutere? Johannes Sarisberiensis Prologo in Policraticum: *Magnalia Dei apud se quasi quâdam meditationis manu pertractet.*

44. *Insignes procerum titulos conferentibus*] Solebant olim Principum fœminarum, aut alias ditiorum matronarum pedissequæ coràm Herâ & Dominâ sua, temporis fallendi causâ, comparationem instituere virorum illustrium, divitum, fortium, formosorum, & cæterorum: quod frequens etiam viris erat inter Compotationes. Illud linguâ istius seculi vocabant At fara i Mañ Jafnud. Glossarium Islandicum MS. in voce Olteite id est: *Hilaritas convivalis:* Bardamanna Saga: Egill mælto / thad var mier sagt thier hefdud thad fyrer Olteite ad thier tokud ydur Jafnadar mañ / og tohstu mier till Jafnadar Manß thier. id est: Egill sagde; det vaar mig sagt / at i haffde dette til Olstiempt / at i tog eder Lignelsis Mend / [id est: *comparastis vobiscum viros*] oc togst du mig til din Jæffnsmand.

45. *Hæc candore beat mentum*] Prò *mentem*, quod in prioribus fuit codicibus, omninò legendum arbitror *mentum*; ut sensus sit: *Hæc* videlicet *forma*, sive *species*, cujus mentio statim præcessit, *beat mentum candore*, faciem tantùm exter-

externam venustate quadam & decore exornat, [*Mentum* pro facie, sive totâ formâ, pars pro toto: sicut paulò ante ipse autor dixit: *mentiq; ejus levitate conspectâ, animadvertit osculis, non armis, agendum esse.*] *Sed morum severus arbiter*, qui nempe novit *omne decoris blandimentum solâ virtutis æstimatione sordescere*, ideoq; soli virtuti pretium ponit, *beat colorem*, hoc est formæ luculentiam & oris decorem illustrat *mente*, id est, virili & forti animo. Nam si diceret, *Hæc candore beat mentem*, contraria sibi ipsi diceret; quia mox subjungit: *Huic*, intellige menti, *pretium non forma facit, sed fortior ausus Armisq; parta claritas.*

Pag. 129. vers. 27. *Species virtusq; reguntur*] Ità & hic locus concipiendus, quum anteà legeretur; *Virtus speciesq; reguntur.* Absq; eo sit, quàm malè sequentia sibi constent, quis non videt, qui aliquid videt? Revera namq; formæ gloria fluxa ac fragilis, virtus constans & æterna.

44. *Et longos hirto crure manere pilos*] Martianus Capella Lib. VI. pag. 227.

Hanc ego crediderim sentis spinescere membris-
Neq; hirta crura vellere.

Pag. 130. vers. 9. *Quasq; decursa toties littora scabris lapidum fragmentis obtriverint*] Et sæpè cruentaverint; qualiter illi apud Petronium conqueruntur: *Cùm horâ penè totâ per omnes scrupos grumorumq; eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes.*

21. *Dic ergò Venus unica*] Antonomasia est, quum *Venus* pro quavis amica ponitur. Maro Eclogâ 3.

Parta meæ Veneri sunt munera ———

Sed & formula hæc inter dictiones amatorias locum inveniet, quibus blandiebantur sibi plerumq;, qui mutuo se amore prosequebantur. Sic etiàm his blanditiarum vocibus utebantur: *Mea vita, mea lux, meum suavium, anime mi, mel meum, ocellus meus*, vel *ocelle mi.* Testes Tibullus Lib. 4. Ovidius Lib. 3. de arte amandi. Propertius Lib. 2. Eleg. 2. & Eleg. 4, & 11, 15, 18, 19, 20. Martialis Lib. 1. Epigr. 69. Terentius Evnucho Act. 1. Scen. 2. & Actus 3. Sc. 2. Cicero Lib. 13. Epist. ad Fam. 5. Plautus Mostellaria, Actus 1. Sc. 3, & 4. Trinummo Actus 2. Sc. 1. Pœnul. Act. 1. Sc. 2. Asinar. Actus 3. Sc. 3. Agellius Lib. 15. Cap. 7. ex Epistola Augusti ad Cajum, nepotem suum: *Ave mi Cai, meus ocellus jucundissimus.* Sed & Pœnul. Act. 1. Sc. 2. Milphio ità Adelphasio meretrici delicias facit:

Mea voluptas, meæ delitiæ, mea vita, mea amœnitas;
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum suavium.

Vicissimq; ei Adelphasium sic abblanditur:

Meum mel, meum cor, mea colustra, meus mollicukus caseus.

A Itidemq; Asinar. Actus 3. Sc. 3.

Da meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi. ———

32. *Morbo seu gladio, gurgite vel solo*] Carmen est Dicolon distrophon, cujus primus versus Jambicus Senarius, seu trimeter; Secundus quisq; Choriambicus Asclepiadeus Tetrameter Acatalectus. His autem verbis quatuor pœnarum genera includuntur, quarum hic ordo est:
B Si, inquit Signe, te, mi suavissime Hagbarthe, parens meus Rex Sigarus vel 1. perpetuo carceri mancipaverit, ubi longo excruciatus morbo, & tandem squalore ac macie enectus, spiritum deponere cogaris; vel etiam 2. gladio caput tibi recidendum jubeat, capitisq; pœna afficiat seu 3. te culleo insutum, aut lapide colla revinctum, in mare profundum abjiciat: vel 4. deniq; infelici te stipite suffigat, & omnia fractum membra rotis imponat corvis escam.

C 34. *Et me consimili devoveo neci*] Non secus ac apud Longum Sophistam, sub finem Lib. 2. ποιμενικῶν: Χλόη Δάφνιδι τὰς Νύμφας ὤμοσεν, τὸν αὐτὸν ἕξειν θάνατον καὶ βίον: *Chloë Daphnidi per Nymphas juravit, eandem cum illo habituram se mortem & vitam.*

39. *Qui prima nostri carpsit oris oscula*] Ovidius Epistola XI. de Canace:

Non super incubui, non oscula frigida carpsi.

D Corippus Africanus, de Justino Augusto Lib. 3.

Incubuit lacrymans, atq; oscula frigida carpsit.

40. *Et floris teneri primitias tulit*] Per *florem* hìc intellige *virginitatem.* Catullus in Carmine Nuptiali:

Cum castum amisit polluto corpore florem.

Ubi de Virgine loquitur, quæ corrupta est. Martianus Capella Lib. IX. pag. 305.

Aurora exoriens roseis spectabit ocellis
Floris resecti præmia.

E *Primitias floris* itidem dixit Venantius Fortunatus Lib. VI. de Nuptijs Sigeberti Regis, & Brunichildis Reginæ:

Virginitas in flore tumens complexa, marito
Primitijs placitura suis ———

Cicero Philippica II. *Florem ætatis* appellavit, sicut & multi alij tàm Græci, quàm Latini autores. Philo Judæus de Profugis: Ἀκόλαστος γὰρ, ἢ μαχλὰς, ἢ τριοδῖτις σοβὰς, ἢ τὸ τῆς ὥρας ἄνθος ἐπευωνίζουσα. *Impudica vel prostituta, vel*
F *trivialis fœmina, vel ætatis florem vilivenditans.* Sic Achilles Tatius Lib. 1. μηδὲ τὸ ἄνθος πρὸ καιροῦ τῆς ἥβης ἀπολέσης: *neque florem ætatis tuæ ante tempus perditum eas.* Ovidius Metamorphos.

Ætatis breve Ver, & primos carpere flores.

Lucretius Lib. 4.

——— *flore fruuntur*
Ætatis ———

Apulejus Apologiâ: *Venit igitur ad eum nova* A *nupta, secura & intrepida, pudore despoliato, flore exoleto, flammeo obsoleto.* Tibullus Lib. I. Eleg. 8.

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere, non tardo labitur illa pede.

Livius Lib. VIII. *Florem ætatis ejus fructum adventicium credidi ratus, pellicere adolescentem sermone incesto est conatus.* Plura in hanc sententiam suppeditabit Nicolaus Abramus Notis suis doctissimis ad 2 Ciceronis Philippicam.

Ibid. *Et floris teneri primitias tulit*] *Primitiæ* pro primis rei alicujus initijs. Sic Ovidio, *primitiæ operum*: Statio, *armorum primitiæ*: Ammian. Marcellino, *adultæ ætatis primitiæ* dicuntur.

44. *In suâ digressione*] *Digressio* pro *excessu*, seu morte. Ità totus in eo autor noster est, ut cum vulgo non loquatur, sed suprà vulgum & sapiat, & loquatur.

Pag. 131. vers. 52. *Si propinquæ mortis instar alicujus spectaculi imagine pervidisset*] *Instar*, & hoc in loco, & paulo post subsequenti, ubi dicit; *agger elatior veteris fundi instar, protuberantis humi speciem demonstrat*, Nomen est, non Adverbium; & sumitur pro similitudine, specie, imagine, & quicquid rem aliquam repræsentat. Ità Justinus usurpavit Lib. XVIII, Cap. V. *Confluentibus deindè vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant; sedesq; ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar civitatis effectum est.* Undè illa loquendi formula; *ad instar*, hoc est, ad similitudinem, ad exemplum. Idem Justinus Lib. XXXVI. Cap. 3. *Est namq; vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur.* Sic *Instar equi* dixit Svetonius in Cæsare Cap. 61. *Nec patientem sessoris alterius, primus ascendit: cujus etiam instar pro æde Veneris Genitricis posteà dedicavit.* Ubi magnus ille Erasmus Roterodamus: *Instar, pro Signo, Substantivè.* Et Beroaldus: *Instar, effigiem consimilem.* Sabellicus: *Instar, effigiem, ad illius æquationem.* Ità & *Instar navalis belli*, apud Florum reperies Lib. III. Cap. V. pag. 228. *Centum amplius navium classem, apparatumq; belli gravem, in Pontico mari aggressa tempestas, tàm fœdâ strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret*, hoc est, speciem, similitudinem. Apulejus Lib. de mundo: *Ad hoc instar salutem mundi tuetur Deus.* Valerius Maximus Lib. IV. Cap. I. *Quid quod ædes suas diruit, quia excelsiore loco positæ, instar arcis habere videbantur.* Glossæ: *Instar, Similitudo*, ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα.

Pag. 132. vers. 17. *Subjecta tenacula fauces*] Per *tenacula* hic intelligit funiculum seu laqueum, quo suspensis halitus præfocari solet. Utitur Terentianus Maurus in Præfatione:

Angustoq; tenaculo
Certat vincere ponderis,
In præceps, facilem fugam.

21. *Axis uterque*] Josephus Devonius Iscanus Lib. 2. de Bello Trojano:

Amphitrioniaden, axis quem laudat uterque.

26. *Prædictæ rei fides præsentibus locorum indicijs exhibetur*] Prorsus igitur frustranea est opera Johannis Messenij, dum in libello quodam suo, quem, *Sveopenta protopolin*, seu Exegesin de quinque primarijs & antiquissimis Svecorum Gothorumq; Emporijs, Upsalia, Sigtonia, Scara, Birca, & Stochholmia, inscripsit, totus in eo est, B ut contra Saxonem nostrum (quem immeritò crebrò vellicare conatur) evincat, nequaquam hoc loci & circa Sigerstadium, famosum illud & admirabile amoris & fidelitatis specimen ab Hagbarto & Signe editum: sed potius in Svecia, propè Sigtoniam. Verba ejus afferam, ut quàm frivolis & stramineis pugnet hastis, quivis cordatus videat. Ità autem libri citati capite XII. philosophatur. *Cum planities Haborina admo*C*dum sit vicina & contermina civitati Sigtoniensi, de ipsa hoc loco pertractans urbe, etiam mei ratus esse muneris, de planitie memorata, alias famosissima, quædam investigare, & rem gestam veritati confirmare. Potissimum vero cum Saxo ille Sielandus in sua contendat accidisse Dania, hoc admirabile amoris & fidelitatis specimen, præter omnem veritatis similitudinem circumstantijs & loco ipso reclamantibus. Enimverò præterquàm quod ipsa de Haboris & Signes vulgatissimis amoribus, plurimis ante seculis, concinnata &* D *publicata cantio, ipsum Saxonem historiam contexentem erroris arguat sæpissimè: etiàm M. Laurentius Nericius, Ubsalensis Archiepiscopus, fidelissimus antiquitatis investigator Svecanæ, certissimis permotus indicijs & argumentis fallaciam in suo Chronico detegit Danici Scriptoris hoc modo: Hæc est Haboris historia succinctè comprehensa, quam Saxo multis & elegantibus persequitur verbis; verùm apud nos in Svecia alius longè sermo de isto vagatur Habore, velut etiàm ex pervetustis heroicis & eroticis Sveticè conscriptis* E *cantilenis liquidò constat. Nempe, Haborem non fuisse Svecum natione, sed Norvagum, & Signem Regis Sveciæ filiam, atq; Haborem Regis Norvegiæ filium in Uplandia, non procul Sigtonia, in planitie quadam, hodie etiam de illius nomine appellata, & è regione pagi cujusdam, trans flumen, in parœcia Hætuna, Foresigtuna dicti, ubi quondam aula floruit regalis, collocata, fuisse suspensum. Quomodo igitur veritati consentaneum, Haborem amoris illiciti pœnas persolvisse in Cimbrica Chersoneso? Imò mihi nuper à fide dignissi*F*mis narratum hominib9, in ipsa planitie Haborina secus decursum Meleri jacente, paucos ante annos quendam accolarum, caudicem patibuli, in quo Habor circiter annum salutis ducentesimum vigesimum secundum laqueo strangulatus, ex terra eruisse, & plurimis hominum commonstrasse. Nec modicum etiam fidei nostræ apponit sententia, quod prorsus è diametro dictæ planitiei, fuerit regia habitatio, in qua Habor proditus, captus, & morti adjudicatus, trans amnem suspendendus.* Quæ verba cum Vir excellentissimus & insignis Historicus, D. Olaus Wormius, Lib. 2. Monu-

Monument. Danic. Cap. ult. nervosè admodum & solidè refutaverit, nolo hic actum agere; verùm ipsius rationes & argumenta, quæ omninò digna sunt, nè illic tantùm legantur, operæ est pretium, ut hic quoq; adducamus. Itaq; sic orditur Wormius: *Vides*, inquit, *candide lector, quibus arietibus hic homo, tantum autorem, de veritatis & existimationis arce deturbare conetur; ficulneis scilicet & planè ineptis, quos vix examine dignos quivis cordatus existimaret. Sed cum haud pauca etiamnum apud nos extent, quæ autoris nostri fidem firment, percurramus singula ejus momenta.* Saxo, *inquit*, in sua contendit accidisse Dania hoc admirabile amoris & fidelitatis specimen, præter omnem veritatis similitudinem, circumstantijs, & loco ipso, reclamantibus. *Insigniter impudentem hunc hominem esse oportet, qui audacter adeò de loco hoc, quem nunquam vidit, & asserere, & propalare audet, cujus contrarium ocularis docet inspectio. Locum à Saxone adductum, & circumstantias examinet, nisi omnia ad amussim historiæ respondeant, causâ ceciderim. Accede, monstrabo tibi adhuc Sigari urbem & Regiam, imò tumulum; monstrabo aulam Signes; monstrabo Hagbarti monticulum, ubi suspendio multatus, omnia suis nominibus adhuc cuivis rustico accolæ notissima. Quin eodem in loco videbis Susam amnem, lucum, ex quo milites frondes decerpserunt, Valbrunnam, Haconis bustum, aliasq; omnes à Saxone nostro commemoratas circumstantias. Quæ si adeò clara in planitie Sigtoniana demonstraveris, te rationes probaliles hujus assertionis habere credam. Sed miror Saxonem nostrum tàm sagaci oculo prævidisse futurum, qui ipsi litem, hac de re intentaret, dum in hæc prorumpit: Et ne cuiquam antiquitatis vestigia prorsus exolevisse credantur, prædictæ rei fides præsentibus locorum indicijs exhibetur, cum & Hagbartus pago vocabulum extinctus intulerit, nec longè à Sigari oppido locus pateat, ubi plano paululum agger elatior, veteris fundi instar, protuberantis humi speciem demonstrat. Quæ omnia nostro etiamnum seculo, ab accolis monstrari, & in hodiernum usq; diem, de gestis eo in loco testari, mox ostendam. Pergit Saxonem erroris convincere ex Cantilenis ante aliquot secula concinnatis, atq; in subsidium vocat M. Laurentium Nericium, qui idem asserit: sed multò modestius honorificâ Saxonis nostri injectâ mentione. Hisce cantilenis quid tribuendum, docet ipse Nericius, dum vagabundos sermones pro fundamento eas agnoscere asserit: ac si nil esset aliud, Sveticis Cantilenis Danicas contrarias opponimus, ejusdem, si non majoris, fidei. Sed addit,* planitiem non procul Sigtoniâ, ab eo denominatam, unà cum aula regali, ibidem suspensum *eum arguere. At universæ Historiæ refragatur series. Sigarus enim Danus fuit, ejus filia Signe Dana, in Daniæ Sigerstadio habitantes: Hagbartus verò Svecus (vel ut ille vult, Norvagus) qui in Daniam, & quidem Sigerstadium, ad Signem venit, ibidemq; ea, quæ à Saxone referuntur, perpetravit, ubi etiam captus & capitis damnatus. Quomodo igitur in Sveciam translatus, ut ibi suspendio multaretur? aut quomodo Signe in Sigerstadio Daniæ vidisset Hagbartum propè Sigtoniam in scalis Gemonijs; & ipse vicissim in Svecia conflagrantem regiam, in qua Signe detinebatur, ut uno eodemq; momento simul perirent? Quis tàm bardus, qui hæc non animadvertat? Sit planities in Svecia ab eo dicta, forsan quod ibidem vel natus vel educatus, vel facinoribus clarus extiterit; sed ab ejus suspendio denominatam, nullâ veritatis specie affirmare potest. Suam subjungit experientiam;* accepisse se in ipsa planicie Haborina, paucos ante annos, quendam accolarum, caudicem patibuli, in quo Habor circiter annum salutis 222. laqueo strangulatus, ex terra eruisse. *Quis tam obtusæ naris, qui hujus figmenti non odoretur fundamentum? Scribit Saxo noster quendam narrasse Absoloni, trabem se eo loci (propè Sigerstadium Sielandiæ) repertam vidisse, quam agrestis vomere glebam rimatus, offendit. Hinc Messenij relatio. Sit ità; quidam ibidem loci ante annos paucos invenerit lignum quoddam, nondum tamen caudicem patibuli Haborini fuisse ostensum est. Mille quadringentis & ultrà annis, lignum sub terra, pluvijs, putredini, terræq; erosioni subjectum, durare posse prius demonstrabit, quam ipsi fidem adhibeam. Deniq;* multum fidei, suæ sententiæ apponere *existimat*, quod è diametro planitiei dictæ fuerit Regia habitatio, in qua Habor proditus, captus, & morti adjudicatus. *Fuisse ibidem Regiam ipsi credimus, sed ibidem proditum, captum, & morti adjudicatum negamus. Nec ipse unquam probabit, reclamantibus omnibus Historiæ circumstantijs, ut suprà docuimus. Ego potius hanc regiam favere sententiæ Saxonis arbitror, qui in Svecia natum refert Hagbartum, & forsan in eadem hac regia, undè ab eo planitiei nomen. Sed hæc incertissima relinquens, unicum non possum non monere, ex quo totius Messeniani discursus apparebit veritas. Concludit Nericij sui verba hoc Epiphonemate:* Quomodo igitur veritati consentaneum, Haborem amoris illiciti pœnas persolvisse in Cimbrica Chersoneso? *Quibus aut Saxoni nostro assuere tentat, eum dixisse Haborem in Cimbrica Chersoneso suspensum esse, quod ne per somnium cogitavit, imò cujus contrarium tota historia ejus (exactissimè, locum in medio Selandiæ depingens) evincit: aut adeò est in Geographicis puer crudis, ut nesciat inter vastissimas vicini regni provincias distinguere, quarum limites vel ex vulgari mappa discere potuisset. Quid huic Historico de remotioribus scribenti fidendum, si tam bardus aut cæcus in ijs, quæ præ foribus sunt? Sed desino tam palbabiles nœnias extutere, cùm quivis vel leviter Saxonem nostrum cum novello conferens Scriptore, abundè videat, quantum distent ærva lupinis.* Hactenus Wormius. Quin etiam (ut hoc de meo addam) ipsa Chronologia Messenium erroris arguit: quippe qui constanter asserat, circiter Annum salutis 222, in Svetia Hagbarthum laqueo strangulatum; quum juxta veriorem nostratium calculum, Sigarus, qui isto supplicio filiæ suæ stupratorem Hagbartum, teste Saxone, affecit, Anno Christi 199, in

prælio propè Kalundeburgum cæsus occubuerit. Quomodò ergò demum post totos viginti tres annos, in crucem ivit Hagbarthus, Rege demortuo, qui ipsum patibulo suffixit? Ut verò illustrius totum hoc evadat negotium, dicti tractus topographicam subjungam delineatio- A nem, quam ante annos non ità multos, quàm fieri potuit accuratissimè, consignavit Clariss. Vir, & insignis Mathematicus, D. Johannes Laurenbergius, Collega, & Amicus meus conjunctissimus.



29. *Absaloni*] Archiepiscopo nempe Lundensi, qui diligens ac curiosus antiquitatum patriæ suæ investigator erat: quem etiam hæc Saxoni narrasse, vero proximum est.

35. *Alter siquidem familiaritatis, alter originis*] Nam alter, nempe Starchaterus, familiaritatis, quam cum Sigaro Daniæ Rege colebat; alter videlicet Hako, patriæ suæ, unde oriundus erat, respectum agebat.

45. *Oppidum ab Hesberno constructum*] Urbem Calundam intelligit, quam unà cum adjunctâ arce & castello munitissimo, Nobilissimus Vir, & sago togâq; juxtà præclarus, Esbernus Snare, Absalonis Archiepiscopi germanus, ad portum hunc condidit Anno Christi M. C. LXXI. Ejus meminit Saxo infrà Lib. XIV. *Eâ tempestate Esbernus urbem Kalundam molitus, novi munimenti præsidio portum hostili piraticâ liberum præstitit.*

Pag. 134. vers. 12. *Ut enim Gunnarus devictæ gentis ignaviam*] Variæ fuerunt antiquitus militares ignominiæ, quibus ignavos & rem malè gerentes milites notabant castigabantq;. Romanis hæ fuerunt: *Hordeum pro tritico datum; ære seu stipendio privari; extra castra tendere; discingi; militiam mutare; stantes cibum potumq; capere*: quas ordine recenset & exponit Lipsius Lib. 5. de Milit. Roman. Dialogo VIII. Fuit hæc quoq; militaris animadversio, *jubere, ignominiæ causâ, militi venam solvi, & sangvinem dimitti*: ut B Gellius tradit Lib. X. Cap. VIII. Apud Græcos Charondas lege statuit, *eos, qui in bello ordines deseruissent, in foro, per tres dies, sedere in vestibus muliebribus.* Diodorus Siculus. Spartani eos, qui ignaviæ in bellis comperti essent, variè notabant. *Non enim solùm* (ait Plutarchus in Agesilao) *arcentur omni magistratu & imperio, sed & dare alicui horum uxorem, aut ab eo accipere, infame est. Percutit autem & cædit eos, si quis vult obviorum: at illi ferunt, squalidi & humiles, palliaq; ge-* C *stant colore aliquo tincta & inscripta. Partem etiam barbæ, quæ est ad labrum superius, sivè mustaca, radunt, partem verò alunt.* Gravi quoq; ignominiâ segnitiem suorum ultus est Oroles Rex Dacorum, de qua Justinus Lib. XXXII: *Daci quoq; soboles Getarum sunt: qui quum Orole Rege, adversus Bastarnas malè pugnassent, ad ultionem segnitiæ, capturi somnum, capita loco pedum ponere, jussu Regis, cogebantur, ministeriaq; uxoribus, quæ ipsis anteà fieri solebant, facere.* Ità & Cyrus Persarum Rex *Lydis* D *iterùm victis, in æternam ignominiæ notam, arma & equos ademit, jussitq; cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere.* Idem Justinus Lib. I.

13. *Rectoris loco canem eis præponi curavit*] Sic & Øistenus quidam, Uplandiæ Regulus, sed verius tyrannus, Trondhemensibus canem rectorem olim præfecit, teste Snorone Sturlesonio in Chronico Norvagico pag. 73. Interfecto etenim à Trondhemensibus, quos varijs cladium generibus vexaverat, filio Øisteni, is irâ & furore perci-

percitus, cum maximis copijs & validissimo exercitu in territorium Trondorum irrumpit; omniaq; passim loca ferro & igne populatur. Tandem devictæ Trondorum genti hanc detulit conditionem, ut vel servum nomine *Faxe*, vel canem suum, cui *Sær* nomen erat, in Regem sibi eligerent. Illi statim canem, abjectissimæ sortis homini prætulerunt: existimantes, se sub belluâ majori libertate fruituros. Nè verò Regem haberent omnis plane rationis expertem, incantationibus, & vi magicâ tantum Sapientiæ ipsi ingenerarunt, quantum tribus sufficeret hominibus. Duo verba latrando edebat, sed tertium articulatâ voce proferebat. Aureâ catenâ vinciebatur: si quando cœlum erat pluvium, aut lutosa via incedendum, humeris eum suis proceres gestabant. Palatium habuit in Vdreói, in colle, de ipsius nomine Sarvhøi/ appellato, situm. Tandem à lupis frustatim est discerptus.

37. *Moxq; ab Alvero tyrannide donatus*] Hoc est Præfecturâ aliquâ vel Satrapiâ. Sicut enim *Tyranni* vocabulum frequenter usurpat Saxo pro Rege, vel Dynasta, aut Satrapa: ità non hoc solùm in loco, sed & alibi passim, *tyrannidem*, pro regiâ potestate, seu quovis dominio, ponere consuevit.

39. *Animum cum loco mutare passus non est*] Ergo suo exemplo verum esse comprobavit πολυθρύλλητον istud: *Cœlum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.*

Pag. 135. vers. 3. *Lævos curvatis de industriâ ramis annecteret*] Similis omninò crudelitatis supplicium fuit, quo in milite puniendo, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, usus est Divus Aurelianus Imperator, severitatis immensæ disciplinâ singularis. Duarum etenim arborum capita inflectens ad pedes militis deligavit, eademq; subitò dimisit, ut scissus ille utrinq; penderet. Flavius Vopiscus in Vita Aureliani, pag. 211.

7. *In proprio plus lare Hanonem valere*] Danico Idiomate ad verbum sic sonat: Hane er Hiemme Riigest: Huc facit illud πολυθρύλλητον: *Gallus in suo sterquilinio plurimùm potest.* Quod desumptum est ex Senecæ Ludo de morte Claudij Cæsaris: *Claudius*, inquit, *ut videt virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem sibi parem Romæ fuisse; illic non habere se idem gratiæ: Gallum in suo sterquilinio plurimùm posse.* Simili proverbio Germani vulgo dictitant: *Canem in suo sterquilinio, sive in suarum ædium vestibulo, ferociorem esse.* Sensus est: In alieno timidiores sumus omnes, in suo quisq; regno ferocior est & animosior. Et certè, Domus sua tutissimum cuiq; refugium. Hinc Xenophon VII. Pædiæ Cyri: οὐδὲ ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οὐδ᾽ ἥδιον, οὐδὲ ὁσιώτερόν ἐστιν οὐδὲν οἴκου ἰδίου. Hoc est: *Neq; sanctior locus hominibus est, neq; gratior, neq; magis proprius quisquam sua cuiq; domo.*

24. *Soluto virginitatis cingulo*] Editio Francofurtensis substituerat vinculo, magna cum injuriâ, & ipsius Saxonis & elegantiæ Latinitatis. Quod enim hic Saxo *Cingulum virginitatis*, id concinnius *Zonam solvere* dixit Catullus Epigramm. 2. *Quod Zonam solvit diu ligatam.*

Pag. 136. vers. 11. *Undecim simul adversos prosternit*] Igitur octidui spatio ille idem XLVII. pugiles obtruncavit. Quæ summa ex numero præcedente, in unum collecto, emergit. Adde illa quæ sequuntur infra:

Unum quando duosq;,
Tres ac quattuor, & mox
Quinos, indeq; senos,
Post septem simul octo,
Undenos quoq; solus
Victor Marte subegi.

28. *Sudo prognati sanguine fratres*] Diu me hic locus exercuit, dubitantem & animo in varias sententias huc illuc distracto volventem, quid per *sudum sanguinem* intelligeret autor? Tandem quum nihil temere hic mutare ausim, retinendam hanc duxi vocem, quæ per Metaphoram hic posita videtur, pro *Splendido, claro & illustri* sanguine, hoc est, generoso & regio Stemmate. Papias: Sudum, *serenum post pluviam, splendidum, purum, divum, lucidum.* Solet etenim Saxo vocabulis translatis frequenter uti, unâq; voce, pro altera positâ: ut anteà, *incedere vitæ genus*, pro *ingredi*; *Digressionem* pro *excessu* sive morte usurpavit.

33. *Quem specular vernans varij cælaminis ornat*] Hîc iterum translata se offert locutio. Capiendum verò omne hoc existimo de Clypeo ad tantam lævitatem expolito, variisq; figuris ità ad vivum depicto, vel ut ipse mox loquitur, *multicolore picturâ* exornato, ut in eo tanquam in nitidissimo speculo, pascere oculos, & varia bella, variaq; facinora Hildigeri, non sine summa voluptate, speculari & contemplari liceret. *Specular*, quod & *Speculare*, & *Specularium* dicitur, idem est quod Speculum. *Specularia* Senecæ Epist. 87. pro fenestris vitreatis: *Quantæ rusticitatis damnant nunc aliqui Scipionem, quòd non in suum Caldarium latis specularibus diem admiserit.* Et Martialis Lib. VIII.

Hybernis objecta Notis specularia puros
Admittunt Soles, & sine fæce diem.

Specularia etiam è speculari lapide transluciido olim facta, quæ varium usum præstabant. Eleganter Augustinus in Sermone quodam: *Solis radius penetrat specular; nec cum ingreditur, violat, nec cum egreditur, dissipat. Quare & in ingressu & egressu ejus, specular integrum perseverat.*

34. *Et miris laqueata modis tabulata coronant*] Antiquissimum scutorum genus, ab ipsa quasi naturâ suppeditatum, ex crudis arborum corticibus fuit. Valerius Flaccus Lib. VI. Argonautic. de Clypeis Germanorum, Pontum quondam & ostia Istri accolentium:

Quos duce Teutagono, crudi mora corticis armat.

Et Statius Thebaidos VIII. de Græcis:

Tela, rudes trunci; galeæ, vacua ora leonum:
Arborei dant scuta sinus ————

Ubi *Sinus* vocat *Cortices*, qui non fuerunt plani, sed sinuati, ut natura arboribus circumdederat. Deinde ex vimine conficiebantur scuta: quibus omnes ferè orbis terrarum gentes usas reperio. Sic Sallustius scribit: *Lucrinos vimine scuta conficere, & corio tegere corpus: quod multis alijs populis in usu. ipsi γέῤῥας vocant.* Tacitus Annal. Lib. II. *Non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus, vel tenues & fucatas colore tabulas.* Posteà scuta clypeiq; ex tabulis sectis, vel singulis, ijsq; corio obductis, vel pluribus coagmentatis & condensatis, ne facilè tela penetrarent. Indicat præter Tacitum loco jam citato, Varro de Lingua Lat. *Scuta dicuntur à sectura, quòd sectis conficerentur tabulis.* Et Plinius Lib. XVI. Cap. 40. *Frigidissima* (inquit de arboribus) *quæcunq; aquatica, lentissima, & ideò scutis faciendis aptissima: quorum plaga contrahit se protinus, eluditq; suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum.* Talis fuit clypeus Hildigeri, qui ex *laqueatis tabulatis*, hoc est, ex tabulis sectis condensatis compactus erat.

37. *Medioxima nati*] Ordo verborum hic esse potest: *Species nati*, id est, imago sive figura filij mei, *conspicuo cælamine illita*, id est, vivis coloribus depicta & adumbrata *constat*, extat, conspicitur, *medioxima*, media, vel medio scuti loco, in clypei meditullio. *Medioximus, a, um*, Plauto alijsq; usitata vox est, ut plurimum medium aliquid denotans. Sic Cistellariâ, Actus 2. Sc. 3. *Medioximam mulierem* vocat, quem medio loco uxorem duxit:

—— *Medioxumam, quam duxit uxorem, ex ea*
Nata est hæc virgo Alcesimarcho quæ datur.

Eidem *Dij medioximi* Sc. 1. Cistell. dicuntur:

Atq; ità me Dij deæq; superi, atq; inferi & medioximi.

Nonius: *Medioxumum, id est, medio actum modo.* Festus: *Medioximum, id est, mediocre.* Occurrit etiam in posterioris ævi Scriptoribus. Ità Sidonius Apollinaris Lib. IX. Epist. 3. *Ibi te inter spiritales regulas, vel forenses, medioximum quiddam concionantem &c.* Marbodæus Cænomanensis Cap. VII, de Gemmis:

Chalcedon lapis est hebeti pallore refulgens
Inter Hyacinthum medioximus atq; Berillum.

39. *Cui manus hæc cursum metæ vitalis ademit*] Subobscurè indicare videtur, se planè invitū, & casu quodam prorsus infelici, filium suum vitâ spoliasse; cujus interitum mox deplorans, de A mala sorte conqueritur, quæ unicum gaudium, quod ex nato sibi filio perceperat, subitò in luctum converterit, & risum mœrore mutaverit, amisso filio unico, hærede, & matris solamine.

40. *Una paterni cura animi*] Qualis Ascanius ille, de quo Maro:

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

46. *Fatorum præscius ordo*] Miles quidem ex Cannensis cladis reliquijs, apud Livium Lib. 25. noxam, cujus argueretur, coram Cos: Mar- B cello purgans: *Si non Deûm irâ, nec fato, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, sed culpa perijmus ad Cannas; cujus tandem ea culpa fuit?*

50. *Ob tam seram fraterni vinculi confessionem*] Quòd tàm serò confessus esset se sangvinis propinquitate ipsi conjunctum esse. *Vinculum fraternum* dixit, pro germanitatis illo nexu, quo eos inter se junxerat stirpis ejusdem communio: quomodò *vincla jugalia & connubialia*, apud Vir- C gilium & Statium Legimus. Valerius Maximus Lib. 2. Cap. 1. *Manifestum igitur est, tantùm religionis sangvini & affinitati, quantùm ipsis dijs immortalibus tributum: quia inter ista tàm sancta vincula non minus quàm in aliquo sacrato loco nudare se, nefas esse credebatur.* Elegans est locus Eucherij, Episcopi Lugdunensis, sub initium Epistolæ Parænetice ad Valerianum cognatum, de contemptu mundi: *Benè alligantur vinculo sangvinis, qui vinculo consociantur amoris. Sic & nobis quoq;* D *admodùm gloriari pro hoc ipso Dei munere licet, quos perinde charitas ut propinquitas nectit, coarctantq; in unum affectum duæ necessitudines, quarum alteram à parentibus carnis nostræ accepimus, alteram à nobis sumpsimus. Geminum hoc vinculum, quo confœderantibus nos hinc genere, hinc dilectione connectimur, hæc me paulò latius ad te exarare compulit.* *Vinculum congregale* dixit Terentianus Maurus de Syllabis agens:

————— *Syllabam Græci vocant*
E *Ore quod simul profectæ copulant unum sonum:*
Vinculum nam signat ista congregale dictio.

Pag. 137. vers. 2. *Conditionem proco intulit*] Suspecta mihi primùm hæc fuit lectio, donec animadverterem recurrere eandem formulam infrà Lib. IX, ubi Saxo parili modo loquitur: *At Ludovicus summo amplificandæ religionis ardore confertus, conditionem barbaro intulit.* *Intulit* ergò pro *obtulit, detulit*, positum. Ità & paulò post hoc ipso libro: *Hæc ut erat gravitate atq; indu-* F *stria ante alias præstans, conditionem proco attulit, non ante se ei nupturam præfata, quàm Daniam sub dotis nomine recepisset.* Sic Svetonius Cæsar: Cap. XXVII. *Sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit.* Ubi *conditionis* vocabulo (sicut & Claud. Cap. XXVI. & Galbæ, Cap. V.) pro conjunctione, vel pactione nuptiarum sponsaliorumve usus est, ut & alij autores, præcipuè JCti. E quibus Cajus, in renunciatione nuptiarum hæc verba probata esse ait:

Con-

Conditione tua non utar. Sed & Festus: *Conventa conditio dicebatur, cum primus sermo de nuptijs, & earum conditione habebatur.*

41. *Cessim ebrietate labantes*] Hoc est, incertis & titubantibus vestigijs plus retrocedentes, quàm accedentes præ nimiâ ebrietate, quâ obruti adeò erant, ut neq; pes neq; manus suum faceret officium. Hoc etenim significat *cessim labare*, Sicut Justinus Lib. 2. Cap. 12. pag. 58. *cessim ire*, pro *cedere* dixit: *Aut si hoc parum tutum extat, vos commisso prælio ite cessim, inhibete remos, & à bello discedite.* Ad quem locum Doctissimus Berneggerus, & de Justino, juxtà ac alijs autoribus in lucem editis, præclarè meritus, adducit Varronis Versus apud Nonium:

Vereor ne me quoq; , cum domum ab Ilio
Cessim revertero, præter canem cognoscat nemo.

Eadem ratione Plautus Casina Actus 2. Sc. 8. v. 7.

Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.

Et Amphitru. Act. 5. Sc. 1.

Ego cunas recessim rursum vorsum trahere & ducere.

Martianus Capella Lib. VIII.

Cessimq; formidantes
Abeunt pedes tremore.
Titubansq; moliensq;
Hæret, redit, recurrit:

Quæ verba in animo & oculis habuisse videtur Saxo. Glossarium: *Cessim, gradatim.* Apulejus Lib. 2. Metamorphos: *Lagena orificio cessim dehiscente patescens*: ut rectè emendavit Colvius, *Cessim*, inquit, *id est, retrò.* Alfenus JCtus: *Interim superius plostrum cessim ire cœpit.*

54. *Dependentis pygam sagittâ confixit*] *Pyga*, πυγὴ Græcis, proprie nates sivè clunes denotat: interdùm etiam caudam salacem. Unde *Pygiaca sacra*, sivè *Pygiciaca*, apud Petronium, pro obscæno Veneris exercitio. Horatius Lib. 1. Sat. 2.

Ne nummi pereant, aut pyga, aut deniq; fama.

Ne pereat pyga, id est, ne nates vapulent. Nam de ijs loquitur, qui in adulterio deprehendebantur. Intelligit igitur Saxo non vestis laciniam, sed potius nates sive clunes, quibus confixis, magnum ruborem Haraldus contraxerat. Hesychius: *πυγὴ, τὸ κάθισμα.*

55. *Haraldus plus ruboris sibi quàm opis*] Deforme etenim hoc vulnus erat, non tàm quòd aversum, quàm quod illa corporis parte acceptũ. Ità Saxo suprà de Hildigisleo loquitur, qui *ambas nates telo trajectus* fugâ sibi consuluit; *Quæ res*, inquit, *insectandorum risu Teutonum occasio extitit, quòd opprobrij notâ plagæ deformitas non careret.*

Pag. 138. vers. 7. *Cujus memini*] In præfatione videlicet: *Verùm apud Blekingiam apta meantibus rupes mirandis literarum notis interstincta conspicitur.*


16. *Perpes oppidi vocabulum indicat*] Nempe Hatherſlöff quod oppidum hodieq; in Jutia Australi extat, antehac satis splendidum, sed annis superioribus, à Cæsarianis, in Daniam irrumpentibus, miserandum in modum devastatum.

20. *Pendente bello*] Sicut JCtis: *Pendente lite.* Barn. Brissonius in Lexico Juris: *Pendere conditio, diesve dicitur, cujus adhuc eventus expectatur. Pendere etiam, seu in pendenti est, quicquid in suspenso est.*

23. *Tacitâ fortunæ consuetudiâ fretus*] Quia sciret se singulari quadam indulgentia Othini, ferro quassari non posse, omniaq; tela ad se lædendum inhabilia esse, ut paulo antè commemoravit. Alioquin doctus erat Haraldus *horridum militem esse debere, non cœlatum auro argentoq; sed ferro & animis fretum. quippe illa prædam verius, quam arma esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera. Virtutem esse militis decus, & omnia illa victoriam sequi; & ditem hostem quamvis pauperis victoris præmium esse*: ut eleganter de apparatu armorum loquitur Livius Lib. IX.

44. *Universam aciem*] Locum hunc difficillimum sequenti explicatione illustravit Collega meus, Joh. Laurenbergius, Mathematum Prof: simulq; totius aciei schema appositum, ex mente Saxonis, meam in gratiam delineavit. Tres, inquit, aciei turmæ, à Saxone descriptæ intelliguntur turmæ primipilares, seu Antesignanæ, quas reliqua militum manus consequitur. Duæ extremæ vicenariâ ratione densantur. Habent enim in corpore quadrato vicena capita, in universum singula, 400. Media peculiariter in Coni seu Pyramidis acumen digesta est, & alias utrimq; discretis ad formam laterum ambagibus obliquat. Omnes autem frontem possident à duobus inchoatam, & incremento unitatis surgentem: extremæ, usq; dum alas exæquent, seu illis in linea recta constituantur, & ultimo ordini numero lateris pares fiant. Hæc frons pyramidalis capita comprehendit 209: & universa turma 609: Media verò viginti virorum numero porrectior aut major est: nam à duobus ordinatim progressâ serie ad 35, totus ille cuneus, seu σφηνοειδὴς turma, continet Capita 629, quæ viginti virorum numero extremas turmas superat. Cornua terna denis ordinibus formata, figuram obtinent plæsiam, ut deni in singulis stent ordinibus. Alæ funditorum, ad latus utplurimum locari solitæ, cæteris ordinibus annectuntur. Id προσστιχοῦς appellant ταξιάρχαι, & in agmine procincto frequenter usurpant: ne scilicet solæ extra corpus exercitus protuberantes, recessu suo ampliora requirant viarum spatia: quod gnaris locorum supputatoribus apprimè considerandum est. Reliquum aciei corpus, definito numero aut mensurâ non includitur. Postrema acies, primæ tùm figurâ, tum numero æqualis, tergo totius agminis astituitur, sed adversa fronte, ut si usus postulet, aut hostis retro ingruat, facili singulorum militum conversione, totus exercitus in pristinam formam integretur.

SCHEMA ACIEI OTHINIANÆ
ex Saxonis Grammatici Lib. VII.



Pag. 139. verſ. 10. *Multivolâ rates hoſticas reflexione circumdaret*] Putabam legendum eſſe, *multivagâ reflexione*; ſicut *multivagum Lunæ flexum*, Plinius Lib. 2. Cap. 10. *Multivagas Scytharum domos*, Seneca Tragœdus dixit. Nam *multivola mulier* Catullo eſt, quæ multa vult & cupit. *Naves* quidem *velivolas* eleganter appellavit Lucretius Lib. 5. v. 21. A

Tum mare velivolis florebat navibus ponti.

19. *Fœmineâ admodùm præſumptione permotus*] *Præſumo*, eſt nimium mihi ſumo, audax, impudens ſum. Hinc *Præſumptio* apud mediæ ætatis Scriptores pro ſuperbia, cum quis nimium ſentit de ſuis viribus, & audaciâ, confidentiâ. Undè *Præſumptuoſus*, plenus præſumptionis, audax, impudens. Sidon. Apollinaris Lib. 1. *C. Plinij diſciplinam maturitatemq; veſtigijs præſumptuoſis inſequuturus.* B

24. *Subarmali tantum ſubucula fretus*] *Subarmalis* eſt ὑπωμὶς, cui contraria ἐπωμὶς. Martianus Capella Lib. V. pag. 136. *Subarmalis autem veſtis illi, peplo quodam circà humeros involuto, latialiter tegebatur.* C

35. *Aquitaniam armis perdomuit*] Occaſionem, quâ Haraldus noſter expeditionem hanc in Aquitaniam ſuſceperit, cum & ipſe Saxo, & qui Saxonem additamentis ſuis illuſtrare hactenus aggreſſi ſunt, alto ſilentio tranſmittant, nos eam ex Dudone Veromandenſi ſtrictim recenſendam duximus, qui Lib. III. de Actis Normannorum, latè eam perſequitur. Ludovicus Rex Galliæ, Caroli Simplicis filius, Vatiniano, adverſus Normannos, qui Aquitaniam incolebant, odio exardeſcens, totam gentem illam funditus delere, omnemq; Normanniam, ſuam in poteſtatem redigere, apud animum ſuum aſſiduè cogitabat. Inprimis Richardo Normannorum Duci, inſidias ſtruere non ceſſavit, frigidam ſuffundentibus, & malam Ludovici mentem furialibus ſtimulis ſubindè concitantibus, Herlvino Comite, alijsq; Conſiliarijs & aulicis, qui neq; Northmannicæ genti optimè favebant. *Quare Northmannorum optimates miſerunt ad Haraldum*, (quem Dudo *Haigroldum* vocat) *Regem Daciæ* (verba jam Dudonis cito) *nobilioris & ditioris potentiæ milites, ut Richardo, VVilhelmi Magni Ducis filio, conſanguineo ſuo ſuccurrere feſtinaret, quia Rex Franciſcæ gentis, totius Northmanniæ Monarchiam vendicabat ſibi, auferens omnem honorem puero Richardi propinqui ſui, Legatos Northmannorum honorificè ſuſcepit; conſtructisq; navibus, hisq; cibarijs & militibus repletis, ad littora Salinæ Corbonis, quà Diva rapido meatu procelloſo mari ſe infundit, cum incredibili tyronum multitudine, citius quàm quivis venit.* Quid multis? Prælio cum copijs Gallicis commiſſo, Francos aſperrimâ cæde proſtravit, Regem Ludovicum fugavit & cepit, & in ipſo certamine quater quaternos Comites, & in his Comitem Herlvinum, fratremq; ejus Lambertum, interemit. Hæc cauſa fuit expeditionis Aquitanicæ ab Haraldo ſuſceptæ. D E F

Pag. 140. verſ. 6. *Ut quod alij armis, ipſe oculis in hoſtem ageret*] Solent quippe truces iſti ac torvi oculorum contuitus non minimum terroris hoſti incutere. Plinius in divino illo Panegyrico de optimo Principum Trajano: *Nec tibi opima defuerint, ſi quis Regum venire in manus audebit: nec modò telorum tuorum, ſed etiam oculorum, minarumq; conjectum, toto campo, totoq; exercitu oppoſito perhorreſcat.* Sed & de ſe Julianus apud Ammianum Lib. XXI. *Spondeo, ſi ventum fuerit cominus, ità pavore torpeſcent, ut nec oculorum veſtrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus ſonum perferant primum.* Ità Galli de Germanis confeſſi ſunt, *ſæpe numerò ſeſe cum his congreſſos ne vultum quidèm atq; aciem oculorum ferre potuiſſe:* Cæſar Lib. 1. Bell. Gall. Vide ſis plura in Horis Subſecivis Camerarij, & in varijs Diſcurſibus Jani Gruteri ad aliquot inſigniora loca Taciti.

7. *Vibrante luminum acritate terreret*] Revera Oloni huic oculi faſcinantes fuere: quales ſunt illis, qui binas pupillas in oculis habent. Strabones quoq; glaucos, micantes, & terribiles oculos habentes, quæcunq; fixis & iratis oculis aſpiciunt, faſcino inficiunt. Et ego hiſce oculis Romæ quendam Hiſpanum genere vidi, quem nominare non licet, qui cum truculentis oculis, tetro atq; irato vultu, ſervum, ob neſcio quid, objurgaſſet, adeò ſervus ille timore ac terrore perterritus fuit, ut non modò faſcino affectus, ſed rationis uſu privatus fuerit, & melancholico humore totum ejus corpus invadente, ità ad inſaniam redactus fuit, ut in domo ſui heri, propè Eccleſiam Divi Jacobi, ſibi mortem conſciverit, & laqueo vitam finiverit. Leonardus Vairus, de Faſcino, Lib. 1. pag. 51.

Pag. 141. verſ. 31. *Quo certius ſuſceptorum mores*] Quinam ſunt hoc in loco *Suſcepti*, an *Suſceptores*? Puto autorem intelligere *hoſpitio ſuſceptos*, id eſt, hoſpites.

36. *Spiritusq; liberiùs meare cœperat*] Omninò legendum erit *meare*, pro *in ea re*. Nam & incomparabilis Hiſtoricus Q. Curtius, quem in nonnullis Saxo noſter imitatus eſt, eadem ferè verba habet Lib. 3. Cap. X. pag. 48. Editionis Raderianæ: *Inter hæc liberiùs meare ſpiritus cœperat.* Item Lib. VIII. pag. 498. *Hic calor ſtupentia membra commovit, paulatimq; ſpiritus, quem continuerat rigor, meare liberè cœpit.*

52. *Spe metum levante*] Fortè Saxo oculos animumque intendit ad illud Valerij Maximi Lib. 2. Cap. 4. *Eo prædicto magnoperè confuſus, quòd & longa & periculoſa navigatio imperabatur: ſpe tamen dubia præſentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus dedulit:* vel quod de Stephano Protomartyre circumfertur:

Ibat ovans animis, & ſpe ſua damna levabat.

Pag.

Pag. 142. verſ. 18. *Leotarum Monſter cognomine*] Hoc anteà cognomen deſiderabatur, quod ex Veteri Codice, cujus ad oram aſcriptum id fuit, ſupplendum duxi: quem propterea omnino exiſtimo ad MS exemplar emendatum eſſe. A

13. *Ferrum cavatis baculis condendum*] Ejusmodi virgæ, fuſtes, ſive conti, in quibus, tanquam in vaginâ, ferrum acutum, ſive pugiones latebant, *Dolones* dicebantur. Svetonius Claudij Cap. XIII. *Reperti & equeſtris ordinis duo, in publico, cum dolone ac venatorio cultro præſtolantes.* B Servius enarrans illud Virgilij VII. Æneid.

Pila manu, ſævosq; gerunt in bella dolones:

ait *Dolonem* flagellum eſſe, intrà cujus virgam lateat pugio: *Dolones* autem à dolo, ſive fallendo dici, quòd decipiant ferro, cum ſpeciem præferant ligni. De tali Dolone Epigramma eſt. B. Ennodij, cui titulus, *De Spatha in fuſte:*

Utimur incluſo, per fraudes, enſe bacillo;
Mors ligni tunicis quàm benè tecta latet!
Subſidium portas, quod cunctis terror haberis, C
Pacificum nobis, quod negat, obſequium eſt.

16. *Se Egentium Regem fuiſſe*] Neſcio an alijs nationibus in uſu ſit tàm auguſtæ [ſi dîs placet] majeſtatis dignitas. Nobis *Egentium Rex* dicitur Staader Konge / qui ferè omnibus in urbibus regnum apud nos poſſidet. Is homo plerumq; eſſe ſolet provectæ ætatis, albicante barbâ & capillo, qui longum ſecum ducens mendicorum agmen, ad fores divitum excubat, tandemque opimâ ciborum, vel interdum pecuniæ, prædâ D receptâ, eam inter ſubditos ex æquo diſtribuit. Sceptri loco ingentem baculum ſive contum geſtat, quo murmur tumultuantis plebeculæ compeſcit.

37. *Familiarius, quàm utilius, colebat*] Quia ab eo poſtmodum interfectus; ut legere eſt ſequenti mox libro.

38. *Finitimorum Regum petulantiam opinionis ſuæ magnitudine caſtigavit*] *Caſtigavit*, id eſt, repreſſit, cohibuit; illuſtri nominis famâ, ac rerum à ſe fortiter geſtarum celebritate metum E terroremq; illis incuſſit. Varius eſt verbi hujus uſus. Sic Galterus, qui claruit circiter annum M. C. L X. Libro I. Alexandreidos:

Jam rude donatus, fatisq; prementibus annos
Curvus, & inpexos caſtigat laurea crines.

Idem *Caſtigare pontum multo verbere* dixit eodem libro, fol. 9.

Haud ſegnes, per tranſtra parant aſſurgere dicto
Principis, & multo caſtigant verbere pontum. F

Item *Caſtigare moras*, Lib. IV. fol. 46.

Aurea crure tenùs ſerpens deſcendit ad imos
Squama pedes, natum mordacis acumine dentis,
Caſtigare moras, & pennas addere plantis.

Gvillermus Brito Aremoricus Lib. VII. Philippidos, p. 305.

Indè rotundavit rupem, quæ celſior omni
Planitie, ſummum ſe tollit in aëra ſurſum,
Et muris ſepſit, extremas deſuper oras,
Caſtigansq; jugi ſcrupuloſa cacumina, totum
Complanat medium. ———

41. *Ab ipſoq; maritimâ prælatione donatus*] Hoc eſt, ſummâ rei nauticæ adminiſtratione. Ità paſſim loqui amat Saxo cum medij & ſequioris ævi Scriptoribus. Ordericus Vitalis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Lib. I. pag. 325. *Legifer etiam noſter ſic admonet homines, ne audeant in infirmâ ætate prædicare, ſeu temerè prælationes appetere.* Guillermus Brito Armoricus Philippidos Lib. V. pag. 287.

Et ſic natus erat regi patruelis; at illum
Nil juvat Eccleſiæ prælatio, nil ſacer ordo.

Idem *prælaticam ſedem* dixit pro ſede Epiſcopali, vel aliâ quavis dignitate Eccleſiaſticâ; Lib. VIII. pag. 324.

Nam quotiens, paſtore carens, prælatica ſedes
Civili leto, naturalive vacaſſet.

Hinc *præferre* eſt aliquem dignitate aliquâ ornare, ſive alicui muneri præficere. Hericus Monachus Altiſſiodorenſis Vitæ S. Germani Lib. I. pag. 13.

Cum te frænandis Romana induſtria terris
Prætulit, & patriæ patremq; ducemq; tuendæ
Credidit eſſe virum. ———

Ubi *prætulit*, eſt, præfecit. Lupus, Abbas Ferrarienſis, Epiſtolâ XXVIII. de Aquitaniæ tutelâ: *Tertiæ verò prælatus eſt Reindardus, Comes Engoliſmæ conſtitutus.*

Pag. 143. verſ. 2. *Civibus etiam onuſtus exiſteret*] Corculum Muſarum Barthius, legendum ſuſpicatur *civibus onus ſuis.* Verùm *onuſtus* hèic idem Saxoni eſt, qui *oneroſus.* Expreſſit enim, etiam hoc in loco, Valerium ſuum Maximum, cujus hæc ſunt verba Lib. IX. Cap. II. de Ocho Rege: *Crudeliorem mortis rationem excogitavit, quâ onuſtos ſibi, non perrupto vinculo religionis, tolleret; &c.* prout in MS. Codicibus legitur; & præcipue eo, quem Saxonem noſtrum ſemper ad manum habuiſſe nullus dubito, deſcriptum manu Abſolonis, Archiepiſcopi quondàm Lundenſis, qui hodieq; in Bibliotheca Hafnienſi aſſervatur, mihiq;, in emendando Saxone, maximo ſanè uſui fuit. Quin & ipſe Pighius, optimè de Valerio meritus, in Annotationibus ſuis, pag. 101. non diffitetur in Manu exaratis libris reperiſſe ſe τὸ *onuſtos* ſcriptum; quamvis ille, territus fortè monſtro vocabuli, eâ ſcilicet notione poſiti, *oneroſos* legere præoptet. Similis verò locutio occurrit infrà Lib. XI, in Hiſtoria Canuti Sancti: *Qui cum fratrum ſuorum turbam juveniliter intemperantem patriæ onuſtam.* Repetitur eadem vox multoties Lib. XIII. & XIV. Hinc *onuſtari*, pro *onerari*, dixit Junilius, Epiſcopus Afer, Comment. in Geneſin: *In Vere enim ſolent herbæ virentes apparere in terra, & ligna pomis onuſtari.*

NOTÆ

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM VIII. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 143. vers. 24. *Memoriæ magis, quàm literis traditam*] Ita scribendum duxi, pro *traditum*, quod priores Editiones constanter retinuerunt; *traditam* nempe *Historiam*. Nisi quis svadeat reponendum *tradito*, ut respondeat τοῦ *eloquio*. Sensus autem hic erit; Historiam belli Svetici, quam Starchaterus, Danicæ admodùm Poëseos peritus, vernaculâ conscripsit linguâ, non consignatam extitisse literarum monumentis, quum Saxo eam describendam susciperet: verùm potius in recenti quasi memoriâ hominum hæsisse, atq; ita se eam ex aliorum relatione accepisse. Liceret etiam hunc locum ità concipere: *Historiam belli Svetici Starchaterum, qui & ejusdem prælij præcipuum columen erat, primum Danico digessisse eloquio, memoriæ magis, quàm literis traditum.* Sed cordatus Lector expendat.

28. *Neq; enim mihi multitudinem complectendi cupido incessit*] Evidentissima Valerij Maximi imitatio. Totidem enim verbis ille in Præfatione sua ad Tiberium: *Neq; mihi cuncta complectendi cupido incessit.*

31. *Ex Ducibus qui ad Haraldum coierant, clarissimi noscuntur*] Magna in nominibus Ducum & militarium virorum, qui tam sub Haraldo, quàm Ringone, in Svetico hoc bello, stipendia meruêre, obscuritas, magna confusio, & ἀσυστασία. Igitur operæ pretium duxi novam quandam Nomenclationem accuratâ serie digestam, & versione Danicâ vetustissimâ ex Codice MS. depromptâ, juxtà ac Vellejı recentiore, illustratam, oculis benevoli Lectoris subjicere, quæ sic habet:

I. RECENSUS DUCUM ET FORTIUM VIRORUM, QUI AD HARALDUM DANIÆ REGEM COIERANT.

LATINE.	DANICE.
1. Sven.	1. Suend.
2. Sambar.	2. Sambar.
3. Ambar.	3. Ambar.
4. Elli.	4. Elli.
5. Rati Fionicus.	5. Rathi aff Fyn/ (Fynbo)
6. Salgarthus.	6. Salgacth (Salgarthi)
7. Roë, *quem barbæ prolixitas cognomento insignem effecit.*	7. Ro hin Skeggede. (Roë Langskæg)
8. Scalk Scanicus.	8. Skalck Skoning.
9. Alf Aggi filius.	9. Alff Aggesen. (Aggisson.)
10. Olvir Latus.	10. Olvir hin brede. (Hærde-bred.)
11. Gnepia vetulus.	11. Gnip (Gnep) hin gamle.
12. Gardhstang oppidi cultor.	12. Gordstang (Gaardstang Stadbyggere)
13. Blend, ultimæ Tyles incola.	13. Blend aff Tylsø. (Blend aff Tellø)
14. Brand, Micæ cognomen habens.	14. Brand Myg (fortè Mycke.)
15. Thorny.	15. Thorny.
16. Thorvingus.	16. Thorving.
17. Tatar.	17. Tathar (Tatar.)
18. Hialto.	18. Hialte.
19. Hortar.	19. Hortar.
20. Borrhy.	20. Borrhy.

21. Belgi.

LATINE.	DANICE.
21. Belgi.	A 21. Belgi.
22. Begathus.	22. Begat. (Begathe.)
23. Bari.	23. Bari.
24. Toli.	24. Toly/ (Thole.)
25. Haco genam ſciſſus.	25. Hogen med Skrammen paa Kinden.
26. Hethã.	B 26. Hetha (Hethe.)
27. Wiſnã.	27. Wiſna.
28. Tummi velificator.	28. Tumme Styremand.
29. Webiorgã.	29. Wibiorge (Wegbiorge.)
30. Bo Brami filius.	30. Bo Bramſøn.
31. Brat Jutus.	31. Brath (Brat) Jude.
32. Orm Anglicus.	32. Orm aff Engeland. (Orm Engellender.)
33. Vbbo Freſicus.	C 33. Vbbe aff Friiſzland.
34. Ary, altero caſſus luminẽ.	34. Ary/ med det eene Oye.
35. Alf.	35. Alff (Alſz.)
36. Gother.	36. Gother.
37. Dal corpulentus.	37. Dal hin ſtore/ (Dal hin Tycke.)
38. Duc Sclavicus.	38. Duck aff Tydſkland. (Duck Wende.)
39. Barri.	D 39. Barri (Borri)
40. Gnizli.	40. Gnidſle (Gnizle)
41. Tolcar.	41. Tolkar.
42. Ymi.	42. Yme (Hymi)
43. Toki, Jumenſi provincia ortus.	43. Toki (Tøki/ aff Jvem-Hærredt.
44. Otritus Juvenis.	44. Otrick hin vnge (Otrite hin vnge.)
45. Grimar.	E 45. Grimar.
46. Grenzli.	46. Grentſli/ (Grenzli.)
47. Ger.	47. Hoſzger hin ſorte. (Ger.)
48. Livicus.	48. Livick.
49. Hamã.	49. Ham (Hame)
50. Hunger.	50. Hunger (Hunger.)
51. Humbli.	51. Humbli.
52. Bjari.	52. Biari.
53. Homi.	F 53. Hømi (Helmi.)
54. Hoſã.	54. Høſe (Hoſe.)
55. Thulhijm.	55. Tulhim (Tulleff)
56. Haſtinus.	56. Haſtin.
57. Hythin gracilis.	57. Hythin hin Smale.
58. Dahar Grenski.	58. Dahar Grendſki. (Grenſke.)
59. Haraldus Olavi filius.	59. Harald Oluffſøn.

60. Har.

Latine.		Danice.
60. Har.	A	60. Har.
61. Herleuvar.		61. Herlewar (Herlewer)
62. Hothbroddus Effrenis.		62. Hodbrod hin Galne. (Horthbrod hin vilde.)
63. Hummehy.		63 Humhi (Hummehy.)
64. Haraldus.		64. Harald.
65. Haki.	B	65. Haki (Hack.)
66. Sigmundus, Bemonis filius.		66. Sigmund (Simund.)
67. Serker, Bemonis filius.		67. Serkar (Serker) Bemonds Søn.
68. Gandal ſene editi.		68. Gandal den gamles Affkom.

II. EX PARTE RINGONIS COMPUTANTUR

Latine.		Danice.
1. Vlf.	C	1. Vlff.
2. Abgi.		2. Abgy. (Algi.)
3. Windar.		3. Windar.
4. Eyil luſcus.		4. Eyll hin Surblinde. (Eyl hin Starblinde.)
5. Gothar.		5. Gøthar. (Gotar.)
6. Hildi.	D	6. Hilde. (Hildi.)
7. Guti Alf patre genitus.		7. Guthy Alffsen (Gutti Alffsøn)
8. Stur robuſtus.		8. Stur hin Stercke. (Sture hin Stercke.
9. Sten, Wienicæ paludis accola.		9. Sten. (Steen aff Venersø.)
10. Gerth alacer.		10. Gerth hin Glade / (Greck hin Snare.)
11. Gromer Wermicus.	E	11. Grommer aff Wermeland / (Gromer / Wermick.)
12. Saxi.		12. Saxe.
13. Fletir.		13. Fletir.
14. Saligothus.		14. Salgot (Saligothe.)
15. Thord nutabundus.		15. Tord Snaffuere.
16. Throndar naſutus.		16. Thronder med den store Næse (Thronder med Næsen.)
17. Grundi.	F	17. Grunder (Grundi.)
18. Othi.		18. Othi.
19. Grinder.		19. Grinder.
20. Tovi.		20. Tovi.
21. Coll.		21. Koll (Colle.)
22. Biarki.		22. Biarki.

LATINE.	A DANICE.
23. Hogni ingenioſus.	23. Hogni hin Kloge.
24. Rokar fuſcus.	24. Rokar hin brune.
25. Rani cui Hyld Pater erat.	25. Rani Hyldſøn.
26. Lyuthguthi.	26. Liudh/Buthi. (Liuthguthi.)
27. Sveno ſupernè tonſus.	27. Svend Kulle.
28. Rethyr accipiter.	28. Rethir Sporhøg. (Rethir Høg.)
29. Rolf uxorius.	B 29. Rolff hin giffte. (Rolf quindekier)
30. Ring Athylæ filius.	30. Ring Athilſøn.
31. Haraldus Thothni editus vico.	31. Harald aff Totte by. (Harald aff Thoten.)
32. Valſten Vicenſis.	32. Valſten. (Valſten aff Vigen.)
33. Thorulf ſpiſſus.	33. Thorulff hin Tycke.
34. Thengil procerus.	34. Tengil hin Høye. (Thengil hin Lange.)
35. Hunſolvve.	C 35. Hunſelff (Hunſolvi.)
36. Birvvil pallidus.	36. Birvil hin Blege. (Birvild Blegekind.)
37. Burgar.	37. Burgar.
38. Scumbar.	38. Skumbar.
39. Thorlevar pertinax.	39. Thorlevar hin Tretſom̃e (Thorleffuar hin Gramme.)
40. Torkil Guticus.	D 40. Torkild Guthe (Torkil Gudlandsfar.)
41. Gretir iniquus, irruptionumq; avidus.	41. Gretir hin Onde/ ſom altid vild ſtrax ſla paa ſine Fiender/ huad heller de vaare paa Marcken/ eller i Byen. (Grethir hin Onde oc Haſtige)
42. Haddir durus.	E 42. Haldir hin Haarde. (Haddir Haardeſind.)
43. Roldar articulus.	43. Rolder hin Sperlemmede.
44. Thronder.	44. Thronder.
45. Thronski.	45. Thronſki.
46. Thoki Moricus.	46. Thoki Norſke. (Thocki aff Moren.)
47. Rafn candidus.	47. Naffn hin Huide. (Naffn huide.
48. Haſvvar.	F 48. Haſſvar.
49. Biarni.	49. Barmi. (Biarni.)
50. Blihar Simus.	50. Blihar hin Kirtnæſede.
51. Biórn è vico Soghni.	51. Biørn aff Sogni. (Biørn aff Sogen.)
32. Findar maritimo genitus ſinu.	52. Findar aff Stranden. (Findar aff Marſtrand.)

53. Berſi

LATINE.	DANICE.
	A
53. Bersi apud Falu oppidum creatus.	53. Bersi aff Falu. (Bersi aff Falu stad.)
54. Sivardus verris caput.	54. Sivard Svinehoffuit.
55. Ericus fibulator.	55. Erick Bratze. (Erick Huißlere.)
56. Alsten.	56. Alsten.
57. Harki.	57. Harky.
58. Ruthar.	B 58. Ruthar.
59. Ravvi.	59. Rawi.
60. Erlingar, cui *Colubra* cognomentum erat.	60. Erling Orm.
61. Od Anglus.	61. Og Engelske. (Od Engellender.)
62. Alf multivagus.	62. Alff Vandere/ som altid vilde færdis. (Alff Widefaren.)
63. Enar protuberans.	C 63. Enar Sidebug.
64. Ivarus Truvvar.	64. Iver Trucre.
65. Mar Ruffus.	65. Mar hin Rødskeggede.
66. Grombar annosus.	66. Grombar hin gamle.
67. Gram Brundelucus.	67. Gram Brunsund. (Gram Brundolck.)
68. Grim ex oppido Skierum.	68. Grim aff Skeerum. (Grim aff Skierum Stad.)
69. Berghar vates.	D 69. Bethar Spaamand. (Berghar Spaamand.)
70. Brahi.	70. Brahi.
71. Ranchil.	71. Ranckel.
72. Ar.	72. Air. (Ar.)
73. Backi.	73. Backi.
74. Keklu.	74. Keklu. (Keklu.)
75. Karll.	E 75. Karl. (Kal.)
76. Croc agrestis.	76. Krock hin Bonactige. (Krocke Bonde.)
77. Guthfast.	77. Guthfast.
78. Gummi è Gislamarchia.	78. Gummi aff Gislemarcken. (Gummi af Gyllemarck.)
79. Ingi.	79. Inge.
80. Oly.	F 80. Oly.
81. Alvver.	81. Alffuer.
82. Folki Elrico patre nati.	82. Folki Elrikis Sønner. (Folcki Ericks Sønner.)
83. Sigmundus de Sigtima.	83. Sigmund aff Sigtim Stad.
84. Frosti cognomento Crucibulũ.	84. Frostin Kruß.
85. Alf elatus.	85. Alff hin stolte.
86. Holti.	86. Holty.

LATINE.	A	DANICE.
87. Hendil.		87. Hendil.
88. Holmar.		88. Holmar.
89. Levvy.		89. Lewi.
90. Hama.		90. Hama
91. Regnaldus Ruthenus.		91. Regnolt aff Rydßland. (Regnolt Ryßer.)
92. Sivaldus.	B	92. Siwald.
93. Lefy, Pannoniorum victor.		93. Lewir som vant Vngern. (Lefy som twang Vngern.)
94. Thirikar.		94. Thirikar.
95. Thrygir.		95. Thrygir.
96. Thorvil.		96. Thorvil.

Atq; hæc sunt nomina illustrium pugilum, & Martij spiritus Heroum, qui partibus utriusq; Regis strenuè propugnarunt. Reliquum nunc est, ut eadem porro curâ accuratiore expendamus, sed non per singula generum, verùm per genera singulorum, ut cum vulgo Philosophantium loquar. Inprimis cognominum, unde maxima lectionum varietas emersit, rationem reddendam duximus.

35. *Blend ultimæ Thyles incola*] Notissimum est illud Poetæ:

——————— *Tibi serviat ultima Thule.*

Thulen quidem Islandiam, & *Thulenses* Islandos, Saxonem opinione magis, quàm rei veritate ductum appellasse, superius ad Præfationem nobis dictum. Nam Islandiam non esse veterum *Thulen*, firmissimis evincit argumentis Arngrimus Jonas Islandus Lib. I. Rerum Islandicarum pag. 15. Neq; hoc loco *Thule* Islandia dici poterit: quòd istâ tempestate nondum Islandia coli aut habitari cœpta. Rectius itaq; Vellejus noster, juxtà ac M. Christiernus Petri, primus Saxonis interpres, reddidêre: Blend aff Telløe/ vel Blend aff Tyløe. Quænam verò istæ sint insulæ, juxtà scimus cum ignarissimis.

36. *Brand Micæ cognomen habens*] Non exigua hoc in cognomine latet obscuritas. *Micæ* enim, *formicæ*, an *myricæ* hic legendum sit, planè C incerti sumus. *Mica* nobis quidem Smule dicitur: quod prorsus alienum est ab illo Myg vel Mycke/ quod Danica versio repræsentat. Facilè itaq; adducor ut credam, pugilem hunc cognominatum fuisse Myck sive Myg/ quod Saxo *Micæ* vocabulo tantùm exprimere voluit. Alioquin Myg vernacula nostra dicitur *Culex*. Sed ea vocis significatio Saxoni in mentem hic non venit, quia aliud innuebat cognomen istud antiquum, quod velut ignotum & ἄσημον Latio D donari non potuit.

44. *Tummi velificator*] Fortè hic ille *Tumi* est, cujus mentionem facit Monumentum Hunestadense, quod nobis exhibet Clarifs. D. Wormius Lib. III. Monumentor. Danicor. & hoc loco inserendum curavimus. Saxi primi hæc est inscriptio:


Osburn aug Tumi Deir seutu Stain densi eftir Rui aug Leigfrud sunu-kunu henter.

E ESBERNUS ET TUMI LAPIDEM HUNC POSUERUNT RUI ET LEIGFRUD NURUI SUÆ.

In secundi tamen saxi inscriptione, fœmina quædam Tumæ nomine insignitur:

Asburn seti Stein densi eftir Tumæ sunkunu.

ESBERNUS LAPIDEM HUNC POSUIT NURUI SUÆ TUMÆ.



Pag. 144. verſ. 4. *Poſt hos Ger, Livicus.*] Magna hic quoq; nominum confuſio. Vellejus voces, quæ per errorem librarij perperam coaluerant, ſeparandas exiſtimans, ità legit: *Poſt hos Ger, Livicus, Hama*: ideoq; ſic vertit: Efter dennem ſom Ger/ Livick/ Hame. Quam ego lectionem admiſi. Cæterum primus interpres ità legiſſe videtur: *Poſt Hosger lividus*: quæ ſic reddit: Hosger hin Sorte. Ad oram tamen libri adſcriptum extabat: Hosger aff Liffland; quaſi *Livicus*, idem eſſet ac *Livonicus*, ſeu ex *Livonia* oriundus.

28. *Gromer VVermicus*] Rectè vetus interpres vertit: Gromer aff Wermeland. At diſtinguit Wellejus, & ex cognomine nomen facit proprium; Gromer/ Wermick.

33. *Sveno supernè tonſus*] Hoc eſt, toto vertice, & capitis eminentiore parte attonſus, & ſtrictim quidem, tantum non inſtar Monachorum, quibus raſi vertices. Germanis, Mit einem Platte: nobis Kulled.

39. *Roldar articulus*] Utraq; verſio habet: Rolder hin Sperlemmede. Videntur enim interpretes talem exprimere voluiſſe, qui artus graciles tenerosq; haberet, tenuisq; texturæ homuncio eſſet, ut ſingulos artus ejus numerare haud difficile eſſet; vel fortè, qui totus nil niſi oſſa & pellis eſſet. Sed quid ſi legendum, *articuloſus?* ut ſit, validis artubus præditus, vel firmis & ſolidis articulis, hoc eſt, robuſto corpore.

43. *Ericus Fibulator*] Heic iterum in lectione variant interpretes. Vetus ille vertit: Erick Bratzer: & meo judicio rectiſſimè. *Fibula* etenim antiquâ linguâ Danicâ Een Bratz / quâ nempe antiquitus veſtimenta connectebant. Unde *Fibulator*, fibularum conficiendarum artifex. Sed Vellejus legit *Sibilator*: undè vertit Erick Hwiſlere. Quàm rectè, ipſe viderit.

45. *Enar protuberans*] Cui pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extabat.

Ibid. *A Tyle*] Intellige provinciam aliquam Norvagiæ eo nomine, aut fortè inſulas suprà memoratas. Nam Iſlandia tunc non habitata. Iſlandsbierg/ locus eſt in Norvegia, vbi Wiggen.

Pag. 145. verſ. 3. *Froſti cognomento Crucibulum*] *Crucibulum* [ut me edocuit Excellentiſs. Vir, D. Olaus Wormius, cui plurimum debet Saxo noſter] Chymicis Metallurgis vox eſt tritiſſima; quâ vas denotant triquetrum, ex argillâ tenaciſſima compactum, in quo igne vehementi metalla fundere ſolent. Ipſe Saxo Lib. VI. *Teſtam & Concham* vocat. Vulgo Een Digel. Rulandus in Lexico Alchimiæ: *Crucibulum eſt vas fuſorium, ex terra igni contumaciſſima factum, acutiore baſi & tereti, in ampliorem capacitatem, formâ triangulari, vel rotundâ deſinentem, ad fundenda & eliquanda mineralia & metalla, formatum.* Sic Geber Arabs libro de inveſtigatione magiſterij, Paragrapho de præparatione Veneris: *Præparatur Venus optimè per hunc modum. Ponatur Veneris ſtratum ſuper ſtratum de ſale communi optimè mundato, in crucibulo.* Optime itaq; boni interpretis partes ſuſtinuit M. Chriſtiernus Petræus,

træus, qui vertit: Frosti Krus. Pocula namq; ex terra confecta, ut *crucibula*, etiamnum hodie Kruse vocamus. Jam ad loca intermedia orationem convertamus.

Pag. 143. vers. 5. *Prælongis ensibus*] Cujusmodi utebantur olim Dani, & cæteræ versus Boream gentes. Certè, Gallis, Cimbris, Germanis, Celtis, prælongos enses, quas *Spathas* vocarunt, attribuunt Plutarchus, Strabo, Diodorus, Vegetius, alij. Videatur Cluverius Germaniæ Antiquæ, Lib. 1. p. 348. B

53. *Aërij coloris parmulis*] Præter variarum rerum imagines, quibus scuta sua adornarunt Danorum antiquissimi, ea etiam lectissimis tantum coloribus distinxerunt, ad exemplum aliarum gentium. De Germanis Tacitus: *Nulla cultus jactatio: scuta tantùm lectissimis coloribus distinguunt.* De Cimbrorum, Germanicæ gentis, equitibus, ità in Mario Plutarchus: θυρεοῖς δὲ λευκοῖς στίλβοντες: id est: *Scutis fulgebant candidis.* C Sidonius Apollinaris Lib. IV. Epist: 20. de Gothorum rotundis scutis: *Quorum in orbibus nivea, fulva in umbonibus.* Virgilius IX. Æneid.

Ense levis nudo, parmaq; inglorius alba.

In lectissimis igitur coloribus apparet fuisse *candidum* & *cœruleum*, quem Saxo hic *aërium colorem* indigetat, nempe quo cœli templum pictum est.

D Pag. 144. vers. 23. *Ipsamq; sequestræ pacis diruptionem*] Maro Lib. XI. Æneidos:

Bis senos pepigêre dies, & pace sequestrâ,
Per silvas Teucri, mistiq; impunè Latini,
Erravêre jugis ——————

Ad quem locum ità Servius: Pace sequestrâ, *id est, mediâ. Nam sequester est aut medius inter duos altercantes, aut apud quem aliquid ad tempus seponitur. Dictus autem à sequendo, quod ejus qui electus sit, utraq; pars fidem sequatur. Pacem ergò sequestram, inducias dicit, id est, pacem temporalem &* E *mediam inter bellum præteritum & futurum.* Hactenus Servius. Ad eundem modum paulò aliter Germanus Valens Pimpontius: *Sequestrem vel sequestrum, Modestin. sub Tit. de Verb. Significat. eum accepit, apud quem plures rem aliquam, de quâ controversia est, deposuerunt: ità dictum, quòd ejus qui electus sit, utraq; pars fidem sequatur: est enim medius inter duos altercantes, apud quem aliquid seponitur. Hac auctoritate inducti Interpretes,* pacem sequestram, F *inducias interpretantur, quòd mediæ sint inter bellum præteritum & futurum. Ego, quanquàm mihi non omninò hæc sententia displicet, quod pax paucorum, ut duodecim dierum, & induciæ in eâdem penè causâ, & definitione sint: frigidiusculum tamen existimo, hic pacem ad sequestri instar, inter bellum diversi temporis, mediam collocare: nam potius inter altercantes, hoc est, Teucros & Rutulos, constituenda fortè fuit. Eo exemplo & ratione accipere pacem sequestram simpliciter præstiterit intermediam, intercedentem,* προξενοῦσαν καὶ μεσεγγυωμένην, *cujus interventu impunè adversæ partes & innocuè rebus suis vacare & superesse potuerint.* Et quæ sequuntur. Dudo Veromandensis de moribus & actis primorum Normanniæ Ducum Lib. 1. p. 63. *Petunt sequestrâ pace portus, causâ mutuandi raptum fœnus.* Josephus Devonius Lib. IV. de Bello Trojano:

Deligitur, qui dicta ferat, qui pace sequestrâ
Res Danaûm, Spartæ spolium, raptamq; reposcat.

Pag. 145. vers. 7. *Sivaldus undecim salum paronibus*] *Paro*, navis prædatoria. Isidorus Lib. XIX: *Paro, navigium piratarum apertum, & ex iis ità vocitatum.* Cicero:

Tunc se fluctifero tradit mandatq; paroni.

Et alibi: *Paruncul is ad littus ludit celeribus.* Svidas habet παρῶναι, εἶδος πλοίων: lege παρῶνες.

8. *Bracteatam auro liburnam*] Liburnam auro incrustatam, auro obductam, inauratam, vel aureis laminis inductam. *Bractea*, tenuissima quævis lamina, cujuscunq; metalli. Hymnus Natalitius Autoris incerti:

—————————— *Veniunt Eoi*
Principes, dignum celebrare cultum,
Mystica dona
Thus Deo, Myrrham Troglitin humando,
Bracteas Regi Chryseas tulêre.

Ad quem locum vide Notas eruditissimas Viri de bonis autoribus præclarè meriti, M. Joannis Weitzij. D Paulinus Carm. 14.

Nam nisi fulva leves texisset bractea plantas.

Bracteatus, bracteâ obductus. Apud Senecam Epist. 41. *Leo bracteatus* dicitur ornatus bracteâ. Idem eleganti tralatione *bracteatam felicitatem* vocat, hoc est, non solidam, sed tenuem & adumbratam, ut Lipsius exponit. Haud secus ac Plinius in Panegyr. *Mentis aureæ dictum bracteatum*; Fulgentius, *Bracteatam eloquentiam.* Ammianus Marcellinus Lib. XIV. *Statuas auro curant imbracteari.* Et Lib. XVII. *Facis imitamentum in figura æreum, itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis.* Ità Sidonius Lib. 2. Ep. 10. *Bracteatum lacunar.* Et Lib. 8. Epist. 3. *Gestatorias bracteatas.* Martianus Capella Lib. 1. *Comas bracteatas* dixit.

Ibid. *Linteo excipit*] id est, Velo instruit, adornat, navigationi aptam reddit. Sic mox: *Intenta antennis lintea. Lintea* enim pro velis, frequentius usurpata Poetis.

16. *Prospectumq; pelagi explicata malis carbasa præstruebant*] Sic de Argivis navibus Josephus Devonius Lib. IV. de Bello Trojano:

Jam Pandionios collato robore portus
Argivæ tenuêre rates, spatiumq; negabat
Terra viris, velis aër, & puppibus æquor.

32. *At per solidum proficiscentibus*] Hoc est, terrestri itinere. *Solidum* enim hic absolutè pro terra ponitur.

48. *Cuneo frontem molitur*] Aciei frontem in cuneum disponit. *Frons* enim pars anterior aciei. Unde Tacitus Lib. 3. *In frontem statuerat ferratos.* Et in Vita Agricolæ: *Pugnare in frontem.*

51. *Qui regnum suo munere adeptus fuerit*] Nam mortuo Ingeldo, Sveciæ Rege, Ringonem, quem ex Haraldi sorore sustulerat, puerum admodùm, Haraldus, paterno regno, datis ei tutoribus, præfecit, ut Saxo libro superiori commemorat. Sed Annales Islandici contendunt, Haraldi Hildetandi victorem fuisse, non Ringonem, verùm Sigvardum Ring, Regneri Lodbrogi patrem.

Pag. 146. vers. 6. *Antiquum rediisse chaos*] Lucanus Lib. 1.

——————— Sic cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterùm Chaos, omnia mistis
Sidera sideribus concurrent. ———

Et Lib. VI.

Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras; rursusq; redire
Nox manes mistura deis ———

Alcimus Avitus Lib. IV.

Intereà magnâ pontus se mole movendo,
In Chaos antiquum, linquens mundana, redibat.

Hericus Monachus Altissiodorensis Lib. III. Vitæ S. Germani, fol. 33.

Fulmina mixta volant, jam confudisse putantur
Concordes elementa vices, mundiq; ruinâ
In priscum reditura Chaos. ———

Galterus Lib. IV. Alexandr. fol. 48.

Concurrunt acies, it tantus ad æthera clamor,
Et vulgi strepitus, quantum si dissona mundi
In chaos antiquum rediviva luce relabens,
Machina corrueret, rerum compage solutâ,
Horrisonumq; darent concussa elementa fragorem.

9. 10. *Dies effusa telorum grandine tegebatur*] Ita Lucanus Lib. III. versu 545.

——————— emissaq; tela
Aëra texerunt ———

Virgilius Æneidos Lib. XII.

Ferrum alij torquent, & obumbrant æthera telis.

Carmen incerti in Xerxem, quod extat Lib. 2. Epigramm. Veter. pag. 50.

Perses magnus adest, totus comitatur euntem
Orbis: quid dubitas, Græcia, ferre jugum?
Mundus jussa facit, solem texêre sagittæ.
Calcatur Pontus, fluctuat altus Æthos.

Aristides Sophista de apparatu Xerxis ita: *Telis obtegebatur ipse sol; mare navibus, terra copiis pedestribus, aër sagittis redundabat. Grandinem* vero *telorum* Saxo translatè dixit, ut telorum densitatem innueret: quomodò eâdem Metaphorâ Virgilius eodem libro *tempestatem telorum* & *ferreum imbrem* posuit:

——————— It toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.

Sic *grandinem saxi* Josephus Devonius de bello Trojano Libro VI.

At Phryges instantes prohibent, nunc grandine saxi,
Nunc ferri nimbo, nunc sparsæ fulmine massæ.

Ammianus Marcellinus Lib. XIX. pag. 145. *Numerosas gentes ad arma clamoribus dissonis concitarunt: quarum concursu, ritu grandinis hinc inde convolantibus telis, atrox committitur pugna.* Et pag. 147. *Nec minores in civitate luctus aut mortes, sagittarum creberrimâ nube auras spissâ multitudine obumbrante.*

37. *Centum quadraginta quatuor sagittæ pectus præliantis obsederant*] Multis igitur fortitudinis parasangis Vbbo hic noster Achillem illum Romanum, L. Sicinium Dentatum, post se reliquit, qui quinque tantum & quadraginta vulnera pectore exceperit, ut ex Varrone commemorat Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 2. Honestissima vero illa sunt vulnera, quæ adverso corpore excipiuntur; ut aversa, pudenda. Videatur Matthæus Raderus ad Lib. III. Q. Curtij. Hinc non immerito, quod de Achille dixit Catullus, de Vbbone diceretur:

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.

44. *Ut erat falcato curru vectus*] *Falcatorum curruum* crebra apud Curtium mentio extat. Sic Libro IV. *Hos quinquaginta falcati currus sequebantur.* Et mox ibidem: *Claudebatur hoc agmen alijs falcatis curribus quinquaginta.* Et paulò post: *His quoq; falcati currus erant quinquaginta.* Eodem libro: *Ingensq; ut crediderat, hostium terror, ducentæ falcatæ quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium, secutæ sunt.* Quas ita statim describit: *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant: utrinq; à jugo ternos direxerant gladios; & inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: aliæ deinde falces summis rotarum orbibus adhærebant; & aliæ in terram dimissæ, quicquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Fere eadem est Livij descriptio: *Armatæ autem* [nempe falcatæ quadrigæ] *in hunc maximè modum sunt. Cuspides circa temonem ab jugo decem cubita exstantes, velut cornua habebant, quibus quicquid obvium daretur, transfigerent. Et in extremis jugis binæ eminebant falces, altera æquata jugo, altera inferior, in terram devexa, ità ut quicquid à latere objiceretur, illa abscinderet, hæc ut prolapsos subeuntesq; contingeret. Item ab axibus rotarum utrinq; eodem modo diversæ deligebantur falces.* Videantur eruditissimæ in Curtium Notæ Matthæi Raderi. *Currus falcatos* cœlo adumbravit Steucchius in Commentar. ad Vegetium.

55. *Eidem se prostratorum manes muneris loco dedicaturum*] Othinus etenim bellis præesse creditus, existimabatur nullo modo melius placari posse, quàm sangvine prostratorum hostium, eorumq;, quos captivos secum abduxerunt. Sic enim Olaus Magnus Lib. III, Cap. 3. *Othinum,*

num, qui bellis præsidebat, cruore & morte captivorum placabant; opinantes bellorum præsidem aptius humano cruore placari. Hinc bello cæsos, *Odino mactatos* dicebant. Vide quæ suprà notavimus. A

Pag. 147. vers. 4. *Jacebant circa currum Regis innumera extinctorum corpora.*] Non aliter ac Curtius Lib. 3. loquitur, de ingenti illa cæde, factâ circa Darij currum. *Circa Darij currum*, inquit, *jacebant nobilissimi duces ante oculos Regis egregiâ morte defuncti.* Et mox: *Circà eos cumulata erat peditum equitumq́ obscurior turba.* B

23. *Uti arma, aurum, & quodcumq́ opimum esset, liberaliter in nutrimentum rogi*] Fortium virorum arma cum ipsis funeribus, apud veteres consumebantur: nec solùm hæc; sed & cætera, quæ habuissent charissima. Silius Italicus de rogo, quem Annibal, Pœnorum Dux, Romano Consuli ad Cannas cæso struxit, ità Lib. X.

Sublimem eduxere pyram, mollesq́ virenti
Stramine composuêre toros, superaddita dona C
Funereum decus expertis, invisus & ensis,
Et clypeus, terrorq́ modò atq́ insigne superbum,
Tum lateri fasces, captæq́ in Marte secures.

Plura omnino de hoc ritu notatu dignissima suppeditat nobis Doctiss. Vir, Joh. Kirchmannus, Lib. III. de Funerib. Rom. Cap. 5. Videatur etiam Philippus Cluverus Lib. 1. Germaniæ Antiquæ, pag. 395, & seq.

Pag. 148. vers. 23. *Hæreditatis nomine tentaturus*] Erat enim Omundus Sivardi Norvagiæ Regis ex filio Olone nepos. D

29. *Oddo quoq́ Omundo manum junxerat*] *Manum*, id est, copias suas, cum exercitu Omundi conjunxerat, ut unitis viribus Ringonem adorirentur.

36. *Alter proræ præesse jussus*] Is Plauto *Proreta* dicitur, qui in prora tutelæ navis præsidet. Rudent. Act. IV. Sc. 3. *Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.* Græcis πρωρεύτης & πρωρεύς. Videatur Lazarus Baysius de re navali, pag. 117. E

Pag. 149, vers. 26. *Omundum avidè petitum*] Ità haud dubiè legendum. Nam ab Omundo Rusla interfecta; & Ringo jam prius occubuerat.

45. *Quàm serum naturæ jaculum operire*] Quàm expectare mortem illam naturalem, quam senium & longævitas adfert. *Jacula, spicula, & alia tela*, morti solens tribuit Saxo.

Pag. 150. vers. 2. *Parricidij pœnitentia adductus*] Hoc est, cædis regiæ à se perpetratæ. Rectè enim *Parricidij* nomine venit facinus illud scelestissimum, quum Olonem interficeret Starchaterus. Nam Principes & Reges dicuntur *Patres patriæ*: quorum interfectio propterea non injuria *parricidium* vocatur, & instar parricidij punitur. F

13. *Ut sine regressu pronas agit alveus undas*] Ovidius in eandem fere sententiam Lib. XV. Metamorphos.

Ipsa quoq́ assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen, neq́ enim consistere flumen,
Nec levis hora potest: sed ut unda impellitur undâ,
Vrgeturq́ prior veniente, urgetq́ priorem;
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq́ sequuntur.

17. *Illa oculos hominum pariter gressusq́ relidit*] De Iliade malorum, quæ secum ferre senectus solet, luculentissimi sunt versus Cornelij Galli, vel potius Maximiani, quem Boëthij tempore vixisse volunt, Elegia I. qui in multis mentem Saxonis nostri tàm proximè referunt, ut lac lacti, ovum ovo vox dixeris similius. Nam ubi Saxo habet:

Illa oculos hominum pariter gressusq́ relidit,
Eripit os animumq́ viris ——————
Occupat occiduos artus, frustratur anhelæ
Vocis opus, vegetamq́ premit torpedine mentem.
Dùm paritur tussis, dùm pellis scabida prurit.
Dens stupet exesus, stomachus fastidia gignit.
Evacuat juvenile decus: marcore colorem
Oblinit & piceâ crebras serit in cute rugas.
Jamq́ minus vegetum corpus fulcimine tuto
Flaccida subjectis innixus membra bacillis.

Ad eundem planè modum ψευδεπίγραφος Gallus de Senectutis incommodis conqueritur:

Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quæ fuit ante, manet.
Jam minor auditus, gustus minor, ipsa minora
Lumina, vix tactu noscere certa queo.
En lethæa meam subeunt oblivia mentem,
Nec confusa sui jam meminisse potest.
Hinc miserum scabies, hinc tussis anhela fatigat:
Continuos gemitus ægra senectus habet.
Quæ modò profuerat, contraria redditur esca:
Fastidita jacet, quæ modo dulcis erat.
Pro niveo rutiloq́ prius, nunc inficit ora
Pallor, & exanguis funereusq́ color.
Aret sicca cutis ——————
Hinc est quod baculo incumbens ruitura senectus,
Assiduo pigram verbere pulsat humum.
—————— *trunco titubantes sustinet artus.*

22. *Dùm pellis scabida prurit*] Leges Pedarias solens migrat Saxo. Sic primam hujus vocis produxit. *Scabidam* dixit pro *Scabiosa*, quæ vox magis usitata. Hieronymus adversus Jovium: *Utrum scabidum pecus sit, & morbidum: an vegetum atq́ subsultans?* Accedit proximè ad illud Latinum, nostræ vernaculæ dictio Skabbed / quâ *scabiosum* exprimimus.

34. *Innixus membra bacillis*] Senes enim baculis gressus adjuvant. Ovidius VIII. Metamorph.

Membra levant baculis, tardiq́ senilibus annis.

Titus Calpurnius Ecloga V.

Adspicis ut nobis, jam dudum mille querelas
Adferat, & baculum premat inclinata senectus.

Seneca Hercule Furente.

Iners senectus adjuvat baculo gradus.

Columbanus Abbas Epistolâ ad Sethum:

Multa senem fragilis vexant incommoda carnis,
Nam macie turpi tabescunt langvida membra.
Tunc genuum junctura riget, venasq; per omnes
Illius in toto frigescit corpore sangvis:
Sic baculô nitens artus sustentat inertes.

Adde Juvenalem Satyrâ X, cujus persimiles sunt de Senectute versus:

Sed quàm continuis, & quantis longa senectus
Plena malis? Deformem & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemq; sui; deformem pro cute pellem
Pendentesq; genas, & tales aspice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabracha saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Una senum facies; cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidiq; infantia nasi.
Frangendus misero gingivâ panis inermi.
Non eadem vini atq; cibi, torpente palato,
Gaudia. ——————
Præterea minimus gelido jam corpore sangvis
Febre calet solâ: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus ——————
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet; hujus
Pallida labra cibum digitis capiunt alienis.
—————— *Sed omni*
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præteritâ cœnavit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit. ——————

40. *Infracti rebus succurrat amici.*] *Infracti*, est senio & adversâ fortunâ fracti ac debilitati. *Infractæ fortunæ homines* vocat Valerius Max. Lib. IV. Cap. 7. *Accedit huc quòd infractæ fortunæ homines magis amicorum studia desiderant, vel præsidij, vel solatij causâ.*

48. *Dapsilitate studet multos superare potentes*] *Dapsilitas* est liberalitas. Hericus Monachus Altissiodorensis, in Præfatione ad Carolum Imperatorem: *Id tibi singulare studium effecisti, ut sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecunq; tua Celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas provocaret.* Daniæ nostræ à *dapsilitate* nomen imposuisse Julium Cæsarem, auctor est Ericus Rex Daniæ, sub initium Chronici sui: *Julius*, inquit, *Cæsar primò eam fertur Daciam appellasse, propter hospitalitatem & dapsilitatem hujus gentis.* *Dapsilis*, est, liberalis, munificus, largus; item copiosus. Columella: Uva *musto dapsilis*, id est, larga, copiosa, & musti ubertate luxurians. Græca hæc dictio est civitate Latinâ donata. Græcis enim δαψίλεια dicitur largitas, liberalitas, opulentia, affluentia rerum; & δαψιλής, benignus, abundans, co-

A piosus, uber, amplus, largus opum. Cato de moribus Lib. I. vers. ult.

Dapsilis interdum notis, & carus amicis,
Quum fueris felix, semper tibi proximus esto.

Galtherus Alexandreidos Lib. I.

Non opus est vallo, quem dextera dapsilis ambit.

Pag. 151. vers. 31. *Agitare pilam, mersa nuce vesci*] Videtur auctor mentem intendere ad ludos istos pueriles, *pilæ*, videlicet & *aleæ*, cujus species *nuces* etiam fuere. *Alea* etenim optimæ notæ
B scriptoribus latiori significatione denotat, omnem ludum, qui in fortunæ consistit arbitrio. Quâ significationis generalitate etiam *Nuces* continentur; unde & ipsæ dicuntur *Alea*. Martialis Lib. XIV. Epigramm. 18.

Alea parva nuces, & non damnosa videtur,
Sæpè tamen pueris abstulit illa nates.

Idem Martialis Lib. IV. Epigr. *66.* v. 22.

Supposita est blando nunquam tibi tessera talo,
Alea sed parcæ sola fuere nuces.

C Ovidius in Elegia de Nuce:

Quatuor in nucibus non amplius alea tota est.

Erat autem iste ludus fæminarum tantum, aut puerorum; non vero senum, quibus ad nuces iterum redire neutiquam fas erat. Unde Horatius Libr. 2. patrem quendam, filium suum à pueritie describentem, ità loquentem introducit:

—— *postquàm te talos, Aule, nucesq;*
D *Ferre sinu laxo, donare, & ludere vidi.*

Et iterùm Martialis Lib. V. Epigr. ult.

Jam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur à magistro.

Unde istud tritum, *Nuces relinquere*, quod Philologis nihil aliud est, quàm pueriles istas cupiditates exuere. Inde Persius Sat. I.

—— *Et nucibus facimus quæcunq; relictis,*
Cum sapimus patruos ——————

Ubi Ant. Foquelinus ait: *Ludus nucum, puerilis cu-*
E *piditatis species est. Proverbium autem in eos olìm usurpabatur, qui uxorem ducebant, quoniam ipso nuptiarum die nuces spargebant.* Laurent. Ramiresius, Hispanorum Doctissimus, ad Epigramm. *66.* Lib. 4. Martialis: *Nuces*, inquit, *relinquere, est à puerorum moribus abscedere, ætate jam suadente.* Michael Casparus Lundorpius in eruditissimis symbolis ad ista Petronij verba: *Cujus anni ad tesseram venerunt: Nam puerorum*, inquit, *& adolescentium, nuces: virorum autem & senum tesse-*
F *ræ, id est, eorum, qui sui juris erant, nucesq; relinquerant. Etenim,* Nuces relinquere, *Proverbium apud Persium, de ijs, qui virum affectant, aspirantq; ad maturæ vitæ libertatem.* Ut autem *relinquere nuces*, pueriles nugas abjicere vocamus: ità eâdem locutione dicimus *ad nuces redire, nuces repetere, nucibus iterùm indulgere*, de ijs, qui easdem nugas, & vitia puerilia reassumunt, & semper puerorum more agere consvescunt. Cæterùm de nucibus ludendi variis modis, operæ pretium est adire

adire & conſulere eruditiſſimum & aureolum planè libellum Clariſs. Viri, Andreæ Senftlebij, quem *Nuces Saturnalitias* inſcripſit. Quod autem Saxo dixat *morsâ nuce veſci*, intelligendum arbitror, de eo, qui inter ludendum nuces lucratur, quibus poſt victoriam ſumma cum voluptate veſcitur.

42. *Quid præmia ductus*] *Ductus* pro *ductamine*, ſive ducendi officio; quod & *Ducatus* dicitur. Petrus Chryſologus Homiliâ de Magis: *Gaudent in terra ſe ad Deum, ducatu unici ſideris, perveniſſe.* Increpat autem jure merito Starchaterus Hatherum, quod ſeni & cæcutienti, non niſi præmio adductus, itineris ducem ſe præbere voluerit.

47. *Cui debueras ultrò dux eſſe vianti*] *Vio* eſt iter facio. Onomaſt. Vetus: *Vio*, ὁδεύω. Apulejus Florid. *Ut ferè religioſis viantium moris eſt.* Et Metamorph. Lib. X. *Vianti maritus domus expugnationem nunciaret.* Ammianus Marcellinus Lib. XV. *Cottias extruxit compendiarias, & viantibus opportunas.* Solinus Cap. XL. *Exitium viantium.* Et Cap. XLII. *Acceſſus viantium.*

Pag. 152. verſ. 2. *Cruſtula ſpumantis patinæ bulligine tingis*] Rara equidem *Bulliginis* vox eſt, & planè barbara: ſed quæ nihil aliud ſignificare videtur, quàm juſculi adipati pinguedinem in bullas usq; efferveſcentem. Catholicon Johannis de Janua duo nobis ejuſdem ferè ſignificationis vocabula repræſentat: *Bullio, Bullionis*; & *Bullor, bulloris*; id eſt, tumor aquæ bullientis.

8. *Doctior aſſvetam cineri proſternere Gallam*] Fortè hic legendum *pallam*: ut ſit ſenſus; Hatherum paratiorem eſſe ad ſternendum in foco *pallam*, id eſt, pallium ſuum, ut ad ignem obdormiſcat. Non aliter ac veteres Germani quietem capturi, Urſorum, Luporum aut Canum pelles, ad focum humi cubantes, ſibi ſubſternere ſolebant. Undè qui per ignaviam, pigritiamq;, & inertiam, urſinam pellem nunquam relinquebant, vocabantur per contumeliam Bärenhäuter/ quaſi dicas, *urſinarum pellium incubitores.* Lectionem noſtram confirmare videntur ſequentia:

Indormire Lari, ſomnos celebrare diurnos.

Cæteroquin *Galla* eſt inſtrumentum cerdonum, quo coria purgantur & peralbantur. *Galla* etiam dicitur quædam herba & fructus quercuum, unde fit pulvis ad aptanda coria, qui ſimiliter *Galla* vocatur. Gloſſar. *Galla*, Κηκὶς.

35. *Pro virgine chara*] Helga nempe, Ingelli ſorore, cujus in gratiam, cum ſeptem, vel potius novem, duellum inivit, eosq; omnes ferro conſumpſit: de quo Saxo ſuprà Lib. VI.

51. *Vincit opus famam*] In eandem ferè ſententiam Bernhardus Morlanenſis Lib. I de contemptu Mundi, cœleſtis patriæ mentionem faciens:

Laude ſtudens ea tollere, mens mea victa fatiſcit;
O bona gloria, vincor; in omnia laus tua vicit;

Quintilianus Declamat. VI. *Omnia licet huc revocemus præterita, & ad canendas unius laudes univerſorum vatum ſcriptorumq; ora conſentiant, vincet tamen res iſta mille linguas, ipſamq;, ſi ſit aliqua corpore uno, facundiam, materia ſuperabit.*

Pag. 153. verſ. 10. *Hoc etiam anticipare licebit.*] Gemina gemella ſunt illa Cornelij Galli, jam dictâ Elegiâ:

Sed mihi venturos melius prævertere caſus,
Atq; infelices anticipare dies.
Pœna minor certam ſubitò perferre ruinam;
Quod timeas, gravius ſuſtinuiſſe diu.

13. *Mors optima tunc eſt Quum petitur*] Illorum enim obitus felix eſt, quorum ſola mors eſt votum. Aliter Publ. Syrus:

Dum vita grata eſt, mortis conditio optima eſt.

Sed idem alibi:

Bona homini mors eſt, vitæ quæ extinguit mala.

Boëthius Lib. 1. de Conſolat. Philos.

Mors hominum felix, quæ ſe nec dulcibus annis
Inſerit, & mœſtis ſæpè vocata venit.

15. *Ne miſeros caſus incommoda proroget ætas*] Quintilianus Declamat. IV. *O mors laudanda fortibus, expetenda miſeris, non recuſanda felicibus!* Boethius loco ſuprà citato:

Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.

Seneca in Thebaide. v. 45, & ſequent.

Deſertor animæ, fortis in partem tui,
Omitte pœnas langvidas longæ moræ,
Mortemq; totam recipe, quid ſegnis traho?

26. *Terræ glebam morſu carpſiſſe fertur*] Viri fortes in bello morituri ſolent terram mordicus appetere. Id quod ſignum eſt ingenitæ ferocitatis; ut rectè ſequentibus verbis innuit Saxo: *Ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans.* Itâ Rex Agamemnon inter alias minas Priamo intentatas apud Homerum Iliad. II. verſ. 418.

——— Πολέες δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτὸν ἑταῖροι
Πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν.
——— *Multi & circa ipſum ſocij*
Proni in pulveribus mordicus capient terram.

Euripides alicubi:

——— γαῖαν ὀδὰξ ἑλόντες
Πίπτουσι ———

Virgilius Lib. XI. Æneid. de Eumenio:

Sangvinis ille vomens rivos cadit, atq; cruentam
Mandit humum, moriensq; ſuo ſe in vulnere verſat.

Virgilius itidem Lib. XI. de Mezentio:

Egregius animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Ad quem locum frigida planè eſſe exiſtimo, quæ ex Lucano notat Servius, dum vulneratis ait in more fuiſſe poſitum, ut vel terram, vel arma mor-

morderent, ne dolorem eorum indicaret gemitus. Versus Lucani Lib. VIII. extant, de Pomponio jamjam morituro:

Continuitq; animum, ne quas effundere voces
Posset, & æternam fletu corrumpere famam.

Servio tamen assentiri videtur Silius Italicus Lib. IX. de Scævola:

Volvitur ille ruens, atq; arva hostilia morsu
Appetit, & mortis premit in tellure dolores.

Quintilianus Declamat. XII. *Terram morientes momorderunt.* Claudianus de Bello Getico p. 223.

Ille tamen, mandante procul Stilicone, citatis
Acceleravit equis, Italamq; momordit arenam.

hoc est, *occisus in Italia*: quomodo hunc locum exponit Doctissimus Barthius in Notis suis aureolis ad eundem Poëtam. Pindarus Thebanus Iliados Epitoma:

——————— *Ictus in inguine Leucon*
Concidit infelix, prostratus vulnere forti,
Et carpit virides moribundus dentibus herbas.

Plinius Lib. VIII, Cap. 16. tradit *à moriente Leone humum morderi:* quo nullum est inter omnia animalia ferocius aut generosius. Hinc originem sumpsisse videtur Germanis hodieq; usitatissima de ijs loquendi formula, qui in præliis occumbunt: Sie haben ins Graß beisen müssen. Huc facit illustris ille locus ex Commentarijs prorsus divinis Evthymij, Monachi Zigaboni, ubi istum Psalmi LXXI. versum exponit: Et inimici ejus terram lingent] *Judæi*, inquit, *Christi occisores jugulabuntur. Solent enim, qui violentâ morte pereunt, præ gravi dolore terram mordicus apprehendere.*

48. *Trabem enim in modum præli oblongam*] Tale etiam machinamentum, necandæ matri Agrippinæ, excogitavit sceleſtissimus post homines natos Imperator, imo monstrum potius, quàm homo, NERO Claudius: *Nam cum eam ter veneno tentasset; sentiretq; antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu super dormientem, laxatâ machinâ, deciderent, paravit.* Verba sunt Suetonij, in Vita Neronis, Cap. XXXV.

Pag. 154. vers. 39. *Ad regalium mancipiorum magisterium transfertur*] Innuit his verbis Saxo Ismarum Sclavorum Regem, aulicis suis, tanquam Ephorum quendam, præfecisse Jarmericum, & veluti perpetuam morum censuram in regios ministros ipsi commisisse. *Magisterium* etenim pro summa potestate, item pro disciplina sumi, suprà nobis abundè dictum est.

Pag. 155. vers. 3. *Quò viribus pervenire nequibat, arte assurgendum procurat*] Cum etenim viribus res obtineri non potest, dolus adhibendus, juxtà illud Lysandri apophthegma: ἂν ἡ λεοντὴ μὴ ἐξίκηται τὴν ἀλωπεκὴν πρόσαψον, *Si leonina pellis non sufficit, vulpina addenda.* Nam is, quemadmodum in ejus vita memorat Plutarchus, irridere solitus est, qui velut ab Hercule prognati, bellum apertis viribus, citraq; dolum gerendum esse censebant, cum ipse magis existimaret boni ducis officium esse, quo Leonina pellis non attingeret, eo contendendum assutâ vulpinâ. Quod quidem propemodùm indicat & Maro, cum ait:

——— *Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Apud Polyænum Stratagem. Lib. II. Cap. 5. Cleandridas Thurijs numero paucioribus mandans, ne cum hostium multitudine congrederentur, inquit: Ὅπου μὴ ἐξαρκεῖ ἡ λεοντῆ, τότε χρὴ καὶ τῆς ἀλωπεκῆς προσράπτειν: *Ubi non sufficit pellis leonina, ibi vulpina adsuenda est.*

4. *Fiscellam itaq; biblo ac vimine textam*] Juncea *fiscella*, vel vimine texta, celebre opus est pastorum; sed alios in usus, quàm hoc in loco. *Biblos*, juncum significat. Lucanus Lib. III.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat. ———————

Quod Saxo hic *Biblo* dixit, Nemesianus *fluviali junco* expressit Eclogâ I.

Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur, & raucis resonant tua rura cicadis.

Venantius Fortunatus Lib. XI, Carm. 12.

Ista meis manibus fiscella est vimine texta,
Credite mi caræ mater & alma soror.

Fiscellam verò terrendis avibus contextam Græci Μορμολύκιον, Latini *Terriculamentum*, Nos een Raer dicimus.

Pag. 157. vers. 19. *Ejusdemq; illatus accipiter*] Quo nempè in venationibus & aucupijs usus fuerat. Magni etenim ab omni memoria id genus oblectamenti fecêre Reges, Principes atq; Magnates: adeò ut lege etiam prohiberent, ne quis spatham, vel accipitrem suum, in ipsam capitis redemptionem dare cogeretur: scilicet cum hic non minus vitæ esset solatium, quàm illa libertatis vindex atq; præsidium. Artem hanc cum accipitre aucupandi *Acceptoriciam* vocat Nobilissimus Vir, & Variarum Antiquitatum peritissimus, Henricus Spelmannus, Archæologi sui pag. 7. videlicet ab *Acceptore*, quo nomine antiquitus dicebatur *Accipiter*. Lucilius apud Charisium Lib. 10. *Exta acceptoris & ungvis.* De eâdem arte Libri extant Friderici II. Imperatoris, Manfredi Regis, & Alberti Magni, qui junctim prodicêre omnes Augustæ Vindelicorum, antè annos quadraginta.

27. *Rex mœnibus, quàm acie, tutius dimicandam existimans*] At miserrimum omnium claudi obsidione. Illustris est locus Hegesippi in Prologo de Judæis: ubi inter alia, quibus ostendit, eos sibi propriæ cladis auctores fuisse, & hoc postremo addit: quod eis *spes omnis in mœnibus, non in viribus fuerit; cum sit maximè omnium miserabile claudi obsidione: quæ etiàm, si benè procedit, sæpius augere, quam minuere pericula solet.*

30. *Fulgentes auro cetræ*] *Cetra, cetræ*, genus scuti rotundi. Varro περὶ Φιλονεικίας: *Quis rotundam facere cetram nesciat?* Servius ad illud

Virgilij Libr. VII. Lævas cetra tegit--: *Cetra*, inquit, *scutum loreum, quo Africi & Hispani utuntur, utuntur & Galli, & Persæ, & Britanni.* Unde *cetrati* dicuntur milites cetris muniti. Latini *Peltas & cetras*, pro eodem ferè genere clypei, usurpant. Livius: *Nocte cetratos, quos Peltastas vocant, in insidijs abdicârant.* Fuit autem *cetra*, ἀσπὶς λῃστρικὴ, *scutum latronum.*

44. *Trunco inter exanimes corpore rotabatur*] *Rotabatur*, hoc est, volvebatur huc illuc. Lucanus Lib. VI. vers. 220, & seq.

Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa,
Cum jaculum parvâ Libys amentavit habenâ,
Se rotat in vulnus ———

Pag. 158. vers. 32. *Per summam cœli intemperantiam*] Novè dictum, *intemperantia cœli*, pro intemperie. Sunt tamen qui contendunt, *intemperiem* pro intemperantia vulgò poni, & *cœli soliq; intemperantiam*, potius quàm *intemperiem* dicendam.

Ibid. *Victualium raritate*] *Victualia* pro annona, reliquisq; ad victum necessarijs. Fulbertus Carnotensis Epist. VII. *Domos ejus, & terras, & fruges, & omnia victualia pervasit.* Ivo Carnotensis Epist. IX. *Gratis oblatâ portione victualium suorum.* Cæsarius Heisterbaccensis Lib. X. Cap. 49. *In adventu Domini, hæretici Mediolanenses, hæreticis, qui erant in Brixia, multa plaustra cum victualibus transmiserunt.* Matthæus Paris Histor. Anglicæ pag. 30. *Ubi reperientes copiam auri, argenti, jumentorum, cum gregibus, armentis, & victualibus collectis, & papilionibus & tentoriis, in castris à propriis sunt recepti.*

Pag. 159. vers. 31. *Aggone atq; Ebbone auctoribus*] Paulus Warnefridus Diaconus, vetustissimus rerum Longobardicarum scriptor, quem Saxo ipse paulò post ad testimonium citat, primos hosce Longobardorum Duces perperam nominat *Ibor & Ajonem* Lib. 1. Cap. 3. *Igitur*, inquit, *ea pars, cui sors dederat genitale solum excedere, exteraq; arva sectari, ordinatis super se duobus ducibus, Ibor scilicet & Ajone, qui & germani erant, & juvenili adhuc ætate floridi, cæterisq; præstantiores*: & quæ sequuntur.

35. *Quorum mater Gambaruc*] Paulus Diaconus *Gambaram* appellat, loco mox dicto: *Horum erat ducum mater, nomine Gambara, mulier, quantum inter suos, & ingenio acris, & consilijs provida: de cujus in rebus prudentiâ non minimum confidebant.*

40. *Sorte deligerentur*] Idem quoq; Warnefridus tradit, cujus hæc sunt verba, mox Cap. 2. Libr. 1. ubi de Scandinavia insula loquitur: *Intra hanc ergò constituti populi, dùm in tantam multitudinem pullulassent, ut jam simul habitare non valerent, in tres, ut fertur, omnem catervam partes dividentes, quæ ex illis pars patriam relinquere, novasq; sedes exquirere deberet, sorte perquirit.* Vetustissimum autem fuisse apud Boreales natio- A nes ritum, ut quoties terra nimiâ populi multitudine exuberaret, sorte eligerent, qui patriâ excederent, alibi locorum sedes quæsituri, testis est Dudo de S. Quintino Lib. 1. Hist. Normann. *Hæ namq; gentes petulanti nimium luxu exardescentes, fœminasq; quàmplurimas singulari turpitudine commiscendo stuprantes, illinc suboles innumeras obscœnâ illiciti connubij commistione patrando generant. Hi postquàm adoleverint, pro rerum possessionibus contrà patres, avosq;, aut sæpius inter se, ferociter objur-* B *gati, cum fuerint exuberantes, atq; terram, quam incolunt, habitare non sufficientes, collectâ sorte multitudine pubescentium, veterrimo ritu, in externa regna extruduntur nationum, ut adquirant sibi præliando regna, quibus vivere possint pace prepetuâ.*

50. *Blekingiam advecti*] *Blekingiam* non agnoscit Warnefridus: verùm ejus loco *Scoringæ* cujusdam meminit, quæ fortè nostra erit *Scania*. Cap. VII. Lib. 1. *Igitur egressi de Scandinavia VVinili, qui & Longobardi, cum Ibor & Ajone ducibus, in* C *regionem quæ appellatur Scoringa, venientes, per annos illic aliquot consederunt.* Videatur etiam Caput X. ejusdem, ubi denuo *Scoringæ* meminit.

Ibid. *Boringiam præternavigantes*] Omninò legendum arbitror *Boringiam*, insulam maris Balthici, quatuor circiter milliaribus à Scania remotam, quæ nobis Boringholm dicitur. Ea etenim in Gutlandiam navigantibus è Scania sive Blekingia, primùm se offert; ut ex tabulis Geographicis liquet. Paulus Diaconus *Maurin-* D *gam* appellat. Sic enim Cap. XI. *De qua* (Scoringâ) *egredientes, dùm in Mauringam transire disponerent, Assipitti eorum iter impediunt, denegantes eis omnimodis per suos terminos transitum.* Et Cap. XIII. *Igitur Longobardi tandem in Mauringam pervenientes.*

51. *Ad Gutlandiam se appulerunt*] Paulus Diaconus Cap. XIII. *Egressi itaq; Longobardi de Mauringa, applicuerunt in Golanda* (pro Gutlandia) *Ubi aliquanto tempore commorati dicuntur.*

E Ibid. *Ubi & Paulo teste*] *Paulo*, nempe, *Diacono*, cujus verba hac de re extant Lib. 1. Cap. 8. *Refert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quòd accedentes VVandali ad VVodan, victoriam de VVinilis postulaverint; illeq; responderit, se illis victoriam daturum, quos primo oriente Sole conspexisset. Tunc accessisse Gambaram ad Fream uxorem VVodan, & VVinilis victoriam postulasse: Freamq; consilium dedisse, ut VVinilorum mulieres solutos crines, ergà faciem, ad barbæ similitudinem componerent, maneq; primo cum* F *viris adessent, seseq; à VVodan videndas pariter è regione, quâ ille per fenestram, Orientem versus, erat solitus aspicere, collocarent: atq; itâ factum fuisse. Quas cum VVodan conspiceret oriente Sole, dixisse: Qui sunt isti Longobardi? Tunc Fream subjunxisse, ut quibus nomen tribuerat, victoriam condonaret; sicq; VVinilis VVodan victoriam concessisse.* Cæterùm *VVodan*, cujus hic fit mentio, ipse est *Othinus*, de quo Saxo passim: & *Frea*, ejus conjux, ipsa est, quæ & hic, & Lib. 1. Saxoni *Frigga* & *Frig* dicitur.

Longo-

52. *Longobardorum vocabulum*] Paulus Diaconus Lib. 1. Cap. 9. *Certum tamen est Longobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cùm primitus VVinuli dicti fuerint, ità postmodùm appellatos. Nam juxtà illorum Linguam Lang/ Longam; Bart/ Barbam significat.* Indè etiàm *Longobardos* dictos Isidorus tradit Etymolog. Lib. IX. Cap. 2. *Longobardos vulgò ferunt nominatos à prolixâ barbâ & nunquam tonsâ.* Guntherus Lib. 2. Ligurini, pag. 29.

Dicitur à longis ea Longobardia barbis.

Straboni in Asia Lib. XI. referuntur Μακροπώγωνες, haud dubiè & ipsi à longarum barbarum augmento sic appellati. In nostris autem Langobardis occasionem antiquissimis temporibus, atq; causam nominis fuisse existimò eandem, quam Tacitus, in libello de Germania, Chattis maximè suo ævo adscribit, his verbis: *Et aliis Germanorum populis usurpatum, rarâ & privatâ cujusq; audentiâ, apud Cattos in consensum vertit; ut primùm adoleverint, crinem, barbamq; submittere, nec nisi hoste cæso, exsuere votivum obligatumq; virtuti oris habitum.* Æthicus equidem, & alij ejusdem ævi scriptores per O gentem vocarunt *Longobardos.* At rectius magisq; genuinè Strabo & Tacitus, Ptolomæusq; ac Procopius per A vocabulum eorum protulerunt. Unde etiam apud Paterculum, qui sub Tiberij ductu IX per annos in Germania, cum alibi, tum apud Albim militavit, vitiatum esse putaverim gentis nomen Longobardi. Quamquam nescius non sim in postremis editionibus Pauli Diaconi ubique, & in Procopij exemplaribus, sæpè *Longobardos* esse scriptos. Verùm id κρίσει edentium est factum. Manuscripta Diaconi exemplaria meliora habent *Langobardos*, & apud Procopium, quamvis variè, modò λογγιβάρδαι, modò λογγοβάρδοι, nonnunquàm v. λαγγοβάρδαι: tamen sæpissimè λαγγοβάρδοι, leguntur. Philip. Cluverus Germaniæ Antiquæ Lib. III. Cap. XXVI.

53. *Tandem ad Rugiam se applicantes*] Rursus P. Diaconus Lib. 1. Cap. 19. *Tunc Longobardi de suis regionibus egressi venerunt in Rugiland, quæ La-*
A *tino eloquio Rugorum patria dicitur, atq; in ea, quia erat solo fertilis, aliquantis commorati sunt annis.* Et mox Cap. 20. *Egressi quoq; Longobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui sermone Barbarico Feldt appellantur.* Egressum vero Longobardorum ex patria, Annales nostri referunt ad Ann. Chr. CCCLXXXIII. Exindè plusquam seculum, ad annum nimirum CCCCLXXXIV. consedêre in Insula Rugia. Demum circà Annum Chr. DXXVII. traducti in Pannoniam.

B Pag. 160. vers. 2. *Petitis in Italia sedibus*] Longobardi in Italiam commigrârunt Anno Christi DLXVIII. evocante eos ex Pannoniâ Narsete Patricio, quem Justini Imperatoris Constantinopolitani, conjux Sophia Augusta aculeato nimis scommate offenderat. Videatur Paulus Diaconus Lib. II. Cap. 5. 7. Ottho Frisingensis Lib. V. Cap. 5. Cæterum apud Gotlandiæ incolas cantitatum olim fuit vetustissimum quoddam rhytmicis metris, linguâ genti vernaculâ,
C carmen; quo sanè quod ad Longobardorum emigrationem, multo verius, multoq; accuratius, quàm est à Paulo præstitum, celebrantur omnia. Hoc etenim Carmine *Vinnulos*, nobis Vendelboer / fuisse, qui etiamnunc Cimbricæ Chersonesi est populus, satis intelligitur: nec eos apud Scoringiam aut Gotlandiam, instinctu Freæ Deæ, ut habet fabulosè Diaconus, eumq; secutus Saxo noster, occasione capillorum &
D barbæ prominentioris, nominatos *Longobardos*, sed illud demum vocabulum à devictâ ea gente traxisse, postquàm eum borealioris Germaniæ tractum armis suum fecissent. Deindè in eodem illo Historiali Carmine, etiam ducum nomina *Ago & Ebbo*, non ut effert corruptè Diaconus, & antè eum Prosper, *Ibor & Ajo*, nominantur. Agelmundus vero Agonis filius, primus gentis Rex, additâ aspiratione *Hagelmunder* dicitur. Ex ultimo deniq; versu intelligi datur
E concinnatum hoc carmen finitâ jam Imperij Longobardorum periodo, rerum per Germaniam Italiamq; late potiente Carolo, qui ob res præclarè ampliterq; gestas Magnus est appellatus. Ipsum vero carmen in hunc se modum habet:

DE EXITU LANGOBARDORUM
RHYTHMI ANTIQUI, LINGUA GOTLANDICA,
CUM VERSIONE LATINA INGENIOSISSIMI POETÆ, VITI BERINGII VIBERGII.

Ebbe oc Aage de Hellede fro/
Siden de for hunger aff Skaane dro:
Da stadis næst vorum gute Gutland/
Met gamle oc unge baade Quindum oc Mand.
Deris Snecktum varum halff fierdum sti/
Oc hundrum Mandum inden huerium di.
De neffnede sig Vinnilender/ Jach siga kand/
Effter Ebbe/ som kom aff Vendelbo Land:

F *Ebbo Aggoq; Duces, quondam cùm fortè paternos*
Lassa Ceres frustraret agros, inimicaq; svetas
Flora negaret opes, Scanis de finibus acti
Externas alio quærebant sidere sedes.
Fluctivagæ placuêre acies, & classibus æquor
Captum, jam stabant naves, centumq; virorum
Quæque capax radebat aquas, & compede vinctus
Ingemuit pontus, decies septena propinquas

Meden Aage var enum Göding søn /
Dog de varum baadum einum Moders Søner.
Wir togum til vern baadum store oc smaa/
At de skulde ey vorum Landum naa.
De bade os allum med quidendum røst /
Hed wi ville komme dennum til trøst.
Wi togum til gisel Høffuitzmendum baadum/
At de skuldum icke for mecket raadum.
Saa duelde de nest wß/ maanedum to/
De varum der veder saa mekut fro.
Wir lodum dennem følgum med Snecker thi/
Oc hundrede Mandum inden huerum di:
Til Nylandum lodum de standum da /
Jach kand med sandenum sigum fra/
Derum mact kundum ingen standum moed /
De vundem håd Landum vnder derum foed:
Oc andrum Landum / huilckum der laagum nest/
For lycken var dennem allum tidum best.
Der Høffuitzmandenum varum aff Dødum quald/
Gaff de sig icke til lengrum taal.
Meden valdum til Konning einum fracker Mand/
Hagelmunder hand hæd / Jach sige kand.
De sloge de Longobarder indum derum Land/
Der bleff icke Leffuend einum eniste Mand /
Saa lode de sig Longobarder kaldum/
Pannonien bestridum de oc med allum.
Oc togum saa indum Vallandum dernæst/
Der timedis dennum lycken allum best.
Håd er vel streffuit / håd er vel spurt /
Huad de haffue sidum mandelichum giord.
Oc mest siden de indum Vallandum kom/
Håd er vel kynd allum Verdum om.
Fordi aff dennem leed mangen Mand møde/
Til Carl Keyser hin stora fick lagd dennum øde.

A *Neptunus stupuit ferientia classica gentes.*
Vandalicus dictus populus: nam Vandalus Ebbo
Indiderat sociis nomen; sed stirpe Godingâ
Aggo stetit: quamvis minor ortus dispare terra
Rettulit Ebbonem materno sangvine fratrem.
Ut Gothicum tetigêre solum, primo excita sede
Gens ruit, & patriis fremuerunt murmura portis
Defensura lares: Sed postquam Cimbrica transtra,
Et mites novêre duces, non horridus ultrà
It fervor, condunt lituos, pugnæq; relangvet
B *Impetus, & rabidas clementia temperat iras.*
Convenit in dextras, & binis mensibus actis
Concordem sociant aciem; coière Gothorum
Mille viri, centumq; rates, structæq; phalanges
Vicinas toto populantur littore terras.
Bellanti patet omne gregi: superataq; priscos
Rugia declinat fasces: vagus incola mundi
Errat, & emissis extendit sceptra coloniis.
Jam tum defunctis ducibus, placuêre secures
Regis Hagelmundi: paret fortuna potenti
C *Ferro; victrices animæ famulantibus astris*
Ostendunt latè dextras; nudantq; feraces
Longobardorum pacatis sedibus oras,
Et sibi devictæ depromunt nomina gentis.
Dic Clades, dic Drave tuas, quæq; alluit Ister
Pascua, Pannoniæq; domus, tuq; alta Vienna
Cæsariiq; lares, etiam vos Dana juventus
Stravit, & edomitâ victrix saltavit arenâ.
Restabat Latium totius curia mundi
Hæc quoq; succubuit jam lapsis viribus ægra:
D *Adria testis erit, Vesulus cum cederet axis,*
Eridanusq; suas stupuit pallescere ripas,
Laus viget, & toto volitant præconia cœlo,
Famaq; dicet anus, quot claris bella triumphis
Gesserit hic populus, donec post secla sequutam
Carolus afferret succisâ stirpe ruinam.
Laudo tamen Cimbros, qui dum sibi cætera subdunt,
A summo tantum voluerunt Cæsare vinci.

6. *Succrescentium nemorum densitate perhorruit*] Non absimilis Galliæ quondam facies erat, quum eam Dani nostri, Hastingo duce, devastarent, teste Dudone de S. Quintino, Lib. 1. quem Saxo noster hic imitandum sibi proposuisse videtur: *Grassante*, inquit, *malo, desolatur Francia, penitus evacuata. Luget Liberi Cererisq; inops, quibus fuerat olìm locupletissima. Mœret suis se incolis destitui, agricolisq; privari. Ejulat vomere non exarata, cultroq; inculta. Torpescit quiescendo terra, labore boum non exarata. Ignorantur pervia, vestigiis hominum non attrita. Silvarum, fruticumque, ac nemorum genere densantur campi, volvente tempore.*

23. *Nunc gignendis glandibus idoneo*] Ità legendum censeo, modò sensus sibi constare debeat. Ordo namq; hic erit: *Præsens seculi vultus miratur se solum quondam aristæ capax permutasse*
E [scilicet solo] *nunc idoneo gignendis glandibus.* Eadem etenim est cum sequenti constructio.

26. *Post ipsum Haraldus rerum assequitur summam*] Hoc loco Nobilissimus Vir, & præclarè de Historiis, & Antiquitatibus patriæ suæ meritus, Arvidus Hvitfeldius, in Historia Haraldi IV. pag. 27. & unà Vir Clariss. M. Claudius Lyschander, Historicus quondam Regius, aliiq; multi, lacunam quandam sive hiatum atq; de-
F fectum, minimùm CCC III annorum (nonnulli CCCLXIX annorum) in Historia Saxonis esse contendunt. Nam ità Hvitfeldius loco jam dicto: *Circa hæc tempora desiderantur multorum Daniæ Regum nomina & res gestæ. Id quod manifestius est, quàm ut quis quam contradicere possit. Inprimis si expendimus exitum Longobardorum è Scania. (Anno autem Christi 382 Longobardi egressi sunt è Dania) & conversionem Germanorum ad fidem Christi-*

Christianam, quæ incidit in An. Chr. D CC XX. juxtà supputationem Funccij; at juxtà aliorum calculum in An. Chr. D CC L. Ab exitu autem Longobardorum, ad Germanorum conversionem, elapsi sunt minimùm anni CCC. quibus certum est plures, quàm tres, in Dania Reges regnasse. Inter Biornonem & Haraldum IV, nulli collocandi sunt Reges, si Gassaro credimus. Ità unicuiq; eorum tribuendi sunt anni regni C LXXX, quot annos nemo illis, sine aperta hallucinatione, facilè assignaverit. Agnoscimus ergò hìc hiatum in Historia nostra, ac defectum hunc merito deploramus, quem supplere non possumus. Eâdem de re ejusmodi sunt Velleji verba pag. Versionis suæ CLXXXV. *Sicuti sola nomina Biornonis & Haraldi tantùm supersunt, rebus eorum gestis ab Historicis omissis: ità nullum est dubium, quin multorum Daniæ Regum & nomina & præclara facinora ab Historiographis hoc inprimis loco sint exclusa. Quia ex quo tempore Longobardi egressi sunt è Dania, regnante illic Snione, usq; ad Gotricum elapsi sunt anni CC L.* (error hic est admissus; legendum est CCCLXXXII.) *Interea temporis verisimile est, plures, quàm quatuor, Reges vixisse in Dania, quorum IV solùm mentionem facit Saxo.* Quatuor illi Reges à Saxone nominati, sunt 1. Snio. 2. Biorno. 3. Haraldus IV. 4. Gormo Senior. Præteriti à Saxone eorum judicio sunt, quos Lyschander in Genealogia Regum Daniæ restituit, octo Reges; 1. Roricus II. 2. Sveno. 3. Gotilacus. 4. Haraldus. 5. Eschillus. 6. Wermundus. 7. Omundus. 8. Balderus. Sed hos refellere videtur Vir Clariss. νῦν ὁ μακαρίτης, D. Johannes Isacius Pontanus, Histor. Dan. Lib. 1. p. 37. cujus verba in medium proferre operæ duxi pretium, quæ sic habent: *Nobilissimus Hvitfeldius Biornonem ferrei lateris, vulgò* Jernside/ *cognomento afficit, authore, quo id habeat, non addito. Refertq; æram ejus, ex Gassari calculo, ad annum Christi D XVIII. Haraldum verò claruisse ejusdem Christi An. D CC XI. adeò ut colligendum inde addat, si inter Biornonem Haraldumq; Reges intermedij nulli fuerint, imperasse eorum quemque annos circiter centum & octuaginta. Quod sanè vix esse verosimile cum eodem fatear. At ipse Gassarum si rectis oculis inspexi, refertur Biornonis æra non ad D XVIII, sed ad Christi Annum D CLIV. Haraldi verò ad D CCXI. Gormonis qui Haraldum excipit, ad D CC XLI. atq; inde Gotrici ad D CC LXXIV. Ut ità hic calculus habere magnoperè alogi nihil, aut absurdi videatur: nisi inter Snionem & Biornonem, quæ ab eodem notatur temporis æra, ut Snio nimirum imperare cœperit anno Christi D LXX VII. Biorno verò, ut indicatum, anno D CLIV. majorem hiatum atq; intervallum faciat. Quod tamen haud tantum sit, ut eo nomine sollicitari debeat, qui à Saxone est positus, & ab omnibus huc usq; receptus, Regum census ac series. Et maximè cum ij, qui Snioni ad usq; Biornonem numero septem, ut sunt Roricus, Sveno, Gotlachus, Haraldus, Eschyldus, Vermundus, Omundus, serie continuâ ab illis, qui hoc urgere jam nuper cœperunt, subjiciuntur; atq; inde qui Biornoni & Haraldo ab ijsdem interjicitur, Ethelbalder, ejusmodi ferè sint, qui ad Daniam haud spectent. Nam primus Rorichus, à quo sequentes, ut à stirpe ac progenitore descendunt, Rex Alemannorum, non Daniæ fuit. Disertè enim Gregorio Turonensi Lib. 1. Cap. 3. & 34. Chrocus est Alemannorum Rex; aliis Chronologis Erocus, item Cracus, nec aliter quàm Alemannorum Rex intelligitur. Adeò ut capite & archego, qui assumitur hujus fabulæ, Eroco everso, reliqui concidant necessum est. Nam Gotelacum, qui ijsdem ut purpura panno intermiscetur, certum quidem est à probatis authoribus, & eorum antiquissimo Gregorio Turonensi jam memorato, Regem Danorum agnosci, & ad æram circiter Christi D XVI referri; At eum ab Eroco aut Chroco Alemannorum Rege prosapiam trahere, ejusq; ex filio nepotem habendum, quo iste insititius Regum Catalogus abire videtur, ecquis unquam alicujus nominis Chronologorum prodidit? Sed Crantzium objiciunt, qui primus huic æræ scrupulum injecit. Verum id quidem. At Crantzius, posito primum de Longobardorum è Scandia egressione testimonio ac calculo Prosperi, quo inter Chronologos, qui ejus emigrationis meminêre, antiquior non occurrit, cum exindè longam sibi fingat eorundem apud Rugas moram; secutus fortasse Diaconum, quem falli ac fallere subindè hìc suprà demonstratum, mirum non est in Daniæ quoque Regum calculo, quem ad istum exigit, hallucinari; præsertim cùm æquè incerta sit priorum hæc Regum Daniæ æra, utpotè à veterum nullo commemorata, & à Saxone quoq; silentio præterita. Ut ità cæteri, qui Saxonem secuti, per conjecturas hic agere, nihilq; demonstrare certi possint; & aliud hic Crantzius; aliud Gassarus, alijq; aliud adferant.*

33. *Externa atq; inusitata visendi cupidus*] Quippe *insitum mortalibus studium magna & inusitata noscendi.* Plinius Secundus Lib. 2. Epist. pag. 102. Et Tullius Lib. 1. Officior. *Cognitionem rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beateq; vivendum necessariam ducimus.*

37. *Ambitorem namq; terrarum Oceanum*] Oceanum undiq; secus terram, veluti insulam, ambire passim tradunt veteres Geographi & Mathematici. Julius Firmicus Præfat. Lib. I. Mathes. *Quatenus Oceanus terræ spatium in modum insulæ, undarum suarum circumfusione concludat.* Seneca Rhetor Svasoriâ I. quâ deliberat Alexander an Oceanum naviget: *Sacrum quidem terris Natura circumfudit Oceanum.* Hinc ibidem Oceanum *totius orbis vinculum* eleganter dixit. Dionysius Afer mox sub initium Cosmographiæ suæ:

Μνήσομαι ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου. ἐν γὰρ ἐκείνῳ
Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.

Memor ero Oceani altifluì: in illo enim
Tota terra, velut insula intermina, cincta est.

Hinc etiam *Oceanus* Eddicè dicitur *Annulus*, vel *Zona* regionum & insularum.

38. *Oceanum navigandum*] Quem navigari non posse, multi veterum existimabant. Videatur Seneca eâdem Suasoriâ.

Ibid. *Solem postponendum ac sidera*] Pedo apud eundem Senecam, loco jam dicto, de navigante Germanico:

Jam pridem post terga diem, Solemq; relictum,
Jam pridem notis extorres finibus orbis,
Per non concessas, audaces, ire tenebras.

39. *Jugibusq; tenebris obnoxia*] Iterum Pedo:

Quo ferimur? ruit ipse dies, orbemq; relictum
Ultima perpetuis claudit Natura tenebris.

Pag. 161. vers. 9. *A dijs loci præsidibus*] Singulis locis antiquitas Deos præfecerat, ex Pythagoræ disciplina. Unde *Genius* loci dictus est, quem Silius Italicus *Numen loci* alicubi vocat. Atq; hæc causa, cur terram, montes, & agros osculari antiqui & salutare solebant: non quod montibus & agris id præstarent, sed eorum præstitibus dijs, & famulis eorum. Q. Curtius Lib. III. de Alexandro: *Ipse in jugum editi montis ascendit, multisq; collucentibus facibus, patrio more sacrificium* DIIS PRÆSIDIBUS LOCI *fecit:* Virgilius Lib. VII. Æneidos:

Incertus geniumq; loci, famulumne parentis
Esse putet. ——————

Et:

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumq; loci, primamq; deorum
Tellurem, Nymphasq;, & adhuc ignota precatur
Numina ——————

Ovidius:

Dijsq; petitorum, dixit, salvete, locorum,
Tuq; novos cœlo terra datura Deos.

47. *Totidemq; filiæ præclui formâ*] Martianus Capella Lib. I. de Nupt. Phil. *Cum inter Deos fierent sacra conjugia procreationis undiq; numerosæ, liberiq; præclues, ac nepotum dulcium ætherea multitudo.*

Pag. 162. vers. 24. *Cornu abdomine illitum collambendum objiciens*] Haud sequius ac Amphisia illa vates, ut ad imas Erebi umbras Æneæ descensum strueret, ingenti janitori, & πεντηκοντακεφάλῳ cani Cerbero:

Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit ——————

de quo Princeps Poëtarum Maro Lib. VI. Æneid. vers. 420.

Pag. 163. vers. 8. *Insusitatæ belluæ dens*] Forte vel ille dens Elephanti fuit, quem Petronius Arbiter inter instrumenta luxuriæ Romanæ recenset, dum inquit:

Quæritur in silvis Mauri fera, & ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa suas: ——————

vel etiam Amphibij illius dens fuit, quod *Rosmar* vulgò dicunt. Ejus etenim dentes in maximo fuisse pretio, apud antiquos Septentrionis incolas, ostendit Olaus Magnus Lib. XXI. Cap. 28. & Vir Cl. Johannes Isacius Pontanus, in urbis Amstelodamensis Historia.

A

15. *Osse humeros onerare*] *Osse*, id est, dente, cujus mox mentio facta. Synecdoche generis pro specie. Ita & eximius scriptor Sulpitius Severus maxillam, quâ heros ille divinus Samson Philisthæos prostravit, *Os* appellat Lib. I. *Sed traditus, ruptis vinculis, arrepto osse asini, quod casus telum dederat, mille ex hostibus prostravit.*

23. *Uberioris thesauri secretarium aperitur*] B *Secretarium* locus est occultus, ubi secreta, seu arcana habentur. Apulejus de Mundo: *Illi ignes, qui terræ secretarijs continentur, prætereuntes aquas vaporant.* Locum etiam significat, ubi causæ secretò audiuntur, & jus redditur. Lib. 3. Cod. *Ubi Senat. vel Clariss.* 16. *C. de Accusat.* Sulpitius Severus Dialog. II. de Virtut. B. Martini: *Deinde secretariũ ingressus, cum solus, ut illi erat consuetudo, resideret; cum quidem in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotijs occupati.*

C Pag. 164. vers. 21. *Ita excogitatis in alterum malis*] Ottho, Poëta medij ævi, cujus fragmenta extant Lib. XXXI. Advers. Casp. Barthij Cap. IX.

Auctorem sua sæpe suum fraus fraudat, & in se
Labe suâ collisa ruit, ceu debita merces.

38. *Cacumen mali infixæ gemmæ fulgore signavit*] Gemmam hanc ex ijs fuisse unam existimo, quæ in tenebris lucent. Quas inter eminent Crystallus, Carbunculus & Carchedonius. Carbunculus quidem, qui supra cæteras gemmas excitatius lucet, D & nocte rutilat, Soli dicatus esse creditur, quod ad maximi sideris imitationẽ flammas ejaculetur. Causinus Polyhistor. pag. 525. De Carchedonio Petronius: *Quò Carchedonios optas, ignes lapideos, nisi ut scintillent?* Sic Persarum Rex Darius, Crystallo gemmâ in tentorio erectâ, signum profectionis militibus dabat, attestante Curtio Lib. III. Cap. 3. *Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis* (ex auro affabre elaborata) *Crystallo inclusa fulgebat.* E Est & lapis Solaris, qui *Solis oculus* appellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat. *Lychnis* etiam ex genere ardentium est lapillorum, sic appellata à lucernarum flagrantiâ. Isidorus Lib. XVI. Origin. Cap. 13. Lapilli itidem noctu lucentis instar flammæ, quem in Heracleidis mulieris Tarentinæ sinum ciconia dejecerit, beneficij mercedem, quòd crure fracto ex lapsu, anno superioperiore, ab eâ curata fuisset, meminit Ælianus de Animal. Lib. VIII. Cap. 21. Est deniq; & Indicus F lapis, *Pantarba* dictus, admirabili fulgore lucens, de quo Philostratus Apollon. Lib. III. Cap. 14. Νύκτωρ μὲν τὴν ἡμέραν ἀναφαίνει καθάπερ τὸ πῦρ. ἔστι δὲ πυρσὴ καὶ ἀκτινώδης. εἰ δὲ μεθ' ἡμέραν ὁρῷτο, βάλλει τοὺς ὀφθαλμοὺς μαρμαρυγαῖς μυρίαις. τὸ δὲ ἐν αὐτῇ φῶς πνεῦμ' ἐστὶν ἀρρήτου ἰσχύος. *Noctu diem velut ignis ostendit, quoniam igneus est & radiosus. Si verò post diem aspiciatur, innumeris coruscationibus oculos ferit. Id autem,*

autem, quod in ipso lumen fulget, spiritus est potentiæ admirabilis. Quin & lapidem stupendo fulgore, Regi Galliarum aliquando exhibitum tradit Historicus incomparabilis, Jacobus Augustus Thuanus Lib. VI. *Dum Rex*, inquit, *Bononiæ esset, allatus est ad eum ex India Orientali, ab homine incognito, sed ut apparebat, moribus barbaro, lapis stupenda specie & naturâ, videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruscantibus, quiq; totus veluti ardens incredibili splendore micabat, & jactis quoquò versus radiis, ambientem aërem, luce nullis ferè oculis tolerabili, latissimè complebat. Erat & in eo mirabile, quòd terræ impatientissimus, si coöperiretur, suâ sponte, & vi facto impetu, confestim evolabat in sublime; contineri verò includive ullo loco angusto nulla hominum arte poterat, sed ampla liberaq; loca duntaxat amare videbatur. Summa in eo puritas, eximius nitor, nullâ sorde aut labe coinquinatus. Figuræ species nulla ei certa, sed inconstans & momento commutabilis; cumq; esset aspectu longè pulcherrimus, contrectari tamen sese impunè non patiebatur, & diutius contrà adnitentibus, aut obstinatius cum eo agentibus, incommodum afferebat quod multi, multis spectantibus, sunt experti. Si quid fortassis ex eo enixius conando detrahebatur, [nam durus admodum non erat] nihilo minor fiebat.* Ejusmodi gemmam ad manum habuisse Torkillum, vero proximum videtur.

41. *Cornicis naribus*] Id est valdè duris, vel quæ cornu similitudinem referrent. Sic Persius Satyra 1. *Corneam fibram* dixit cor prædurum, quod honestarum rerum intelligentiâ & amore caret. Catullus, *Corpora sicciora cornu.* Apud Dionem Chrysostomum κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα, *cornea reddere*, sive *dura.* Sidonius Apollinaris in tertia Epistola, *Cornea crura, cornea substantia.* Idem Libri IV. initio, Gelonis tribuit *corda cornea.* Videatur Isaacus Casaubonus, lux & decus suæ ætatis, ad istum Persij locum.

46. *Extramundani climatis cognitionem*] *Extramundani* uno verbo. Utitur Martianus Capella Libr. 1. pag. XIV. *Extramundanas petere latitudines urgeatur.* Et pag. XLV. *Quoniam extramundanas beatitudines eum transcendisse cognoverat.* Sic & *ultramundanum* dixit, pag XLIII:

Ultramundanum fas est cui cernere patrem.

Pag. 165. vers. 21. *Vgarthilocus manus pedesq;*] Vgarthiloci hujus mentionem quoq; facit Edda, quæ & omnia ferè attribuit cuidam *Achuthoro*, seu *Asathoro*, quæ Saxo noster de Torkillo hic commemorat. Sunt autem nonnulli, qui narrationem hanc, fabulæ tantum non affinem, exponunt de itinere à Torkillo, jussu Gormonis Regis, suscepto vel in extremam Bjarmiam, cujus incolæ olim non Idololatræ solum erant pertinacissimi, sed & magi ac venefici malis artibus ad fascinandos homines instructissimi; unde etiam ab ijs tot præstigiæ, quarum meminit Saxo, Torkillo socijsq; objectæ fuerunt: vel etiam in aliam quandam insulam longè dissitam, fortè Islandiam vel Gronlandiam, ubi tale Vgarthiloci Idolum colebatur. Alij exstimant latere sub hac Mythologiâ veram Historiam religionis primùm in has terras per Torkillum introductæ; quippe qui per varias regiones, Ethnicismi tenebris densâque caligine adhuc oppressas, longinquâ peregrinatione susceptâ, tandem in Germaniam Christianis tunc sacris initiatam, ut ait Saxo, appulit, & apud ejus populum divini cultus rudimenta percepit. Quem mox domum reversus, in patria propagavit. Cæterùm quod originem vocis *Utgarthiloci* attinet, ᚢᛏᚴᛆᚱᚦᚢᚱ Vtgardur / priscâ linguâ Danicâ, *suburbium* notat. ᚼᛚᛆᚴ, Hlok / autem *Dæmonem* significat. Unde Rex Daniæ Regnerus Lodbrog, in Epicedio, quod sibi ipse, jam morti vicinus, in Anglia cecinit ᚼᛚᛆᚴᛆᚱ ᛏᛁᛆᛚᚦᚢᛉ, Hlakar tioldum / q. d. Dæmonum tentoria, *Scuta* vocat. Hinc *UtgardaHlock*, erit Dæmon, seu Idolum, quod in suburbio, vel fortè civitate aliqua populosâ, sic dictâ, colebatur: quemadmodum & Saxoni nostro monstrum illud nunc Dæmon, nunc Gigas, nunc deus appellatur. Urbium autem nomina antiquitus in terminationem *Gard*, quæ vox civitatem, item regionem, denotat, exire solebant. Sic *Mychlegard* dicebatur κατ' ἐξοχὴν Constantinopolis, quasi μεγάλη πόλις, magna civitas. In Russia sunt *Chunigard*, *Colmegard*; quod in *Grod*, posteà verterunt. Et teste Helmoldo sub initium Lib. 1. Hist. Sclavor. Russia Danis olim dicta *Ostrogard*, quasi regio versus Orientem sita.

36. *Universitatis Deum*] Deum, qui *universum* hoc, id est, cælum & terram condidit. Psalm. CXXI. Sic Cicero Deum vocat *Parentem universitatis*, Libr. de Univers. *Atq; illum quidem quasi parentem hujus Universitatis invenire difficile est.* Idem de Natur. Deor. *Universitas rerum, qua omnia continentur.*

Pag. 166. vers. 29. *Veritatis serio*] Eleganter *serium veritatis* opponit *adulationis mendacio. Serium* etenim illud significat, quod cum veraci assertione conjunctum est, & sine risu ac joco. Unde rectè à Syr. *Sar*, quod *stabilire, firmare, certò asserere* notat, deducitur. Inde *Sarid, firmus, verax, certus.* Sic Hispanis *serio* est *deveras*; German. In Warheit / in ernst. Ità Gallis *Serius, Grave & de conscience.*

49. *Cumq; Gotricus, qui & Godefridus est appellatus*] Ab externis nempe Scriptoribus; ut Aimoino Lib. IV. Cap. 90. *Eodem tempore Godefridus Rex Danorum venit cum classe sua.* Et Adamo Bremensi Lib. 1. Cap. 13. *Quorum Rex Godefrid ipsi Carolo bellum minatus est.* Eginharto in Vita Caroli Magni: *Quorũ Rex Godefridus adeo vanâ spe inflatus erat, ut totius sibi Germaniæ promitteret potestatem.*

Alberto Abbati Stadensi: *Godefrid Rex Danorum venit in confinium regni sui & Saxoniæ.* Nonnulli etiam *Sigfridum* appellant. Hos inter, familiam ducit incertus author, sed Historicus & Poëta antiquissimus, qui Annales de gestis Caroli Magni Imperatoris conscripsit, primo in lucem editus à Reinero Reineccio: cujus hi sunt versus ad ann. Ch. 777. de Witekindo Lib. 1. fol. 14.

Quò Carolus veniens, collectos repperit omnes
Pene duces, populumq́ simul, totumq́ Senatum
Saxonum, nisi quòd quidam VVidekindus abindè
Aufugit, Regem veritus: nam conscius idem
Audacis sibimet facti, multiq́ reatus,
Sigfridum petijt, Danorum sceptra regentem.

Et Lib. II. pag. 19. ad Ann. Chr. DCCLXXXII.

Illic disponens complura negotia regni,
Danorum Regis Sigfridi nomine missas, &c,

Libro denique III. pag. 40. ad Ann. Chr. DCCXCVIII.

Cumq́ Godeschalcus, Regis Legatus, & ipse
Ante dies, missus, paucos, ad regna tenentem
Danorum, Sigfridus erat cui nomen ———

Quin & *Godefridum* nominat sub finem Lib. V.

Ipseq́ Danorum contra Regem Godefridum
Ultima disponens bella senex agere.

Unde satis demirari nequeo amicissimi Pontani μνημονικὸν ἁμάρτημα, qui alium quendam *Sigfridum* ab hoc *Godefrido* diversum faciat, ejusque fratrem fuisse asserat, cum unus idemq; sit *Sigfridus & Godefridus*, nec annales nostri alium agnoscant præter hunc Godefridum, quem exteri *Sigfridum* vocant.

Pag. 167. vers. 10. *Ad pristinum regni sui titulum revocare tentabat*] Hujus expeditionis incentorem habuisse existimo Widekindum uxoris suæ fratrem; qui ad Gotricum confugerat, auxilij adversus Carolum petendi gratiâ. Nam ità author incertus Lib. II. pag. 20.

Interea patriæ quondàm VVidekindus ab oris
Qui fuerat profugus, Normannorumq́ petivit
Auxilium, rediens vanâ spe sollicitabat
Saxones, initum cum Francis rumpere fœdus
Ut conarentur, multosq́ vocavit in arma
E populo, fecitq́ novum consurgere bellum.

11. *Victricia trans Rhenum castra receperat*] Anno Christi, nî fallor, DCCLXXXII. Autor anonymus Lib. 2. pag. 19.

——— Posthæc Rhenum trajecerat amnem,
Gallica seq́ dehinc Rex magnus in arva recepit.

13. *Ob res Gotrici comprimendas*] Meminerunt hujus expeditionis & alij scriptores. Adamus Bremensis Lib. I. Cap. 13. *Et quoniam mentionem Danorum semel fecimus, dignum memoria videtur, quòd victoriosissimus Imperator Carolus, qui omnia regna Europæ subjecerat, novissimum cum Danis bellum suscepisse narratur. Quorum Rex Godafrid, jam antea Fresis, itemq́ Nordalbingis, Obotritis, & alijs Sclavorum populis tributo subactis, ipsi Carolo bellum*
A *minatus est.* Eginhartus in vita Caroli Magni: *Ultimum quod contrà Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deindè majori classe littora Galliæ atq́ Germanniæ vastantes, bellum susceptum est. Quorum Rex Godefridus adeò vanâ spe inflatus erat, ut totius sibi Germaniæ promitteret potestatem. Frisiam quoq́ & Saxoniam haud aliter atq́ suas provincias æstimabat. Jam Abotritos vicinos suos in suam ditionem redegerat; jam eos sibi vectigales fecerat. Jactabat enim se brevi Aquasgrani, ubi*
B *Regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum. Nec dictis ejus, quamvis vanissimis, omninò fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinatâ fuisset morte præventus.*

Ibid. *A Leone Romanorum Pontifice*] Leo hic est tertius ejus nominis; quem Paschalis cujusdam primicerij, & Campyli Presbyteri fraudibus circumventum, & in vincula conjectum, Carolus Magnus Romam profectus, expeditione Danicâ filio Pipino demandatâ, sedi Ponti-
C ficali restituit; ipse vicissim à non ingrato Pontifice, inter festas totius Populi Romani acclamationes, Imperatorio diademate insignitus, Idibus Decemb. Anno Salutis DCCC. ut plenius tradit Platina in Vita Leonis.

22. *Classe Fresiam domat*] Fresiæ ab exercitu Frothonis subactæ meminit quoq; Auctor incertus Lib. V. pag. 76.

Et quod Nortmannis vastantibus, insula quædam
Parvula Fresonum damna tulit gravia.

D Nisi hoc intelligendum sit de Fresia minore. *Nortmanni* vero sunt *Dani*.

27. *Ædificij structura disponitur*] Situm tributariæ hujus ædis ità describit magni illius Erasmi Præceptor, Cornelius Aurelius, Bataviæ Lib. II. *In utraq́ Rheni ripa*, inquit, *ab eo fermè loco, quo Cattos Rhenanos deserens, versus Subsolanum, in præfatum usq́ tendit procursum, plurima olim visebantur castella, villæ, pagiq́ populosi, domus voluptariæ, quas à volucrum circumstrepentium gar-*
E *ritu, avium concentus vocabant. Hic domus illa stabat tributaria, quam Danorum Rex, subactis sibi Frisijs, ibidem erexerat, in qua regalis Quæstor censum quotannis ad jactum ærei scuti exigebat: de qua Saxo Grammaticus miranda ponit in Historia sua, quam de gestis Danorum accuratissimè scripsit.* De eadem domo hunc in modum loquitur Sibrandus Siccama, JCtus eminentissimus, in Notis ad antiquas Frisiæ leges pag. 132. *Huic tributo exigendo domum extruxerunt* (Dani) *in Frisia Occidentali,*
F *propè Kinsem fluvium, in quâ Regius Quæstor præsidebat, cujus formam modumq́ exigendi describit Saxo Grammaticus Historiæ Danicæ Lib. VIII. in fine: eoq́ nos à Carolo Magno liberatos testatur ibidem Saxo:* & Jus Frisicum Kest. VII. & XI. *ac in* Ferdpenningen *&* Huusslaga *mutatum, quod Carolo Magno, ex jure fœderis, sub eadem probationis formâ, solvimus.*

29. *In hujus scuti cavum conjicere*] Scutum hoc, an potius tributum, *Clipschild* appellatum esse

esse, tradit idem Sibrandus Siccama loco jamjam citato, indeq; ritum illum, ossa ex vulnere exeuntia, tinnitu scuti ærei probandi, profluxisse commemorat, de quo ità differentem audiamus Doctiss. illum JCtum, ad Titul. 22. Leg. Frisic. de DOLG: *Tria ossa è cranio vulnerato exeuntia componi debent. Primi ossis exitus sunt XXXII grossi, secundi exitus XVI grossi, tertij exitus VIII grossi. Tunc jurabit uno juramento, quod in scuto tinnire audiri potuit, cum genu impositum in scutum æreum scilicet caderet, alioquin componere non tenemur.* Et Addit Sap. Tit. 3. *Si ossa de vulnere exierint tantæ magnitudinis, ut in scutum jactum, duodecim pedum spatio distante homine possit audiri, &c. Puto barbarũ illum ritum ex Danica tyrannide reliquum esse, quorũ Reges postquam Franciam, Frisiam, & finitimas regiones sub jugum misissent, per judices tale tributum, quod ex sono nummi, in æneum scutũ jacti, vel recipi, vel re-* A *jici mos erat, exigebant, quod* Clipschild *appellabant.*

43. *Proprij satellitis insidijs circumventus*] Eadem de infelici Gotrici nece tradit Eginhartus in Vita Caroli Magni: *Nec dictis ejus, quamvis vanissimis, omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte præventus. Nam à proprio satellite interfectus, & vitæ suæ, & belli à se inchoati finem acceleravit.* Et Albertus Abbas Stadensis ad Ann. Chri. DCCCX. *Intereà diversi veniunt nuncij, Godefridum à suo satellite,* B *vel à proprio filio, cujus matrem, aliâ ductâ, dimiserat, interfectum.* Hunc interitum Gotrici, MS. Chronicon Islandicum, quod penes me est, itidem refert ad Ann. Chr. DCCCX. qui quintus fuit ante obitum Caroli Magni, his verbis: Drap Hrericks Frisa Hofdingia/ og Gotfrodar Jota Kongs: id est: Interitus Rerici Frisiorum Principis, & Gotofredi Jutorum Regis.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM IX.
HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.


Pag. 168. vers. 5. OLavus Gotrici filius] Hunc nonnulli contendunt fuisse *Olegerum* illum *Danum*, cujus res gestas tantoperè celebrant Annales Francorum, quemq; Turpinus, Caroli Magni Cancellarius & Archiepiscopus Rhemensis, Cap. VII. Historiæ suæ de Vita Caroli & Rolandi, *Ogerium Dacum* nominat; & Cap. XXIX. *apud Belinum sepultum* tradit: *Apud Belinum*, inquit, *sepelitur Oliverius & Galdibodus Rex Frisiæ, & Ogerius Rex Daniæ, & Arastagnus Rex Britanniæ, & Garinus* D *Dux Lotharingiæ, & alij multi.* At Saxo noster, disertis verbis, Olavi extincti corpus, collem ejus titulo celebrem, propè Lethram congestum, excepisse commemorat. Quare vix adduci possum ut credam, hunc Olavum eundem cum Ogerio fuisse; sed potius Ogerium hunc ex nobili quadam apud nos prosapia ortum, inq; exteras regiones militandi gratiâ profectum, tandem sub Carolo Magno stipendia in bello contra Sarracenos fecisse: quod veritati magis E affine videtur.

9. *Huic succedit Hemmingus*] Hemmingum non Olao, sed Gotrico immediatè (ut vulgo loquuntur) successisse, & Adamus Bremensis, & Albertus Stadensis, & Francorum Chronologi ferè omnes tradunt. Et Adami quidem Lib. 1. Cap. 13, hæc sunt verba: *Tandem extincto cœlitus Godefrido, Hemming successit, patruelis ejus. Qui mox pacem cum Imperatore faciens, Egdorum fluvium accepit regni terminum.* Quem locum de F verbo ad verbum ex Adamo exscripsit Albertus Stadensis ad Ann. Chr. DCCCX. Annales Francorum incerti authoris, à Pithœo editi, ad C ad eundem annum: *Godofrido Danorum Rege mortuo, Hemmingus, filius fratris ejus, in regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit.*

10. *Pacem cum Cæsare Ludovico*] Quam Saxo noster ad Cæsarem Ludovicum refert pacem & pactionem, exteri horum temporum Scriptores in extrema Caroli tempora rejiciunt. Et fortè rectius. Nam Caroli adhuc Imperatoris fit mentio infra statim in Historia Regneri, ubi ejus exercitum in Saxonia profligasse dicitur. Pacis autem hujus ità meminit Aimoinus Lib. IV. Cap. 99. *Condicta inter Imperatorem & Hemmingum Danorum Regem pax, propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantùm jurata servatur; donec redeunte Veris temperie, & apertis viis, quæ immanitate frigoris clausæ fuerunt, congredientibus ex utraq; parte utriusq; gentis, Francorum scilicet & Danorum, decem primoribus, super fluvium Egidoram, in loco, qui vocatur Clatis, vicissim secundum ritum & morem suum, sacramentis juratis, pax confirmatur.* Hoc est, quod dicit Saxo; *jurisjurandi firmitate composuit.* Cæterùm formula ipsius fœderis apud Aimoinum, & alios, concepta exhibetur: cujus conditiones hoc præcipuè continebant, ut videlicet, in futurum, inter Francos & Danos, utriusque regni confinia Eidora flumen disterminaret.

13. *Post hos Sivardus cognomento Ring*] Mortuo Hemmingo Rege, quum ad lineam Godefridi rediret successio ordinaria: orta est inter duos ipsos nepotes de imperio gravis contentio. Sigvardus enim natus ex filia Gotrici, Sivardo Norvago, à Scanis & Selandensibus accitus,

regio donatus est diademate. Ringo autem itidem Gotrici ex filio nepos, Jutorum ope & suffragio electus est. Is est, quem scriptores Francici, nec non Adamus Bremensis, Albertus Stadensis, & alij, falsò nuncupant *Amilonem*, quum haud dubiè *Annulonem* Latinè dicere voluerint veteres, ut vocabulum Danicum Ring exprimerent, quod annulum Danis Germanisq; significat. Hi itaq; ad internecionem pro corona dimicantes, successores reliquerunt, hic Haraldum Klack, ille Reginfredum seu Regnerum Lodbrog. Inter hos fuere certamina continua & magna, superiore tamen existente Regnero. Huic rei lucem addet Genealogia, quam hêic adjecimus.



21. *Domuitionis ejus occasione*] Ità scripsi, quum in vulgatis esset *dominationis ejus. Domuitio* enim hêic absentiam, sive peregrinationem, denotare potest. Et vox est non uni usurpata auctori. Pacuvius Hermiona: *Nam solus Danais hic domuitionem dedit.* Cornificius ad Herennium Lib. 3. *Jam domuitionem Reges Atridæ parant.* Apulejus Lib. I. Metamorph. *Eiq; causas & peregrinationis diuturnæ, & domuitionis anxiæ, & spoliationis diurnæ aperio.* Hinc eidem *domuitionem capessere, parare, comparare.* Sic Lib. 3. Metamorph. *Jam deniq; nec Larem requiro, nec domuitionem paro.* Et Lib. IV. *Choragio itaq; perfecto, dejectis capitibus, domuitionem parant.* Et Lib. X. *Jamq; ex arbitrio dispositis coëmptisq; omnibus, domuitionem parabat.* Et alibi passim. Septimius Romanus de Bello Trojano Lib. I. *Ulysses simulatâ ex pervicacia Agamemnonis iracundia, ob id domuitionem confirmans, magnum atq; insperabile cunctis remedium excogitavit.* Et Lib. 2. *Tædione an recordatione suorum domuitionem cupiebant.* Philoxenus: *Domuitionem, ἐπάνοδον.*

Pag. 169. vers. 2. *Confertâ pugna Ringonem Sivardus aggreditur*] De pugna hac ità loquitur Aimoinus Lib. IV. Cap. 100. *Nec multò post Hemmingus Danorum Rex defunctus nuntiatur. Cui cum Sigifridus, nepos Godefridi Regis, & Amilo, Nepos Herioldi & ipsius, succedere voluissent, neq; inter eos, uter regnare deberet, convenire potuisset, comparatis copijs, & commisso prælio, ambo moriuntur. Pars tamen Amilonis adepta victoria, fratres ejus, Harioldum & Ragenfridum, Reges sibi constituunt. Quam necessariò pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prælio 10940 cecidisse narrantur.* Paulò aliter Adamus Bremensis, & Albertus Stadensis; ille Lib. I. Cap. XIV. hic ad An. Ch. DCCCXVII. *Per idem tempus Hemmingo Rege Danorum mortuo, Sigafridus & Annulo, nepotes Gotafridi, cum inter se de primatu regni convenire non possent, prælio sceptrum diviserunt. In qua congressione XI millibus hominum interemptis, Reges ambo ceciderunt. Pars Annulonis cruentâ victoriâ potiti, Reginfridum & Haraldum in regnum posuerunt. Moxq; Reginfridus ab Haraldo pulsus, classe piraticam exercuit, Haraldus cum Imperatore fœdus injit.*

7. *Avitæ ultionis studio*] Erat enim Uxor Syvardi Regis Norvagiæ, Regneri avia; sicut & avus ipse Syvardus.

11. *Muliebris improperij vindex*] *Improperare* mediæ ætatis scriptoribus est, tùm probro afficere aliquem, tùm exprobrare, seu objicere alicui crimen. Hinc *Improperium* frequens est pro probro & convicio. Glossar. *Improperium*, ὄνειδος, ὀνειδισμός, ὀνείδισις. *Impropero*, ὀνειδίζω. Vetus Dictionar. Improperare, *conviciari, deridere, injuriari*: Improperium, *dedecus, convicium, injuria, derisio.*

36. *Thoram Herothi regis filiam*] Communicavit mecum, non multis ab annis, Excellentissimus Vir, & reconditæ eruditionis Polyhistor, D. Olaus Worm, Rhythmos quosdam celebrium Scaldrorum, de rebus gestis veterum principum ac Magnatum, unà cum adjunctis eorundem Rhythmorum enarrationibus & veluti Commentariis, à Magno Olavo, ex Antiquitatibus Islandicis consignatis. In quibus multa occurrunt, quæ cum Saxonis nostri narratione conveniunt, multa etiam quæ in diversum abeunt. Principio Rhythmi illi, sive potius ἐξήγησις eorum, commemorant, *Herothum* hunc, quem Saxo Regem Sveciæ facit, *Comitem* duntaxat fuisse, non in Svecia, sed in Gothia. ᛁᛅᚱᛚ, Jarl/ enim *Comitem* linguâ antiquâ Danicâ denotat. Et ᚴᛅᚢᛏᛚᛅᚾᛏ, Gautland/ Guthlandiam. Ubi tamen existimo per hanc

Gaut-

Gautlandiam, sive *Gutlandiam*, intelligendam esse, non Gothlandiam insulam, quæ inde ab antiquissimâ memoriâ & fuit, & hodieq; est Danicæ ditionis; verùm potiùs *Gothiam*, Sveciæ provinciam, Gylland; ut sic conciliemus utcunq; Saxonis & Commentatoris discrepantes narrationes. Deinde ἐξήγησις non duas angves, quomodo Saxo tradit, sed unicum tantùm serpentem cubiculo Thoræ virginis appositum, & à Regnero interfectum commemorat. Ad ultimum innuit, Regnerum quindecim annos natum, fortissimum hoc facinus perpetrasse: Tota narratio ità habet: *Quum in Guthlandia, Regnerus Lodbrog, excussum manu telum incessentis se serpentis corpori strenuè adegisset, & jam ille moriens horrendum in modum se extenderet: Thora Heruthi, Comitis Guthlandiæ filia (cujus cubiculum angvis illa in gyros spirasq; se complicando assiduè circumvallaverat) extrà fores processit, interrogans, quisnam esset? Cui Regnerus hoc carmine respondebat*:

Het hefe ek leifdu life
ᚼᛁᛅ ᚼᛁᚠᛁ ᛁᚴ ᛚᛁᛁᚠᚦᚢ ᛚᛁᚠᛁ
Litfógur kona miinum
ᛚᛁᛏᚠᛅᚠᚢᚱ ᚴᛅᚿᛅ ᛘᛁᛁᚿᚢᛘ
Va ek at foldar fiske
ᚢᛅ ᛁᚴ ᛅᛏ ᚠᛅᛚᚦᛅᚱ ᚠᛁᛋᚴᛁ
Fimtan gamel vetra
ᚠᛁᛘᛏᛅᚿ ᚴᛅᛘᛁᛚ ᚢᛁᛏᚱᛅ
Hafa skal baul nema bite
ᚼᛅᚠᛅ ᛋᚴᛅᛚ ᛒᛅᚢᛚ ᚿᛁᛘᛅ ᛒᛁᛏᛁ
Bradrakin mer dauda
ᛒᚱᛅᚦᚱᛅᚴᛁᚿ ᛘᛁᚱ ᚦᛅᚢᚦᛅ
Heidaclags til biarta
ᚼᛁᛁᚦᛅᚱᛚᛅᚠᛋ ᛏᛁᛚ ᚼᛁᛅᚱᛏᛅ
Hringleigin vel smiugu.
ᚼᚱᛁᚿᚴᛚᛁᛁᚠᛁᚿ ᚢᛁᛚ ᛋᛘᛁᚢᚴᚢ.

C

D

Ardua tentavi discrimina, damnaq; multa,
Victus amore tui, virgo decora, tuli.
Vix mea quindenas messes conspexerat ætas,
Angvis ubi assultum fortiter exciperem:
Nunc jacet horrendùm stridens, & vulnere victus
Lethifero, virus nec metus ullus inest.

E

Pag. 170. vers. 13. *Incomptam braccharum speciem*] *Braccæ* sunt femoralia; quomodo paulò ante Saxo appellavit. Vocabulum origine Gothicum. Erat autem *bracca*, sive *braccha* (ità enim promiscuè scribitur) indumenti genus, quo frigidioris cœli gentes utebantur. *Sarmatis* tribuit Ovidius:

F

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis,
Oraq; sunt longis horrida tecta comis.

Vangionibus Lucanus Lib. 1.

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis

Reliquis Gallis Svetonius in C. Cæsaris Vita: *In curia Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.* Hinc *Gallia braccata* dicebatur. Plinius Lib. 3. Cap. IV. *Narbonensis provincia pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata ante dicta.* Sveci hodieq; femoralia cet par Bracher dicunt. Nos Brog dicimus. Unde vocem hactenus corruptissimam in utraq; Editione Adami Bremensis restituere me posse confido. Nam Lib. 1. Cap. XXXIII, ubi anteà legebatur: *Scriptum est in Gestis Francorum, crudelissimus omnium fuit* Ingvar/ *filius Lodprachi*: meo periculo corrige, *filius Lodbrachi*, hoc est, nostri Regneri, qui ab hirsutis braccis dictus est *Lodbrog*, quasi Lodenbrog. Brog enim *braccas*, sive femoralia, nostra voce denotat, & Loden/ hirsutum.

Ibid. *Lodbrog eum per ludibrium agnominavit*] Ipse Regnerus in Epicedio suo, eandem adfert cognominis hujus rationem, ubi inquit:

Hiuggum vier med hiorve
ᚼᛁᚢᚴᚢᛘ ᚢᛁᚱ ᛘᛁᚦ ᚼᛁᛅᚱᚢᛁ
Hitt var æi fyrer longu
ᚼᛁᛏᛏ ᚢᛅᚱ ᛅᛁ ᚠᚢᚱᛁᚱ ᛚᛅᚿᚴᚢ
Er a Gautlande geingum
ᛁᚱ ᛅ ᚴᛅᚢᛏᛚᛅᚿᚦᛁ ᚴᛁᛁᚿᚴᚢᛘ
At Graf vitnis morde
ᛅᛏ ᚴᚱᛅᚠ ᚢᛁᛏᚿᛁᛋ ᛘᛅᚱᚦᛁ
Da feingum vier Thoru
ᚦᛅ ᚠᛁᛁᚿᚴᚢᛘ ᚢᛁᚱ ᚦᛅᚱᚢ
Thad an hietu mig firdar
ᚦᛅᚦ ᛅᚿ ᚼᛁᛁᛏᚢ ᛘᛁᚴ ᚠᛁᚱᚦᛅᚱ
Lodbrog ad thui vige.
ᛚᛅᚦᛒᚱᛅᚴ ᛅᚦ ᚦᚢᛁ ᚢᛁᚴᛁ.

Ensibus innumeras consvevimus edere pugnas,
Haud multum effluxit temporis,
Ex quo, in Gothia, insuetatæ magnitudinis
Serpentem fortiter aggressi sumus, necíq; dedimus.
Tunc Thoram mihi conjugem impetravi.
Ob hanc cædem, & hirtum illum atq; hispidum cultum,
Virum hirsutis braccis me exindè agnominarunt.

27. *Apud Campum, qui Latialiter laneus dicitur*] In Regneri Epicedio ᚢᛚᛚᛅᚱ ᛅᚴᚢᚱ Ullar afur dicitur, locus nempe in Svecia, ubi acre prælium commissum; Stropha VIII.

Hitt greniudu hrottar
ᚼᛁᛏᛏ ᚴᚱᛁᚿᛁᚢᚦᚢ ᚼᚱᛅᛏᛏᛅᚱ
Adur a ullar akre
ᛅᚦᚢᚱ ᛅ ᚢᛚᛚᛅᚱ ᛅᚴᚱᛁ
Eisteinn Kongur fielle.
ᛁᛁᛋᛏᛁᛁᚿ ᚴᛅᚿᚴᚢᚱ ᚠᛁᛁᛚᛚᛁ.

Altùm mugierunt enses,
Antequàm in Laneo campo
Eistenus Rex cecidit.

Pag. 171. verſ. 6. *Sivardo ſerpentini oculi vulgatum late cognomen*] Nobis enim dictus eſt Snogøye/ quaſi ὀφιώδης: quem ſic à circumſpecta prudentia dictum interpretor. Angues enim acutè vident. Quod veteres quidam fortè non animadvertentes, aliam cognominis rationem finxerunt. Arngrimus Jonas Rerum Iſlandic. Lib. II. Genealog. IX.

23. *Scotiæ ac Petiæ*] Quam hic intelligat *Petiam* author, haud tam in proclivi eſt ſtatuere. B Nomen certè prorſus ignotum Camdeno & Buchanano, accuratiſſimis ſuæ gentis ſcriptoribus. Niſi ſi quis capere velit de ſeptentrionali illa inſulæ Britannicæ parte, quam *Picti* olim incoluerunt: ut ſit *Pictia*, pro *Petia*. Auſtrales autem inſulas fortè indigetat minores illas, hinc inde in Oceano Britannico ſparſas, ut, Hebridas, Hebudas, Vectam, Monam, & alias. De Orcadibus Camdenus & Buchananus Lib. 1. Hiſtor. Scoticæ.

C

33. *Inſularium Danorum claſſe*,] *Inſulares* appellat, qui inſulas Selandiam, Fioniam, Lalandiam, Falſtriam, Mônam, Langelandiam, Fimmeriam, & alias incolunt.

44. *Carolum tunc fortè illis imperij ſui finibus immorantem.*] Hic ipſus eſt Carolus, cui à rebus actis & auctis cognomentum Magni inceſſit. Is ſtatim ab infelici hac cum Regnero & Sivardo pugna, dum Aquisgrani hyemaret, ſupremum obijt diem, Anno Chriſti DCCCXIV. D

48. *Salutari Regem prædictione monuit*] Karolum videlicet Imperatorem, non Regnerum Daniæ Regem. Sæpius enim Imperatores *Regum* nomine veniunt Hiſtoricis iſtius ævi; inprimis Lamberto Schafnaburgenſi, & alijs. Nonnulli hanc addunt obſervationem, quod *Reges* dicebantur usq; ad ſolennem illam inaugurationem per Pontificem Romanum, ſacrâ unctione & diadematis impoſitione, adminiſtratam: quâ peractâ, *Imperatores* & *Auguſti* poſtmodùm vocati. E

Pag. 172. verſ. 6. *Quos ex Svanlogha progenuerat*] Fortaſſe hæc erit paululum immutato nomine, *Aslauga*, illa Regis Sigurdi Fófnisbane filia, quam mortuâ priore conjuge Thora Herothi filia, matrimonio ſibi junxit Regnerus. Occaſionem verò, quâ hæc, ſive *Svanlauga*, ſive *Aslauga*, Regnero nupſit, operæ duxi pretium heic in medium adducere, ex antiquiſſima Hiſtoria Regneri Lodbrog, quam priſcâ linguâ F Danicâ conſcriptam etiamnum Iſlandi, fugientis antiquitatis deſtinæ & veluti Statores Joves, curiosè aſſervant. Summa narrationis hæc eſt. Defunctâ priore conjuge ſuâ *Thorâ* cognomento *Hiortin*, Regnerus maritimo itinere in Norvegiam ſuſcepto, appulit in portum, cui vicina erat villa nomine Spangarheide; ubi conſpectâ luculentæ formæ virgine, *Craca* vulgò dicta, in navim ſuam ad ſe accerſi juſſit. Illa verò voto

A Regis obſecundare noluit, niſi ſi fide jurarâ promitteret, absque omni dedecore & injuria ad ſuos reverſuram. Annuit petitis Regnerus. Cum verò Rex blanditiis illam palpare cœpiſſet, in hæc verba prorupit:

Drumde vist ef vere
ᚦᚱᚢᛘᚦᛁ ᚢᛁᛋᛏ ᛁᚠ ᚢᛁᚱᛁ
Vórdur faurdur jardar
ᚢᛆᚱᚦᚢᚱ ᚠᛆᚢᚱᚦᚢᚱ ᛁᛆᚱᚦᛆᚱ
Metur hia milldre Snotu
ᛘᛁᛏᚢᚱ ᚼᛁᛆ ᛘᛁᛚᛚᚦᚱᛁ ᛋᚿᛆᛏᚢ
A mer taka bondum
ᛆ ᛘᛁᚱ ᛏᛆᚴᛆ ᚼᛆᛘᚢᛘ
Vamlousa skall tu vise
ᚢᛆᛘᛚᛆᚢᛋᛆ ᛋᚴᛆᛚᛚ ᛏᚢ ᚢᛁᛋᛁ
Ef viltu gridum thyrma
ᛁᚠ ᚢᛁᛚᛏᚢ ᚵᚱᛁᚦᚢᛘ ᚦᚱᛘᛆ
Heim hófum hilme ſottan
ᚼᛁᛁᛘ ᚼᛆᚠᚢᛘ ᚼᛁᛚᛘᛁ ᛋᛆᛏᛏᛆᚿ
Hildan mig fara lata.
ᚼᛁᛚᛏᛆᚿ ᛘᛁᚠ ᚠᛆᚱᛆ ᛚᛆᛏᛆ.

Si Pater patriæ Regnerus
Aſſideret ſpecioſæ fœminæ,
Vix per ſomnium eam tangeret.
O inclyte Rex Regnere,
Tuum erit me abſq; omni dedecore
Hinc dimittere & injuria,
Modò inducias violare nolueris.
Nunc verè gloriari potero me
Regis hoſpitio exceptam fuiſſe.

Hæc autem Craca, non erat his ruſticanis orta parentibus, quomodo vulgus opinari ſolebat, ſed Regis Sigurdi Fófnisbane filia, nomine *Aslauga*. Cujus ipſa ſola erat conſcia. Licet verò paupere cultu incederet, Regnerus tamen, ut perſpicacis ingenij princeps, facilè animadvertebat, eam ruſticana indole minimè præditam. Quare eam ſibi conjugem aſciſcere exoptans, in hos Rhythmos vocem ſolvit:

Vil tu thennun thiggia
ᚢᛁᛚ ᛏᚢ ᚦᛁᚿᚿᛆᚿ ᚦᛁᚵᚵᛁᛆ
Er Thora Hiortur atte
ᛁᚱ ᚦᛆᚱᛆ ᚼᛁᛆᚱᛏᚢᚱ ᛆᛏᛏᛁ
Serk vid ſilfur ofmerk-
ᛋᛁᚱᚴ ᚢᛁᚦ ᛋᛁᛚᚠᚢᚱ ᛆᚠᛘᛁᚱᚴ-
tan
ᛏᛆᚿ
Soma al vel thier klede
ᛋᛆᛘᛆ ᛆᛚ ᚢᛁᛚ ᚦᛁᛁᚱ ᚴᛚᛁᚦᛁ
Thoru hendur huitar
ᚦᛆᚱᚢ ᚼᛁᚿᚦᚢᚱ ᚼᚢᛁᛏᛆᚱ
Hennar um theſſar gerfar
ᚼᛁᚿᚿᛆᚱ ᚢᛘ ᚦᛁᛋᛋᛆᚱ ᚵᛁᚱᚠᛆᚱ

Su

Su var Budlunga bragna
ᚼᚢ ᚢᛆᚱ ᛒᚢᚦᛚᚢᚿᚴᛆ ᛒᚱᛆᚴᚿᛆ
Brud mier thek til dauda.
ᛒᚱᚢᚦ ᛘᛁᛂᚱ ᚦᛂᚴ ᛏᛁᛚ ᚦᛆᚢᚦᛆ.

Visne hanc pallam argento intextam
A me muneri capere, quam Thora,
Hiortin dicta, antehac possidebat?
Sanè non dedecent te tàm preciosa
Indumenta, quæ niveis Thora manibus
Affabrè fecit & elaboravit.
Illa profectò fœmina mihi regum maximo
Usq; ad extremum halitum vehementer placuit.

Cui Craca sequentes reposuit versus:

Thore ek ei than thiggia
ᚦᚮᚱᛂ ᛂᚴ ᛂᛁ ᚦᛆᚿ ᚦᛁᚴᚴᛁᛆ
Er Thora Hiortur atte
ᛂᚱ ᚦᚮᚱᛆ ᚼᛁᚮᚱᛐᚢᚱ ᛆᛐᛐᛂ
Serk vid silfur ofmerk-
ᛋᛂᚱᚴ ᚢᛁᚦ ᛋᛁᛚᚠᚢᚱ ᚮᚠᛘᛂᚱᚴ-
tan
ᛐᛆᚿ

Soma ei lig mir klede
ᛋᚮᛘᛆ ᛂᛁ ᛚᛁᚴ ᛘᛁᚱ ᚴᛚᛂᚦᛂ
Thui em ek Kraka kaullud
ᚦᚢᛁ ᛂᛘ ᛂᚴ ᚴᚱᛆᚴᛆ ᚴᛆᚢᛚᛚᚢᚦ
I kolsuortum vodum
ᛁ ᚴᚮᛚᛋᚢᚮᚱᛐᚢᛘ ᚢᚮᚦᚢᛘ
At ek hefe gridt ofgengit
ᛆᛐ ᛂᚴ ᚼᛂᚠᛂ ᚴᚱᛁᚦᛐ ᚮᚠᚴᛂᚿᚴᛁᛐ
Og geitur med sia reknar.
ᚮᚴ ᚴᛂᛁᛐᚢᚱ ᛘᛂᚦ ᛋᛁᛆ ᚱᛂᚴᚿᛆᚱ.

Non ausim ego dona a te capere,
Interulam argenteo limbo circumtextam,
Quam olim possedit cervi cognomine insignita
Thora:
Haudquaquam mihi talis competit ornatus.
Propterea enim Krakam me vocant
Pullis amictam pannis,
Quod per scrupos grumorumq; eminentium frag-
menta
Incedens, penes littora caprarum agitavi greges.

Pag. 174. vers. 20. *Hostilium cadaverum excremento*] Fortè legendum *incremento*. Nam eo significatu rara admodùm in scriptoribus, etiam deperditæ Latinitatis, vox est. Consimilis est loquendi modus, qui mox occurrit: *Cujus latrocinij manum tantâ Vitsercus strage perculit, ut hostilium corporum cumulo circumfusus, nisi scalis supernè admotis comprehendi nequiret.*

24. *Nullis obitum modis effugere potuit*] Hæc sanè verba ipsi Historiæ nimium refragantur. Nam Ubbo nuspiam à patre interfectus, sed mox patri reconciliatus dicitur. Sequentia tamen innuunt pœnam subijsse Vbbonem motæ

A seditionis: *At ubi Ivarus tumultum patriæ factiosi supplicio discussum comperit, Daniam petiit.* Vetus Codex in magine ascriptum habebat: *Vix ullis obicum nodis constringi potuit.* Sed hæc nimis audax emendatio; licet à mente Saxonis nihil abscedat. Ego locum hunc corruptissimum haud temerè emendandum duxi, donec meliora certioraq; edoctus essem.

29. *VVitsercum Svetiæ principantem*] *Principare* hoc loco est *imperare*: quomodò antè Saxo-
B nem locutus est Sidonius Apollinaris Carmine IX.

Non prolem Garamantici Tonantis,
Regnis Principibusq; principantem.

Sic & Carmine XXIII.

Quid quod Cæsaribus ferax creandis
Felix prole, virum simul dedisti
Natos cum genitore principantes.

Augustinus de Civitate Dei Lib. XIX. Cap. 14.
C sub finem: *Neq; enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.* Matthæus Paris in Vita Henrici II Anglorum Regis. pag. 91. *Quem quia principatur regulis Arragonum & Galatiæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.* Ælnothus Monachus de Vita S. Canuti Cap. VIII. Pag. 23. *Ob quam ejus posteri, bis quinis regni partibus ablatis, vix duabus, irato Deo, principari merebantur.* Dudo S. Quintini Decanus, & rerum Aquitanicarum
D scriptor Lib. III. *Ne exteræ gentes super nos irruentes, hocque negotio hujus traditionis inaudito, principari super nos deliberantes, vendicent sibi Northmannicos fines.* Et pag. 138. *Super Francos præsumptuosâ temeritate elatus principatur, contumax præ omnibus.*

Pag. 175. vers. 6. *Apud Utgarthiam*] Per *Utgarthiam* nonnulli hìc intelligunt ipsam Byzantium, sive Constantinopolin, quæ & *Mychlegarthia* antiquitus dicta. Videtur autem *Garthia*
E sive *Garth*, quod nunc mollius pronunciando Gaard dicimus, civitatem olim denotasse aut regionem. Unde Helmoldus sub initium Lib. I. Russiam à Danis vocari *Ostregard* [Østregaard] scribit, quod in Oriente posita; item *Chunigard*, quòd ibi sedes Hunnorum fuerit. In antiquis verò cantilenis multoties Constantinopolis dicitur Myckleggaard/ *Mychlegarthia*, quasi μεγάλη *garthia*; hoc est, magna & regia civitas.

17. *Sedulo mulctare servitio*] *Sedulo*, id est,
F *continuo, assiduo*; Quæ vocis significatio tantùm non ignota est melioris ævi scriptoribus. Puto Saxonem eò respexisse, ut *sedulum* appellaret, quod fit instanter, & sine intermissione.

19. *Svetiæ præfert*] Hoc est Svetiæ præficit, regimen ei Svetiæ committit; de qua vocis significatione anteà nobis dictum.

31. *Hellam quendam Hamonis filium*] *Hamo* hìc, nî fallor, ipsus *Hama* est, quem supra Hellæ patrem, & Britanniæ Regem nominat.

Galli-

34. *Gallicana virtute subnixum*] Id est, Gallorum submissis auxiliis. *Virtus* enim robur, potentiam, auxilium, vires, interdum significat. Gloss. Phil. *Virtus*; ἀρετὴ, ἀνδρεία, δύναμις, ἰσχύς.

43. *Recidivos patriæ tumultus incutiens*] *Recidivum* mediæ ætatis scriptoribus id dicitur, quod redit ac revertitur. Sic annum redeuntem *recidivum* appellat Tertullianus: *Reciprocarum frugum, & vividorum Elementorum, & recidivi anni fidem argumentantur.* Autor Carminis de B Sodoma apud Cyprianum:

Sed recidiva hominum pariter cum gente secunda
Impietas, iterumq; mali nova pullulat ætas.

Corippus Africanus Lib. 1. de Laudibus Justini Augusti Minoris:

Rectorum Latij discussor providus orbis,
Successorq; boni, recidivaq; gloria, Petri.

Dudo de S. Quintino, Lib. III. Histori. Norman. *Clerus totius regionis extra suburbana Rotomagensis urbis exiliit, collaudansq; Deum, pro recidivæ tripudio prolis, deduxit eum ad altare:* Ubi *recidivæ*, est, *redeuntis.* C

53. *Haraldum solenni lavacro usum*] Haraldum sacro Baptismate lustravit Otgarius Archiepiscopus Moguntinus, circà Annum. Chr. DCCCXXVI. ut habent Annales Pithœani, quos citat Nicolaus Serrarius Lib. IV. rerum Moguntiacarum pag. 621. *Mense Majo, apud Ingalenheim habito conventu, diversarum gentium legationes auditas absolvit* [Imperator Ludovicus Pius] *Quo tempore Herialdus* [Haraldus] *cum uxore, & magnâ Danorum multitudine, apud Moguntiam baptizatus est.* Et in ipsius Ludovici Vita: *Herialdus ex Nortmanniæ partibus cum uxore veniens, Danorumq; non parvâ manu, Moguntiaci, apud S. Albani, cum suis omnibus, sacri baptismatis unda est perfusus, plurimisq; muneribus ab Imperatore donatus.* Addit Theganus in Libro de Ludovici gestis; *Haraldi uxorem à Judith Imperatrice de fonte sacro levatam.* Adamus Bremensis ità rem gestam commemorat Lib. 1. Cap. XV. & ex eo totidem verbis Albertus Stadensis, ad Ann. Chr. DCCCXXVI. *Eodem quoq; tempore Rex Danorum Haraldus à filijs Gotafridi regno spoliatus, ad Luthevicum supplex venit Imperatorem. Qui & mox Christianæ fidei Catechismo imbutus, apud Moguntiam cum uxore, fratre, & magna Danorum multitudine baptizatus est. Hunc Imperator à sacro fonte suscipiens, cum decrevisset in regnum suum restituere, dedit ei trans Albiam beneficium. Fratri verò ejus Erich, ut tum Piratis obsisteret partem Frisiæ concessit.* Observandum autem hoc loco, quòd sub filiorum Godefridi nomine, ipsius posteri & nepotes accipiendi. Nulla enim ipsi soboles superat hoc tempore, ut rectè animadvertit Clariss. Vir Andreas Vellejus. Eandem historiam ex Autemaro referens Aimoinus Lib. IV. paulo aliter totum negotium edisserit: *Eodem* A *tempore Harioldus*, inquit, *cum uxore & magnâ Danorum multitudine veniens Maguntiacum, apud S. Albanum, cum his quos secum adduxit, baptizatus est, multisq; muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam, quâ venerat via, reversus est. Veritus autem pijssimus Imperator, ne ob tale factum negaretur ei habitatio soli naturalis, dedit ei quendam Comitatum in Frisia, cujus vocabulum est Ruistri, quò se suosq;, si necessitas exigeret, tutò recipere posset.* Sigebertus Gemblacensis ad Ann. Chr. 825. *Harioldus Rex Danorum, cum uxore & filiis, & magna Danorum parte, Moguntiæ baptizatur & ab Imperatore muneribus, & parte Frisiæ in beneficium sibi data, honoratur.*

Pag. 176. vers. 18. *Omnem operum suorum cursum animosâ voce recensuit*] Rex Daniæ Regnerus Lodbrog, jam morti vicinus, inter viperarum morsus, sibi ipse Epicedion cecinit, quo rerum à se gestarum magnitudinem, omniumq; operum suorum cursum, ut Saxo ait, complexus est. Continet autem Strophas XXIX: quarum in XXVI. non κατὰ ῥητὸν, sed qua sensum, extat clausula illa, cujus hic meminit Saxo: *Hic vellent nunc omnes filij Aslaugæ gladijs amarum bellum excitare, si exactè scirent calamitates nostras, quam non pauci angues venenati me discerpant.*

Hiuggum vier med hiorve
ᚼᛁᚢᚵᚵᚢᛘ ᚢᛁᛂᚱ ᛘᛂᚦ ᚼᛁᚮᚱᚢᛂ
Hier villdur nu aller
ᚼᛁᛂᚱ ᚢᛁᛚᛚᚦᚢᚱ ᚾᚢ ᛆᛚᛚᛂᚱ
Burir Aslaugar braun-
ᛒᚢᚱᛁᛆ ᛆᛋᛚᛆᚢᚵᛆᚱ ᛒᚱᛆᚢᚿ-
dum
ᚦᚢᛘ
Bitrum hillde vikkia
ᛒᛁᛐᚱᚢᛘ ᚼᛁᛚᛚᚦᛂ ᚢᛁᚴᚴᛁᛆ
Ef vandliga vise
ᛂᚠ ᚢᛆᚿᚦᛚᛁᚵᛆ ᚢᛁᛋᛂ
Um vidfarar offar
ᚢᛘ ᚢᛁᚦᚠᛆᚱᛆᚱ ᚮᚠᚠᛆᚱ
Hue o faer ormar
ᚼᚢᛂ ᚮ ᚠᛆᛁᚱ ᚮᚱᛘᛆᚱ
Eitur fullir mig slyta
ᛂᛁᛐᚢᚱ ᚠᚢᛚᛚᛁᚱ ᛘᛁᚵ ᛋᛚᚤᛐᛆ
Modernis fek eg minum
ᛘᚮᚦᚱᚿᛁᛋ ᚠᛂᚴ ᛂᚵ ᛘᛁᚿᚢᛘ
Maugum suo ad Hiortun
ᛘᛆᚢᚵᚢᛘ ᛋᚢᚮ ᛆᚦ ᚼᛁᚮᚱᛐᚢᚿ
duga.
ᚦᚢᚵᛆ.

Integrum vero Epicedion, velut antiquæ Poëseos illustre exemplum, ad calcem libri sui de Literatura Runica, Excellentissimus Vir, D. Olaus Wormius, repræsentat.

Pag.

Pag. 177. verſ. 3. *Corio in exiles admodùm corrigias ſciſſim extracto*] Quis hæc legens, non revocat ſibi in memoriam perſimilem Eliſſæ ſive Didonis aſtum, cùm juxtà fabulas Græcorum, *Byrſam*, vel potius *Bydſram*, ſuam conderet? Ejus meminit Juſtinus Lib. 18. *Itaq; Eliſſa delata in Africæ ſinum, incolas loci ejus adventu peregrinorum, mutuarumq; rerum commercio gaudentes in amicitiam ſolicitat; deinde empto loco, qui corio bovis tegi poſſet, in quo feſſos longâ navigatione ſocios, quoad proficiſceretur, reficeret; corium in tenuiſſimas partes ſecari jubet, atq; ità majus loci ſpatium, quam petierat, occupat: undè poſteà ei loco Byrſæ nomen fuit:* Virgilius I. Æneidos:

Mercatiq; ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.

Similis per omnia extat Hiſtoria apud Sigebertum Gemblacenſem, ad A. C. 434. de Hengiſto Saxonum duce. *Deniq;*, inquit, *poſtulavit* [à Rege Britanniæ] *tantum terræ ſpatium ſibi dari, quantum unâ corrigiâ poſſit ambiri, ut ibi promontorium ædificaret. Cui cum Rex acquieviſſet, accepto ille corio tauri, incidit illud in longiſſimam corrigiam, & loco, quem præviderat, circumducens, intrà ambitum illius extruxit caſtellum, appellavitq; illud caſtellum corrigiæ.*

12. *Comprehenſi ipſius dorſum plagâ aquilam figurante*] Hunc locum quod attinet de Aquila in dorſo Hellæ, Regis Angliæ, figurata, res ità habet: Apud Anglos, Danos, aliasq; nationes Boreales, victor ignominiâ ſummâ debellatum adverſarium affecturus, gladium circa ſcapulas ad ſpinam dorſi adigebat, coſtasq; ampliſſimo per corporis longitudinem facto vulnere, utrinque à ſpina ſeparabat: quæ ad latera deductæ alas repræſentabant Aquilinas. Hoc genus mortis vocabant *Aquilam in dorſo alicujus delineare*: At rijſte Orn paa eens Bag. Gloſſarium Iſlandicum MS. ejusmodi vulnus ſive plagam ᛒᛚᚭᚦᚭᚱᚿ, Blodørn/ ſive ᛒᛚᚭᚦᚢᚵᛚᛂ, Blodugle/ item ᛒᛚᚭᚦᚱᛁᚠᛁᛚ, Blodrifil/ dictû teſtatur. In Jarlaſagu: ᚦᛆ ᚠᛂᚴ ᛂᛁᚿᛆᛦ ᛆᛁᛚ ᚼᛆᛚᚠᚦᛆᚿ ᚭᚠ ᚱᛂᛁᛋᛆ ᛒᛚᚭᚦᛆᚱᚿ ᛆ ᛒᛆᚴᛆ ᚼᚭᚿᚢᛘ, ᛘᛂᚦ ᚦᛂᛁ ᚼᛂᛆᛆᛂ ᛆᚦ ᚼᛆᚿ ᛚᛆᚠᚦᛂ ᛋᚢᛂᚱᚦᛂ ᛆ ᚼᚭᛚ ᚢᛁᚦ ᚼᛋᚢᚠᛁᚢᛘ ᚭᚠ ᚱᛂᛋᛏ ᚱᛁᚠᛁᚿ ᚭᚠ ᚠᚱᛆ ᚱᚢᚠᚠᛁᚿᚢᛘ ᚭᚠᛆᚿ ᛆ ᛚᛂᚿᚦᛆᛣ ᚭᚠ ᚦᚱᛂ ᚦᛆᚱ ᚢᛏ ᛚᚢᚿᚵᚢᛘ: *Tunc Comes Einarus in dorſo Halfdani Aquilinam excitavit plagam, ità ut gladium dorſo adigeret, omnesque coſtas à ſpina ſepararet, usq; ad lumbos, indeq; pulmones extraxit.* In Ormſagu: ᚭᚱᛘᚢᚱ ᛒᚱᛆᛋᛆᚼᛋᛁ ᚭᚠ ᚱᛁᛋᚦᛁ ᛒᛚᚭᚦᚱᛁᚠᛁᛚ (blodriſil) ᛆ ᛒᛆᚴ ᛒᚱᚢᛋᛆ ᚭᚴ ᛋᚴᛆᚱ ᚭᛚ ᚱᛁᚠᛁᛚ ᚠᚱᛆ ᚼᚱᚢᚠᚠᛁᚿᚢᛘ ᚭᚠ ᚦᚱᚭ ᚦᛆᚱ ᚢᛆ ᛚᚢᚿᚵᚢᛘ. *Ormerus evaginato gladio in dorſo Bruſi Aquilinam inflixit plagam, ſeparatis à dorſo coſtis, & pulmonibus exemptis.*

51. *Per aviti negotij veſtigia decurrit*] Hoc eſt, Ericus avi ſui Regneri res geſtas imitari conatus eſt, ijsdem virtutibus ac rebus præclare geſtis excellere ſtuduit, quibus avus Regnerus, immortalem ſibi famam pepererat. Ericus enim Regneri illius ſuperioris nepos extitit. *Negotij* vocabulum varie uſurpat Saxo: quâ de re diximus nonnihil ad Libr. 1.

Pag. 178. verſ. 4. *Ad ſalutares Ansgarij monitus*] Hic eſt ille Ansgarius, quem Romanorum Imperator Ludovicus, Anno Chriſti D CCC XXVI. novæ à ſe in Saxonia fundatæ Corbejæ & paulò poſt in Daniam & Sveciam religionis Chriſtianæ propagandæ gratia, ablegavit. Adamus Bremenſis Lib. 1. Cap. 15. *Anno Villerici XXXIII. Ludovicus Imperator novam in Saxonia Corbejam exorſus, religioſiſſimos Franciæ Monachos ad illud congregavit cœnobium: inter quos præcipuus legitur ſanctiſſimus Pater ac Philoſophus Chriſti Ansgarius, vitæ atq; ſcientiæ merito clarus, & omni populo Saxonum acceptus.* & mox Cap. XVI. *Cum autem nemo Doctorum facilè poſſet inveniri, qui cum illis ad Danos vellet pergere, propter crudelitatem barbaricam, quâ gens illa ab omnibus fugitur: Sanctus Ansgarius, divino, ut credimus, ſpiritu accenſus, & quia ad martyrium aliqua occaſione malebat pertingere, cum ſocio ſe ultroneum obtulit Autherio, non ſolùm inter Barbaros, verùm etiam in carcerem & in mortem pro Chriſto ire paratus. Itaq; biennium in regno Danorum commorati, multos ex gentilibus converterunt ad fidem Chriſtianam.* Scripſit ejus inſignia facta Rembertus ejus Diſcipulus, ac in ſedem Epiſcopalem Succeſſor. Plura etiam de eo habentur in Vita ejusdem Remberti, quam habet Surius, ad diem 4. Febr. Tom. 1. Item Albertus Crantzius in Hiſtor. Eccleſiaſt. Saxon. Lib. XX, & Saxoniæ Lib. 2. Cap. 25, & 29. Tritheimius de Viris illuſtr. Ordin. Benedict. Lib. 4. Cap. 84. Et penes me eſt Vita S. Anſcharij à diſcipulis ipſius conſcripta, & ex Veteri MS. Codice tranſcripta; ubi inter alia Erici hujus Daniæ Regis fit mentio, quam Saxo ait ad ſalutares Ansgarij monitus ſacrilegæ mentis errorem depoſuiſſe. Verba ſic habent. *Jamq; ſuſceptâ Bremenſi Parochiâ, iterum cœpit ſpiritu fervere intimo, ſi quid poſſit in partibus Danorum pro Chriſti laborare nomine. Unde frequentius ſolebat adire Herium, qui tunc ſolus Monarchiam regni tenebat Danorum, ut officio prædicationis in regno ejus fungeretur. Aliquoties quoq; regiâ legatione ad eum mittebatur. Et quæ ad fœdera pacis, & utriusq; regni utilitatem pertinebant, ſtrenuè ac feliciter peragebat. Qua de re cognitâ fide & bonitate Sancti viri, prædictus Herius Rex mutuo eum affectu cœpit venerari, & libenter ejus conſilio uti, ac familiariſſimum in omnibus habere, ità ut etiam*

etiam inter secreta sua, dum de negotijs regni sui cum consiliarijs tractaret, eum interesse rogaret. Hac itaq; familiaritate potitus, cœpit illi etiam persvadere, ut fieret Christianus. Ille verò omnia, quæ ei ex divina intimabat scriptura, benignè audiebat, & bona prorsus ac salutaria esse laudabat; seq; his plurimum delectari, ac libenter velle Christi gratiam promereri dicebat. Cui pòst talia vota Sanctissimus Pater suggerere cœpit, ut Christo Domino hanc concederet benevolentiam, ut in regno suo Ecclesiam fieri permitteret, ubi Sacerdos omni tempore adesset, & verbi divini semina, & Baptismi gratiam, qui suscipere vellent, traderet. Quod ille benignissimo concessit affectu, & in portu quodam sui regni ad hoc aptissimo, & huic regioni proximo, Slesvvic *vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorium, Ecclesiam fabricare permisit, tribuens locum, in quo Presbyter permaneret, datâ pariter licentiâ, ut quicunque vellet, in regno suo, fieret Christianus.* Sed hunc Hericum fratrem Haraldi Klag fuisse, non Regneri nepotem, indicare videtur Clariss. Vir Andreas Vellejus in Observatione sua adjuncta Cap. XXV. Lib. 1. Adami Bremensis: *Sciendum est*, inquit, *duos Ericos Reges in Dania rerum potitos, tempore Ansgarij. Primus erat frater Haraldi Klag; is sceptrum Erico filio Sigvardi delatum, ad se vi rapuit. Sed ut sunt violenta minus diuturna, brevi pòst à Guthormo, nepote suo ex fratre, cæsus, vitâ pariter ac regno spoliatus est. Redijt itaq; imperij dignitas ad Ericum filium Sigvardi, nepotem Regneri. Is filiam Guthormi duxit, & erat ætate admodum tenerâ, quum primùm regni susciperet administrationem. Quâ etiam de causâ cognominatus est* Puer. *Quod ideò admonendum duxi, ut utriusq; Regis temporibus concionatum esse in Dania Ansgarium sciamus: quum unius saltem tempore ipsum hic docuisse indicet Saxo. Et prioris quidem Erici operâ ac studio Templum Slesvicense Anno Domini 848; alterius verò à paganismo ad fidem conversi, Zelo, Ripense primùm fundatum atq; erectum, An. Domini circiter 860.* De posteriore verò Erico ità Adamus Bremensis Cap. 28. Lib. 1. *Iste mox ut regnum Danorum suscepit, ingenito furore super Christicolas efferatus, Sacerdotes Dei expulit; & Ecclesias claudi præcepit. Ad quem Sanctus Dei confessor Ansgarius venire non trepidans, comitante gratiâ divinâ, crudelem Tyrannum sic placatum reddidit, ut Cristianitatem ipse susciperet, suisq; omnibus, ut Christiani fierent, per edictum mandaret, & insuper in alio portu regni, apud Ripam, exstruxerit Ecclesiam in Dania secundam.* Porrò de Ansgario videatur Adamus Bremensis à Cap. XV. Lib. 1. ad ejusdem Cap. 32. Et Adolphus Cypræus Historiæ Eccles. Slesvic. Cap. 1. & alij.

Pag. 178. vers. 12. *Hujusce muneris advocationem præstare*] Imitatur hic more solito Valerium Maximum Saxo; Cujus hæc sunt verba, Cap. IX. Lib. II. *Accedit his, quod etiam fortunâ longam præstandi hujusce muneris advocationem estis assecuti.* Sed & *Advocationem* sæpiusculè usurpat Dudo S. Quintini Decanus, pro *defensione, protectione, tutelâ, curâ, administratione.* Sic Lib. III. Histor. Normann. pag. 121. *Respondit Rex, Tellus Normanniæ non nisi unius seniorũ unquam tuebitur advocatione.* Et pag. 139. *Sacrosancta Ecclesiæ Normanniæ advocatione dignus.* Et pag. 142. *Populum suæ advocationis fomento prudentius nutriebat.* Unde *Advocatus* eidem pro Protectore, defensore, & præside multoties sumitur.

30. *Ab Agapito*] Videtur hic ex emendatione Historici eminentissimi, Andreæ Velleji, legendum *Adriano*; ejus scilicet nominis Tertio, qui sedi Romanæ unius duntaxat anni curriculo præfuit. Id quod cum ipsâ Chronologia exactius convenit. Adrianus enim Pontifex Romanus universalem Ecclesiæ Christianæ administrationem suscepit Anno Christi 884, teste Baronio, quo adhuc in Dania regnasse Frothonem asserunt Chronologi nostrates, Lyschander, Petræus, & alij: sed *Agapitus* demum Ecclesiæ præesse cœpit Anno 947. qui incidit in imperium Haraldi Blaatand.

32. *Romanæ legationis præcucurrit adventum*] Utitur eodem Verbi Præterito Plautus Menæchm. Actus V. Scenâ VIII.

Præcucurristi obviam, ut quæ fecisti, inficias eas.

Sic *adcucurrit* Tacitus Hist: Lib. 3. 22. 6. & Apulejus Metamorph. 1. *decucurrit*, Cæsar de Bello Gall. 2. 19. & 21. *Excucurrisset* Svetonius Galbâ 18, 6. *Procucurrissent* Livius 25, 11. 3. & 40, 30. 5. Cæsar de Bello Civil. 3. 93. *Concucurrit* Florus Lib. IV. Id observante in accuratissimo ad hunc auctorem Indice, Viro Doctissimo, Joanne Freinshemio.

35. *Hujus filius Gormo*] Hunc Gormonem & sequentem Haraldum quidam omittunt, expungentes, ut per errorem bis positos: Id quod etiam Chronologiæ magis convenit, ut ajunt. Sed quàm rectè, ipsi viderint.

37. *Apud Insulam*] Angliam intellige. Anglia enim seu Britannia, per excellentiam *Insula* dicta. Paulus Diaconus Lib. IV. de Gestis Longobard. Cap. XXIII. *Britannica, flos qui in Insula nascitur*: quomodo hunc locum restituit Cl. Barthius. Adamannus Scotus Lib. 1. de Vita Columbæ: *Valedicens navigationem præparabat, & sine ulla morula transnavigans Jovam, devenit Insulam, hoc est, Britanniam.*

Ibid. *Regiam adeptus est arcem*] Hoc est, rerum summam obtinuit. Sic Valerius Maximus Lib. VI. Cap. 2. *arcem occupare* dixit: *Quo interfecto, aliquantò tetrior arcem occupavit.* Phædrus Lib. 1. Fabular.

Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.

Et Prudentius περὶ στεφάνων, Hymno III. de S. Laurentio, *arcem possidere*, pro regnare & imperare, dixit:

Augustus arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.

Adce

44. *Adeò difficile prægrandia continentur imperia*] In eandem mentem legati Darij ad Alexandrum Lib. IV. Curtij: *Periculosum est prægrave imperium. Difficile est continere, quod capere non possis. Videsnè ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Facilius est quædam vincere, quàm tueri. Quàm herculè expeditiùs manus nostræ rapiunt, quàm continent.* Proverbium etiam Gallis in usu est: *Qui trop embrasse, peu estreind.* A

Pag. 179. vers. 1. *Sacræ cellæ strage puniens*] *Cellæ* hic nomine intelligendum venit *sacrarium*, seu *ædicula sacra, templum, delubrum*: cujusmodi ferè sunt, quas *Capellas* barbarum nuncupavit seculum. Usus est eo significatu Valerius Maximus Lib. I. Cap. I. Pag. 25. *Cum Marcellus V. Consulatum gerens, templum Honori & Virtuti, nuncupatis votis, debitum consecrare vellet, à collegio Pontificum impeditus est, negante unam cellam duobus dijs rectè dicari. Cellæ* etiam dictæ habitationes Monachorum, qui in vasto illo Ægypti eremo olim, solitudinis sectandæ gratiâ, stabulabantur: quâ significatione non semel hæc vox in Joanne Cassiano occurrit: ut Collat: 2. Cap. V. pag. 202. de Herone Sene: *Solitudinis cellæque jugiter secreta sectatus est.* Unde & locus fuit in Ægypti eremo, cui nomen Cellæ, à cellis Monachorum, quæ frequentes in eo visebantur. Melchior Goldastus in Notis ad Ratperti Monachi Cap. I. & quidem illa verba: *Protinus ibi cellulas construentes: Cella*, inquit, *à celando, & in templis, & in domibus, appellatur pars aliqua remotior. Undè factum, ut pauperum & servorum mansiunculæ, cellæ appellarentur; ut docet multis exemplis Lævinus Torrentius Commentar. in Suetonij Tiberium Cap. 43. & Caligul. Cap. 41. In templis pars aliqua sacratior, in quam vulgo intrare non licebat. Cujusmodi erat in Capitolio Cella Jovis, auctoribus Gellio & Livio. Ità & Monachi, qui pauperes sese ac servos faciebant, Cellas vocarunt habitacula in recessu ac solitudine posita, & à frequentia hominum remota, in quas velut religionis gratiâ se conferrent. Germanis hodieque in usu est* Cellen/ *pro habitaculis Monachorum.* Hactenus Goldastus.

6. *Hic à majoribus*] *Majores* hic intelligendi sunt proceres regni, senatores, Megisthanes, quos interdum *Seniores* nominat Saxo.

9. *Quàm Daniam sub dotis nomine recepisset*] Procul dubio legendum hic erit *Angliam*, pro *Daniam.* Quippe illam amiserat Gormo Anglicus, ut paulo ante Saxo indicavit; hanc verò ut recuperaret, quæ suæ adhuc erat ditionis, non admodum necesse erat.

12. *Nocturnis motibus*] Eleganter *nocturnos motus* dixit pro Veneris exercitio, & libidinis nocturnæ commercio, seu libidinosâ prurigine, cujus meminit Juvenalis Sat. VI. *Tunc prurigo moræ impatiens. Moveri* autem & *motus* in rebus Venereis sæpenumero occurrit apud Juvenalem, Petronium, & alios. B

24. *In capite nuptiarum*] *Caput*, pro principio, frequens est tàm in sacris, quàm in profanis Literis. Ita *Caput cœnæ* dixerunt antiqui.

34. *Propassis alis*] Hoc est diductis, distentis, atque expansis. Sic Apulejus Lib. VI. Metamorph. *Nam supremi Jovis regalis avis illa, repentè, propassis utrinque pinnis, affuit rapax aquila.* Apprimè huc facit Cap. XV. Lib. 15. Auli Gellij, quod, quià non adeo prolixum est, hoc loco integrum ascribere placuit: *Ab eo quod est* pando, passum *veteres dixerunt, non* pansum *& cum præpositione,* expassum, *non* expansum. *Cæcilius in Synaristosis:* C

Heri verò prospexi eumce ex tegulis:
Hæc nuntiasse flammeum expassum domi.

Capillo quoque esse mulier passo *dicitur, quasi porrecto & expanso, &* passis *manibus, & velis* passis *dicimus, quod significat diductis atque distentis. Itaque Plautus in Milite Glorioso, A literâ in E mutatâ, per compositi vocabuli morem,* dispessis, *dicit, pro eo, quod est* dispassis: D

Credo ego isthoc exemplo, tibi esse eundem
actutum extra portam,
Dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Pag. 180. vers. 1. *Præteritâ filiâ*] Thyrâ scilicet: & præterito item filio Adelsteno, ut mox infrà:

2. *Angliam ijsdem testamento legaret*] Ejusmodi Testamentum *inofficiosum* Jurisconsulti vocant; cùm scilicet parentes, sine causa, liberos suos exhæredant, vel omittunt: de quo liberis permissum est conqueri, aut iniquè se exhæredatos, aut iniquè præteritos. Institut. Lib. II. Tit. 18. de Inoffic. Testament. E

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM X. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 181. vers. 5. IGitur Norvagiæ Rex] Haraldus nempe Pulchricomus, qui ex concubina quadam Thorâ Haquinum filium suscepit, ab educatore suo, Britanniæ Rege, *Adelsteni* cognomento insignem.

11. *Filio ejus Haquino, admodum, tenero educationis impensam pollicitus*] Longè aliam ab Adelsteno Haquinianæ educationis occasionem commemorat Chronicon Norvagicum antiquissimum, cui autor Snorro Sturlæsonius, in Vita Haraldi Pulchricomi: *Sub idem tempus, rerum in Angliâ potiebatur Rex Adelstenus, cognomento Victoriosus. Is ad Haraldum Pulchricomum, Norvagiæ Regem, legatum misit, cui præter mandata, de magni momenti negotijs illic expediundis, gladium aureo manubrio, & vaginâ gemmis aureisq; vinculis condecoratâ, insignem, pretiosi muneris instar, Regi exhibendum commisit. Hic ubi in Norvagiam appulit, Haraldi aulam rectâ petens, ejusq; adeundi potestate factâ, ensem obtulit. Rex apprehenso gladij capulo, illum curiosius contemplari cœpit. Quod animadvertens legatus, nunc, inquit, ô Rex, ex voto Adelsteni, ensem complexus, ejus te clientelæ tradidisti, ipsiq; homagium præstitisti. Olim namq; se Regum clientelæ daturi, tacto gladij capulo, obsequium polliceri solebant. Haraldus summo sibi opprobrio ducens, alieno subjici imperio, haud levem animo concepit indignationem. Gnarus tamen frænare iram, (quæ morâ intervire solet) legatum lautè tractatum, bonâ cum veniâ à se dimisit. Paulò pòst cum proceribus inito consilio, de ignominiâ hac & injuriâ opportunè vindicandâ, unanimi consensu decretum est, ut Haraldus filium suum Haquinum Adelsteno educandum transmitteret. Etenim abjectæ sortis & vilioris conditionis ille habebatur, qui alienis liberis officium educationis præstabat. Erat tum temporis in contubernio Haraldi Regis, Haukerus Habrok nomine, vir exploratæ fidei, adq; res arduas obeundas promptissimus, & ob partam longinquis peregrinationibus variarum rerum experientiam, Regi gratissimus. Hujus fidei filium suum Haquinum in Angliam deferendum commisit. Haukerus peractâ feliciter navigatione, in insulam exscensionem faciens, Adelstenum cum magnatibus epulantem Londoniæ offendit. Sed priusquam Regem inviseret, triginta militibus, quos sibi comites adjunxerat, seriò jussit, ut sinus sui capulos gladiorum, quos districtos sub longis cœlabant tunicis, contegerent, & qui ultimus ædes regias ingrederetur, primus omnium exiret. Mox Haukerus in palatium intromissus, salutato Rege, filiolum Haraldi genibus ejus imponit. Adelstenus puerum diligentius intuens, Hunc, inquit, minime servilibus oculis esse video. Et simul interrogat Haukerum, quid hæc pueri traditio portenderet? Cui Haukerus: Rex, ait, Haraldus spurium hunc suum à te educari petit. Ad illa verba accensus irâ Adelstenus, arrepto gladio,* A *puerum interficere simulabat. At respondit Haukerus: Nunc tibi alumnum tuum per me licebit obtruncare, cujus te sinu excepti nutricium & educatorem profiteri cœpisti. Neq; si unum huncce interemeris, totam Haraldi sobolem internecione delevisti. Atq; hoc dicto Haukerus regiâ egressus, eâdem, quâ venerat, viâ, iter in patriam remensus, secundo vento ad suos reversus est. Quos redeuntes Haraldus gratanter excipiens, ob rem benè gestam, dignâ remuneratione prosequutus est. Verùm Adelstenus Haquinum sacris Christianis* B *initiatum, honestorum morum documentis, & equestribus exercitijs informandum curavit. Undè & cognomen Haquini Adelstenij sortitus est.*

31. *Præceptoris occasus*] Id est, Adelsteni Regis, qui Haquinum compluribus honestatis præceptis imbuerat.

37. *Haraldi Gunnildæ filij*] Hæc Gunnilda, Gormonis Daniæ Regis filia erat, & soror Haraldi Blaatand: quam pater Erico Blodøxe/ Haraldi Pulchricomi filio, Norvagiæ Regi, in C matrimonium dederat. Ex ea tulit Ericus septem filios, Gamalium, Gutormum, Haraldum, Reginfredum, Erlingum, Sigurdum cognomento Sleffva, & Gudrodum; & unicam filiam Ragnildam. Haquinus verò Adelstenius, audito paterni fati nuntio, ex Anglia redux, fratrem Ericum, Blodøxe dictum, qui regiæ potestatis insignia sibi vindicabat, regno expulit; ipse vicissim ab omnium provinciarum incolis regio titulo ornatus. Tandem universâ D Norvegiâ suam in potestatem redactâ, in Daniam cum instructissima classe irruptionem faciens, Jutlandiam, Sælandiam, Scaniamq; igni & ferro latè depopulatus, ingenti prædâ partâ, patriam repetit. Intereà Gunnilda, Haraldi vidua, tyrannidem Haquini metuens, in Daniam ad fratrem Haraldum Regem, cum filijs aufugit, quibus Rex latifundia prædiaq; nonnulla, unde victui necessaria suppeterent, possidenda concessit. Hi sæpe pyraticam circa littora Norvagiæ E exercentes, inprimis provinciam Vigcensem infestis armis adoriri solebant. Quibus tamen Haquinus fortiter se opponens, in Daniam eos non sine exigua jactura, & internecione exercitus sui, retrocedere coëgit. Demum Haraldus Gunildæ filius, cujus hic mentionem facit Saxo, sexaginta navium classe ab avunculo donatus, Hevindo & Karlhofto socijs receptis, in Norvegiam navigationem remensus, adversus hostem navalis pugnæ copia non suppetente, terrestrem F exercuit, in qua tamen victor extitit Haquinus. Hæc totidem verbis Chronicon Norvagicum Snorronis Sturlesonij.

41. *Hevindo enim,*] Hevindo huic Chronicon Norvagicum pag. 84. cognomentum *Skre-*

ja

ja tribuit, & pro Karlhofto, Alfi cujusdam Askmanni meminit, in commilitium ab Haraldo, in expeditione hac Norvagica, suscepti.

46. *Clarius sui indicium exhibentem*] Haquinus etenim Adelsteinius, Rex Norvagiæ, in hoc prælio, capite gestabat *galeam inauratam*, quæ Solis radiis illustrata, eximio fulgore hostium oculos perstringebat. Gunnildæ filii regium hoc insigne rati, eò omnem impetum, totamq; vim armorum convertere cœperunt. Quo cognito Hevindus Findsôn, Haquini ex sororis filia pronepos, latè splendentem galeam pileo obduxit. Tunc elatâ voce exclamans Hevindus Skreja: Quid? subduxit nè se è prælio Norvagiæ Rex? an verò occubuit? Evanuit etenim, nec uspiam apparet inaurata galea. Et cum dicto, Haquinum Regem, qui inter primos præliantium globos strenue pugnabat, ignarus districtâ bipenni petiit. Sed adactum Regi ferrum Thoralvus objectu clypei fefellit, adeò ut Hevindus nutabundus mento ferè terram contingeret. Hinc Rex tantâ vi in Hevindum gladij sui aciem egit, ut ferrum non modò galeam & caput, sed & medio corpori illapsum omnes artus diffinderet. Mox Thoralvus Alf Askmand Hevindi fratrem, interfecit. Chronicon Norvagicum pag. 85. & seq.

Pag. 182. vers. 1. *Interea Thoralvus*] Hic est Thoralvus ille Skolmsôn, cognomento Fortis, qui tanquam fidus Achates, in hoc conflictu, à latere Haquini vix latum unguem discedens, Regis fatum clypei sui obstaculo repulit.

10. *Jaculum namq; vago*] De hoc jaculo paulò aliter Historia Norvagica pag. 86. Posteaquam occubuissent Hevindus Skreja, & Alf Askman, Haraldi exercitus effusâ fugâ sibi consuluit. Dùm verò Haquinus hostes acrius persequeretur, ex improviso spiculum quoddam, sive sagitta, quam *Flein* vocant, advolans, brachio regis infrà scapulas, grande vulnus infixit. Memoriæ proditum est, Gunnildæ servum quendam, nomine Kispingum, in mediam aciem processisse atq; exclamasse; cedite locum Regis interfectori, ac derepentè jaculum corpori Regis adegisse.

16. *Gunnildam procurato maleficijs spiculo*] Erat certè, teste Snorrone Sturlæsonio, Gunnilda hæc, venefica nulli secunda, varias præstigias & maleficia in Findmarchia, ubi educata fuerat, edocta. Quare nullum est dubium, quin perniciosum hoc jaculum in hostile caput machinata sit.

17. *Haraldus itaq;*] Intellige Haraldum, postea Graafeld dictum, qui major natu inter Gunnildæ filios erat; quiq; cæso Haquino Adelsteinio, regnum Norvagiæ occupavit.

24. *Julinum nobilissimum illius provinciæ oppidum*] Julinum sic describit Sebastianus Munsterus Cosmograph. Lib. 3. pag. 771. *Julinum oppidum olim nulli clarissimarum urbium secundum, multas etiam præclaris opibus & structuris exsuperans, nobile VVandalorum emporium, tantis opibus mercatorum negotiis frequens, ut vix aliud par illi tum Europa videret, Constantinopoli excepta, quæ tum florebat. Ibi Russi, Dani, Sorabi, Saxones, & VVandali suos vicos & plateas incolebant. Incolæ ejus, quùm in flore essent, lege latâ vetuerunt, ne advenarum quisquam novæ religionis mentionem ullam faceret; quo factum est, ut omnium illi novissimi ad Christi fidem pervenirent. A Regibus Danorum olìm urbs ista multum passa est, potissimum autem Regi Svenoni ad tempora Ottonum regnanti, sæpè se opposuit, bello sustinens totius regni molem, ter etiam Regem prælio cepit. VValdemarus quoq; Rex Daniæ, circa Annum Christi 1170, classe per Zvenum fluvium ingressus terram, Julinum oppidum, non satis à pristinis cladibus respirans, captum direptumq; incendit: ex quo die nunquàm rediјt ad pristinum florem, quod jam à Saxonibus novæ civitates in eo littore firmarentur, præsertìm Lubecum. Urbs itaq; ista olìm tam præclara & potens, nunc ad fatum suum pervenit. Et est rerum vicissitudo. Vocatur hodie VVollinum. Circa annum domini 1151. Principes Pomeraniæ erexerunt ibi Episcopatum: sed qui postea, circà annum Christi 1181, fuit tranlatus Caminum. Situs hujus Julinensis urbis fuit haud procul à lacu magno Pomeraniæ, quem tres amnes Pänus, Zvvinus, & Divinovv, collecti ante exitum in mare, conficiunt, etiamsi per Divinovv putent intelligendum exitum Oderæ ex lacu, sicut & Zvenus alius est exitus, per quem via patet ad mediterranea Pomeraniæ loca.*

Quibus subjungere placet longè accuratiorem Julini descriptionem ex Davidis Chytræi Procemio in Metropolin suam: *Cum autem Julini, urbis vetustæ ac celeberrimæ, in quâ primam Episcopi Pomeraniæ sedem principes posuerunt, mentio à nobis facta sit, non ingratum studiosis antiquitatum patriæ futurum arbitrabar, si ea, quæ senex antiquâ virtute, & fide ac doctrinâ præstans, Joannes Lubbechius, consul Treptovij ad Regam, de Julino, vetustissima & florentissima olìm Pomeranici littoris urbe, nunc eversâ ac excisâ, sciscitanti mihi respondit, cum illis communicarem. Pridie Non Octobr. VVOLLINUM, natale solum, piæ memoriæ, Doctoris Johannis Bugenhagij Pomerani, avunculi mei, perveni, & apud sororem meam, Consulis ibidem quondam, Joachimi Czimdarsij, Patris Magistri Petri Czimdarsij, Professoris in Academia Griphsvvaldensi, utriusq; piè defuncti, viduam diverti. Et quia complurima de oppidi istius antiquissima celebritate, ac emporij ibidem famosissimi amplitudine, scriptis & dictis memoriæ tradita esse, non immemor eram: nè otio deside tempus ibi tererem, & rei veritatem exquisitius indagarem, posterâ die, Nonis scilicet Octobr. comitatus aliquot antiquitatis studiosis, Viris venerabilibus, loci istius Pastoribus & Senatoribus, vetusta Julini, anno Christi 1170, auspicijs Danorum Regis VValdemari, ductu Absolonis Episcopi Roschildensis excisi, restantia vestigia, oculari, de loco ad locum, commonstratione perlustravimus, & quantum illa, mediocris quidem Civitas-VVollin, ab antiqua illa celebratissima urbe, & Castro magno, Julino, mutata sit, ex rei præsentis inspectione deprehendimus.*

dimus. Sita est & fuit, nunc ut tunc, in insula dem Wollinischen Werder / *quæ per pontem prælongum, ex continenti Ducatus Pomeraniæ, super fluvium Divenovv, ibi* der Stromt *appellatum, aditum præbet. Estq́ insula in longitudine quatuor milliarium. Ab ortu Divenovv, ab occasu Svveno fluvijs, à meridie lacu recenti,* dem Frischen Hafe / *palude novem circiter milliarium, & ad septentrionem, maris Balthici,* die Ostsehe / *Daniam versus spectantis, ambitu circumcincta. Insula frugum & pecorum admodùm ferax. Terra fertilis, aquæ & fluvij piscosi valdè: adeò quòd sæpe vidimus, uno tractu, projectis retibus, ducentorum vel trecentorum florenorum valore, pisces varij generis comprehendi, capi, & distrahi, tempore hyemali, glacie lacu recenti constricto. In hujus, inquam, insulæ frontispicio, ex antiquis adhuc extantibus aliquomodo ruinarum monumentis veteris Julini, apparet & datur videre, quòd florens Julinum habuerit in circumferentia sua ultra integrum milliare Germanicum commune. Templum etenim S. Michaëlis, hoc tempore, extra oppidum VVollin, in editiore paulum colle, Bethavim sepulchris defunctorum cum suo cœmiterio destinatum, tunc in medio urbis fuisse perhibetur antiqui Julini. Quod etiam ità deprehenditur. Tria namq́ castella, vel Fortalicia, ad propugnandum hostiles insultus, in editioribus urbis partibus disposita, diversis quasi montibus tribus longiusculo intervallo, locata fuisse, excidij lateres adhuc ostendunt, quorum nomina etiamnum remanent. Primus Kakernel; Secundus Modorovv; Tertius* der Schloßberg; *Quartus versus Septentrionem,* der Silberberg / *mons cæteris proëminentior. In quo constructa fuisse perhibetur Arx, vel propugnaculum, multarum habitationum, ubi sæpè adhuc inter excisa fundamentalia saxa & lateres, argentea numismata reperiuntur. Item prægrandium hominum, instar Gigantum, grandia ossa & costæ aliquandò conspiciuntur. Fuit etiàm ibi alius, vel quartus mons, ad australem urbis partem inclinans, mons Calvariæ,* der Galgeberg / *in quo sontes ultimo supplicio affici solebant, non longius ab urbis dissitus portis, quàm quis manuali jactu pertingere posset. Hodiè hic locus, vel mons, tam longè à portis novi VVollin distat, ut aliquem eò exspatiantem benè defatiget. Et in radicibus hujus montis, antiquitus terminabatur, in parte Australi, vetus Julinum florens. Si itaq́ templum Sancti Michaelis in medio urbis constitit, & ad quatuor mundi plagas, prædictos montes & Fortalicia, capita angularia, vel terminos habuit, ut ex ruinis liquet, satis constat magnitudinem veteris Julini excessisse spatium milliaris Germanici in ambitu suorum murorum. Nunc temporis, multò etiam quàm trigesima parte est contractior & minor, non aspernenda tamen civitas VVollinum. Et campus est, ubi Troja fuit; ubi olim ædificia magnifica steterunt, ibi nunc multa agrorum jugera coluntur quotannis,* das Wollinsche Stadt feldt am werder *ad occasum,* bis an die Plotzinsche Stege. *Eò usq́ vetus pertendebatur Julinum. Ad Ortum hodiè etiam pristinum terminum obtinet Fluentum,* den Strom. *Brachium fluvij Divenovv ponte, ut dixi, stratum:*

A *Hujus fluenti,* des Bruggen Stromes / *hæc est natura & reciproca alteratio saporis aquæ. Quandò Austrini spirant venti, tunc fluvius Odera, qui infra Stetinum, duobus milliaribus, influit in recentem Lacum, ità commiscetur aquæ recentis lacus, ut recens sapida, & nihil salsedinis concipiat aqua totius fluenti* des Stroms. *Si verò intensiores paulùlum incumbant flatus Septentrionales, tunc aqua salsa ex vicino Balthico mari propellitur in lacum recentem, & hinc in Fluentum,* den Divenovv Bruggen Strom / *ejusq́ omnem aquam instar marinæ salsam efficit: ità ut* B *nunc recens, nunc salsa sit aqua fluenti, pro ut venti spirant, & maris fluxus & refluxus est in recentem lacum. Hæc de situ veteris Julini, nunc paucis addam de statu. Emporium fuit totius Europæ, post Constantinopolim, ut ferunt, longè celeberrimum, tantæ potentiæ, ut potentissimum Danorum Regem Svenonem primum, ter bello superatum, captumq́, exolutis lytris, nihil Daniæ potentiam extimescens, impavidè dimiserit. Populositatem, vel multitudinem civium ac* C *incolarum, viginti duo millia civium capita, ibi ab Ottone Bambergense Episcopo, Anno 1124, baptizata declarant. Neque verò Julinum una tantum gens, sed diversarum nationum populi, discretæ linguæ, religionis & fidei homines, inhabitaverunt, & mercaturam exercuerunt, VVinithi, VVinni, Heneti, Svenones, Slavi, Vandali, Dani, Sveci, Cambrivij, Circipani, Judæi, Gentiles, Pagani, Rutheni, Græca fide utentes, & similes aliæ gentes complures, promiscuè ibi inveniebantur. Quibus omnibus & singulis, ibidem* D *negociandi æqua erat potestas, & salvus dabatur conductus: solis Christianis, sub interdicto pœnæ mortis, exclusis. Et singulæ gentes suas distinctas plateas inhabitaverunt, quibus & nomina à se indidere. Sclavi, Vandali, VVinithi, Svenones, Rutheni, primarij inter eas perhibentur, plerìq́ omnes poligami homines, alioqui honestis moribus, servientes quisq́ Idolis suis. Coluerunt tamen publicè ex professo Idolum* Triglaff / *Deum Tricipitem: quòd primo capite cœlum, secundo terram, tertio aquas istius Dei gubernaculis regi, de-* E *fendi, & conservari dicerent. Arbitror autem eos aliquid ex patriotis suis Rugianis & Vandalis, qui in Italia & Africa bella gesserant, de Trinitate & veritate veri Dei audivisse, & hinc hunc Triglaff extruxisse, cui & alios congubernatores Vicarios adjunxerunt Harvit & Barovit, præsides mercaturæ, quasi Martem & Mercurium. Item* Bialbugk & Zernebugk / *album & nigrum Deum. Hæc confusio dissoluta, postmodùm ex Idololatria, in tetras libidines, & multiplicem tyrannidem exorbitans, peperit excidium floren-* F *tissimæ urbi Julino, ut primò fulmine cœlesti, aliquoties miserè afflicta, Ruthenos commoverit indè in patriam emigrare, & cum suis consortibus alias sedes in Russia quærere, ubi & Ducatum adhuc hodie VVollinensem fundaverunt. Consecutæ sunt aliæ seditiones & negociatorum dissipationes, quoad tandem à VValdemaro Rege Daniæ expugnata, & solo æquata, ad eas, quas nunc obtinet, angustias est redacta, impietatis, tyrannidis, & luxus, justo Dei judicio, pœnas luens meritas.*

29. *Inter quos fuêre Bo, Vlf, Karlshefni, Sivaldus*] Genealogiam & prosapiam pyratarum Julinensium recenset hunc in modum Chronicon Norvagicum in Vita Haquini Jarl; p. 129. *Palnatokus patrem habuit Palnam Tokeson, matrem Ingeburgam, Ottari Gotlandiæ Comitis filiam. Is à Burislavo Sclaviæ principe, Satrapa & custos limitaneus totius VVandaliæ constitutus, tandem Dux & Imperator Pyratis Julinensibus summâ cum potestate præficitur. Hic in uxorem duxit Olavam Stephani Anglici filiam: ex qua Agonem genuit, Fioniæ à Patre posteà præfectum. Eodem temporis tractu Scaniæ præfuit Strutharaldus; qui ex Toffva conjuge filios Hemmingum, Torkillum procerum, Sigvaldumq́; cognomento Jarl, suscepit. Borringiam quoq́; Insulam suo regimine tum temporis moderabatur VVæsettus. Cui sequentes extiterunt filij; Bo videlicet, cognomento Crassus, qui vasti corporis robore non solum stolidè ferox, sed & deformi & distorto vultu conspicuus erat, inq́; matrimonio habebat Toffvam Strutharaldi filiam: & Sigurd Kappa, hoc est, Pugil, cui filia erat Torgunna, quæ Agoni Fionico Strutharaldi filio nupsit, mater Vogni, viri formæ venustate pariter ac virtute excellentissimi. Omnes hi Strutharaldi juxtà ac Væsetti filij, unà cum Vogno Agonis filio, Julinum profecti paulò ante obitum Palnatoki, legibus & statutis pyratarum Julinensium se subjecerunt. Mox defuncto Palnatoko, omnes Pyratæ Julinenses unanimi consensu Ducem elegerunt Sigvaldum Jarl Strutharaldi filium.* Igitur jam constat, quinam fuerint *Bo* iste atq; *Sivaldus*, quorum adeò crebra in Saxone fit mentio. Sed pro Karlshefni legendum puto, Karlshofuit/ quale occurrit nomen in Norvagico Chronico pag. 149. ubi Erici Blodestald/ filij nominantur Sivaldus & Karlshofvit. Cæterùm Pyratæ Julinenses, quorum celebratissima fama est, olim dicebantur Jomsvikinger. Julinum etenim Jomsburg dicebatur, & Vikinger/ pyratæ.

35. *Quæ à Cæsaro Otthone gerebatur*] Otho Romanorum Imperator, Henrici filius, expeditionem hanc, cujus hìc meminit Saxo, in Daniam suscepit, Anno Christi DCCCCXLVIII. secundùm Albertum Stadensem; cujus hæc est narratio à Saxonis aliquanto diversa, ideoq; dubiæ fidei: *Otto Rex, postquàm ferè omnia regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo imperio subjugârat, in Danos arma corripuit, quos anteà pater ejus bello compressit. Enimverò tum rebellare moliti, apud Hedaby, legatos Othonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem ulciscendam, Rex cum exercitu statim invasit Daniam; transgressusq́; terminos Danorum, apud Sliasvigh olim positos, ferro & igne vastavit totam regionem, usq́; ad mare novissimum, quod Nordmannos à Danis dirimit, & usq́; ad præsentem diem, à victoria Regis, Ottesund dicitur. Cui egredienti Haraldus apud Sliasvig occurrens, bellum intulit. In quo, utrisque viriliter decertantibus, Saxones victoria potiti sunt: Dani victi ad naves cesse-*A *runt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subjicitur, regnumq́; ab eo suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spopondit, statimq́; ipse cum uxore sua Gunhild & filio baptizatus est, quem filium Rex Otto à sacro fonte susceptum Svenotto vocavit.* Videatur Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. 2. unde hæc Albertus transcripsit, sicut omnia sua solet.

55. *Tenacissimi operis terrenum molita est munimentum*] De primo hujus munimenti fundaB tore, non omnes convenire video. Paulus Æmilius, rerum Gallicarum scriptor, Gottofredo Daniæ Regi, prima hujus valli tribuit fundamenta, sic disserens: *Danorum Rex Gothofredus finibus suis non contentus, dum imperium Germaniæ, bellis Francorum fessâ spe sibi destinat, congredi cum Carolo ausus, terra victus: quòd peninsulam incolens, mari plus valere se putaret, qua Francorum bello patebat, fossa aggereq́; ac vallo præmunit, unâ omninò porta relicta. Intraq́; munitiones ad Oceanum usq́; u-*C *trinq́; promotas, retraxit imperium multarum gentium conventu frequens.* Quod & Aimoinus Lib. 4. de Gestis. Francorum notavit. Idem asserit Christianus Cilicius belli Dithmarsici Lib. I. *Vallum, inquit, illud, adhuc nostro tempore muris & aggestâ terrâ insigne, quod à nostris* Danwerck/ *hoc est, Danorum opus appellatur, & propter Caroli Magni exercitum adventantem à Godofredo Daniæ Rege structum, perductumq́; est à sinu Oceani Britannici* Slye *dicto (haud procul Slesvico & Gothorpia) usq́;* D *ad Hollingstadium, quod Eidora amnis in Germanicum mare se exoneraturus alluit.* Hæc Caroli Magni cum Godofredo (nostratibus Gotrico) simultas, vigebat circa ann. Christi DCCCVIII. quo tempore extructum etiam fuisse hoc vallum, veritati consonum est. Saxo noster ut & plerique alij, Thyræ, cognomento Danebod/ Ethelredi Regis Angliæ filiæ, Gormonis conjugi, caput Majestatis Danicæ vulgo appellatæ, hoc opus tribuit. Saxonem sequitur Crantzius Lib. E 4. Daniæ de Haraldo differens Cap. 21. in hunc modum: *Cupiens autem idem Rex Matri, pro sua virtute, perenne monumentum instruere, quod Daniam vallo communisset, ingens saxum in littore repertum, multarum manuum ope vix eruendum, aggressus est.* Item Sveciæ Lib. V. Cap. 8. *Erat is Haraldus, qui ad tempora primi Ottonis pervenit, cujus mater Thyra Angliæ Regis filia, longissimum illum jecit aggerem, qui hodie quoq́; cernitur à mari ad mare porrectum. Pudebat, tædebatq́; optimam fœmi-*F *nam, Saxones, quoties vellent, in Jutiam irrumpere, ideò claustris voluit cohibere.* Ericus Pomeranus Thyram, ligneam tantùm hanc munitionem fecisse refert: procul dubio aggestam molem ad latera sudibus & palis muniendo, vel etiam in summitate coronando; quo inclinat Hvitfeldius noster. Historia Julinensis refert, ab australi valli latere, fossam fuisse decem orgiarum latam, totidem profundam. Supra vero ex trabibus & lignis propugnaculum firmissima junctura

junctura extructum, ità, ut in eo, ex eadem materia, turres extiterint centum orgijs à se invicem distantes, ex quibus hostes armis excipere, seq; validè defendere potuerint. Quod procul dubio opus fuit reginæ Thyræ, de quo Ericus Pomeranus. Undè forsan Lætus noster colligit Lib. IV. rerum Danicarum, Haraldum, primum omnium firmiorem, terrâ constantem, hunc aggerem reddidisse, dum ita canit:

Hic ille est, solido, primus qui Cimbrica, vallo
Munijt arva, soliq; ingens è corpore dorsum
Eruit, immani quod se curvamine, longos
Incitat in tractus, mediumq; perambulat Isthmum,
Et maris Eoi ripas cum littore jungit
Hesperio, ac tenuem Slesvici respicit urbem.

Quod confirmat Historia Norvagica Snorronis Sturlæ, quæ refert Haraldum, profligato Otthone Imperatore, consilio Haquini Comitis, munimentum hoc validius ac firmius multò, aggeribus & fossis, reddidisse. Cum verò à quibusdam Thyræ, à quibusdam Haraldo hoc opus C tribuatur; credibile, post obitum Gormonis, ab utrisq; hoc præstitum, matre scilicet & filio: hoc operas, illâ consilia suppeditante. Ità namque Johannes Adolphus Cypræus Annalium Eccles. Lib. 1. Cap. 10. *His rebus adducti, & autoritate Reginæ permoti, opus illud admirabile, & æternâ memoriâ dignum, aggredi constituerunt. Et ut in opere tanti momenti, laboris æqualitas servaretur, angustias illas Isthmi inter se partiti sunt, idq; sortibus opere diviso. Quarum una pars Scaniæ, alia Selan-* D *diæ, tertia Fioniæ excitanda, atq; vallanda, sorte obtigit. Scaniæ illa pars cecidit, quæ à porta illa, quæ vulgò Kalegatum appellatur, Hollingstatium usq; protenditur: Sælandis autem & Fionibus portio illa, quæ à porta versus Sliam vergit, obvenit. Cujus rei adhuc vestigia evidentissima supersunt, & antiquitatis studioso ad oculum demonstrari possunt. Et quò cibariorum copia suppeteret, commeatum ad alendam multitudinem eorum, qui foderent & opus facerent, Juti & Slesvicenses sublevarunt & comportarunt. Val-* E *lum autem etiam fossa alta circumdederunt & cinxerunt, quæ adhuc ubiq; conspicitur.* Hæc fusius adducta, quòd modum ac media, quibus hoc opus extructum, contineant; quæ apud alios non inveni. Hisce licet expressè asserant, Thyram Reginam & Haraldum hujus valli molem struxisse, atq; opus ad umbilicum perduxisse, ut Saxonum comprimerent petulantiam, in Cimbriam crebras irruptiones molientium: nihil tamen impedit, quo minus statuamus, à Gotrico pri- F mam ejus ductam lineam, & forsan rude opus inchoatum, quod postea Thyra cum filio auxit, vel collapsum restituit; alij verò ad summam perfectionem deduxerunt. In quâ sententia video etiam esse celeberrimum nostrum Historiographum Joan. Isaac. Pontanum Hist. Dan. Lib. 5. in Haraldo. Waldemarum namq; primum, Daniæ Regem, cognomento Magnum, etiam symbolam suam huic operi contulisse, &

A muri auctuarium addidisse, paulò infrà refert autor noster. Cujus verba ità expressit Lætus:

Hic vallo murum imposuit, quâ Cimbrica mole
Chersonesus ab externo sese hoste solebat
Tutari, ac subitos objectu arcere tumultus.

Murus ille, multis in locis, septem pedes latus observatur, & octodecim altus, quamvis magnâ ex parte, jam lateres eruti, & ipse dirutus sit, ità ut rudera saltim supersint. Lateres, ex quibus compactus, in pagis *Schubuja & Hasbuja* coctos fuisse, B ex fornacum reliquiis colligunt quidam; calcem verò ex Gotlandia navibus advectam statuunt. Cypræus suprà citatus asserit, Reginam Daniæ Margaretam, quam Nigram vocant scriptores, vallum tertiò reficiendum & instaurandum, murisq; ac fossis pedum viginti muniendum curasse, idq; circiter annum à nato Christo M. C. LXXXIII Canuto Woldemari filio regnante, hoc est, annis CCCLXXX postquàm Thyra Regina vallum instauraverat, temporibus nimirum Friderici primi Imperatoris Romani. Sed quænam fuerit Margareta Nigra, apud nostros non invenio Historicos. Frater hujus Cypræi, Philippus nomine, in Genealogia Regum Daniæ, Anno MDCXXII Hafniæ edita, refert, Woldemarum I. instinctu prioris conjugis Margaretæ Nigræ, vallo Danico murum cocti lateris superjecisse. Obijt autem hic Woldemarus Anno M. C. LXXXIV. Quomodo igitur Margareta hæc, anno uno ante ejus obitum, quod nunc ab ipso reparatum erat, iterùm restaurare potuit? Tertia igitur hæc reparatio, eadem est cum secunda Waldemari, quæ non instinctu Margaretæ Reginæ, aut ab ea facta est; sed docente Hvitfeldio nostro, rogatu Episcopi Absolonis, Anno MCLXVIII absoluta est, ut Saxones & Sclavos regno arcerent. Inchoata verò videtur Anno MCLXIII. si fides habenda Chronico Erici Regis, quod ad annum dictum hæc recitat: *Tunc Rex malitias Teutonicorum prævenire volens, munitionem Danevirke muro circumcinxit: ante enim lignis tantum munitus erat locus ille.* Tam grande, immensum, & admirabile humanæ industriæ & roboris monumentum, jam adeò concidisse, ut vix quibusdam in locis ejus adhuc conspiciantur rudera, vehementer dolendum. Dum enim in suo stetit vigore, vix erat, quod robore cum eo certare poterat, adeò ut insuperabile Cimbriæ propugnaculum suo ævo ab omnibus habitum sit. In ejus præsidio, quandoq; sexaginta millia hominum collocata fuisse legimus. Cum enim Henricus Leo, circa annum MCLXXVII, irruptionem in Daniam moliretur, id dissuasit Bernhardus Razaburgensis, quod sciret *Danevirkæ custodiam Danorum sexaginta millibus mandatam esse*, referente Pontano Lib. 6. Rer. Danic. in Hist. Woldemari I. Hinc Sveno, cum se vi illud perrumpere haud posse videret, dolo & largitionibus sibi viam struere conatus est. Quod quibus medijs perfece-

perfecerit, docet Crantzius Daniæ Lib. 5. Cap. 38. *Quumq; perventum esset*, inquit, *ad grande vallum, quod Danorum opus dixêre, præmisit, qui claustrorum custodē ingenti pecunia corrumperet, ut reseratis portis, sine oppugnatione transitum permitteret. Ille pactus pecuniam, justo se regi ministerium præbuisse ratus, pecuniam accepit. Sed tum Pontifex dignum esse ait, quod cum ipsa proditionis mercede, autor uni exportis laqueo affigeretur.* Portis igitur & repagulis firmissimis obseratum olim fuisse, & hinc liquet. *Erant*, inquit Pontanus Rerum Danic. Lib. V. *in hoc aggere extructæ turres, vel speculæ potius, per intervalla ità dispositæ, ut ex ijs eminus adventantem hostem facilè esset animadvertere, atq; aditu prohibere.* Nihil igitur hic, quod ad justi munimenti (juxta ejus sæculi normam) structuram desiderare quis potuit, abfuisse colligimus. De eò & hæc addit Jonas Coldingensis in sua Daniæ descriptione: *Visuntur etiamnum propè Slesvicum, ubi Cimbricæ Chersonesi Isthmus cernitur, fossarum & aggerum memorabilia vestigia concissa, quæ* Danewirck *(hoc est opus Danorum) nuncuparunt. Qui agger porsunditate, qua Holsatiam spectat, inadibilis, sexaginta pedes latus, totidemq; altus, hostibus arcendis, instar obicis objectus, spacio Germanici milliaris à maris Orientalis littore, ad occidentalis Oceani ripas exactè perductus. Quem bono consilio majores confecere, eiq; Liminarcham cum custodibus limitaneis, è perpetuis regni sumptibus, præfecêre, circà annum Christi DCCCCXL, ut eo vallo, tanquàm munimento solido, clausi, ab incursionibus atq; latrocinijs vicinorum Saxonum tutiores essent.* Quæ omnia cum superioribus exactè consonant. Quanta enim Romani Imperij coacta vi, quantisq; machinamentis usus sit Ottho II. Romanorum Imperator, antequam molem hanc perrumpere, & in Cimbriam penetrare valeret, abundè docet Dithmarus Merspurgensis Chronici. Lib. 3. ubi narrat eum coactum fuisse in subsidium alios Germaniæ Principes vocare, ac inter eos avum ipsius Dithmari. Verba addam, ut res fiat manifestior. *Danos*, inquit, *sibi rebelles petens, ad Slesvig properavit, ibi etiam hostes suos foveam, quæ ad defensionem patriæ parata est, & portam, quæ VViglesdor vocatur, armis præoccupare videns, consilijs Bernhardi ducis & avi meimet, Henrici Comitis, omnes has munitiones viriliter exsuperat.* Claudebatur tum temporis, ut apparet, hæc moles, portâ unicâ, Dithmaro *VViglesdor* (forsan à Wigleto) quæ firmis adeo repagulis, vigilibusq; strenuis assiduè muniebatur, ut ab omni exterorum insultu, totiusq; Romani Imperij impetu, eâ tuti sibi viderentur Daniæ incolæ. Huc spectat & illud, quod supra de Svenone ex Crantzio retulimus, qui cum vi nequiret, dolo usus est, ejus septa ut penetraret. Joannes Adolphus Cypræus, portam hanc *Kalegatum* vocatam fuisse ait, appellatione inde petita, quod in loco undiq; patenti & aperto, nullisq; arboribus aut silvis impedito, sita sit, quasi dicas Kael/ schlecht/ vnd offen. Quin addit, arcem etiam & castellum adhuc hodie monstrari, ubi Thyra domicilium habuerit, non procul à pago Dennewirche / quod vallo contiguum est & cohæret, idq; ea, quæ supersunt rudera, vallorum vestigia, & fossas ostendere. Operis haud dissimilis fuisse videtur murus ille celeberrimus, Romanæ provinciæ limes, in Brittannia, quam *Vallum Barbaricum*, *Prætenturam*, & *Clusuram*, quidam antiquorum vocarunt. Antoninus & Cassiodorus *Vallum*, Beda *Murum*, Brittanni *Gvalsever* & *Mursever*, Scoti *Sotisvvaith*, Angli *The Pictsvvall*, murum Picticum, & *The keepevvall*, custodiæ murum, Angliam à Scotia dividentem. In eo enim plures laborarunt, inter quos primus Jul. Agricola statuitur, post quem Hadrianus Imperator. Hunc enim murum per LXXX mill. passuum duxisse refert Spartianus, qui Barbaros Romanosq; divideret. Post hunc, sub Antonino Pio, Lollius Urbicus. At longè firmius Severus, qui teste Orosio, *Magnam fossam, firmissimumq; vallum, crebris turribus communitum, per CXXII mill. passuum a mari ad mare duxit.* Alij deinde operas suas contulerunt, donec de novo sexta exsurgeret prætentura; de qua, ut & tota hac re, fuse disserentem lege Camdenum in Angliæ descriptione. Chinense regnum Septentrionem versus, montibus & muro longissimo cinctum ferunt Cosmographi, ut à Tartarorum irruptionibus tutum sit, opus ipsum extruente rege quodam Tzinzoo, literis ac linguis multorum, ad cœlum usq; hanc ob causam, sublato. Quanto æquius nostros æstimamus tantum munimentum aggredi ausos, quod à Brittanico Oceano in mare Balthicum, per totam Cimbriæ latitudinem, se extendebat, tantæ molis & roboris, ut maximas Imperatorum ac Regum copias excludere, omniumq; hostium viribus resistere valeret. Sed cum apud exteros, suos etiam habeat ebuccinatores hoc opus, ne actum agam, hic receptui canam.

Pag. 191. vers. 10. *Filius ejus Haquinus*] Fallitur hic vehementer Saxo. Nullum etenim hoc nomine filium Haraldus Graafelder habuit. Sed Haquinus hic cognomento Ladejarl/ filius erat cujusdam Sigurdi Jarl, magni nominis viri, quem Gunnildæ filij, domo, in qua convivium celebrabat, incensâ, trucidarunt. Iste vero Haquinus post obitum Haraldi, regni Norvagici dominio potiebatur, sed regij nominis expers. Vide Chronicon Norvagicum p. 127. & 128. ubi inter alia hæc leguntur: Haraldus compertâ Haquini defectione, & quod verâ religione proscriptâ adulterinam pristino loco restituisset, ac insuper terris suis ac ditionibus multa intulisset damna, numeroso exercitu collecto, in Norvegiam cum mille ducentarum navium classe, irrumpit. Inprimis provinciam istam, cui summo cum imperio Haquinus præfuit, ferro

ferro & igne devastavit, donec ad insulas perveniret Sollunder dictas. Haraldo in Daniam reverso, Haquinus loca incendijs deformata pristino nitori restituere cœpit; verum ad tributa Danis solvenda nunquam adduci potuit, quamdiu rerum summam in Norvagia obtineret.

20. *Julinæ piraticæ manu*] Hujus expeditionis causam Chronicon Norvagicum assignat audacibus Julinensium Pyratarum votis, quibus se in epulo ferali à Svenone Tiuffveskeg, Rege Daniæ, instituto obligarunt. Cum etenim, ex veteri more Sveno Tiufveskeg, aliàs Svenotto dictus, ab obitu parentis Haraldi, regnum occupaturus, in ejusdem defuncti honorem convivium celebraret; non solum regni proceribus, sed & Julinensibus pyratis ad idem convivium invitatis, priusquam sedem patris capesseret, memoriam patris plenis haustibus propinando, votum addit, se intrà triennium Angliam occupaturum, & Regem Ædelradum, aut interfecturum, aut regno expulsurum. Cujus exemplo, Julinenses singuli, post haustum cratera vovebant, se intra exiguum temporis, Haquinum Jarl, Regem Norvegiæ, aut sua ma-


A nu obtruncaturos, aut unà cum Erico filio regno spoliaturos; aliaq;, quæ sine vitæ discrimine præstare demum non potuerunt: de quibus ipsam Historiam consulere operæ pretium erit.

24. *Duos siquidem præstantissimæ indolis filios*] Chron. Norvagicum unius tantum filij ab Haquino, potiundæ victoriæ causa, nefariâ litatione mactati, mentionem facit, cui nomen fuisse tradit Erlini, annos nati septem.

B 51. *Ut erat vinculatus, arripuit*] *Vinculatus*, est vinculis constrictus & oneratus. Petrus Chrysologus Serm. CXIX. *Suos jacere ibi demonstrat immobiliter vinculatos.*

Pag. 184. vers. 30. *Ubi nunc quoq; sacrarium perspicere est*] Nempe in potissimâ Daniæ provincia, quam Cimbriam, seu Jutiam dicimus, non longe ab urbe Vedilâ, in pago Jellingâ:

C unde hodieq; cippi isti sepulchrales nostratibus Jellinge-Høye/ hoc est, cippi sive colliculi Jellingenses nuncupantur. Totius vero monumenti typum, unà cum Inscriptionibus, heîc curiosi Lectoris oculis subjicere placuit.



A. Templum, seu Sacrarium, duobus conjugum socialibus bustis interpositum, plumbo tectum.

B. Lapis Sepulchralis, qui in altitudine habet ulnas quinque & dimidiam, in circuitu novem. In uno latere formam hominis exhibet, in altero latere literas in tabula expressas.

C. Mons ad septentrionem, qui habet altitudinem 46. ulnarum, latitudinem 360. uln.

D amplitudinem in superiori parte 112. uln.


D. Fons funditus ex saxis exstructus, in quo indies aqua hauritur à circumjacentibus populis, in circuitu habet 47 ulnas.

E. Mons ex altera parte, versus Meridiem, est altus 37. ulnas, in circumferentia 431. ulnas, in superficie est amplius 157 uln.


F. Litera ubi notata est, insignis magnitudinis lapis, paulo minor quàm ille, qui apud templum

plum

plum inter duos montes collocatus est. A Duo itaq; circà hoc monumentum conspiciuntur inscriptionibus decora saxa. Alterum grandius, coloris grisei, magnitudine ea, quam sub litera B expressimus, in obtusum desinens apicem, ad radices montis meridionalis, in ipso cæmiterio situm. Primum ejus latus, intricatis quibusdam ductibus in summitate exaratur, ad basin vero, quatuor characterum tenet ordines, in extremitatibus illaqueatis quasi, hoc pacto:



Secundum hujus Iconis ostentat figuram ex variis incisurarum ductibus & perplexitatibus, miro artificio conflatum; unico literarum ordine ad basin insignitum. Tertium viri effigiem exhibet, ex cujus ventre, vitis floribus quasi B onusta oritur, hinc inde ad omnes hujus lateris se diffundens partes, tantum relinquens ad basin spatij, quantum unico ordini literarum capiendo sufficit, ut ex hac delineatione dispalescit:



Inferi-

Inscriptionis verò series talis est. Primi lateris A hæc sunt:

ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ : ᚴᚢᚾᚢᚴᛦ : ᛒᛅᚦ : ᚴᛅᚢᚱᚢᛅ:
ᚴᚢᛒᛚ : ᚦᛅᚢᛋᛁ : ᛁᚠᛏ : ᚠᚢᚱᛘ : ᚠᛅᚦᚢᚱ ᛋᛁᚾ:
ᛅᚢᚴ : ᛁᚠᛏ : ᚦᚢᚱᚢᛁ : ᛘᚢᚦᚢᚱ : ᛋᛁᚾᛅᛋᛅ:
ᚼᛅᚱᛅᛚᛏᚱ : ᚴᛁᛋᛋᛅᚱ : ᚢᛅᚾ : ᛏᛅᚾᛘᛅᚢᚱᚴ: B

Haraldr Kunugr bad gaurva
kubl dausi eft Gurm fadur sin/
aug eft Thiuriu mudur sinasa/
Haraltr Kessor van Tanmaurk.

HARALDUS REX JUSSIT EXTRUI HUNC TUMULUM IN MEMORIAM GORMONIS PATRIS SVI ET THYRÆ MATRIS SVÆ HARALDUS IMPERATOR VICIT DANIAM.

In Secundo hæc extant:

ᛅᛚᛅ : ᛅᚢᚴ : ᚾᚢᚱᚢᛁᚴ.

Ala aug Nurvieg.

TOTAM ET NORVEGIAM.


In Tertio:

ᛅᚢᚴ : ᛏᛁᚾᛁ : ᚠᛅᛚᚴ : ᚴᚱᛁᛋᛏᚾᛅ.

Ang tini Folk Kristno.

ET EARUM INCOLAS AD FIDEM CHRISTIANAM CONVERTIT.

Alterum etiam Monumentum eodem in loco visitur, quod templi valvis jam adjacet, ità ut fessis sessum ac quietem præbere valeat, & scamni vices sustineat. Priori lapide politus magis hic est, sed minor & figuræ diversæ, oblongus nempe, & ferme quadratus. Colore est cœruleo trium ulnarum longitudine, latitudine unius cum semisse. Iconem cape:



ᚴᚢᚱᛘᛅ : ᚴᚢᚾᚢᚴᛅ : ᚴᛁᚱᚦᛁ : ᚴᚢᛒᛚ : ᚦᚢᛋᛁ : ᛁᚠᛏ : ᚦᚢᚱᚢᛁ : ᚴᚢᚾᚢ : ᛋᛁᚾᛅ : ᛏᛅᚾᛘᛅᚱᚴᛅᚱ : ᛒᚢᛏ. C

Gurmur Kunugr gerdi kubl dusi/ eft Turui kunu sina Tanmarkar but.

GORMO REX POSUIT TUMULUM HUNC TYRÆ UXORI SUÆ QUÆ DANIAM EXORNAVIT.

Pag. 184. vers. 29. *Dulcissimum vitæ ejus pignus baculi loco statui imperans*] Consimilem per D omnia Historiam de Wilhelmo quodam Tellio tradit Jos. Simlerus Lib. 1. de Republ. Helvetiorum p. 14. quam integram, & quidem ipsius verbis, heic asscribere operæ duxi pretium.. Ità verò habet, ut sequitur: *Interea accidit apud Urios, ut VVilhelmus Tellius, confœderatorum unus, aliquoties pileum illum stipiti impositum præteriret, nullo reverentiæ & honoris signo exhibito. Ob hanc causam à Præfecto accusatus, suam rusticitatem excusabat, qui non existimasset ullius hoc momenti esse. Sed Præfectus, qui hominem suspectum haberet, è liberis ejus filiolum unicè charum patri deligit, & in vertice hujus pomum sagittâ petere illum jubet, (erat enim Tellius optimus sagittarius) nî illud dejiciat, capite pœnas daturum. Tellius verò hanc rem inauditi exempli dicere, seq; potius mori paratum, quàm ut sagittâ forte aberrante charissimum filium feriat. Cui præfectus, nî feceris, tibi unà cum filio pereundum erit. Quare cum nullus excusationi aut precibus ullis locus daretur, arcu sumpto Tellius, Deo haud dubiè jactum gubernante, pomum è vertice filij dejicit. Omnibus autem felici jactui gratulantibus, unus Præfectus satiari hac pœna non potuit. Verùm cum sagittam alteram thoraci Tellij insertam cerneret, quærit in quem usum hanc quoq; è pharetrâ deprompserit? Cui ille, id moris esse, in consvetudine sagittariorum positum, ut geminas sagittas*

sagittas depromant. Sed res Præfecto suspecta erat. Itaq; hominem acrius urget, & tandem vitæ impunitate illi propositâ, verum elicit: eum scilicet hoc consilio sumpsisse alteram sagittam, ut si priori filium ferijsset, secundâ Præfectum peteret. Hactenus Simlerus. Cæterùm quod de pileo stipiti imposito suprà dixit, ità se res habet: Grislerus quidam Præfectus Regis Hispaniarum, insignis tyrannus, ut Helvetiorum consilia exploraret, Altorffi in foro, quò maxima hominum totius regionis frequentia convenire solebat, pileum B prælongæ perticæ imposuit, jussitq; omnes nudato capite, flexisq; genibus, honorem eum pileo exhiberent, quo se præsentem afficere consvevissent. Existimabat autem eos, qui præ cæteris sibi infensi essent, nequaquàm adduci posse, ut tantum honorem pileo exhiberent; hac autem occasione posse se honesto titulo, in eos animadvertere, & tormentis ad explorandа consilia aliquos subjicere: quemadmodùm prolixius legere est apud eundem Simlerum Lib. I. pag. 12. C Sic etiam insignis cujusdam sagittarij, qui tamen artem suam à Satana magistro edoctus fuerat, nomine Punker, meminit libellus, quem *Malleum Maleficarum* dixerunt: *Huic quidam de Optimatibus, dum artis ipsius experientiam certam capere voluissent, proprium filium parvulum ad metam posuit, & pro signo, super byrretum pueri, denarium: ipsiq; mandavit, ut denarium sine byrreto per sagittam amoveret. Cùm autem maleficus id se facturum, sed cum difficultate, D assereret, & libentius se abstinere velle, ne per diabolum induceretur in sui interitum: verbis tamen Principis inductus, sagittam unam collari suo circa collum immisit, & alteram balistæ imponens, denarium byrreto pueri sine omni nocumento excussit. Quo viso, dum ille maleficum interrogasset, cur sagittam collari imposuisset, respondit: Si deceptus per diabolum, puerum occidissem, cum me mori necesse fuisset, subitò alterâ te sagittâ transfixissem, ut vel sic mortem meam vindicassem.* Nota est Historia E Alconis Cretensis, qui sagittandi peritiâ celebris, cum Phalerum filium infantem adhuc draco spiris implicasset, jamjam devorandum, eâ peritiâ sagittam intendit, ut Draconem quidem sagittâ confixerit, puer verò incolumis superfuerit. Videatur Manilius Lib. V. Sidonius Apollinaris, & Clariss. Viri, Lamperti Alardi Notæ doctissimæ in Lib. I. Val. Flacci. pag. 71.

Pag. 185. vers. 10. *Sed ijs necessitatum procellis erutum, paulò post par mali tempestas implicuit*] F Frequentius *Procellæ* vocem, sicut & *tempestatis*, translatè usurpat Saxo, pro valido incursantium malorum impetu, aut pro eo, quod tranquillum rerum nostrarum statum perturbat, aut funditus evertit. Ità Libro proximè sequenti, *tristem procellam alicui infligere*, & *procellam seditionis*, dixit: Et Lib. XIII. *Procellam patriæ, turbinem & tempestatem pacis; procellam temporis; procellam invidiarum*; apud Senecam; *Impotentem fortunæ procellam*: apud Livium, *Equestrem procellam*. apud Silium Italicum, *Irarum procellam*, legere est. Eadem metaphorâ Ammianus Marcellinus, sub initium Lib. XIV. qui jam, cæteris deperditis, princeps est, hunc in modum utitur: *Fortunæ sævientis procellæ tempestates alias rebus infudêre communibus.*

11. *Quæ Finni nivales saltus peragrant*] Intelligit artem illam, qua Finni lubricas plantis tabulas adaptando, ut ipse Saxo loquitur, per rupes & invios saltus celeri rapiuntur cursu, quod vulgo dicitur, *at løbe paa Skier*. Vide quæ suprà de soleis ligneis Finnorum & Norrigiorum, nobis affatim dicta & notata.

13. *Apud* Kollam rupem] Rupes hæc in Scania visitur, & nostratibus Kullen i Skaane appellatur; navigantibus à promontorio Scavenico ad Oresundam conspicua. Videantur Tabulæ Chorographicæ Scaniæ.

Pag. 186. vers. 19. *A Tokone*] Haraldum Daniæ Regem, à Palnatokone quodam interfectum, disertis verbis commemorat Snoro Sturlæsonius in Chronico Norvagico p. 129. Sveno, inquit, Haraldi filius, posteà Tiuffveskeg dictus, Educatorem habuit Palnatokonem, Fioniæ Dynastam. Is cum ad adultam pervenisset ætatem, à parente Haraldo petiit, ut factâ regni Danici divisione, sibi dimidia pars regenda committeretur. Quod cum abnueret Pater, Sveno expeditionem adversus pyratas simulans, ingenti classe paratâ, in sinum quendam Sælandiæ, à glacie Isefiordiam dictam, unà cum Educatore suo Palnatokone, appulit. Mox certamen navale magnis utrinq; viribus committitur; in quo tamen, fugato Svenone, Haraldus tam lethalia vulnera à Palnatokone excepisse dicitur, ut paulo post ex eisdem decesserit.

21. *Corpus ejus Roskildiam missum*] Eadem ferè de excessu Haraldi, & sepulturæ loco, tradit Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. VIII. *Novissimis*, inquit, *Archiepiscopi* [Adaldagi] *temporibus res nostræ inter Barbaros fractæ. Christianitas in Dania turbata est, pulchrumq; divinæ religionis initijs invidens inimicus homo, superseminare Zizania conatus est. Nam tunc Svenotto, filius magni Haraldi, Regis Danorum, multas in Patrem molitus insidias, quomodo eum jam longævum, & minus validum, regno privaret, consilium habuit cum his, quos pater ejus ad Christianitatem invitos coëgit. Subitò igitur factâ conspiratione, Dani Christianitatem abdicantes, Sven Regem constituunt, & Haraldo bellum indicunt. At ille, ab initio regni sui, totam spem in Deo posuerat, tum verò & maxime Christo commendans eventum rei, cum bellum execraretur, armis se tueri decrevit. Et quasi alter David procedens ad bellum, filium lugebat Absolon, magis dolens illius scelus, quam sua pericula. In quo miserabili & plusquam civili bello, victa est pars Haraldi. Ipse autem vulneratus ex*

acie fugiens, ascensâ navi elapsus est ad civitatem Slavorum, quæ Jumnô [Julinum intelligit] *dicitur, a quibus contra spem, quia Pagani erant, receptus, post dies aliquot ex eodem vulnere deficiens, in confessione Christi migravit. Corpus ejus in patriam reportatum ab exercitu, apud Roschild civitatem sepultum est, in Ecclesia, quam ipse primus construxit, in honorem Sanctæ Trinitatis. Regnavit autem Annos L. Obitus ejus contigit in festivitate omnium Sanctorum.*

28. *Prosperam sibi in divina sæviendi occasionem*] Planè Sveno alterum se Julianum præstitit, quem itidem metu repressum simulatè Christianum egisse, ac posteà mortuo Constantio Imperatore, palam à vera religione descivisse, tradit Ammianus Lib. 22. *Et quanquàm à rudimentis pueritiæ primis inclinatior erat* (Julianus) *ergà numinum cultum, paulatimq; adulescens desiderio rei flagrabat, multa metuens, tamen agitabat quædam ad id pertinentia, quantum fieri poterat occultissimè. Ubi verò abolitis, quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciundi, quæ vellet, advertit, sui pectoris patefecit arcana: & planis absolutisq; decretis aperiri templa, arisq; hostias admoveri, & reparari deorum statuit cultum.* Nonne hæc verba ingenium Svenonis quoq; nostri ad vivum exprimunt?

31. *Amarissimum ejus reprehensorem occidisse*] Ita legendum duxi, ut de obitu Haraldi intelligatur, qui divini cultus amantissimus, contrà superstitionis reprehensor erat amarissimus.

43. *Sed cui propria damno*] Sensus est: Sveno suo sibi jumento, quod ajunt, malum sæpius arcessens, per se quidem captus, per Danos vero liberatus est.

54. *Quod Julini oppidi piratæ patriæ studijs*]. Sic in veteri codice emendatum repperi, quum anteà hic locus planè obscurus esset. Enimverò hæc mens Saxonis: Sclavos anteà piraticæ tam rudes, tandem eam à Danis, quos Haraldus olim apud Julinum præsidij causa collocaverat, edoctos, artem hanc in ipsos Danos refudisse, & eo maximè Danis nocuisse, quod ab ipsorum ingenijs traxerant, crudelitatem nempe in Danos exercendo, cujus exemplum ipsis Dani reliquerant.

Pag. 187. vers. 10. *Nocturnas à Danis circumiri vigilias*] Formula militaris est *circumire vigilias*: quod hodieq; Germani vocant Runde gehen. Vegetius Lib. 3. de re militari Cap. VIII. *Idoneos tribuni & probatissimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuncient, si qua emerserit culpa, quos* Circuitores *appellabant. Nunc militiæ factus est gradus, &* Circitores *vocantur.* Tacitus *obire vigilias* dixit, Lib. II. Historiarum: *Deflagrante paulatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur.*

13. *Quod secretius eum nosse admodùm oporteret*] Quod tertiam Svenonis captionem attinet, variantibus nonnihil circumstantijs eandem recenset Chronicon Norvagicum Snoronis Sturlæsonij: *Sveno*, inquit, *Haraldi filius, quum patre defuncto, totius regni Danici imperium obtinuisset*, omnes provincias suæ ditioni subjectas, juris dicundi causa, circumire cœpit. Intereà Sivardus Jarl, trium navium classe Julino solvens, [quælibet vero navis quinquaginta milites vehebat] in Daniam appulit, & quidem eum in locum, ubi Sveno splendidum convivium, cum sexcentis viris celebraret. Itaq; rem dolo aggredi constituens, navi, quæ oræ proxima erat, pontem adjunxit versatilem, cæteris navibus ad anchoras stare jussis. Hinc ægritudinem simulans Svenoni nunciat, esse nonnulla, ad statum & incolumitatem tàm regni, quàm ipsius Regis, pertinentia, quæ eum nosse admodum oporteret. Sed classiarijs suis anteà in mandatis dederat, ut posteaquam Regem cum triginta comitibus advenientem, in navim recepissent, pontem ad se retraherent, cæteris ex regio comitatu exclusis. Quo factò levatis anchoris Julinum Regem captivum abduxerunt. Hic Sveno cum Burislavo Slavorum Rege fœdus & amicitiam inire, atq; insuper filiam ipsius Gunhildam in uxorem ducere coactus est. Sororem vero Svenonis Thyram, Haraldi filiam, vicissim Burislavus matrimonio sibi junxit. Atq; his conditionibus pax inter eos firmata. His peractis, Sveno cum nova nupta in Daniam navigavit.

30. *Tanta ei matronarum humanitas affuit*] Sæpenumero matronas laboranti subvenisse Reipublicæ, literis memoriæq; proditum est. Sic quum, Vejis captis, vovissent Romani, se ex præda donum missuros Apollini Pythio, & auri tanta vis in ærario non suppeteret, unde religione se exsolverent; matronæ aurum & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Rem factam in hunc modum commemorat autor lacteo eloquentiæ fonte manans, Livius Lib. V. Decad. I. *Ita in æstimationem urbs agerq; venit: pecunia ex ea coëmerent, negotium datum. Cujus quum copia non esset, matronæ cœtibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ tribunis militum, aurum & omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè, senatui unquam fuit: honoremq; ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosq;, carpentis festo profestoque uterentur.* Consimile exemplum aliud, idem quoq; nobis suppeditat autor, eodem Historiæ suæ libro jam memorato; quod ipsius verbis recitare operæ duxi pretium: *Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quòd in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis fieret, a matronis collatum acceperant, ut sacro auro abstineretur. Matronis gratiæ actæ, honosq; additus, ut earum, sicut virorum, post mortem solennis laudatio esset.*

51. *Quæ quantum ejus corpori detraxit*] Videtur

tur hoc dicere Saxo: Intereà dum à Slavis captus marcore corporis afficeretur, pecunia patriæ incolumis servata est, quæ pro ejus liberatione posteà dissipata.

Pag. 188. vers. 17. *Latam Sturbiorno adversus Sveones opem*] Cujus rei paulò superius meminit Saxo ijs verbis: *Inter hæc Sturbjornus, ultionis aculeo lacessente, acceptam injuriam pensare cupiens, Haraldo in opem accito, memorem Danorum iram adversus invisam Erici dominationem distrinxit. Cujus rei gratia Haraldus Hallandia profectus. &c:*

20. *Arctiore materni sanguinis nexu*] Gyritha etenim, Bjorni Sveciæ Regis filia, Erici & Sturbjorni soror, mater erat Svenonis. Saxo suprà: *Haraldum verò duos ex Gyritha filios sustulisse, memoriæ proditum est. Quorum major Haquinus &c.* Alter verò hic fuit Sveno.

25. *Quæ quâ matre orta fuerit ignoro*] At Chronicon Norvagicum p. 131. & 169. indicare videtur, hanc fuisse Gunhildam, Burislavi Sclavorum Principis filiam, quam ducere Sveno coactus est, priusquàm liberam è captivitate sua Julinensi dimissionem impetrare potuerit.

35. *Quorum Rex Edvardus*] Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. 25. *Adelredum* nominat, cui favere videtur Chronologia: *Post vindictam ergò scelerum*, inquit, *quæ in Ecclesias Dei & Christianos commiserat Sven rex victus, & à suis desertus, quippe quem Deus deseruit, errabundus, & inops auxilij: venit ad Nordmannos, ubi tunc filius Haconis Trucco regnavit. Is quoniam paganus erat, nullâ suprà exulem misericordiâ motus est. Ità ille infelix, & toto orbe rejectus in Angliam transfretavit, frustrà solatium quærens ab inimicis. Quo tempore Britannis Adelrad, filius Edgaris, imperavit. Is non immemor injuriarum, quas Dani ex antiquo Anglis infixerant, exulem repulit. Quem tandem miseratus infortunij, Rex Scotorum benignè suscepit. Ibiq; Sven bis septem annos exulavit usq; ad mortem Erici.* Diversa enim hæc est Adami narratio à Saxone nostro, rectè sic monente Cl. Viro M. Andrea Vellejo. Saxo enim exilij tempus ponit annorum tantum septem, & ad Regem Norvagiæ Olaum, filium Trucconis divertisse ait, non ad Trucconem ipsum. Nam regiam is dignitatem nunquam usurpavit. Hector verò Boetius, rerum Scoticarum Scriptor Lib. XI. adstipulatur Saxoni, quem etiam hoc in loco illum & legisse & secutum esse apparet. Ait enim crebris detrimentorum incursibus lacessitum Svenonem, exulem extorremq; ab Olao, Norvagiæ regimen gerente, spretum, auxilium, quod frustrà à Divo Edvardo Anglo petiverat, à Scotis ad veram pietatem, sacris eorum sacerdotum monitis, conversum impetrasse, eoq; fretum in regnum restitutum.

51. *Lavacri usum*] Intelligit sacrum illud lavacrum, quo primigeniæ scelerum sordes eluuntur. Tertullianus alicubi, *sacri lavacri gurgitem* appellat.

Pag. 189. vers. 15. *Privatim itaq; majores aggressus*] *Majores* heic denuò vocat Saxo proceres & Senatores regni: quâ notione frequens vocis hujus illi est usus: Gallis *Majores domus* olim dicebantur.

30. *Candentem ferri laminam*] De Popponis hocce miraculo Adamus Bremensis Lib. 2. Cap 26. hæc commemorat. *Ericus duo regna obtinuit Danorum Sveorumq;, & ipse paganus Christianis valdè inimicus. Ad eum fertur legatus fuisse Cæsaris, ac Hamburgensis Episcopi, quidam Poppo, Vir sanctus & sapiens, & tunc ad Slesvicum ordinatus, de regno Danorum, seu pace Christianorum, Cæsaris partes expostulans. Ajuntq; eum pro assertione Christianitatis, cum Barbari suo more signum quærerent, nil moratum, statim ferrum ignitum tractasse manu, & illæsum apparuisse.* Sed & aliud eodem tempore Popponem edidisse miraculum idem Adamus affirmat, mox ea subjungens: *Dumq; hoc facilè omnem gentilibus ambiguitatem erroris tollere videretur, iterum Sanctus Dei pro submovendo illius gentis paganismo, aliud dicitur ostendisse vel magnum miraculum: tunicam scilicet indutus ceratam, cum staret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit eam incendi. Ipse verò oculis & manibus in cœlum tensis, liquentes flammas tam patienter sustinuit, ut prorsus ambustâ veste, inq; favillam redactâ, hilari & jucundo vultu fumum incendij testatus sit. Cujus novitate miraculi & tunc multa millia crediderunt per eum, & usq; hodie per populos & Ecclesias Danorum celebre nomen Popponis effertur. Hæc aliqui gesta apud Ripam confirmant, alij apud Hedeby, quæ Slesvich dicitur.* Johannes Adolphus Cypræus Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 13. scribit Popponem hæc miracula patrasse in Comitijs Viburgensibus, quo Haraldus Rex Proceres & totius regni Ordines convocaverat. Porrò videantur de hisce miraculis Popponis, Sigebertus Gemblacensis ad Annum Christi 966. Albertus Stadensis in Chronico. Matthæus Westmonasteriensis in Florileg. Histor. Anonymus in magno Chronico Belgico. Anonymus de S. Meinvverco, Ælnothus in vita S. Canuti, Cap. 1. Albert. Crantz. Dan. Lib. 4. Cap. 24.

42. *A maximo Pontifice Bremensi Adaldago*] Adaldagus Archiepiscopus Bremensis designatus A. C. 936. sedit annos 53. obijt anno Christi 988, 4. Cal. Maji. Ejus fit mentio à Cap. I. usq; ad 10. Lib. 2. Adami Bremensis.

43. *Honorem gerendi Pontificij*] *Pontificium* propriè sacra est illa potestas, quam *Pontificatum* alioquin dicunt. B. Ennodius Apologetico. *Nutricem pontificij Cathedram quasi ultimum sedile despectum.* Joan. Sarisberiensis Policratici Lib. 1. Cap. 4. *Nonne reputabis indignum, si ad regnum, vel Pontificium, venator aspiret?* Wipertus, qui vitam Leonis IX. P. R. duobus libris luculenter conscripsit, Cap. VI. *Pontificio temporalibus*

copiis supra modum locupletato. Deinde etiam, in A genere, potestatem & auctoritatem significat. Gellius Lib. I. Cap. XIII. *Re semel statutâ deliberatâq; ab eo, cujus negotium id pontificiumq; esset.* Solinus Cap. XVI. *Pontificium mox intrà fines suos receperunt.* Petrus Chrysologus Serm. 5. *Duos filios habuit, conditoris pontificio, non necessitate generans.* Vide Jacobum Gutherium de Veteri Jure Pontificio Lib. I. Cap. IV. & Lexicon Juridicum Johannis Calvini in voce *Pontificium.*

48. *Norvagia Bernardi ex Anglia profecti*] B Bernardi hujus non meminit Chronicon Norvagicum : sed à Tangbrando quodam Christiana sacra Olaum Tryggonis edoctum fuisse tradit, pag. 125. Sigurdi quoq; Episcopi beneficio multos in Norvegia ad fidem Christianam conversos edocet pag. 161. Adamus Bremensis Gotebaldum, quendam ab Anglia venientem, sæpè etiam in Norvagia, pariter ac Svecia, evangelizasse commemorat, Lib. 2. Cap. 29. Wernerus Rolevvink in Fasciculo temporum, Nor- C vagiam primum ad fidem Christianam per Adrianum Legatum, & Cardinalem Albanensem, esse conversam, sub An. Ch. 1154. perperàm tradit. Verba ejus hæc sunt: *Norvegia, quæ est inferior regio Alamanniæ, convertitur ad fidem. Ubi primum prædicavit Adrianus legatus & Cardinalis Albanensis, & posteà Papa.*

Pag. 190. vers. 8. *Unnonis corpus Birca oppidum*] De Unnone hoc Archiepiscopo Bremensi, quem *Unni* vocat, multa extant apud Adamum D Bremensem, Lib. I. Cap. 47. & sequentib. Juxtà eundem mortuus & sepultus est Bircæ in Svecia, Anno Domini 936. Verba ejus ità habent: *Perfecto autem legationis suæ ministerio, cum tandem redire disponeret Evangelista Dei Unni, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Anima verò, cum multo animarum triumpho stipata, cœlestis patriæ Capitolium semper lætatura conscendit. Tunc discipuli Pontificis, exequias ejus cum fletu procurantes, cætera quidem mem- E bra sepelierunt in eodem loco, vel oppido Birca, solum caput reportantes Bremam : quod decenti honore condiderunt in Ecclesia S. Petri, coram Altari. Obiit autem, peracto boni certaminis cursu, in Svecia, ut scribitur, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. Indictione IX. circa medium Sept.* Cæterùm Bircam, Svetiæ oppidum, primariam regni istius fuisse civitatem, & populosissimam atq; nobilem antiquis seculis extitisse, non est dubium. Sita autem fuit in mediâ Sveciâ, ipso Adamo F teste; & hodieq; ejus ruderum præcelsas monstrari moles, testatur Joh. Messenius p. 84. suæ Sveopentaprotopol.

11. *Petitis Syrithæ nuptiis*] Chronicon Norvagicum Snorronis Sturlæsonii pag. 152. Posteaquam Sigrida [Saxoni Syritha] Regina Sveciæ, cognomento *Storraade*, post obitum mariti Erici Victoriosi, Svæciæ Regis, plurimos jam annos in viduitate transegisset; eam tandem Rex Norvagiæ *Olaus Tryggonis* ambire per legatos cœpit. Cui quum petitionem suam non adeò displicere animadvertit, dono misit ingentem aureum annulum, quem antehac delubriâ se diruti valvis, antepagmenti loco, præfixum, illinc per artifices demendum curaverat. Syritha annulum hunc, ceu pretiosum munus excipiens, animo læto, inter thesauros suos asservari jussit. Paulò post regium hoc donum ab omnibus maximoperè commendatum, duobus aurifabris, qui fortè ad regiam ejus appulerant, ostendens, mox dolum annulo subesse comperit. Nam eo diffracto annulum æreum auri lamine incrustatum persensit. Quo viso, exclamavit: Olaus me non hac solùm vice decipiet, si modò facultas & occasio ipsi dabitur. Dehinc, ut convenerat, ad Kungellam civitatem Norvegiæ profecta, ibidem pactis nuptialibus cum Olao initis, in thorum ipsius concessit. Verùm à marito sæpius admonita de religione Ethnica deserenda, respondit, se nolle unquam ab eo numinum cultu desciscere, quem majores sui exercuerant. Quapropter Rex Olaus animo paulisper commotus, chirotheca, quam fortè in manibus tenuit, os faciemque Syrithæ percussit. Hac contumelia irritata Regina, surgens, in hæc verba prorupit: Nunquam id impune tibi erit; sed olim vitæ impendio tibi constabit. Et cum dicto in Svetiam discessit.

Pag. 191. vers. 4. *In quo Olai sagittarius Enarus*] Enaro huic cognomentum fuit *Tambeskielfuer.* Is annos tantùm natus erat octodecim, cum navale hocce prælium committi cœpit, teste Snorrone Sturlæsonio, à quo bellum istud Norvagicum copiosè descriptum est.

10. *Adeò certo ictu destinata feriebat*] Verba integra Curtii Lib. 7. *Catenes*, inquit, *tam certo ictu destinata feriebat, ut aves quoq; exciperet.* Indus quoq; per annulum sagittam mittere potuit, teste Plutarcho. Mira etiam de Domitiano Imperatore Svetonius; de Gratiano Ausonius; Olaus Magnus de Tocchone Gotho; Guilielmo Tellio Stumpfius, Avone Norvego Saxo, Lib. 6.

24. *Præcipiti saltu profundum petiit*] Præter Chronicon Norvag. pag. 179. Saxoni consentit Adamus Bremensis Lib. II. Cap. 26. *Audiens*, inquit, *Rex Nordmannorum Olaph, filius Tryggonis, de conjunctione Regum, iratus est contra Sven, ratus eum quasi derelictum à Deo, totiensq; depulsum, à sua etiam multitudine facilè posse depelli. Collectâ igitur classe innumerâ, bellum intulit Regi Danorum. Hoc factum est inter Scaniam & Seland, ubi solent Reges navali bello confligere. Est autem brevis trajectus Baltici maris propè Helsingburgum, in quo loco Seland & Scania videri potest, familiare patibulum piratis. Ibi ergò congressi Nordmanni à Danis victi & fusi sunt. Olaph Rex, qui fortè solus remansit, in mare se præcipitans, dignum vitæ finem invenit.*

Popponi

31. *Propponi Rimbrandus*] De Ordinatione & A successione Episcoporum in Dania, paulò aliter Adamus Bremensis, qui tempora malè confundit. Nam sic Lib. 2. Cap. 2. *Agapetus Papa Adaldago, Archiepiscopo Bremensi, sua vice, jus ordinandi Episcopos, tàm in Daniam, quàm in Septentrionis populos, Apostolicâ authoritate concessit. Igitur primus ordinavit in Daniam, Haroldum ad Slesvvich, Liafdagum ad Ripam, Reginbrandum ad Arhusiam.* Et Cap. 16. *Adaldagus Archiepiscopus ordinavit in Daniam plures Episcopos, quorum nomina quidem* B *reperimus: ut, Hored, Liafdag, Ragimbrond: & post eos Harig, Stereolff, Folgbract, Adalbricht, Merha, & alij.* Quem hic Adamus vocat primò *Haraldum*, deinde *Hored, Henricus* est: quem *Reginbrundum & Ragimbrond*, Saxoni est *Rimbrandus*, qui Popponi: quem *Folgbract, Fulbertus*, qui Lefdago successit.

33. *Othincarus Albus*] Duos fuisse *Othincaros*, autor est Adamus Bremensis, seniorem nempe & juniorem. De priore agit Lib. 2. Cap. 16. C *Ottincarum seniorem ferunt ab Adaldago in Sveoniam ordinatum strenuè in gentibus legationem suam perfecisse. Erat enim, sicut nos fama tetigit, vir sanctissimus, & doctus in his, quæ ad Deum sunt. Prætereà quantum ad seculum, nobilis, & origine Danus. Undè & facilè quælibet potuit de nostrâ Religione persvadere. Cæterùm Episcoporum vix aliquem sic clarum antiquitas prodit, præter Liafdagum Ripensem, quem dicunt miraculis celebrem transmarina prædicasse, hoc est, in Sveonia, vel Norvegia.* De eo- D dem, juxta ac altero juniore, mox infrà Cap. 26. *Claruit etiam tunc in Dania felicis memoriæ Odinchar senior, de quo suprà diximus, qui in Fionia, Selandia, Scania, ac in Svedia prædicans, multos ad Christianam fidem convertit. Ejus discipulus & nepos fuit alter Odinkar Junior, & ipse Nobilis, de regio semine Danorum, dives agri, adeò ut ex ejus patrimonio narrant Episcopatum Ripensem fundatum. Quem dudum, Bremæ, Scholis traditum, Pontifex Adaldagus suis fertur manibus baptizasse: suoq; nomine Adal-* E *dagus vocatus est. Is verò à Libentio Archiepiscopo, nunc ordinatus in gentes, apud Ripam sedem accepit. Nam & illustri vitâ sanctæ conversationis, Deo & hominibus acceptus erat, & Christianitatem fortissimè in Dania defendit.*

52. *In ipso perfectissimæ vitæ fulgore decessit*] Chronicon Norvagicum Svenonem, in Anglia, repentina morte defunctum tradit, sparsumq; in vulgus rumorem, quod à Sancto Edmundo interfectus sit. Quod & confirmat Adamus F Bremensis Lib. 2. Cap. 36. *Sven Sex Danorum atq; Nordmannorum, veteres injurias tàm occisi fratris, quàm suæ repulsionis ulturus, classe magnâ transfretavit in Angliam, ducens secum filium Chnut, & Olaph filium Cracabeen, de quo suprà dictum est. Itaque multo tempore, multis prælijs adversus Anglos exactis, Sven veteranum Regem depulit Edilradum, & insulam tenuit in sua ditione, verum brevi tempore. Nam tertio mense, postquàm victoriam adeptus est, ibidem morte præventus occubuit.* Ad quem locum ità Clariss. Vellejus noster: *Bellum Anglicum, quod gestum est à Svenone post reditum in regnum Daniæ, paucis à Saxone, pluribus ab Hectore Boëtio Lib. XI. Historiæ Scotorum, descriptum est. Quod de obitu hic refertur Svenonis, de eo altum est in Saxone silentium. Anglica historia dicit eum mortuum in Anglia & sepultum Eboraci. Alij dicunt eum in Anglia quidem mortuum, sed ex postremo ipsius voto, domum reductum ejus funus, atq; sepultum Roschildiæ.*

Pag. 192. vers. 12. *Debilioribus regnis ferrum injicere statuit*] Canutus Alexandri Magni artibus insistit, aut potiùs Philippi, hostes debiliores aggrediendo.

14. *Obstante religionis vinculo*] Per *Religionem* intelligit jusjurandum, quo se Sclavis obstringere coactus est Sveno tùm captivus, cujus mentionem paulò ante fecit Saxo: *Cæterùm Barbari nondum rebus eum exuisse contenti, truculentius affectum, jurare etiam, iram remissurum, compellunt.*

16. *Ut in hac paterni gravaminis*] Ut in Sclavia, paterni carceris, quem *gravaminis* indigitat vocabulo; in Sembia, defectionis noxam puniret.

31. *Ramulum hasta sustulit*] Ità & olim Sext. Tempanius, decurio Equitum, cum res Romana bello Volscorum, temeritate Sempronij laberetur, gladium suum pro vexillo erigens, aciem inclinatam restituit, insuper hac animos militum voce confirmans; *Nisi hæc armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. Sequimini pro vexillo cuspidem meam. &c. Quum clamore comprobata adhortatio esset, vadit, altè cuspidem gerens,* inquit Livius, Lib. IV. Sic Camillus, langventibus suis, ab equo desiliens, signum in hostes infert; cujus pudore milites incenderentur. Livius Lib. 6.

37. *Postmodùm cognomine usurpavit*] Nempè ut *Tymmo Banner* posteà diceretur. Et hinc origo nobilissimæ apud Danos stirpis *Bannerorum*. Vox autem *Banner*, apud nostrates, sicut & Britannos, vexillum denotat, quod medij ævi scriptores *Bannerium* appellarunt. Autor vitæ Lodov. filij Ludovici Grossi: *Illa die faciebat antegardam Gaufridus de Rancone, unus de nobilioribus Baronibus provinciæ Pictaviensis, qui gerebat Regis Bannerium.* Albertus Argentinus in An. 1349. *Carolus Rex hoc audito, statim bannerium suum, quod dicitur* Sturmfahn / *super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit.* Græci à Romanis desumptâ voce Βάνδον dixere: Svidas Βάνδον) ἔτω καλᾶσιν οἱ Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ: & Procopius Vandal. Lib. 2. τὸ σημεῖον, ὃ δὴ βάνδον καλᾶσι Ῥωμαῖοι. Videatur eadem de voce Joh. Goropius Becanus Lib. 2. Gigantomachiæ.

Pag. 193. verſ. 1. *Per involucrum*] Quaſi per ænigma & obſcurum indicium. Cicero ad Qv. Fratr. *Involucris ſimulationum tegi, &c.* A

8. *Deformi vindictæ ſpecie puniens*] Canutus eos, qui æmulum occiderant, ſuſpendio caſtigans, verum eſſe probavit illud Auguſti dictum in Rhymitaclem Thracum Regem, quod ab Antonio ad illum defecerat: *Proditionem amo, proditorem odio habeo.* Imperator Severus proditores præmij loco occidit, quum operâ eorum abuſus eſſet. Certè proditores genus hominum cœlo & terris inviſum, gratum hoſtibus, ſed nunquam charum. B

15. *Normanniæ Præfecti Roberti filiam Immam*] In eandem ſententiam Adamus Bremenſis Lib. II. Cap. 37. *Chnut Adelradi regnum accepit, uxoremq; ejus Ymmam nomine, quæ fuit ſoror Comitis Nordmannorum Rikardi, cui Rex Danorum ſuam dedit germanam Margaretam, pro fœdere. Quam deinde Chnut repudiatam à Comite, Ulff duci Angliæ dedit: ejusq; Ulff ſororem copulavit alteri duci Gudvino, callidè ratus Anglos per connubia Danis fideliores. Quæ res eum non fefellit. Et Richardus quidem Comes declinans iram Knut, Jeroſolymam profectus, ibidem obijt, relinquens filium in Nordmannia Robertum, cujus filius eſt iſte VVilhelmus, quem Franci Baſtardum vocant. Ulff ex ſorore Regis Canuti filios ſuſcepit Biörn Ducem, & Sven Regem. Gudvind è ſorore Ulff Ducis, genuit parricidas Sven, Toſte, & Haraldum.* Videatur etiam Chronicon Norvagicum Snorronis Sturlæſonij pag. 187, & ſeqq. C D

28. *Eximiæ granditatis Urſus*] Digna eſt obſervatu ſententia Cl. Viri, Martini Delrij, quam de hoc Saxonis loco profert, Diſquiſit. Magicar. Lib. 2. Quæſt. 14. *Quoniam certus ſim*, inquit, *ex homine & fera verum hominem naſci non poſſe, quia ferinum ſemen perfectionis eſt expers, quæ ad tam nobilis animæ domicilium requiritur: in illo exemplo putârim hoc dicendum, quod Dæmon in talium ferarum effigie fœminas compreſſerit.* Nos verò hìc non urſum, ſed urſi, ſeu Biörnonis nomine, inſidiatorem & raptorem, originem fabulæ dediſſe ſtatuimus. Quod & ipſi fatentur Centuriarum Magdeburgenſium Scriptores, quamvis Saxonem immeritò, tanquam nugatorem, ſugillent: *Inter Metamorphoſes Ovidij referri poſſet, quod Saxo Grammaticus de urſo nugatur: quem ait in agro Svetico virginem quandam rapuiſſe, & in latebris ſuis ejus concubitu uſum eſſe: tandem à vicinis paſtoribus, quorum gregibus moleſtus fuerat, captum & interemptum eſſe: virginem verò, quæ ex urſo gravida fuerat facta, filium enixam eſſe, cui à parente urſi nomen ſit impoſitum. Qui poſtquam adolevisſet, agnita ſuæ propaginis veritate, à patris interfectoribus funeſta egit ſupplicia. Fuit autem hic urſus, latro aliquis nobilis, qui id facinus perpetravit; poſtea hoc ſcelus Poëtæ tali modo finxerunt, cum autorem potentem apertè non liceret reprehendere.* Cent. Magdeb. Cap. 15. p. 693. E F

39. *Quid non excogitat amor*] Ità legendum duxi adductus loco iſto Valerij Maximi Lib. 5. Cap. 4. de amore mulieris ergà matrem, quam in carcere proprijs aluit uberibus, quem locum Saxo exprimere conatus eſt: *Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere ſervandæ genitricis novam rationem invenit?* Ubi alij legunt, *exacuit*, & fortè rectius. Nam τὸ *excavat* duriuſculum eſt.

48. *Nuptiarum deformitatem*] Id eſt, deformis urſi cum puella congreſſus. Nam hac notione *Nuptiæ* apud bonæ notæ ſcriptores; nempe pro omni concubitu. Petronius Satyrico: *Plaudentibus ergò univerſis, & poſtulantibus, nuptias fecerunt.* Ubi *nuptias facere*, eſt τὸ συνουσιάζειν. Inde Feſto, *nupta verba*, obſcœna. Lipſius Antiqv. Lect. Lib. 2. Cap. 9. Barthius Comment. in Muſæum. Joan. Bourdelotius, & Erhardus in Petr. Arbitrum, Taubmannus in Plauti Moſtell. Sic γάμον de Equo dixit Oppianus Lib. 1. κυνηγ. & Lib. 3. Sic γαμεῖν de Piſcibus dixit Ælianus Cap. 14. Lib. 1. Cap. 10. Lib. 2. Hiſtor. animal.

Pag. 194. verſ. 10. *Virium parte defunctum*] Clariſs. Vir, Joannes Meurſius, ὁ μακαρίτης, Collega olim meus conjunctiſſimus, hic legendum cenſuit *defectum*: & meo judicio rectiſſimè. Solens etenim hac formulâ utitur Saxo.

14. *Primâ Feriâ*] Id eſt, Dominicâ die. Ità enim Chriſtiani cujusque Septimanæ dies numerabant, nomina profana deorum gentilium, anteà diebus impoſita, deteſtantes.

17. *Sparſas repentè ſcindulas legit*] *Scindulæ* hìc ſunt minuta ligni fruſta abſciſſa, aliàs *Schidia*, nobis Spaaner. Vitruvio, Vegetio, Columellæ, Plinio, Palladio, Cæſari, alijsq;, *Scindulæ* ſunt tabellæ vicem tegularum præſtantes, ſic dictæ, à ſcindendis angulatìm arboribus. Unde *tectum ſcindulare*, hoc eſt, ſcindulis contectum. Apulejus Lib. 3. de Aſino: *Pamphile mea, jam vecors animi, tectum ſcindulare conſcendit.* Ità enim legendum monet Godeſchalcus Stevvechius ad hunc locum, pro *Scandulare*. Vitruvius Lib. X. Cap. I. *Ædificia conſtituuntur ſcindulis robuſteis aut ſtramentis.* Vegetius Lib. 2. Cap. 23. *Tempore hyemis de tegulis vel ſcindulis, porticus tegerentur ad Equites.* Cæſar Lib. 8. Belli Gallici: *Cupas ſevo, pice, ſcindulis complent.* Iſidorus Orig. Lib. 19. Cap. 19. *Aſſeres ab aſſe, quià ſoli ponuntur, neq; conjuncti. Scindulæ, eò quòd ſcindantur, id eſt, dividantur.* Ejusmodi *ſcindulis* contectam fuiſſe Romam annis 470 teſtis Cornelius Nepos apud Plinium Lib. XVI. Cap. 10. Hinc qui *Scandularij* dicuntur in l. ult. ff. de jure immunitatis, *Scindularij* nuncupari debent. Videatur omninò doctiſſimi Stevvechij Commentarius ad Vegetij Lib. 2. Cap. 23. Aldhelmus de laudibus Virginitatis, Cap. 14. *Pyram ſtipitum in edito conſtructam, & flammantibus ſcindulis ſuccenſam.*

18. *Subjectam palmam cremandam præbuit*]

Non

Non secus ac Mutius ille Scævola, qui perosus A dextram suam, quod ejus ministerio in cæde Regis uti nequivisset, injectam foculo exuri passus est. Valerius Maximus Lib. 3. Cap. 3.

19. *Scrupuloso cultu levia quoq; religionis momenta*] Valerium suum heic rursus expressit Saxo, cujus hæc sunt verba Lib. 1. Cap. 1. *Quod tam scrupulosâ curâ parvula quoq; momenta religionis examinare videntur.*


30. *Cujus facti circumspectissima sanctitate*] Latet in hoc Epitheto aliquid venerationis & B augustæ majestatis. Ammianus Marcellinus Lib. XIV. *Populi Romani nomen circumspectum & verendum.* Sed Saxo imitatus est suum Valerium Max. Lib. I. Cap. I. *Decretiq; circumspectissimâ sanctione, impium opus censoris retexuit.*

32. *Detrimentorum violentia lacessitis*] Valerius Maximus Lib. 4. Cap. 8. de Tellia Agrigentino: *Domus ejus quasi quædam munificentiæ officina credebatur. Illinc enim privatim alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis,* C *detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur.* Et paulò pòst: *Quid multa? Non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum.*

46. *Linguæ volubilitate*] *Volubilitas linguæ* proprie significat promptam dicendi facilitatem, quæ eorum esse solet, qui multis verbis, paucissimis rebus dicunt. Plinius Junior Epist. XX. Lib. 5. *Mos est plerisq; Græcorum, ut illis sit pro copia volubilitas: tam longas, tamq; rigidas periodos uno spiritu, quasi torrente, contorquent;* Ju- D lius Candidus *loquentiam* appellavit. Plinius ibidem: *Itaq; Julius Candidus non invenustè solet dicere, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni & alteri, imò si M. Antonio credimus, nemini: hæc vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis, atq; etiam impudentissimo cuique, maximè contingit.*

Pag. 195. vers. 17. *Senior Regis adventum operiens*] *Senioris* hoc loco vocabulum eâdem forte notatione Saxo noster usurpasse videtur, quâ Johannes Biclarensis, posteà Episcopus Gerundensis, Chronici sui pag. 60. *Leonegildus Rex Aregenses montes ingreditur, Aspidium loci seniorem, cum uxore & filiis captivos ducit.* Et Synodus Bavarica sub Tassilone Bavariæ Duce, temporibus Caroli Magni celebrata, pag. 140. *Cum missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant obstrictè quæsitum, de quo pago fiat, & qui sint seniores eorum.* Et Tabulæ Gauslini Episcopi; *Pro remedio animæ Senioris nostri Othonis.* Flodoardus Histor. Eccles. Rom. Lib. I. *Accidit autem, ut eadem die, Legatus Domini Præsulis nostri Heriveri, nomine Therdoinus, ab eodem Seniore suo, pro rebus ipsis repetendis, ad regem cum muneribus deveniret.* Quibus in locis, ni fallor, *Senior*, est dominus, aut Princeps, vel qui alioquin summa cum potestate præest: quemadmodum Hispanis in usu est suum *Sennor*, Italis *Signor*, Gallis *Sire*. Verùm hæc æquo Lectori dijudicanda relinquo.

Pag. 196. vers. 8. *Apud Asum*] *Asum*, quod Clarissimus Vellejus noster perperàm (quod pace tanti viri dixisse liceat) *Ahusiam* vertit, in provincia Scaniæ Gierßherrit vulgo dicta, situm est: olimq; oppidum fuit præclarum, multorum insignium & fortissimorum militum sepulturâ nobilitatum; jam vero fatali rerum vicissitudine ad pagi mediocris redactum est angustias. In muro cœmiterij Asumensis hodieq; visitur elegans saxum muro infixum, & portæ ad plagam septentrionalem adjunctũ, literisq; Runicis inscriptum, quarum hic est sensus:



ᚴᚱᛁᛋᛏ : ᛘᛆᚱᛁᛆᛋ : ᛋᚢᚾ : ᚼᛁᛆᛚᛒᛁ : ᚦᛅᛘ : ᛁᚱ : ᚴᛁᚱᚴᛁᚢ : ᚦᛁᚾᛁ : ᚴᚢᚦᛁ : ᛆᛒᛋᛁᛚᚭᚾ : ᛆᚱᚴᛁᛒᛁᛋᚴᚢᛒ : ᛆᚴ : ᛅᛋᛒᛁᛆᚱᚾ : ᛘᚢᛚᛁ :

KRJST MARJÆ SUN hialpi dem er Kirckiu dini gudi / Absilon Arkibiskup og Asbiorn Muli.

Id est: CHRISTE MARIÆ FILI ADSIS IIS, QUI ECCLESIÆ TUÆ BENEFACIUNT, ABSOLONI ARCHIEPISCOPO ET ESBERNO MULE. Vide Cl. D. Wormij Monu-Lib 3.

12. *Domi percussores invenit*] Quod Olaus Rex Norvagiæ non inscio Kanuto peremptus sit, asserit etiam Adamus Bremensis Lib. 2. c. 43. *Sciunt alij, eum, in gratiam Chnut Regis, latenter occisum, quod & verum esse non diffidimus, eò quod regnum ejus invasit.* Sed Chronicon Norvagicum testatur, quòd ortâ inter Olaum & Regni primates, ob cædem quorundam Præfectorum, contentione privatâ, eruperit ea tandem in bellum apertum. In quo ad extremum deletus est exercitus Regis, & ipse Olaus, acceptis à ducibus belli, aliquot vulneribus, exspiravit in loco pugnæ, prope Stickleſtadam, Anno Christi M. XXVIII. 4. Kal. Aug.

14. *Sex præpollentium regnorum possessor*] Nempe Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Angliæ, Sclaviæ, Sembiæ: quod vix unquam alij contigit Regum Danorum, præterquam Frothoni III, cujus regnum Russiam ab ortu complectens, ad occasum Rheno flumine limitatum erat: Saxo Lib. V.

16. *Ejus principi Henrico filiam Gunildam*] Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. 47. *Tempore illo Conradus Imperator filiam Chnut Regis Henrico filio accepit in matrimonium.* Exteri Scriptores ferè omnes *Gunildam* hanc, Canuti filiam, *Chunigundam* appellant. Erat fortè ipsi apposito cognomine nomen auctum, ità ut *Gunildam, Chunigunildam*, seu *Chunigundam* (Kionne/ Skionne Gunnild) dixerint, ob formæ præstantiam, quâ excellebat plurimum.

21. *Sibi trium imperium*] Sveciæ, Sclaviæ & Sembiæ. Adamus Bremensis loco jam dicto: *Cum quibus statim, regio fastu, Italiam ingressus est,* (Conradus) *ad faciendam regno justitiam, comitem habens itineris Chnut Regem, potentiâ trium regnorum, Barbaris gentibus valdè terribilem. Ille quidem, cum tres filios haberet, singulos super singula regna posuit, ipse aliquando visitans Danos, aliquando verò Nordmannos, sæpissimè autem sedit in Anglia.*

32. *Gutscalcus Sclavicus*] Hujus Gutscalci plurima fit mentio ab Helmoldo Cap. 19. & Adamo Bremensi Lib. 2. Cap. 48. qui patrem ejus appellant *Vdonem* sive *Vtonem*, quem Saxo hic *Pribignevum* vocat. Verba Adami ità ha-
A bent: *Principes VVinulorum Gneus & Anatrog erant pagani. Tertius Uto, filius Mistivoi, malè Christianus. Undè etiam pro crudelitate sua à quodam Saxonum transfuga interfectus fuit, filium habens Gutheſcalcum, qui per idem tempus, apud Luniborg, Monasterium Ducis, literalibus erudiebatur studijs. Verùm is comperta morte parentis, irâ & furore commotus, rejectis cum fide literis, arma corripuit, amneq; transmisso, inimicis Dei se conjunxit VVinulis. Hunc tandem, quasi principem latronum, Bernardus Dux*
B *capiens, in custodia tenuit, virumq; arbitrans fortissimum, juncto secum fœdere dimisit eum. Qui venit ad Cnut Regem, & cum eo profectus in Angliam, permansit ibi multo tempore.*

47. *Gerbrando substituitur Avaco*] Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. 46. *Libentius* [Archiepiscopus Bremensis] *bonus in Præpositura, multò melior in cathedra, legationem suam ad gentes ferventi animo ingressus est. Et primò omnium concilians sibi Chnut Regem Danorum, Gerbrando subrogavit in*
C *Sæland Avaconem.*

Pag. 197. vers. 16. *Qui foris insignes exstarent, domi ignobiles viderentur*] Verè igitur Plinius in divino illo Panegyrico: *Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non & arma honestârunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Postremò adhuc nemo exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.*

D Pag. 198. vers. 42. *Adversum testimonij fulmen*] Quicquid terrorem incutit, quicquid cum vi aliqua, vel impetu, conjunctum, translatè *fulmen* dicitur. Sic eleganter Quintilianus, vel potius Posthumius Junior, vel M. Florus, aut si quis alius, Declamatione quadam, *fulmen abdicationis*, quo severi patres adversus liberos utuntur, dixit: id quod repetit Declamatione CCLIX: *Fulmen istud patrum adversus ferociam adolescentiæ datum est, & adversus filios, qui peccare*
E *plus possunt.* Cn. & P. Scipiones *fulmina Imperij Romani* appellavit Cicero pro Balbo: Et *fulmina verborum* idem ad Papirium Lib. IX. Eloquentiam Ciceronis *fulmina* vocavit Columella in Præfat. Lib. I. *Nec Brutum, aut Cælium, Pollionemve, cum Messala & Catullo, deterruêre fulmina illa Ciceronis ab Eloquentiæ studio.* Unde *fulmina jaculari* Eloquentia dicitur Martiano Capellæ Lib. 5. *Deniq; creditum quod instar Jovis eadem fulmina jaculari.* Et Oratores ipsi *fulminare* seu
F *fulgurare.* M. Tullius de Oratore: *Nunquam*, inquit, *ab Aristophane Poëta fulgurare, tonare, permiscere Græciam dictus esset Pericles, si tenui genere usus fuisset.* Verba Aristophanis sunt: ἤστραπτεν ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα, id est, *fulgurabat, tonabat, convolvebat Græciam.*

43. *Si sponsione provocatus fuisset*] *Sponsio* apud antiquos genus erat stipulationis, quâ plerumq; uti solebant post interdicta, cum litis quædam appendicula incidisset, aut etiam si alio

alio modo inter eos controverteretur. Fiebat A autem *Sponsio*, interpositâ stipulatione certæ pecuniæ, quam is, qui litem intendebat, daturum se, nisi veram causam haberet, promittebat. Actor enim primò *spondebat*, id est, sponte atq; ultrò sponsionem deferebat adversario, quem ideò *sponsione lacessere & provocare* dicebatur. Ab eo namq; postea summam eandem stipulabatur. Hic autem aut fateri cogebatur, aut si inficiaretur, restipulari. Tum actor iterùm stipulanti adversario spondebat.

44. *Restipulatione uti licuit*] Vetus Codex, quo in nonnullis sum usus, ad oram ascriptum habebat *refragatione*. Sed longè rectius omnes Editiones legunt restipulatione: quia actore spondente, reo licitum erat, si inficiaretur, *restipulari*, hoc est, ab eo, cui quid ante à se stipulanti promisit, vicissim aliquid stipulari. Verùm hanc Saxo potestatem crimine læsæ majestatis reis prorsus interdictam fuisse asserit.

Pag. 199. verſ. 7. *Dataq; nave*] Fuit hoc C etiam apud veteres inter supplicij genera. Sic Svetonius Cæsar. Cap. 66. *Vetustissimæ navi impositos, quocunq; vento, in quascunq; terras, jubebo avehi.* Ità puniti delatores à Trajano. Plinius in Panegyrico: *Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti, abirent, fugerentque vastatas delationibus terras: ac si quem fluctus ac procellæ scopulis reservassent, hic nuda saxa & inhospitale littus incoleret: ageret duram & anxiam vitam, relictaq; post tergum totius generis humani* D *securitate, mœreret.* Ità & sævitum olim à Tyrannis Christiani nominis osoribus, in viros sanctos.

Pag. 200. verſ. 5. *Inq; unius omnes proscriptione damnari*] Felicitas Reipublicæ, omniumq; civium salus, à Principis pendet salute & felicitate. Plinius in Panegyrico: *Ut in unius salutem collata omnium vota: cum sibi se, ac liberis, suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur.* Et paulò pòst ibidem: *Debemus obsecrare, ut omnia* E *quæ facis, quæq; facias, prosperè cedant tibi, Reipublicæ, nobis; vel si brevius sit optandum, ut uni tibi, in quo & Respublica & nos sumus.*

21. *Ipse sibi trecenta ac sexaginta mulctæ nomine*] Caveant diligenter Legis latores, nè suis damnentur legibus. Quemadmodum Zaleuci filius in ipsam à patre latam primus deliquit: utq; suus constaret legi vigor, oculum filio unum, sibiq; alterum erui curavit. Ælianus Variar. Histor. Lib. XIII. Charondas Tyrius, in F frequentem Senatum, gladium inferre prohibuerat: ipse verò eandem legem violat, eoq; gladio se ipsum transfigit. In hanc classem referendi Licinius Stolo apud Plutarchum in Camillo: Tennes apud Heraclidem de Politiis: Pericles & Clisthenes, duces Attici apud Ælianum Lib. 13. Lycurgus apud eundem: & Solon apud Platon, Eutropius Eunuchus apud Socratem Histor. Ecclesiast. Lib. VI. Cap. V.

Pag. 201. verſ. 16. *Apud Rothomagum*] Wilhelmus Malmesburiensis de gest. Angl. Lib. 2. Cap. XI. Canutum Sceptoniæ in Anglica defunctum, & Vintoniæ funeratum memorat: At *Cnuto*, inquit, *transcursâ vitæ metâ, Sceptoniæ defunctus, & VVintoniæ sepultus est.*


41. *Quam maximam semper exhibuerat*] Propensissimo in cultum divinum animo, inq; ædes & personas sacras mirè munificus fuit. Canutus hic noster, re & nomine Magnus. B Templa, Cœnobia, non in Dania solum & Anglia, sed & in Gallia, & alibi terrarum, partim ipse extruxit, partim reparavit, partim denique sumptibus verè regijs locupletavit. Ita ad restaurationem templi Carnotensis in Gallijs, quòd miserabili incendio conflagraverat, ingentem pecuniam transmisit, Anno Christi 1032. Cujús rei testis est Epistola Fulberti, Episcopi tùm Carnotensis, quâ gratias agit Canuto Regi. Ea extat inter Epistolas ipsius, ordine 97, fol. 92. scripta stilo & more istius ævi, quo etiamdum viguit Barbaries. Inscriptio ejusmodi est: *Nobilissimo Regi Danomarchiæ CNUTONI, Fulbertus, Dei gartiâ, Carnotensium Episcopus, cum suis Clericis & Monachis, Orationis suffragium. S. Quando munus tuum nobis oblatum vidimus, sagacitatem tuam ac religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quòd homo nostræ linguæ ignarus, longoq; à nobis terræ marisq; intervallo divisus, non solùm ea, quæ circà te sunt, strenuè capessas; sed etiam ea, quæ circa nos, diligenter inquiras. Religionem verò, quum te, quem Paganorum principem audieramus, non modò Christianum, verùmetiam ergà Ecclesiæ Dei servos benignissimum largitorem agnoscimus. Unde gratias agentes Regi Regum, ex cujus dispositione talia descendunt, rogamus, ut ipse regnum suum in vobis prosperari faciat, & animam tuam à peccatis absolvat, per æternum & consubstantialem sibi unigenitum Christum Dominum nostrum, in unitate Spiritus Sancti, Amen. Vale memor nostri, non immemor tui.* Meminit etiàm Guilielmus Malmesburiensis loco superius dicto: *Ejusdem*, inquit, *Archipræsulis, & Helnothi hortatu, Cnuto Rex ad transmarinas Ecclesias misit pecunias, maximè Carnotum, ubi tunc florebat Fulbertus Episcopus in sanctitate & Philosophia nominatissimus.*

Pag. 203. verſ. 5. *Majorum virtute elaboratum finivit imperium*] Eundem in modum loquitur Justinus Lib. 1. *Filius ejus Ninyas contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit.*

Pag. 204. verſ. 1. *Cæduntur funditus Sclavi*] Sclavorum XV millia cæsa, memoriæ prodidit Adamus Bremensis Lib. 2. Cap. 59. *Magnus autem Rex pro justitia & fortitudine carus fuit Danis, verùm Sclavis terribilis, qui post mortem Chnut, Daniam infestabant. Ratibor Dux Sclavorum interfectus est à Danis. Ad cujus mortem ulciscendam jam tunc cum toto exercitu Vinuli venientes, usq; ad Ripam vastando progressi sunt. Et fortè Magnus, Rex tunc à Nordmannia rediens, Heidebyam appulit. Qui more*

more Danorum, copiis undiq; collectis, egredientes è Dania paganos, in campestribus Heideby, excepit. XV. millia feruntur ibi occisa, & facta est pax & lætitia Christianis omni tempore Magni. A

20. *Nam maternum inde genus traxerat*] Ità censui legendum pro *paternum*. Estrita etenim, Svenonis mater, filia erat Svenonis Tivgskeg, & Sirithæ Reginæ Svetiæ, quæ relicta superstes fuit Regis Erici. Genealogiam subijciamus, quæ lucem addat Historiæ universæ hujus temporis:



Sed & *paternum genus* è Svetia traxerat Sveno; quum Vlfonem, quem patrem is habuit, è Svetia oriundum, paulò superius tradiderit Saxo: *Cujus munificentiæ gratia Vlfonem quondam è Svetia accersitum. &c.* B

22. *Deturbato per occursum leporis equo*] Lepus semper inter quadrupedes infelicis ominis habitus est; & antiquissima fuit superstitio, sinistri aliquid evenire, si lepus occurrat, vel semitam transeat. Hinc Græca illa apud Svidam sententia: φανεὶς ὁ λαγὼς δυςυχεῖς ποιεῖ τρίβους, *Visus lepus infortunatas facit vias. Non inficior*, inquit Camerarius, Horar. Subcesivar. Part. 2. Cap. Ult. *leporum incursus sæpè ominosos & fatales fuisse. Memini enim me ab oculatis & fide dignis testibus audire, aliquoties in obsidione Magdeburgensi, leporum magnam copiam intra castra & urbem conspectam fuisse, & qui eos inter velitationes insecuti fuerint, vel captos, vel malè mulctatos à præsidiarijs fuisse.* Infelix sanè fuit conspectus leporis, de quo Jacobus Mejerus scribit Annal. Flandr. Lib. XII. Paulò etenim ante prælium inter Gandenses & Brugenses, hi pro tristi acceperunt omine, quòd leporem ibi fortè per medias stationes suas transcurrentem cernerent. *Expalluit*, inquit Mejerus, *Ratgerus Dux Brugensium, vultusq; nullam retinuit constantiam. Paulò post itaq; licet numero superiores magnâ clade à Gandensibus victi sunt.* Sigebertus Gemblaccensis, ad Ann. Christi M. C. XLIII. scribit de Fulcone Hierosolymorum Rege, quòd dum venationi insistens, leporem insequitur ex improviso sibi apparentem, equus, cui insidebat, se super eum præcipitem dederit, ipsumque vitâ & regno privaverit. Lepore etiàm autore Romam aliquando captam, idem Sigebertus Gemblacensis commemorat ad An. Christi D CCCC. Arnulpho enim Rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore tumultuq; militum Lepus, urbem versus cursum arripuit. Hunc milites toto temerè agmine concito cum cœpissent sequi, cursuq; & clamoribus acrius deterrerent, Romani, qui pro propugnaculis stabant, urbem eo impetu peti veriti, cui se longè impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari consensu, desertis mœnibus, ad terram se submisêre. Barbari occasione freti, sellis equorum ad mœnia in cumulum aggestis, per eos nullo reluctante, leoninam urbem, nullo negotio ceperunt. Ità & Anno à nato Christo suprà millesimum ducentesimo octogesimo nono, Comes Holsatiæ Henricus, ejusque frater Johannes, cœpto adversus Dithmarsos bello, infeliciter præliati memorantur, occasione leporis, qui exercitui ad pugnam accincto forte fortuna occurrens, præliaturos in fugam egit. Quod quomodo acciderit, luculentâ narratione exponit Vir longè Clarissimus, Philologus & Historiographus celeberrimus, mihiq; fidelissimâ gratiâ conjunctissimus Amicus, D. Johannes Isacius Pontanus, Historiæ Danicæ Lib. VII. pag. 376. Holsati cum starent jam magno nobilitatis suæ ac populi numero, ad pugnam ac jugum Dithmarsis inferendum parati, contigit eorum copias de subito ac viâ transversâ leporem prætercurrere, eâq; occasione militem exclamare, *prætercurrere leporem:* idq; exaudientes, qui posteriores erant, clamoremq; in id excitatum putantes, ut se in cursum ac fugam darent, fugere hoc ipso cœperunt. Quos deinde intermedij [quod existimarent aciem suorum ab hoste perruptam] continuò secuti, & eos vicissim primi, cum abiisse unà cum

cum postremis viderent, nec alia subsidia haberent, similiter subsecuti. Qui evadere fugiendo nequierunt, à Dithmarsis, quibus hoc casu alacritas accrevit, interfecti sunt. Adeò ut locum hic meritò habeat, quod vulgo creditum, etiam his temporibus, occursum leporis omen esse parùm felix, præsertim iter ingressis; ideoque & proverbio olim dictum: *Lepus apparens infortunatum facit iter*: vel ut senario hoc po- A tius è Græco, quod Svidas citat, exprimam:

Inauspicatum iter obvius facit lepus.

23. *Trunco adactus extingvitur*] Dissentit nonnihil à Saxone de obitu Magni Regis, Snoro Sturlæsonius Chronici Norvagici pag. 343, qui Magnum è Norvegia reducem, circa autumnum, in Jutiæ quodam pago *Sudertorp* dicto, supremum obijsse diem constanter asserit, Anno Christi M. XLIV.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XI. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 204. vers. 36. VAriis rerum casibus fluctuatus est] B Valerius Maximus Lib. IX. Cap. VIII *Itaq; exiguo momento maximæ Reipublicæ casus fluctuatus est*: prout omnes ferè MS codices legunt; non, ut vulgo editur, *fluctuavit*. *Fluctuatus* scilicet passivè, pro activo *fluctuavit*: quomodo idem Valerius paulò ante Lib. VIII. Cap. I. *Eadem hæsitatione P. Dolabellæ animus fluctuatus est.*

37. *Summam successu magis quam viribus capit*] *Summa* hic absolutè positum pro summa C rerum, pro summo imperio, potestate, adeoq; ipso regno. Petronius Arbiter *summam* usurpat pro perfectione, consummatione, & absolutione. Turneb: Lib. XIX. Cap. VI. Idem Petronius alibi: *Diuq; summa carminis penes Mopsum Thracem memorata est.* Sic ipse Saxo paulo pòst loquitur: *Ac veluti in unum corpus utraq; sacerdotij summa confluxit.*

Pag. 205. vers. 5. *Nam alteri Henricus, Eginus alteri*] Alteri, nempe *Dalbyæ*, Henricus: Al- D teri, *Lundiæ* videlicet, Eginus præfectus est. Adamus Bremensis Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 215. juxta editionem Lindenbrochij; *Henrico Lundensem, Egino vero Dalbyensem Episcopatum tribuit.* Sed perperàm. Verba ejus ita habent: *In eâdem regione Sconiæ nemo adhuc Episcopus fuit incardinatus, nisi quòd ab ab ijs partibus quidam venientes interdùm illam procurabant diœcesim. Deinde Gerbrand Selandensis Episcopus, & post eum Avacho, simul utramq; gubernabant Eccle- E siam. Nuper vero mortuo Avacone Rex Svein parochiam Sconiensem in duos Episcopatus segregavit, unum, id est, Lundensem Heinrico tribuens, alterum, id est, Dalbyensem Eginoni.* Sed omninò hic legendum, *Dalbyensem Heinrico tribuens, alterum, id est, Lundensem, Eginoni.*

11. *Henrico ob immoderatum potionis usum absumpto*] Id quoq; testatur Adamus Bremensis loco jam dicto: *Heinricus autem apud Orchadas fuit ante Episcopus, isq; in Angliâ Sacellanus Regis F Knut fuisse narratur, cujus thesauros in Daniam perferens luxuriosè vitam exegit. De quo narratur etiàm, quòd pestiferâ consvetudine delectatus inebriandi ventris, tandèm suffocatus crepuit. Hoc & de Avacone factum esse comperimus, similiterq; de alijs.*

22. *Humani calicis cupido haustu divini usum amittere meruit*] *Calicem divinum vocat*, quo in Dominicæ cœnæ administratione utuntur Episcopi & sacerdotes: nihilq; aliud intelligit, quam abrogatum fuisse bibulo illi Heinrico, ob immoderatum potionis usum, jus & potestatem sacra administrandi.

31. *Fugam Byzantio credidit*] Adamus Bremensis Lib. III. Cap. XIII. *Haraldus quidem frater Olaph Regis & Martyris, vivente adhuc germano, patriam egressus, Constantinopolin exul abijt. Ubi miles Imperatoris factus, multa prælia mari contra Saracenos & Schytas gessit, fortitudine clarus, & divitijs auctus vehementer.* Ejus meminit præcedenti libro Saxo: *Cujus frater Haraldus consimilem perfidiam veritus, adito Byzantio, suspectam patriæ fidem longinquo declinavit exilio.* Is autem fuit Haraldus Sigurdi filius, cognomento *Haardraade*, qui Magno Regi Norvagiæ defuncto successit.

Ibid. *A Cujus Rege homicidij crimine damnatus*] Imperator Orientis tum temporis erat Constantinus cognomento Monomachus, qui Zoæ Imperatrici matrimonio junctus, imperij juxta ac thori consors factus est, circa A. C. cIɔ XLIII. Snoro vero Sturlæsonius rem paulò aliter commemorat, causamq; Haraldi in carcerem conjecti fuisse tradit petitam à Zoe domum redeundi veniam & officij sui abdicationem, pag. 337. Chronici Norvag. Quum etenim Haraldus, quem Zoe Imperatrix, ob singularem fortitudinem, aliasq; virtutes & præclari animi dotes, toti exercitui summa cum potestate paulò antea præfecerat, ab itinere Hierosolymitano Constantinopolin redux, fando comperisset, fratris sui filium Magnum, tàm Daniæ, quàm Norvegiæ imperio potiri, patriæ revisundæ desiderio adductus, veniam à Zoe domum redeundi, demandatoq; officio sese abdicandi, petijt.

Eo

Eo intellecto Zoe indignatione accensa, pecu- A
latus crimen Haraldo intentat, quasi maximam prædæ varijs in bellis acquisitæ partem sibi perfide vendicasset. Licet alij existiment, Zoën Haraldi amore correptam, ipsi discessum paranti graviter succensuisse, ideoque hoc crimine reum egisse, ne veram indignationis causam vulgo proderet. Mox Haraldus, jussu Zoës, & mariti Constantini Monomachi Imperatoris, in vincula conijcitur cum duobus comitibus Haldardo & Vlfone Vspagi B
filijs. Verum primâ nocte, auxilio ditissimæ cujusdam matronæ, quæ Haraldum flagrantissimo amore deperibat, è carcere liberati, palatium Imperatoris armati, adjunctis sibi Varingis, Normannicæ gentis militibus, adeunt, eumq; captum, oculis privant. Haraldus conscensis navibus, abductaq; secum Mariâ Zoës ex fratre nepte, quam prius frustrà ambiverat, Pontoq; Evxino, & palude Mœotica trajectis, in Russiam terrestri itinere tandem pervenit. C

34. *Exuit vernam, ut socium ageret*] Valierus Maximus Lib. V. Cap. VIII. *Exuit patrem, ut consulem ageret: orbusq; vivere, quàm publicæ vindictæ deesse maluit.*

40. *Ipso squamarum nitore*] Inter res alias, quæ in tenebris lucent, piscium quoq; squammas esse docet Aristoteles Lib. 2. de animâ C. 7. Οὐ πάντα δὲ ὁρατὰ ἐν φωτί ἐστιν, ἀλλὰ μόνον ἑκάστου τὸ οἰκεῖον χρῶμα. ἔνια γὰρ ἐν μὲν τῷ D
φωτὶ οὐχ ὁρᾶται, ἐν δὲ τῷ σκότει ποιεῖ αἴσθησιν. οἷον τὰ πυρώδη φαινόμενα καὶ λάμποντα. ἀνώνυμα δ' ἐστὶ ταῦτα ἑνὶ ὀνόματι, οἷον μύκης, κέρας, κεφαλαὶ ἰχθύων, καὶ λεπίδες, καὶ ὀφθαλμοί. ἀλλ' οὐδενὸς ὁρᾶται τούτων τὸ οἰκεῖον χρῶμα. Hoc est; *Non omnia quæ videntur, in lumine videntur, sed unius cujusq; duntaxat proprius color. Nonnulla enim cum in luce cerni non possint, in tenebris possunt; ut quæ ignea apparent & splen-* E
dent. Ea quidem nomine communi carent, ut sunt fungus, cornu, piscium capita, squammæ, & oculi. Sed nullius eorum proprius color videtur. Cæterum in tenebris etiam lucere constat vermiculos quosdam, gemmas, ligna putrida, herbas lunarias: de quibus elegantissimum commentariolum edidit Conradus Gesnerus, qui prodijt Tiguri Anno Christi 1555.

47. *Valdemarus Rex*] Intelligit autor Valdemarum Daniæ Regem, ejus nominis Pri- F
mum, S. Canuti filium, qui anno circiter 191. post regnavit, sub quo & vixit & scripsit Saxo. Hunc autem Valdemarum curiosum fuisse Antiquitatum indagatorem, præterquam hoc in loco, ostendit etiam superius in Præfatione, ubi misisse eum ait, qui rupem istam apud Blekingiam literis Runicis inscriptam perlustrantes characterum significationem curiosiori indagatione colligerent.

Pag. 206. vers. 4. *Eaq; potitus, arma in Daniam transfert*] Haraldus iste Rex Norvagiæ potitus regno, beneficio Svenonis, malam ipsi retulit gratiam. Nam contractis statim copijs classem 60 navium adornavit, atq; mare Balticum ingressus, civitates maritimas depopulatus est. Maximas clades acceperunt Arhusium & Slesviga, quomodo & commemorat Adamus Bremensis Lib. III. Cap. XIII. *Sed mox,* inquit, *ut ad suos venit,* [nempe Haraldus] *& Nordmannos sibi fideles esse persensit, facilè ad rebellandum persvasus, omnia Danorum maritima ferro vastavit & igne. Et tunc Arhusiæ Ecclesia incensa, ac Slesvig deprædata est. Sven Rex terga vertit. Inter Haraldum & Svein prælium fuit omnibus diebus vitæ eorum.* Creberrimas verò ejusdem Haraldi in Daniam irruptiones describit Snoro Sturlesonius Chronici sui Norvagici pag. 345. & deinceps.

21. *Raritati consertione*] Hoc est, conglobatione, qua se quasi in unum locum pauci illi condensârant. Sic paulò post loquitur Saxo: *perruptâ nexuum consertione.*

24. *Cunctis hac necessitate duratis*] *Duratis*, id est, confirmatis, erectis ad spem victoriæ. *Durare*, est, animum obfirmare ad aliquid patienter ferendum, ut, ad sustinendos labores, ad mala toleranda. Phædrus Lib. I. Fab. Æsop. sub finem:

Fatale exitium corde durato feram.

Lucanus Lib. V. vers. 797.

——— *Nam cætera damna.*
Durata jàm mente malis, firmâq; tulerunt.

Glossæ veteres: *Durat,* καρτερεῖ, μακροθυμεῖ, ὑπομένει.

41. *Hinc Danicis inde Norvagicis oculis*] Rursus hic exprimit Valerium suum, qui simili per omnia ἀποστροφῇ Scævam Cæsaris militem alloquitur Lib. III. Cap. II. ubi inter alia hæc reperiuntur verba: *Hinc Romanis, inde Britanicis oculis, incredibili, nisi cernereris, spectaculo fuisti.*

48. *Absolon auctor*] Absolon nempe Archiepiscopus Lundensis, hujus ipsius Skialmonis Candidi, cujus Aslacus fortissimus ille remex erat, ex filio Ascero nepos, Vir satis bonæ fidei, & Saxoni nostro Historiæ scribendæ autor.

Pag. 207. vers. 23. *Regni æmulatione*] *Anglicani* videlicet. Invidebant enim fratri suo Haraldo hanc imperij felicitatem.

Ibid. *Majorem perosi*] Haraldum nempe, Godovini Comitis filium, Canuti Duri Regis ex Sorore nepotem. Is etenim una nocte cæso per insidias omni præsidio Danico, regnum Angliæ invasit & occupavit. Meminit Saxo Lib. X. præcedenti: *Verum ut Magni votis Danica fides respondit, ita Svenonis credulitatem Anglia perfidia circumventam oppressit. Nam post ejus ab Anglia profectionem Godovini filius Haraldus, spe improbâ totius Angliæ regnum complexus, participato*

cum incolis consilio, Danicum, ut erat per præsidia A *distributum, exercitum, compluribus separatim vicis, uno eodemq; tempore, magnifico conviviorum apparatu, per obsequij simulationem excipi jussit, meroq; ac somno sopitum, noctu per insidias trucidandum curavit. Ea nox parvulo temporis momento vetustam Danorum dominationem, diuq; majorum virtute elaboratum finivit imperium.* Cæterum non abs re futurum duxi, si exhiberem hoc loco Genealogiam posterorum Regis Canuti in Anglia, descriptam à veteri Scholiaste, qui in Ada- B mumBremensem commentatus est, cujus hæc sunt verba ad Cap. XIV. Lib. III. ejusdem Adami: *Chnut Rex Danorum, sororem suam, quæ à Richardo Comite repudiata est, dedit Vlf, duci suo. Ex qua nati sunt Bjórn Dux, & Sven Rex. Vlf Dux sororem suum Godvino Duci Anglorum copulavit, ex quâ nati sunt Sven, Toste, & Harald, & ista Gythe, quam Rex Eduard in conjugem habuit.* Deinde Sven filius *Godvvini occidit Bjorn filium avunculi sui. Haraldus autem cum esset vir fortissimus, Griphum* C *Hiberniæ Regem decollavit, Sven Regem Danorum ab Anglia pepulit, ipsumq; cognatum & dominum suum Eduardum pro nihilo habuit. Sequitur vindicta Dei, & plaga Nordmannorum, & excidium Angliæ.*

26. *Haraldum Norvagiæ Regem*] Haraldus Rex Norvagiæ, cognomento *Haardraade*, accitus ad societatem belli à Tostone, contra fratrem ejus Haraldum, sagittâ in pectore lethaliter vulneratus est. Funus à filio Olao, qui una D prælio intererat, Nidrosiam delatum est Anno 1066. Wellejus in Notis ad Adami Bremensis Cap. XIV. Libr. 4.

29. *Norvagica Classis*] Trecentarum navium. Habuit enim Haraldus iste Rex Nordmannorum, trecentas naves magnas, quæ omnes in Anglia remanserunt. Insuper massa auri, quam Haraldus è Græcia adduxit, ad Bastardum tali fortuna pervenit. Erat autem pondus auri, quod vix bisseni juvenes cervice E levarent: teste veteri Scholiaste ad Cap. 14. Lib. 4. Adami Bremensis.

Ibid. *Normannorum Dux*] Gvilelmus cognomento Bastardus, sive Nothus, cujus meminit Adamus Bremensis Lib. IV. Cap. XIV. *Eodem quoq; tempore clades illa memorabilis in Anglia facta est: cujus magnitudo, & quod Anglia Danis ex antiquo subjecta est, summam nos eventuum præterire non sinit. Post mortem Sanctissimi Regis Anglorum Eduardi, contendentibus pro illo regno* F *Principibus, Heroldus quidem Anglorum dux, vir maleficus, sceptrum invasit. Quod cum sibi frater ejus, nomine Toste, ereptum audiret, Regem Nordmannorum auxilio ducit Haraldum, Regemq; Scotorum; & occisus est ipse Toste, Harald, & Rex Hiberniæ, cum toto exercitu à Rege Anglorum. Vix, ut ajunt, dies octo transierant, & ecce VVilhelmus, cui pro obliquo sangvine cognomen est Bastardus, à Gallia transfretans in Angliam, lapso victori bellum intulit, in quo Angli primum victores, deinde victi à Nordmannis, usq; ad finem contriti sunt. Haraldus ibi cecidit, & post eum ex Anglia ferè centena millia.*

40. *Paterni eorum meriti oblitus*] Pater namque eorum Haraldus, Danicum exercitum in Anglia per præsidia distributum, compluribus separatim vicis, uno eodemq; tempore, magnifico conviviorum apparatu, per obsequij simulationem excipi jusserat, meroq; ac somno sopitum noctu per insidias trucidandum curaverat, cujus meminit Saxo Lib. præcedenti X.

43. *Nostri temporis dux*] Valdemarus nempe, ejus nominis primus, quem Canutus, cognomento Sanctus, Rex Vandalorum, & dux Slesvicensis, ex Ingeburgâ Valdemari, sive Jarislai, (utroq; enim nomine dictum ait Saxo] Rutenorum Regis, filia progenuit.

44. *Inde Eôus sangvis*] *Per Eoum sangvinem* intelligit *Rutenicum*. Russia etenim situ suo Daniam à Sole nascente respicit. *Sangvinem* pro *genere* sumi apud authores frequens est. *Eôus* adjective pro *Orientalis*. Ammiano Marcellino, Prudentio, & alijs, *Eôum jubet, Eôum sidus*, Sol est oriens. Sedulius Lib. 2. vers. 24. *Eoi venêre Magi.* Juvencus Lib. I. vers. 226.

Gens est Eoi Phœbo orto proxima regni.

Ibid. *In salutarem principis nostri ortum confluens*] Valerius Maximus Lib. II. Cap. IX. *Quibus viris, si quis cœlestium, significasset futurum, ut eorum sangvis illustrium imaginum sepie deductus, in ortum salutaris principis nostri conflueret.*

53. *Sola libidinis intemperantia maculabat*] Id confirmat Adamus Bremensis Lib. IV. Cap. XVI. *Illo tempore, clarissimus inter Barbaros fuit Sven, Rex Danorum. Ab illo Christianitas in exteras nationes longe lateq; diffusa est. Et cum multis virtutibus polleret, solâ ægrotavit luxuriâ.* Idem hic noster Sveno Estritius magnam tulit laudem Pietatis & sapientiæ: utpote qui non ipse tantum literarum humaniorum cognitione excelleret, sed & convictu quoq; gauderet maximè Clericorum, & hominum antiquitatis atq; Historiarum studiosorum. Ab hoc Rege se accepisse fatetur Adamus Bremensis, quicquid refert de conversione gentium septentrionalium, loco antea citato: *Novissimis Archiepiscopi* [Bremensis, Adalberti] *temporibus, cum ego Bremam veni, auditâ ejusdem Regis Sapientiâ, mox ad eum venire disposui, à quo & clementissime susceptus, ut omnes: magnam hujus libelli materiam ex ejus ore collegi. Erat enim scientiâ literarum eruditus, & liberalissimus in extraneos* [Saxo; *liberalitate illustris*] *& ipse direxit prædicatores, Clericos in omnem Svediam, Nordmanniam, & in insulas, quæ sunt in illis partibus. Cujus veraci & dulcissima narratione didici, suo tempore, multos ex barbaris nationibus ad Christianam fidem conversos.*

Pag. 208. vers. 5. *Siritha, quæ postmodùm Guthskalco Sclavico conjunx accessit*] Hæc est illa

T Siritha

Siritha, quam, marito Godeskalco, Sclaviæ principe, Leontij à paganis cæso, martyrium quoq; subijsse tradit Adamus Bremensis Lib. IV. Cap. XII. *Filia Regis Danorum, apud Michlenburg civitatem Obotritorum inventa, cum mulieribus nuda diu cæsa est. Hanc enim habuit, ut prædiximus, Godeschalcus Princeps uxorem, à qua & filium suscepit Henricum.*

24. *A quo quum Rex*] Is fuit Adalbertus, Bremensium Archiepiscopus, ordine XVI. qui comperto flagitioso illo Svenonis Regis incestu, severè eum admonuit, ut injusti concubitus nexum rescinderet; quod & præstitit. Rem totam fusius prosequitur Adamus Bremensis Lib. III. Cap. XII. *Quum Rex juvenis Svein tria, pro libitu suo, regna tenuerit, mox succedentibus prosperis, oblitus est cœlestis Regis, & consanguineam è Svedia duxit uxorem. Quod domino Archiepiscopo valdè displicuit, furentemq; Regem, missis ad eum Legatis, de scelere terribiliter increpavit. Postremò nisi resipuerit, excommunicationis gladio feriendum esse. Tunc ille conversus in furorem, minabatur omnem Parochiam Hamburgensem vastare & exscindere. Ad quas minas imperterritus noster Archiepiscopus, arguens & obsecrans, perstitit immobilis; donec tandem flexus tyrannus Danorum per literas Papæ, libellum repudij dedit consobrinæ. Nec tamen Rex Sacerdotum admonitionibus aurem præbuit. Sed mox ut consobrinam à se dimisit, alias, itemq; alias, uxores & concubinas assumpsit, & suscitavit ei Dominus inimicos in circuitu multos, sicut Salomoni fecit proprios servos.*

Pag. 209. vers. 9. *Ipsum famuli nomine designaturus*] Nemini ignotum esse poterit, in solennibus precationibus frequenter olim adhibitum fuisse nomen *famuli*, etiam de Regibus potentissimis. Dignum enim & justum est, ut humiles, viles, & abjectos se reputent in conspectu Dei Reges, per quem ipsi regnant. Psal. II. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur, & pereatis in via.* Cæterùm formulæ istius innumera nobis exempla *Pontificale Romanum* exhibet, liber ob varias Antiquitates lectu dignissimus. Sic folio 54. de coronatione Romani Imperatoris: *Oremus! Deus, in cujus manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & huic famulo tuo Regi, veram appone sapientiam, ut haustis de tuo fonte auxilijs, & tibi placeat, & super omnia præcellat.* Per Christum Dominum nostrum, Amen. Et paulò pòst fol. 55. Oremus. *Deus omnipotens, cujus est omnis potestas & dignitas, te supplici oratione, atq; humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo N. prosperum imperatoriæ Majestatis concedas effectum. &c.*

51. *Baculo, quo utebatur, exclusit*] Consentaneâ severitate, sed majori in crimine, usus est quondam Ambrosius, Mediolanensium Archiepiscopus, in Theodosium Principem, quem ob cœdem 7000 hominum Thessalonicæ perpetratum, à sacris exclusit, Anno Christi CCCXCI: de cujus pœnitentia operæ pretium erit consulere Historicos Ecclesiasticos.

Pag. 210. vers. 40. *Terramq; suppliciter osculatus*] Luculentum erat olim pœnitentiæ, humilitatis, & pietatis indicium, antè Basilicæ ingressum, humi se prosternere, & vel sacra templorum limina postesq;, vel ipsam almam matrem exosculari. Imprimis id solenne erat *Romipetis*, hoc est, ijs, qui Romam ad sacras Apostolorum ædes visendas excurrere solebant. Prudentius in Hymno S. Laurentij.

Ipsa & senatus lumina
Quondam, Luperci aut Flamines,
Apostolorum & Martyrum
Exosculantur limina.

Idem in Hymno S. Hyppolyti:

Oscula perspicuo figunt impressa metallo.

Venantius Fortunatus Lib. IV. de vita S. Martini:

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe
Fusus humi supplex ——————

Quem morem paganos etiam observasse tradit Arnobius Lib. I. *Cum per omnia supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis.* Tibullus:

Non ego si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Porrò de sacris hisce osculis videantur Chrysostomus Homiliâ XXX in Epistolam 2. Pauli ad Corinthios: Sidonius Apollinaris Lib. I. Epistolâ V; & ad eum Notæ doctissimi Savaronis: Petrus Venerabilis Lib. I. de Ecclesijs, contrà Petrum de Bruis: Arator Hist. Apost. Lib. 2. Baronius in Notis ad Martyrologium pag. 487. Cassiodorus Hist. Tripart: Lib. 9. Cap. 13. & alij.

Pag. 211. vers. 2. *Inchoamento psallendi facto*] Hoc est, initio canendi facto. *Psallere* proprium erat Clericorum. Sidonius Apollinaris Epistolæ VIII. Lib. I. *Fœnerantur Clerici, Syri psallunt.* Ubi falsè jocatur Apollinaris; cum Clericorum esset psallere, Syrorum, qui avarissimi sunt mortalium, fœnerari.

3. *Quum Græcæ precationi*] Nempe Κύριε ἐλέησον, *Kyrie eleison*; à quâ precandi formulâ psallendi semper initium facere solita fuit Ecclesia. Cœterum, ut hoc etiam ὡς ἐν παρόδῳ interseram, notatu dignum est, quod Doctissimus Vir, Celtiberis non tacendus gentibus, suæque laus Hispaniæ, Don Laurentius Ramirez de Prado, Pentecontarchi sui Cap. XLIX. pag. 351. observavit, manifesta solennis hujus precationis vestigia in veterum quoq; scriptis extare; & inveniri apud Virgilium Lib. 12. Æneidos: --- *tùm verò amens formidine Turnus, Faune, precor, miserere, inquit* ------ & apud recentiorem au-

ctorem

ctorum Arrianum in Epictetum Lib. 2. Cap. 7. A νῦν δὲ τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατούμεθα, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν: id est. *Nunc autem timentes aviculam moramur, & Deum invocantes, precamur ipsum supplices, Domine miserere, fac mihi exeundi potestatem.* Quin & illud hic observationem nonnullam mereri videtur, quod sanctiss. Hipponensium Antistes, Augustinus, colloquio cum Pascentio Arriano, quod extat libro epistolarum, Epist. CLXXVIII. B commemoret, Romanos à Gothis victos, assuevisse in Litaniis suis, loco ἐλέησον, ipsorum linguâ canere **Forbarmen**: non ut perperam legitur, *horaarmen.* Verba Augustini ità habent: *Sicut enim Græcâ linguâ, quod est homusion, una dicitur vel creditur à fidelibus Trinitatis omninò substantia: sic una rogatur, ut misereatur, à cunctis Latinis & Barbaris, unius Dei natura; ut à laudibus Dei unius, nec ipsa lingua Barbara sit ullatenus aliena. Latinè enim dicitur*, Domine miserere: C *Græcè* Κύριε ἐλέησον. *Sola ergò hæc misericordia ab ipso uno Deo, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, linguâ debet Hebræâ vel Græcâ, & ipsâ ad postremum postulari Latinâ, non autem & Barbara? Si enim licet dicere non solùm Barbaris linguâ suâ, sed etiàm Romanis*, Sihoraarmen, *quod interpretatur*, Domine miserere: *cur non liceret in Conciliis Patrum, in ipsa terra Græcorum, unde ubiq; destinata est fides, linguâ propriâ, Homusion confiteri, quod est Patris & Filii, & Spiritus Sancti una substantia?* Ubi D pro *Sihoraarmen*, legendum existimo, **Thig forbarmen**/ additâ voce **Herre**/ quæ ab imperito librario omissa fuit: ut sic plenè legatur; **Herre thig forbarme** / pro, **Herre forbarme thig.** Hæc etenim lingua Gothica est, quam Augustinus *Barbaram* indigitat, eumq; captâ Româ didicisse, ad oram libri magnus ille Erasmus ascripsit.

Ibid. *Solennem ritè Gloriam*] Hoc est An- E gelicum illum Hymnum: *Gloria in excelsis Deo.*

Pag. 212. vers. 15. *Apud Suddatorp Juticarum partium oppidum*] In fata concessit Sveno Estrithæ filius, ob res præclarè gestas *Magni* cognomentum sortitus, Anno Christi CIↃ. LXXIV. IV. Calend. Maji. posteaquàm in pago quodam Jutiæ, Suddatorp dicto, lentâ febre correptus, aliquandiu decubuisset. Locum hunc Ælnothus, in Libello de Vita S. Canuti, ità quo- F que expressit: *Ipso autem, in loco, qui Suddatorp, id est, villa cœnosa dicitur, vitâ egresso; præsentes aulici, regii corporis glebam regalibus procurantes exequiis, ad insulam maritimam; quæ ex eo, quòd maximè mari circumcingitur, linguâ Danicâ, Seland nuncupatur, ad locum præcipuum, qui Roskildis, id est, fons Roë, antiquitus vocabatur, deferunt: ibiq; in Ecclesia Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & S. Lucii Martyris, insigni lapideo tabulato, à Svegno, tum ejusdem sedis Pontifice, constructa, debitis honorificantes exequiis recondunt. Actum anno incarnationis Dominica CIↃ. LXXIV, qui erat annus regni ejus vicesimus octavus, quarto Kalendas Maji, regnante in perpetuum omnium dominatore Jesu Christo. Amen.*

53. *Amborum corpora conjunctis admodum tumulis occluduntur*] In Ecclesia Cathedrali Roëschildensi extat Epitaphium Episcopi hujus Wilhelmi: in quo non tantùm cædis, quâ se polluerat Sveno, & expiationis, quâ idem in Ecclesiam receptus est, cujus paulò antè meminit Saxo, sed & obitus atq; funeris mirabilis ipsius Episcopi, dum nimirùm exequias Regi extrà Roschidiam iturus ipsemet funeri funus accedit, mentio injicitur. Epicedium hoc, mixtis ex Jambis & Choriambis, rudi Minerva, ut tùm erat seculum, syllabis compositum, tale est:

VVilhelmus olim Episcopus Roschildensis
Præstantibus Dei relucebat donis,
Pietate, religione, percelebri vitâ,
Et sancta, & omni genere virtutum illustri.
Adeò ut incertum erat, unè officio tali
Dignior erat, an illo officium. Tàm spectatum
Episcopatus præstitit sui exemplum.
Hic fretus innocentiâ, atq; item justo
Injusti homicidii dolore permotus,
Quod à Rege factum erat, libidine magis quàm
Ratione, Regem ipsum, quamvis magnum, & tali
Regno potentem, comitatuq; stipatum
Magno, repulsum baculo, prohibuit templo,
Rebusq; sacris, donec pœnitens facti,
In gratiam cum Ecclesia ac Deo offenso
Redisset. His factis, tempore non ità multo
Pòst, mortui jam Regis sui deferebatur
Funus. quod ut rescivit appropinquare
Urbi, duo sepulchra confici jussit.
Duobus etiàm feretris adornatis, ibat,
VVilhelmus obviàm, postquàm ad funus ventum est,
Oratione facta, ut illi, quem in terris
Deo patri jam lucrifecerat, sanam
Per admonitionem, commori posset.
Mox membra collapsus, animam sanctam cœlo
Reddidit. Ac inde uterque suo lecto impostus
Hanc sacram ad sedem pariter [mirabile dictu]
Magno omnium stupore deportati sunt.
VVilhelmo honorificè sepulto, ac de more
Episcopalibus insignibus unà cùm illo
Terrâ reconditis, novo Deus, funus,
Miraculo, hominum memoriæ consecravit.
Hæc ipsa namq; ut obruta cumulo terræ,
Ultrò sepulchrum reddidit, translatum ergo
Huc funus est, ac magnâ cum religione
Hoc in loco commendatum sepulturæ.

Pag. 213. vers. 11. *Ignavumq; sibi Regem maluit imperare, quàm fortem*] Saxo paulo superius: *Cujus fratrem Haraldum, natu majorem, obtusi admodùm cordis, inter juventæ initia, perpetuus inertiæ sopor oppressum tenebat.* Ob hanc ignaviam

Haraldus hic vulgò dictus est Harald Hein. Hein autem, ᚼᛂᛁᚾ, veteri linguâ Danicâ significat *Cotem mollem & planam*, cujus nullus esse potest ad ferrũ acuendùm usus. Glossarium Islandicum MS: ᚼᛂᛁᚾ, Hein] *Fœminini generis*, Heinar *in Genitivo, Cos mollis & plana.* Item Heinarbryne *idem significat.* J Knitlinga Sagu: Haralder Sveinz Ulffonarsun/ var Madur firrlåtur/fålatur/omålugur/ej taladur a Thyngum/ urdu adrer miog ad hafa tungu fyrer honum; lytill var han atquæde Madur/ vm that er thurfa thotte. Eingium var han hermadur/ hægur vid Folck: stöd lytil Stiorn af honum: for nær huor thui fram̃ er villdi i Landinu: thui kolludu Daner honum Harald Hein. Id est: *Haraldus filius Svenonis Vlfonis, vir erat taciturnus, subtristis, verborum parcus, omni facundiâ destitutus, adeò ut in foro publico alij pro ipso verba facere cogerentur. Præterea parùm insignis erat, & planè ad res magni momenti gerendas inutilis: adeò ut nullum, aut ferè exiguum, in eo subsidium regni Danici incolis esset. In puniendis quoq; delictis remissior. Unde quilibet pro suo arbitrio, quicquid vellet, agebat. Propterea Dani eum nominabant Haraldum Hein, id est, cotem mollem.* Consentit Sveno Aggonis, primus Danicæ gentis Historicus, in Historia compendiosa Regum Daniæ, & quidem in Vita Canuti Magni: *Mortuo itaq; Svenone Rege, filius ejus Haraldus, quem ob effœminati animi mollitiem,* Cotem *cognominabant, successit in regno.*

Pag. 214. vers. 13. *Singularium congressionum usum evertit*] Hoc est, duellorum usum ac consvetudinem, quorum experimento, pleraque causarum judicia constabant, penitus abrogavit. Olim etenim lites omnes, tàm apud Danos, quàm alias nationes, ferro decernebantur. Stobæus Serm. 8. ex libro Nicolai de moribus gentium. *Umbrici cum controversias inter se habent, pugnant armati, sicut in bello: & qui suos adversarios interemerint, justiorem causam habuisse videntur. Singularia certamina* Agobardus etiam dixit: *Quid jàm de illâ singularium certaminum ambiguitate dicamus?* epistolâ nempè lectu dignissimâ, quâ luculenter ostendit, *impium esse, non testibus, aut veracium testimonio, sed ferro & igne lites dirimere*; compellatq; benignissimum Imperatorem, ut è regno tàm scelestam consvetudinem abolendam curet: fol. videlicet 103. Et L. An. Florus Lib. I. Cap. XIII. *Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem Barbaro inter spolia detraxit.* Hinc *Singulariter congredi*, pro, duello certare. Aldhelmus de laudibus virginitatis c. XXVIII. Q. Septimius Romanus, auctor benè Latinus, Lib. 2. de bello Trojano, vocat *solitarium certamen: Ingressusq; eorum regionem, Teuthrantem, dominum locorum, solitario certamine interficit.* Et aliquot post paginis: *Ad postremum cogunt, ut progressus in medias acies, eundem Menelaum, con-*

A *quiescentibus cæteris, solitario certamine lacesseret.*

34. *Regnando biennium emensus defungitur*] Ælnothus Haraldum sexto imperij sui anno defunctum, perperàm tradit Cap. IV. de Vita S. Canuti; ubi & locum sepulturæ ejus nos edocet: *Sed & ipso*, inquit, [nempè Haraldo] *regni sui anno sexto, vitâ egresso, locus eum celebris, qui* Dalby, *id est*, Vallis villa, *linguâ Danicâ dicitur, futuræ resurrectioni reservandum accepit, &* B *exceptum, terræ matri, religiosis prosequutum exequijs, commendavit.*

Pag. 215. vers. 26. *Sacristæ somnum capienti*] *Sacrista* est custos sacrarij. Occurrit hæc vox apud Cæsarium Heisterbaccensem Lib. I. Cap. XXXV. *Cum clausisset Oratorium* [*erat enim Sacrista*] *apparuit ei Salvator.* Et Libr. VIII. Cap. XIII. *Alio etiàm tempore, cum Sacristæ Missam celebraturo astaret.*

Pag. 216. vers. 1. *Ascerianæ sepulturæ gratiâ*] C Ascerus Episcopus Roschildensis XI, obijt Anno Christi cIↄ.C.L. vel ut alij, Anno Christi cIↄ.C.LVI. Obitus mentionem facit Saxo Libro XIV. Histor. Dan. *Per eadem tempora Ascero Roschildensium Antistite decedente, super subrogando Pontifice, plebis à clero suffragia dissidebant.*

13. *Sacrum naribus ignem excepit*] *Sacer ignis*, πῦρ ἄγριον Hippocrati, est propriè exulceratum erysipelas: cujus duæ species sunt; una, quâ summa cutis sine altitudine exulceratur, D in quâ & crustulæ instar furfuris excitantur: altera, cujus exulceratio altius in cutem penetrat, è qua, ruptis pustulis, purulenta sanies exit. Ejus origo est ex sangvine, cui bilis supervacuæ, ejusq; incalescentis, nonnihil fit admistum. Fernelius Lib. VII. de externis corporis affectibus, Cap. IV. *Sacrum* verò *ignem* dictum existimo, quasi magnam inflammationem, quia *sacrum* antiqui *magnum* dixêre. Sic *sacrum os, sacram spinam* nominant Medicorum filij, & *Sa-* E *crum morbum*, quem aliâs *Herculeum* vocant. Anatomici etenim, quod magnum est, solenniter appellant *Sacrum*, objectâ religione, κατ' εὐφημισμόν. Eâdem ratione Græci ἱερὰς νόσους vocant, quæ Plutarcho ἀπεγνωσμέναι: quiq; eodem modo dicunt ἱερὸν ὀστοῦν, ἱερὰν ἄγκυραν. Elegans hac de re locus est Cœlij Aureliani, Lib. I. Tardar. Passion. Cap. IV. *Epilepsia vocabulum sumpsit, quòd sensum atq; mentem pariter* F *apprehendat. Appellatur etiàm* puerilis passio, *siquidem in ipsorum abundat ætatibus: &* sacra, *sivè quòd divinitus putatur immitti, sivè, quòd sacram contaminet animam, sivè quod in capite fit, quod multorum Philosophorum judicio, sacrum templum est partis animæ in corpore dominantis: sivè ob magnitudinem passionis. Majora enim vulgus* sacra *vocavit. Indè* sacrum *dictum* mare, & sacra domus: *velut Tragicus Poëta,* sacram noctem, *hoc est, magnam, appellavit.* Cæterum *Ignem sacrum* Germani & Belgæ

Belgæ appellare solent Sanct Antonis Feur: Nos Dani, den onde Ild.

38. *Cujus excolendi gratia coronam*] Ità hîc legendum videtur: *Cujus excolendi gratiâ Rex coronam.* Nam sequitur: *existimans Regias opes potius sacrorum splendori, quàm humanæ avaritiæ servire oportere*: quod de Svenonis Episcopi opibus intelligi nequit.

Pag. 217. vers. 12. *A paterni avunculi temporibus*] Per *paternum avunculum* intelligit Canutum Magnum, Daniæ & Angliæ Regem, qui sex præpotentium regnorum possessor effectus, clientelam suam sex millium numerum explentem, æstate pro tuendo imperio excubantem, hyeme contuberniis discretam alere consvevit. Saxo Lib. X. Adsidet Saxoni Sveno Aggonis, in Compendiosa Regum Daniæ Historia, ubi de S. Canuto Othoniensi agit: *Tempore, quo potestatis plenitudine floruit, paterni sui avunculi se doluit exhæredatum potentiâ. Collecto itaq; exercitu, classeq; congregatâ, quâ Angliam expugnaturus invaderet, &c.*

14. *Angliam infelicitate amissam*] Cum nempè Haraldus Godovvini filius, unâ nocte, universum Danicum præsidium per insidias trucidandum curaret: cujus rei mentionem fecit Saxo Libro X. Videatur etiam de Canuti in Angliam expeditione Ælnothus in vita S. Canuti, Cap. XI. & sequentibus.

21. *Parentemq; perosus, avum æmulatus est*] *Parentem* cum dicit, intelligit Svenonem Estrithæ filium: quum vero *avum*, Svenonem Tiuffveskeg, qui tamen proavus ejus est.

Pag. 218. vers. 23. *Navigioq; in Flandriam relegatum*] Quid causæ fuerit, quod Rex Canutus Olavum fratrem suum catenis coërcitum navigioq; in Flandriam relegatum, carcerali custodiæ mandandum curaverit, præter Saxonem, Ælnothus etiam Cap. XIII, prolixè commemorat. *Classe igitur paratâ*, [quâ nempe Canutus Rex expeditionem in Angliam moliebatur] *Danorum exercitus occidentalis portus littoribus, velis sinuatim distensis advehitur: ibiq; regiæ classis adventum indies præstolatur. Rex verò in loco celeberrimo, qui ab ejusdem loci quondam Dominâ Hetha, Hetheby nomen accepit, quod Danica linguâ Campi-villa dicitur, cum prudentibus & sapientibus pertractans, qualiter res cœpta, Deo auxiliante, ad decentem perveniret profectum. Sed vulgus impatiens moræ littoreæ detentionis, præstolationes domesticis inutiles negotiis querebantur; & aut licentiam ad propria remeandi, sive, principem eis alium expeditionis, Rege aliis intento, facultatem eligendi, seu regi nuntios, cum sua quantocyus classe accelerandi, consilio crebrius inito, transmitti vociferabantur. Quorum strepitu frequenti, diuturnisq; clamoribus moti Principes, Regi nuntios transmittere, querelasq; parati exercitus regiis decernunt auribus insinuare. Cujus legationis Olaus, ejusdem gloriosi Regis frater germanus, haud felix exequutor effectus Regem cum comitibus adit, exercitus mandata depromit, causas questuum facundè perorans ostendit. Porrò Rex perspicacis industriæ, cuncta diutius pertractans, Roberto, occidentalium nobilissimo Duci, sibi scilicet per filiam Ethelam propinquo, fratrem suum eundem reservandum in Flandriam transmittit, exercituiq; per nuntios, quæ volebat, mandavit.*

Pag. 219. vers. 16. *Iniquâ plebem exactione pulsabant*] Omnem consternationis publicæ culpam in quæstores Regios, qui mandatum regium immitius, ac jussi fuerant, exequebantur, conjicit etiam Ælnothus Cap. XVI. *Veruntamen regalium negotiorum exsequutores, sive exactores, plus justo in causis exaggerandis insistere, staterarum pondera adaugere, rerum quarumque pretia vili pendere, & ut vulgariter edisseram, unciarum valentiam vix solidi pretio admittere; judicia, ut tradunt, pervertere; nobilesq;, quemadmodum & ignobiles, vi & potentiâ opprimere, contendere. Quorum insolentiam quamplurimi non ferendo, exacerbati majores natu irâ simul & invidiâ accensi, omnes in regium principem consilio & armis irrumpere, & tam in eo, quàm & in illis nuntiis, circumquaque tansmissis, publicas, ut arbitrabantur, injurias vindicare.*

Pag. 220. vers. 9. *Regalis magnificentiæ convivio excipit*] Ælnothus Cap. XXVI. idem de Blaccone, quem ille *Piponem* vocat, tradit: *Mensæ igitur regali, & Regi proximus assidens, secundum illud Davidicum:* Qui edebat panem meum, magnificavit super me supplantationem: *regiis tandem non modò dapibus farcitus, & poculo inebriatus, sed & muneribus honoratus, veluti Judas proditor, hostilibus catervis occurrit, & quæ à Rege perceperant, non pandendo sed pervertendo, denunciat, & quâ cum fraude circumveniant, perorat.*

40. *Blacco in ipso aditu, quem irruperat, trucidatus*] De Blacconis interitu horrenda sunt, quæ Ælnothus literis memoriæq; prodidit Cap. XXVII. *Conspirante tandem legionis multitudine, undiq; accurrente, & Ecclesiæ parietibus circumquaque insistente, monstruosus Pipo deforis pro foribus assistit, regiarum Gazarum fidelissimum hactenus provisorem, veluti ad singulare certamen advocat; & si quid cordis, vel virium adsit, ut occurrat, interpellat. Quo haud segnius deintus occurrente, duris alternatim ictibus admissis sauciantur; illo deindè gloriose occumbente, isto ad evidentioris ultionis indicium ad modicum supervivente. Nam domum dehinc delatus, & acerrimo dæmone invasus, vicina quæque tàm manibus, quàm morsu invadere, diripere, conterere; ore spumas ejicere, horribiliter vociferando acclamare; vana & inaudita proferre, scelus fraudulentum evidenter edicere; ad ultimum, linguâ mordicitus abscissâ, vitâ miserabili terribiliter excedere.*

52. *Accersito Sacerdoti sacrorum arcana confessus*] Eandem sanctitatis laudem Canuto Regi, jamjam morituro, Ælnothus ascribit Cap. XXVII. *Porrò vespertinali tempore imminente, devotus Heros, vespertinalem synaxin auditurus, & se suosq; Domino, universorum opifici, commendaturus, Basilicam pretiosi Martyris Albani, haud longè sitam, cum participibus tàm certaminis, quàm & præmij, ut credi fas est, expetit.* Et paulò post: *Rex intereà devotissimus Regem sempiternum non Herodianâ inquirit fallacia, sed humilitate Davidica: se criminibus reum, illum verò verè confitendo verum Deum: & non solùm veræ confessioni insistens, sed & vitalis communionis Sacramento se muniens, tàm aureis, quàm argenteis muneribus ditat altaria.*

Pag. 221. verf. 2. *Immissæ per fenestram lanceæ mortifico jactu confossus*] Itidem Ælnothus: *Inter hæc, cælesti sponso secretorum suorum jam proxime conscium futurum ad æternum advocante cubiculum, Rege insignissimo, pectore simul & ore ad aram converso, quidam ex impiorum catervâ, lanceâ per fenestram intromissâ latus ejus perforat, & ædem sacram sangvine cruentat. At ipse, Christi, etiam post vulnus exitiale, non immemor, Benedicto fratre, suo certaminum collegâ, vulneribus admodum saucio, assistente, amplexato & pacis osculo dato, brachijs in crucis modum extensis, membrisq; solo antè aram sacram expositis, sangvinis undâ ex lateris vulnere emanante, voce adhuc superstite, Iesum interpellat, ac spiritum creatori commendans, pretiosi glebam cadaveris, sangvine consecratam, reliquit.*

39. *Varias imbecillitatum affectiones remediorum salubritate prosequuta est*] Ælnothus Cap. XXXII. *His ergò temporibus, pacis securitate veluti opportunitate concessa divina, ad pretiosi Martyris pignora crebrescunt magnalia, & militis sui præconia superni Regis indies exauget potentia. Cæcis namq; visus redditur, manus arefactæ restituuntur, debilium gressus reparantur, Lazarica cutis emundatur, & omnibus opem in nomine Jesu petentibus, sanitatis pariter & cœlestis clementiæ auxilia conferuntur.*

Pag. 222. verf. 4. *Splendidum in Fastis locum obtinet*] Videlicet ad VI. Idus, id est, X. diem mensis Julij: ad quem etiàm refert S. Canuti passionem Molanus in Martyrologio suo, cujus hæc sunt verba: *In civitate Ottoniensi, Sancti Canuti Regis, & Protomartyris Danorum, qui anno cIↃ. LXXXVI. in Basilicâ Sancti Albani Martyris, manibus in modum crucis solo tenus expansis orans, mortem pro Christo passus est à suo familiari. Passi sunt cum eo Benedictus frater, & alij septendecim.* Auctor Martyrologij Romani perperam refert passionem ejus ad VII. diem Januarij, cum ita scribat: *In Dania Sancti Kanuti Regis & Martyris*: confundens videlicet Sanctum Canutum, Daniæ Regem, Svenonis Estrithij, sivè Magni, filium, Othoniæ Martyrio coronatum, cum Sancto Canuto Duce & Rege Obotritorum, filio Erici Boni, Daniæ Regis, qui regnante in Dania Nicolao, à Magno patruele, in silva Haraldsted, interfectus occubuit Die VII. Januarij, Anno 1130. Itaq; rectius Molanus in Appendice ad Vsuardi Martyrologium, ad d. VII. Januarij: *Ipso die, Sancti Canuti, Ducis Daniæ & Martyris, filij Erici Regis, qui passus est Anno Millesimo centesimo trigesimo.* Cæterùm operæ videtur pretium ea etiam in medium hic adducere, quæ Ælnothus Cap. XXIX. de Anno & die passionis S. Canuti tradit: *Anno incarnationis Domini, Millesimo Octogesimo sexto, in civitate Othensia, gloriosus Rex & protomartyr Danorum Canutus, pro Zelo Christianæ religionis, & justitiæ operibus, ut Christus à proprio convivâ traditus, in Basilica Sancti Albani Martyris, per eum paulò ante de Anglia in Daciam transvecti, post communionem, & confessionem delictorum, sacramento munitus Dominici corporis, antè aram, manibus solo tenus expansis, latere lanceatus, sexto Idus Julij, & sextâ feriâ, mortem pro Christo passus, requievit in ipso.* Clarissimus Vir, Johannes Pontanus, Histor. Dan. Lib. V. autor est, Otthoniæ, cum Anno cIↃ. IↃ. LXXXII, die XXII. Januarij, Chorus, ut vocant, Ecclesiæ Divi Canuti instauraretur, repertam fuisse tumbam cupream, auro obductam, gemmisq;, atq; aliis ornamentis pretiosis affabrè elaboratam, in quâ reconditum fuit Canuti Regis ac Martyris sceleton, cum ejusmodi Epitaphio, quod & Ælnothus Cap. XXXV. recenset:

Jam cœlo tutus summo cum Rege Canutus,
Martyr in aurata, Rex atq;, reconditur arca.
Qui pro justitiæ factis occisus iniquè
Ut Christum vitâ, sic morte fatetur in ipsâ:
Traditus à proprio, sicut Deus ipse, ministro;
Atq; petens potum, telorum pertulit ictum:
Lancea nec nè latus, ut Christi, perforat ejus,
Spiritibusq; sacris moriens sociatur in astris.

Quandò autem corpus S. Canuti in arcula ista auratâ, cujus Epitaphium meminit, repositum sit, edocet nos Ælnothus Cap. XXXV, nempè Anno sexto imperij magnifici Regis Erici Boni, à Pontifice Humbaldo, XIII Calendas Maji. qui & plura de consecratione ejus refert c. XXXIII. & XXXIV. Certè suasor ero, ut qui Historiam S. Canuti Regis accuratius nosse velit, adjungat Ælnothi, quem sæpius ad testimonium citavimus, de vita & Martyrio ejusdem Regis, Libellum lectu dignissimum. De anno verò cædis S. Canuti non consentiunt autores. Ælnothus tradit Annum Christi cIↃ LXXXVI. Willielmus Mamelsburiensis cIↃ LXXXVII. Eccè tibi verba ejus de Gest. Reg. Angl. Lib. III. *Decessit anno Dominicæ incarnationis Millesimo octogesimò septimo. Ille fuit annus, quo Cnuto Rex Danorum, interemptus est.* Chronicon Erici Pomerani annum ponit millesimum octogesimum: *Anno Domini cIↃ LXXXVIII. martyrizatus est S. Canutus, Rex Danorum.* & Anonymus in Histor. Reg. Dan. *Perijt S. Canutus Anno cIↃ LXXXVIII.* Cl. Vir,

Vir, M. Claudius Lyschander, ὁ μακαρίτης, Historicus quondam Regius, in Opere Genealogico Regum Daniæ, extendit ad Annum cIↃXC. cujus calculum sequitur in novâ Chronologia Danica Reverendus plurimum Vir, & Chronologus diligentissimus, M. Johannes Svaningius, mihi veteri necessitudine & Affinitate longe conjunctissimus.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XII. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 222. vers. 40. *Verni æstiviq; temporis fervore satum omne coäruit*] Nimium illum Solis æstum, qui segetes corrumpere solet, eleganter describit Quintilianus Declamatione XII: *Aut astricta citrà conatum sata sub ipsis tabuêre sulcis, aut levi rore vocata radix in pulverem incurrit, aut perustis torrido Sole herbis, moribunda seges impalluit. Nullus imber sitientis soli pulverem tersit, nulla super arentes campos saltem umbra nubium pependit. Calidi spiravêre venti, maturitatem præcepit æstus: etiàm sicubi jejunæ herbæ solum vicerant, vanis tantùm aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis agricola jactavit ventis nihil relicturis. Levia queror; prata exaruerunt, perierunt frondes, germina non exierunt: nuda terra, & rudes glebæ, & aridi fontes erant.* Vide sis ibidem plura.

53. *Tanta ciborum penuria incessit*] Valerius Maximus Lib. VII. Cap. VI. *Tanta in Bosphorano tractu commeatus penuria incessit, uti à militibus singulis olei frumentique modiis totidem mancipia permutarentur.* Ammianus Marcellinus Libro XXII. *Eo anno, sidere etiàm tum instante brumali, æquorum incessit inopia metuenda.*

Pag. 223. vers. 11. *Ea res locupletes inopiâ, pauperes morte mulctavit*] Eadem prorsus de miserando hoc Daniæ statu commemorat Ælnothus Cap. XXX. *Ex quo namq; furoris sui rabiem vesana multitudo in principem gloriosum evomuit, agri fructibus steriles, prata herbis attenuantur; silva glandibus rara, unda piscibus infœcunda permansit: pestis armenta consumpsit: homines morbus debilitat, fames aggravat; nobiles, & ignobiles, ac locupletes, attenuans; imbecilles exanimans, secundum illud Hieremiæ: Defecerunt in fame, in capite omnium platearum. Et alibi: Devastata sunt horrea, & defecerunt Apothecæ.* Singulare autem illud est, & notatu dignum, quod idem autor mox addit de Pánico illo terrore, qui totam gentem Danicam tum temporis invaserat: *Regionem quoq; universam hostium metu occupante, sexus uterque, veluti jamjam ingruentem adversariorum adventum indies suspicando, trepida titubat.*

2. *Nam divitum populus*] Imitatus est Saxo Martianum Capellam, qui Lib. 1. *populum deorum, & populum potestatum*: Lib. 2. *populum ministrorum, & populum angelicum* dixit; & Lib. VII. *populum astrorum.* Ita & Floro Lib. I. Cap. I. *populus virorum* dictus; & Quintiliano Declamat. V. *populus carceris.*

7. *Nobilibus in eundem usum ingenuitatis insignia erogare*] Quàm valida vis sit famis, & quid non mortalia cogat pectora, elegantibus exprimit verbis Quintilianus Declamatione XII. *Felix pestilentia, felix præliorum strages, deniq; omnis mors facilis: fames aspera, vitalia haurit, præcordia carpit: animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum. Hæc ad humile opus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes posternit: hæc sæpè sociorum fidem fregit, hæc venena populis publicè dedit; hæc in parricidium pios egit.*

Ibid. *Ingenuitatis insignia*] Valerius Maximus Lib. V. Cap. VI. *Pueri insignia ingenuitatis ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt.* Julius Firmicus Maternus Lib. III. Cap. IX. *Si verò in decimo loco ab Horoscopo stella aliqua fuerit inventa, divina ingenuitatis & gloriæ insignia conferuntur.* Apprimè huc faciunt, quæ de voce hac *ingenuitatis* annotavit Nobilissimus juxtà ac Doctissimus Casp. Barthius Lib. XLVI. Adversar. Cap. XXIII, ad istum locum Engolismensis in Vitâ Caroli Magni: *Ibiq; multitudo Saxonum baptizata est, & secundùm morem illorum, omnem ingenuitatem illorum & alodem mancipio gurpierunt: Ingenuitas,* inquit, & *Alode, juramenta sunt è Saxonica linguâ detorta in Latinam, quibus sese & sua omnia pignori dabant Carolo Soxones, sese ipsius fidelitate stabiles futuros.* Ingenuitatis *autem bona ea notabant, quibus domini erant successione Saxones.* Alodes, *quæ illis aliundè advenerant, aut erant acquisitæ. Ex linguâ igitur Saxonicâ apparet,* Ingenuitatem *non incommodè* angeborne Güter/ *hoc est, adgnata bona, in quibus scilicet, vel in quæ, quarumvè spem, ipsi geniti fuerint, significare, ut quidem barbaram dictionem Latinè potuerunt assequi suæ linguæ interpretatione.*

18. *Arcem inter nostros autoritatis*] *Arx* translatè pro eo, quod summum est, & eminet, frequenter sumitur. Quintilianus sub finem Lib. XII. Instit. Orator. *Pollio & Messala, qui jam Cicerone arcem tenente eloquentiæ, agere cœperunt.* Dialogus C. Plinij Cæcilij Secundi (nisi conjectura me fallit) de causis corruptæ eloquentiæ, falso hactenus & Quintiliano & Tacito adscriptus: *Tecum mihi, Materne, res est, quod cum natura*

tura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat, errare mavis, & summa adeptus, in levioribus subsistis. Sidonius Apollinaris Lib. VIII. Epist. VI. de C. Cæsare Dictatore: *Idem se nunquam satis duxit in utriusque artis arce positum.* D. Hieronymus in Prologo Geneseos: *Sed & Tullius, qui in arce Romanæ eloquentiæ stetit.* Idem Epistolâ XIII. ad Paulinum. *Huic prudentiæ & eloquentiæ si accederet vel studium, vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum.* Priscianus Juliano Consuli & Patricio: *Quorum uterque arcem possedit Musicæ.* Joannes Sarisberiensis Policratici Lib. VIII. Cap. XIV. *Sed hujus vitij summitatem, & quasi arcem quandam, Nero Cæsar primus obtinuit.* Gvilielmus Neobrigensis Lib. 2. Cap. 6. *Piæ autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificij tenebat.* Hericus, Monachus Altissiodorensis Lib. I. Vitæ S. Germani:

Perfectiq; sequax primam tendebat ad artem.

Aldhelmus de laudibus Virginitatis, Cap. VII. *Nonnulli edito virginitatis fastigio sublimati, & pudicæ conversationis arcibus exaltati.*

45. *Ut si quid iræ adversus populum concepisset, suo, non ejus periculo satiaret*] Videtur Saxo noster oculos animumq; intentos habuisse ad illum Valerij Maximi locum Lib. I. Memorabil. Cap. V. de Camillo, qui & pari pietate, quâ Rex Olavus, caput suum pro patriâ diris devovit, & pro ejus salute occumbere exoptavit: *Hujus tàm præclari operis auctor Camillus, cum esset precatus, ut si cui deorum nimia felicitas Pop. Romani videretur, ejus invidia suo aliquo incommodo satiaretur; subito lapsu decidit. Meritò autem de laude inter se, victoria, & pia precatio amplissimi viri certaverunt. Æquè enim virtutis est & bona patriæ auxisse, & mala in se transferri voluisse.*

50. *Celerem fati viam obtinuit*] Olai, cognomento Famelici, Danorum Regis obitum Chronicon Islandicum MS. quod penes me est, refert ad Ann. Chr. M. XCVI. Dauda Olafs Danakongs: *Mors Olai Danorum Regis.* quamvis alij ad An. Christi M. XCIX. rejiciant.

Pag. 224. vers. 6. *Segesq; tempestivi imbris beneficio visitata*] Nullus dubito, quin respexerit Saxo ad ista Vatis Regij, Davidis, verba, quib⁹ Dei Opt. Max. universi hujus conditoris, misericordiam & benignitatem in terra fæcundanda deprædicat Psalmo LXV. Commate X. *Visitasti terram, & inebriasti eam; multiplicasti locupletare eam: sulcos ejus inebrias, humectas glebas ejus: imbribus mollificas eam; germini ejus benedices.* Hebræus textus habet, *Pakadta haarets*, id est, *Visitasti terram.* LXX. Interpr. eodem modo: Ἐπεσκέψω τὴν γῆν. Verbum *Pachad*, quod hîc in secunda persona Præteriti ponitur, significat generaliter *Visitavit*: estq; vel beneficij & gratiæ, ut hoc loco, ubi terra dicitur visitari à Deo, id est, illius beneficentiæ muneribus singulariter cumulari: vel iræ & pænæ, ut significet, animadvertere in aliquem, & pænas ab aliquo deposcere.

10. *Boni cognomen acciperet*] Ità & Phocion olim ob placidos mores *Bonus* appellatus. Valerius Maximus Lib. III. Cap. VIII. *Placidi, & misericordes, & liberales, omniq; suavitate temperati mores Phocionis; quos optimè profectò, consensus omnium*, Bonitatis *cognomine decorandos censuit.* Æmilius Probus in vità Phocionis: *Phocio Atheniensis etsi sæpè exercitibus præfuit, summosq; magistratus cepit; tamen multò ejus notior integritas vitæ, quàm rei militaris labor. Itaq; hujus memoria est nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine* Bonus *est appellatus.* Græcis Χρηστὸς dictus. Plutarchus in Vita, & principio libelli de Musica. Svidas in Φωκίων.

14. *Ut cæterorum vertices humeris superaret*] Ità & de statura Caroli Magni Helpericus vers. CLXXII.

Nobile namq; caput pretioso amplectitur auro
Rex Carolus, cunctos humeris supereminet altis.

Sic & sacræ literæ de Saule Rege, Samuel I. Cap. IX. vers. 2. *Ab humero, & sursum, eminebat super omnem populum.*

29. *Funemq; ducere nequeuntes*] Extitisse olim apud gentes Boream spectantes, *certamen funiculorum*, ut Saxo hic vocat, in quo veteres Athletæ, funem ductando, vires roburq; corporis experiri soliti sint; clarè patet cùm ex hoc loco, tùm ex illa luctæ specie, quâ Ericus Disertus cum Westmaro decertavit, cujus extat descriptio suprà Lib. V. Saxonis, in Historia Frothonis III, Regis: *Erat autem tale certaminis genus*, inquit Saxo. *Circulus vimine, vel fune contextus, magno pedum manuumq; conatu decertaturis, raptim distrahendus exhiberi solebat, fortiori tribuens palmam. Quem colluctantium si quis alteri detraxisset, victoria donabatur. In quem modum agonizans Ericus, correptam acrius restem manibus concertantis excussit. Quod Frotho videns, Arduum, inquit, reor contrà fortem fune contendere.* Cui non absimile fuisse illud conjicio, quod nostrates hodieq; dicunt, At drage Kattestrud. Item modum illum ludendi, qui nobis nominatur, At dantze Harpestrep/ met eet Handklæde imellom sig etc. Certè apud Romanos fuit ludus puerorum, qui Sparteam restim ductitantes tantisper trahebant, dùm aut rumperent, aut alteruter omissâ funis prehensione in nates caderet. Unde desumptum illud est, quod proverbij loco dicitur, *funem cum aliquo ducere*, sivè, *funem contentionis ducere*, pro, contendere cum aliquo, aut altercari. Elegans hac de re locus est Tertulliani Libro de Pudicitia, Cap. II. *Sed non decet ultrà, de autoritate Scripturarum, ejusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere.* Johannes Sarisberiensis Lib. III. Cap. VIII. de Nugis Curialium: *Aut si nomen Comœdiæ gratiosius est, non duco contentionis funem, dum con-*

constet inter nos, quod totus ferè mundus, juxtà Petronium, exerceat histrioniam.

44. *Maternæ dilectionis officijs prosequebatur*] Magna vis est muliebris Zelotypiæ, quam furori Leonino rectè comparat Ovidius Lib. 2. de Arte amandi, vers. 333.

Sed neq; fulvus aper mediâ tam sævus in ira est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes:
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quàm socij deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasq; ruit, positoq; decore
Fertur, ut Aonij cornibus icta dei.

Unde & sæpenumero à fæminis in subsessores alieni matrimonii, percussores immissi; sicut Justinus de Olympiade tradit Lib. IX. Cap. VII. Et de Beronice Cap. III. Lib. XXVI. Itaq; instar miraculi sunt habenda, quæ hoc loco Saxo de Erici Botilda commemorat, quòd puellas à marito adamatas maternæ dilectionis officiis prosequuta sit, easq;, quoad vixit, inter pedissequas habuerit. Simile est illud, quod de Africani prioris uxore Æmilia, Valerius Maximus Lib. VI. Cap. VII. tradit, quæ tantæ comitatis fuit & patientiæ, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit, ne domitorem orbis Scipionem impudicitiæ reum argueret. Tantæ etiam facilitatis fuit Livia Augusti conjux, quæ marito virgines, ad quas vitiandas promptior erat, undiq; conquisivit, teste Svetonio, Octavij Cap. LXXI. Digna quoq; memoratu sunt, quæ Plutarchus de Stratonica Dejotari uxore scribit, Libello de Virtut. Mulier. c. XLII. Hæc cum esset sterilis, maritumq; legitimos liberos, quos hæredes regni relinqueret, desiderare sciret, persvasit ei, ut aliâ ex muliere prolem susciperet, sibiq; eam subderet. Dejotaro sententiam admirante, uxorisq; arbitrio rem totam permittente, formosam ea ex captivis virginem, Electram nomine, adornavit, & Dejotaro copulavit, natosq; ex eâ liberos, tanquam suos, amanter ac magnificè educavit. Plura, si cupias, exempla de ejusmodi fœminis maritorum extraneos amores juvantibus, tantùm abest ut impedientibus, vide in Notis doctissimis magni illius Berneggeri, heu nimis maturo nobis fato erepti! ad Justini Lib. IX. Cap. VII.

46. *Capitibus earum cultum proprijs manibus exhibebat*] Ornatricem se illis præstabat, formulâ antiquâ Romanâ. *Ornatrices* enim puellæ erant, quæ mulieribus comas exornabant; de de quibus Vlpianus. Sic Ovidius: *Tuta sit ornatrix.* Vetus Inscriptio:

CINERIBUS.
HAMILIÆ. ALBIONIÆ. QUINTÆ.
ORNATRICI.
FESTUS. M. SEPTIMII. GALLI.
DISPENSATOR.
CONTUBERNALI B. M. FECIT
ET SIBI.

Pag. 225. vers. 34. *Sed ejus usum facinoribus demeriti*] Rarissimus hac significatione verbi hujus est usus; pro, non amplius, sive male meriti. Præpositio autem *de* ut augendi & intendendi, sic etiam minuendi vim habet; quomodo in verbis *dememinisse, desvescere,* & id genus alijs.

54. *Hamburgensis Antistes*] Liemarus videlicet; qui obijt Anno Christi cIↃ. C. I. Hujus tempore, qui anteà *Hamburgenses,* deinceps *Bremenses,* Archiepiscopi denuo nuncupari cœperunt. Cui mutationi occasionem dedit *Ericus* hic *Bonus,* Rex Daniæ. Nam pertæsus imperij Archiepiscopi peregrini, proprium accepit, cui in Ecclesia Scaniæ Lundensi, ut Saxo refert, sedem attribuit. Affirmabat enim quod res est, commodius edoceri populum per suæ nationis homines, qui linguam, mores, & ingenia in quaque gente norunt, quàm per alienigenas, quibus ad declarandum animi sensa, aut opus sit interprete, aut longâ alioquin verborum circuitione. Cl. Andr. Vellejus in Catalogo Archiepiscopor. Bremens. & Hamb.

Pag. 226. vers. 38. *Regem cum admissis dementire cognoscunt*] In infinitum sermo excurreret, si vim illam ac potestatem, quam in omnem animæ nostræ habitum Harmonicus ille concentus exerceat, pluribus exemplis & documentis illustrare aggrederer. Unicum saltem adjiciam huic ipsi Saxonis narrationi consentaneum, de gentium illo domitore Alexandro Magno, qui Antigenide tibicine modulante, usq; adeo, velut lymphatico impetu incitatus, exarsisse dicitur, ut concussis armis se proripiens e mediis epulis, manus in astantes, sono nempè bellico illectus, intenderet. Nec multò post, mitiore sono tibiarum, ab armis ad epulas fuit revocatus. Plutarchus Lib. 2. de Fortunâ Alexandri.

Pag. 227. vers. 15. *Itaq; seductos majores*] Hoc est, seorsim abductos; quod κατ ἰδίαν ἀπολαμβάνειν Græci dicunt. Valerius Maximus Lib. V. Cap. IX. *Seductam uxorem suppliciter rogavit.* Nostrates dicerent: Tagem iß dennem til een affside. Vide quæ notavi ad Lib. XV.

Pag. 228. vers. 2. *Eorumq; custodiâ Rex salutem suam vallare consveverat*] Idem de Danis & Anglis testatur egregius scriptor, Paulus Rhamnusius Venetus, de bello Constantinopolitano Lib. II. pag. 87. eos nempè δορυφόρους & satellites fuisse Græcorum Imperatorum: *Legati, aditu ad Imperatorem per præconem petito, inter Macherophoros [quod satellitium, Griffonum vulgò Græcis nominatum, ex DANIS & ANGLIS, antiquo Græcorum Cæsarum more, conscriptum, in stationibus erat] ab urbis porta pedibus, ad vicinum Blachernium Palatium dedu-*

deducuntur. Eos credo adhibitos fuisse ab Impe- A
ratoribus spiculatores & stipatores præ alijs, causâ fidelitatis: quemadmodùm hodieque HELVETII, in aula Regis Galliæ & Pontificis Romani, principem locum inter satellites obtinent, dum eorum fidei capitis vitæq; suæ custodiam committunt.

Pag. 227. vers. 48. *Quem Imperator*] Is fuit Alexius Comnenus, qui Nicephoro Botoniatæ in imperio Byzantino succedens, regnavit Annos XXXVII, & quod excurrit. Obijt Anno B
Christi cIↃ. C. XVII. Ejus tempore contigit expeditio Godefridi Bulionæi adversus Saracenos. Videatur Joh. Zonaras sub finem Annalium; Nicetas Choniates in Vita Johannis Comneni.

Pag. 228. vers. 28. *Falsò Græcis sapientiæ prærogativam ascribi inquit*] Græcia sapientiæ, humanitatis, doctrinæ, eloquentiæ, omniumq; artium atq; virtutum laudem & sibi ipsa sumsit, & C
apud alias semper nationes meruit. Inde namq; Græcos commendant Rhodiorum legati, hunc in modum Romanos, qui pro Græcorum libertate pugnaverant, compellantes, apud Livium Lib. XXXVII: *Gentis vetustissimæ nobilissimæq;, vel famâ rerum gestarum, vel omni commendatione humanitatis doctrinarumq;, tuendam ab servitio regio libertatem suscepistis.* Inde etiam Cicero varijs in locis eandem gentem commendat. Sic Lib. III. de Oratore: *Nam apud Græcos,* D
cuicuimodi essent, videbam tamen esse, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam, & humanitate dignam scientiam. Pro L. Flacco, Orat. 24. *Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: deniq; etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno.* Et in eadem: *Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur.* Et E
paulò post: *Atq; hæc cuncta Græcia, quæ famâ, quæ gloriâ, quæ doctrinâ, quæ plurimis artibus, quæ etiàm imperio & bellicâ laude floruit, parvum quendam locum, ut scitis, Europæ tenuit.* Item Epist. ad Q. Fratrem Lib. 1. de Græcis ità loquitur. *Cum verò ei hominum generi præsimus, non modò in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios pervenisse putetur humanitas: certè ijs eam potissimùm tribribuere debemus, à quibus accepimus.* Plinius Secundus Epist. Lib. VIII. Ep. 24. ad Maximum: F
Cogita te missum in provinciam Achajam, illam veram & meram Græciam, in qua primùm humanitas, literæ, etiàm fruges inventæ esse creduntur. Ne plura bonorum autorum testimonia huic rei firmandæ accumulem. At hanc Græcis laudem derogare hic videtur Alexius Imperator, quod ducis fidem notassent, cujus gentem toties alienam perfidiæ cognovissent; ut Saxo ait.

33. *Dexterâ manu venerabiliter exceptum*] His verbis innuere videtur Saxo, Alexium Imperatorem Erico Regi, tanquàm peregrino, honoris causâ locum dextrum, in urbis ingressu concessisse; quem plerisque gentibus honestiorem semper habitum, etiàm Romanis, varij autores testantur. Svetonius de Nerone: *Tiridatem Regem perductum in theatrum, ac rursus supplicantem, juxtà se latere dextro collocavit.* Idem in Tiberio Cap. VI. *Dehinc pubescens, Actiaco triumpho, currum Augusti comitatus est, sinisteriore equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur.* Nihil certius quàm prælatum in hac sessione Marcellum, qui & ætate Tiberio major, & qui ad imperij spem ab avunculo jam admotus. Valerius Maximus de Tiberio honores omnes Druso fratri exhibente: *Præcepit etiàm dextrâ in parte Prætorium ei statui, & Consulare & Imperatorium nomen obtinere voluit, eodemq; tempore & fraternæ majestati cessit, & vitâ excessit.* Sallustius in Jugurthino: *Sed Hiempsal, qui minimus ex illis erat, ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, despiciens, dextrâ Adherbalem assedit, ut medius ex tribus, quod & apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, ut ætati concederet, fatigatus à fratre vix in alteram partem transductus est.* In solenni hoc Regum consessu res ità ex more constituta, ut dextrâ Adherbal consideret, medius Jugurtha, sinister Hiempsal. Turbavit per ferociam iste, & superbè transijt ad dextram. Primus igitur locus, medius; proximus, dexter. Quin & Ovidius Lib. IV. Metam. de Perseo:

Dîs tribus ille focos totidem de cespite ponit,
Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica Virgo;
Ara Jovis media est, mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum.

Minervam enim apertè suprà Mercurium collocat, idq; apertum ex ratione victimarum, quam addit: sicut & Hecaten, sivè Dianam, suprà Juventam, istis versibus, Lib. VII.

——————— Statuitq; aras è cespite binas,
Dexteriore Hecates, at lævâ parte Juventæ.

Sic Bethzabæa Salomonem nuper rerum Israëliticarum potitum accedens, à dextris Regi considere jussa est. Verùm Turcæ honestiorem hodieq; habent locum sinistrum. Causam illi dant, quia illam partem gladius honestet: & qui ad dextram, obnoxium eum habeat, & subjectum alterius manu: sinister contrà, eum expeditum. At pro dextro loco pugnat Natura ipsa. Ea etenim meliora omnia & fortiora dextra fecit: & Plinius universè, nec vanè scripsit, *vires dextrâ parte esse majores.* Aristoteles item bene: Διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν, καὶ ἰσχυροτέραν διὰ ταῦτ' εἶναι τὴν φύσιν τῶν δεξιῶν. Et res visusq; approbat: & in corpore humano hepar splene melius: & è renibus, testiculis, manibus, pedibus, potiora omnia dextra.

Causa,

Causa, quia calidiora. Aristoteles: τῶν μερῶν θερμότερα τὰ δεξιά. Sed & movere & agere, dextri est; moveri & pati, sinistri est. Videatur Justus Lipsius Lib. 2. Elector. Cap. 2.

49. *Divini patibuli particulam*] Particulam intelligit divinæ Crucis, quam rerum Christianarum scriptores *Patibulum* nominare solent, quod in eâ Salvator noster Iesus Christus pro mundi totius peccatis acerbissimam passionem & mortem sustinuerit. Prudentius Hymno X. Peristephanῶν, vers. 641.

Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus.

Aldhelmus de Laudibus Virginitatis; Cap. III.

Christus passus patibula,
Atq; lethi latibula,
Virginem virgo virgini
Commendabat tutamini.

Ubi de Christo commendante Johanni matrem suam loquitur. Et Cap. XIV. *Qui cum terna patibuli signacula in glarigeris sablonum litoribus sulcaret.* Sulpitius Severus Histor. Sacr. Lib. II. de inventione Crucis: *Hic verò major dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesq; turbaverat, nè errore mortalium, forsitan pro Cruce Domini, latronis patibulum consecrarent.* Paulinus Nolanus Epist. XI. ad hunc ipsum Severum Sulpitium: *Sed cum tres pariter Cruces, ut quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi justo piorum metu, nè forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo, violarent.* Plautus in Milite Glorioso, quomodo allegat Gellius Lib. XV. Cap. XV. Crucem dixit *patibulum*:

Credo ego isthoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Pag. 229. vers. 6. *Tumulorum impatiens fuit*] De admirandâ hac Cypri insulæ natura, nulla planè apud Historicos ullos, aut Geographos, fit mentio, quod equidem sciam. Nec tamen extra omnem fidem, locum isthic talem inventum fuisse tunc temporis.

12. *Conjugem quoq; ejus idem peregrinationis labor finivit*] Botildam Reginam, Erici pientissimam conjugem, & sacri hujus itineris comitem, Hierosolymis supremum obiisse diem, & in valle Josaphat sepultam, Clarissimus Vir, M. Andreas Vellejus, ὁ μακαρίτης, ad oram suæ versionis ascribendum curavit, nescio quibus edoctus documentis. Alij Chronicon, quod Erico Pomerano, velut autori, perperam ascribitur, secuti, Botildam, unà cum marito, in Cypro insula & mortuam, & sepultam contendunt. Vallem autem Josaphat, quæ & *Vallis Cedron*, & *Vallis montium* vocatur, & vallis est lata atq; profunda, inter Hierosolymam & montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, commune totius civitatis cœmiterum fuisse, ubi & vulgus & Nobiles omnes sepeliebantur, testatur Christianus Adrichomius in descriptione urbis Hierosolymæ p. 95.

47. *Tanto oneri humeros subjicere recusavit*] Forte Ubbo, præter imbecillitatis conscientiam, quam Saxo causam recusati imperij fuisse monet, ad exemplum Regis istius respexit, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquàm capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: *O nobilem magis, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus, periculis, & miserijs sit refertus; nè humi quidem jacentem tollere vellet.* Valerius Maximus Lib. VII. Cap. II.

52. *Eò quidem honore dignior*] Rectè, verè, scitè, & secundùm omnium Politicorum, qui suprà vulgus sapiunt, sententiam, hîc pronunciat Saxo, Vbbonem propterea digniorem fuisse honore & dignitate Regiâ, quod eam spontè non ambiret, sed modeste recusaret. Sunt etenim, qui delatos sibi honores & imperij fasces obvijs ulnis amplectuntur, & lætâ mente eò convolant, atq; eo nomine felices se prædicant. Qui minimè probandi, & ad magistratus gerendos vix admittendi videntur. Nam vel ex levitate quadam, aut ex inani gloriæ cupiditate, aut avaritiâ, aut contentionis studio, aut otio molesto, aliorumq; negotiorum penuriâ, ad Reipublicæ negotia capessenda aspirant, quæ posteà per jocum & ludum tractant, sed tandem eorundem cum dolore atq; dedecore difficultatem experiuntur, suntq; in gubernatione prorsus infelices. Sunt verò rursus alij, qui dubitanter & inviti Magistratum adeunt: atq; hi plerumque melius eum gerunt, quàm qui cupidè sese immiscent. Quo fine, nec Galba Imp. dedit equestria & Senatoria officia nisi recusantibus. Sveton. in Galba. Vidit sapiens ille Princeps igniculos virtutum in hujusmodi hominibus latitantes: consideravitq; haud dubiè Epaminondam, cui recusanti omnia imperia ingesta sunt, quiq; honores ità gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Justinus Lib. VI. Sic T. Quinctius ruri, procul ambitione ac foro, vitam agens, invitus coactusq; dux electus est, benè tamen præfuit. Livius Lib. VII. Decad. 1. Helvius Pertinax Imper. coactus imperavit, repugnansq; imperium suscipiens, tale cognomentum sortitus est. Avrel. Victor. Hisce exemplis haud dubiè motus Severus invitos, nec ambientes, dixit in Rempubl. esse collocandos. Lampr. Et Leoni Anthemioq; Impp. indignus esse videtur sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus l. *si quemquam. 31. in fine C. de Episc. & Cler.* Vide Schonborneri Politic. Lib. II. Cap. VII.

NOTÆ

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XIII. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 230. vers. 16. UT *nihil ex pristina mansvetudine decerperet*] Ælnothus, Monachus Cantuariensis, qui libellum suum de Vita & Passione S. Canuti Martyris, huic ipsi Nicolao Regi inscripsit, eandem mansvetudinis laudem inter cæteras ejus virtutes recenset, in Præfatione Opusculi sui: *Cujus vestra excellentia pietatis modum, pro modulo mortalibus concesso, exequens, & justitiæ severitati mansvetudinis lenitatem præferens; ejus ob hoc, ipso opitulante, gloriæ compos efficieris.*

18. *Cum fortuna animum mutari passus non est*] Id quod tamen multis usuvenire solet, qui suo exemplo verum esse πολυθρύλητον illud comprobant: *Honores mutant mores.* Eorum ingenia graphicè, vivisq; , quod ajunt, coloribus depingit disertissimus Romuli nepotum Tullius noster, in aureo suo Dialogo de Amicitia, quem Cælium inscripsit: *Non solùm ipsa fortuna cœca est, sed eos etiàm plerumq; efficit cæcos, quos complexa est. Itaq; illi efferuntur fastidio ferè & contumaciâ. Neq; quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atq; hoc quidem videre licet, eos, qui anteà commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari.*

24. *Cujus castitatem Rex Norvagiensium Magnus*] Snoro Sturlesonius, autor Chronici Norvagici, linguâ vernaculâ antè aliquot annos editi, tradit, circà Ann. Christi M. C. in conventu trium Regum Daniæ, Norvegiæ, Sveciæ; Magno Norvegiæ Regi desponsatam fuisse hanc Margaretam, cum sic loquitur: *Æstate proximè insequente, anno Christi 1100, apud civitatem Kongbelle, non procul ab Albi præterfluente, solennis Regum conventus institutus est: ubi convenerûnt Ericus Svenonis filius, Daniæ; Magnus Norvvegiæ, & Ingo Sveciæ Rex. Hi paululum extrà vallum, seorsim à militibus suis, progressi, invicemq; colloquuti, fœdus & amicitiam inter se inierunt: & in pignus duraturæ concordiæ, Magnus Norvegiæ Rex conjugio sibi copulavit Margaretam, Ingonis Sveciæ Regis filiam, quæ propterea dicta est* Fredkolle.

28. *Fugæ deformitatem etiàm cognomine usurpavit*] Ab hoc etiam casu *Nudipedis* cognomen sortitus est, vulgòq; dictus *Magnus* Barfod. Verùm Snoro Sturlæsonius in Vita hujus ipsius Magni, Norvegiæ Regis, aliam prorsus cognominis hujus adducit originem & occasionem, dictumq; ex eo *Nudipedem* contendit, quod ipse, juxta ac omnes ministri Aulici, habitu cultuq; Anglorum, Danorum, aliorumq; populorum occidentalium uterentur, & plerumq; nudis incederent pedibus, vestimentisq; ad genua tantum demissis.

A 29. *Cujus manum Ingo saluti suæ perniciter imminentem*] Nemo in literis hisce interioribus adeò hospes est, qui ignoret, *manum* quandoq; sumi pro exercitu, copiisq; hostilibus. Justinus Lib. II. Cap. XII. *Miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta est.* Eod. Libro, Cap. XIII. *Sibi CCC. millia armatorum lecta ex omnibus copijs relinquat: quâ manu cum gloriâ ejus perdomiturum se Græciam.* B Lib. XII. Cap. X. *Ipse cum lectissima manu navibus conscensis, Occeni littora peragrat.* Lib. XIII. Cap. V. *Excursurusq; cum validâ manu fuerat ad Athenas delendas.* Lib. XXVII. Cap. II. *Quam gentem se aliquantò majore manu Græciam ingressam.* Tacitus Annal. II. *Missa extemplo manus, quæ hostem à fronte eliceret.* Et Ibid. *Is validâ manu fines Marcomannorum ingreditur.* Et Annal IV. *Mox castris in loco communitis, validâ manu montem occupat.* L. An. Florus Lib. I. Cap. XII. C *Assidui verò & anniversarij hostes ab Etruria Vejentes: adeò ut extraordinariam manum adversus eos promiserit.*

33. *Artuatim obtritus*] Glossarium Isidori: *Artuatim, membratim.* Julius Firmicus Lib. VII. Cap. I. *Si Luna in Horoscopo fuerit inventa, & Mars sit in duodecimo ab Horoscopo loco, Saturnus verò in anaphora Horoscpi positus, sol quacunque radiatione respiciat, pecus intrà viscera matris artuatim concisum à Medicis proferetur.* Pro eo usus est D τῷ *membratim* Apulejus. Ut Libr. VI. Metamorph. *Vides istas rupinas proximas, & præacutas in his præminentes silices, quæ te penetrantes, quaquâ decideris, membratim dissipabunt.* Item Lib. VIII. *Corpus ejus membratim laceratum, multiq; dispersum locis conspicitur.* Et Lib. IX. *Nec dubito me lanceis illis & venabulis, imò verò & bipennibus, quæ facilè famuli subministrabant, membratim compilassent.* Ejusmodi Adverbia multa in IM, collegit Vir Clariss. Geverhartus Elmenhorstius E Indice in Apulejum. Tale est illud Saxonis nostri, quod sequitur, *viatim*, id est, per totam viam.

39. *Teterrimum consangvineæ cædis piaculum edidit*] Occiso nempe Canuto Duce, patruele suo: cujus cædis mentionem mox infrà agit Saxo.

Pag. 232. vers. 3. *Limosam objecti lacunaris voraginem*] *Lacunar*, pro, Lacunâ, rara admodùm vox est, & melioris notæ autoribus planè inco- F gnita. Joannes tamen Januensis in Catholico suo: *Lacunar idem est, quod lacuna.*

24. *Finibus illis provisore vacuis*] *Provisor* hic Præfectum significat, sive Præsidem, Toparcham,

cham, aut quicunque summâ cum potestate ac imperio provinciam administrat. Ælnothus Præfatione ad Nicolaum Regem: *Principum duci præcipuo, Nobilium primicerio, pio, invicto, magnifico; Daciæ provisori serenissimo.*

31. *Nec minor æditourum*] Æditui hic sunt, vel qui ædes ipsas inhabitant, vel qui ædes tuentur; quos paulò post, *ædium excubitores* vocat. Digestor. Lib. XXVI. de Tutelis: *Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exq; re ipsa nomen ceperunt. Itaq; appellantur Tutores quasi tuitores atq; defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.* Agellius Lib. XII. Cap. X. omninò contendit pro *æditúo* rectius usurpandum esse *æditumum*, utpotè verbum Latinum & vetus. Sed ego cum illo non duco funem contentionis. Lucretius Lib. VI. *æditúos* appellat *æditúentes.*

41. *Nulli facta ejus apertâ criminatione insequendi*] In eandem sententiam verba sunt verè aurea Ammiani Marcellini, ex occasione scelerum Valentiniani: *Hæc & similia altiore fastu Principes quidam agunt, quod amicis emendandi secus cogitata vel gesta, copiam negant, inimicos loqui terrent amplitudine potestatis.* At verò longè aliter Julianus Imperator, *qui agnoscens levitatem commotioris ingenij sui, præfectis proximisq; suis permittebat, ut fidenter impetus suos aliorsus tendentes atq; decebat, monitu opportuno frænarent: monstrabatq; subinde, se dolere delictis, & gaudere correctione:* quomodo verba habent ejusdem Ammiani Marcellini, Historici luculentissimi, Lib. XXII. pag. 239. *Nam ea demùm laus grata esse potestati debet excelsæ, quum interdum & vituperationi secus gestorum pateat locus.* Ejusd. Lib. XV.

44. *Quam educator ejus*] Videlicet Skjalmo Candidus, cui commissam fuisse Canuti tutelam superiore Libro XII. ostendit Saxo. *Skjalmoni verò Candido splendidissimæ atq; integerrimæ autoritatis viro, cui non solùm totius Sialandiæ, sed etiàm Rugiæ vectigalis à se factæ, procurationem detulerat, peragendæ circà Canutum educationis officium mandat.*

Pag. 233. vers. 5. *Se pecuniæ, sed eam Regi imperare*] Affine est illud Themistoclis responsum, quod extat apud Valer. Max. Lib. VII. Cap. II. Nam unicæ filiæ pater Themistoclem consulebat, utrum eam pauperi, sed ornato; an locupleti parùm probato collocaret? cui is; malo, inquit, virum pecuniâ, quàm pecuniam viro indigentem. Quo dicto stultum monuit, ut generum potius, quàm divitias generi legeret.

39. *Sangvinis, quo illum proximè contingebat*] Nam mater Henrici Siritha, amita fuit Canuti. Saxo suprà Lib. XI. *Sed & filia Siritha, quæ postmodùm Gutschalco Selavico conjux accessit, pellice pariter orta creditur.*

Pag. 234. vers. 20. *A quo etiàm Imperatoris gratia*] Is fuit Lotharius Saxo Imperator, apud quem, instante Henrico, & diligentius rem agente, Canutus Obotritorum Rex declaratus

A est. Albertus Stadensis, ipsum Canutum profectum ad Imperatorem Lotharium, oblatoq; immenso pretio, Vandalici regis nomen ac coronam impetrasse scribit, ad Annum Domini M. C. XXXIII.

Pag. 235. vers. 3. *Ne degenerati patris fulgor*] Valde rara locutio. *Degeneratus pater* est, à quo degeneravit filius. Valerius Maximus Lib. V. Cap. VIII. de filio M. Scauri: *Itaq; si quid modò* B *reliquum in pectore verecundiæ superesset, conspectum degenerati patris vitaret.*

Pag. 236. vers. 7. *Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas*] Plura ejusdem insaniæ exempla abundè nobis varia Historicorum monumenta suppeditant. Sic memoriæ proditum est, tonitrua allusisse Salmoneum quendam, Æoli filium, de quo Virgilius Æneid. VI. vers. 585.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
C *Dùm flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi,*
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans,
Per Grajum populos, mediæq; per Elidis urbem,
Ibat ovans, divumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum cursu simularet equorum.

Vbi Servius: *Salmoneus fabricato ponte æreo, super eum agitabat obmunitos æreis canthis currus ad imitanda tonitrua.* Alij sunt, qui tympanis id di- D cant factum, quæ ex siccis corijs consuens Salmoneus, sonos quosdam edebat, tonitruis similes. Ideo Nazianzenus Orat. II. adversus Julianum: Καὶ Σαλμωνεύς τις ἐξ βύρσης βροντῶν: *Salmoneus quispiam è corio tonans.* Vide Hyginum Mythologici Cap. LXI. Apollodorum in I. Germanum Valentem Gvellium in Commentar. ad VI. Æneid. Joann. Ludov. de la cerda, ibidem. Salmoneo annecti poterit *Aremulus Silvius*, qui tonante cœlo militibus imperavit, ut te- E lis clypeos quaterent, clariorem se sonum facere existimans. Anonymus de Origine gentis Romanæ, sivè is S. Aurelius Victor est. Apud Agathiam Lib. V. *Anthemius* fulgura & tonitrua effingebat, excogitatis quibusdam collisionibus complosionibusq; rerum, quæ valdè essent sonoræ, atq; ità immanes quosdam fragores edebat percellendo sensui aptissimos. Apud Cedrenum Chosroes mahinas quasdam paraverat, quæ guttas demitterent tanquam pluviam, & F tonitrui sonitus resonarent. Simillima etiàm Alladius apud Dionysium Lib. I. Antiquit. Quæ sint porro *Claudiana tonitrua*, Festus tradit. Græci labrum illud æneum, in quod clavi lapilliq; conjecti circumactiq; tonitrua imitabantur in scena, βροντεῖον appellant: nonnulli βροντεῖον locum post scenam esse malunt, in quo id fiat.

10. *Tantæ sonoritatis vim*] *Sonoritas* sonus est clarus & immanis. Johannes Sarisberiensis

V Lib. II.

Lib. II. Cap. XVI. Policratici de Socrate, qui ex A ara Veneris viderat sibi offerri cygnum, *tantâ vocis sonoritate canentem, ut totum mulceret orbem.* Ità *Sonorum tonitru* Claudianus dixit 2. Paneg. 6.

Pag. 237. vers. 51. *Causabundus aggrederis*] *Causandi* vox propria in foro & judicio. Medij ævi scriptoribus usitata pro *culpare, reprehendere.* Columbanus Abbas versu 104.

Cumq; alium causes, propriam prior inspice vitam.

Papias: *Causari, causas agere; vel Reprehendere, calumniari, culpare,* Videantur Melch. Goldasti B Notæ in Columbanum pag. 125. Hinc *Causabundus* est qui accusat, crimen intentat.

Pag. 239. vers. 33. *Notissimam Grimildæ ergà fratres perfidiam*] De insignitâ hac Grimildæ in fratres perfidiâ, tres hodieq; exstant vetustissimæ Cantilenæ, inter cætera antiqua carmina, quæ de priscorum Heroum gestis, summo studio collegit, Vir Clarissimus & Antiquitatum Danicarum indagator diligentissimus, M. Andreas Vellejus, Historicus quondam Regius di- C gnissimus: qui & ipse in Præfatione, tribus hisce cantilenis præfixâ, totius negotij summam, & rei gestæ seriem, breviter hunc in modum exponit. In mari Balthico sita est insula *Hvena,* Scaniam Selandiamq; pari propemodum spatio à se utrimq; remotam habens, rerum ingentium & sublimium gloriâ illustris, maximeq; nobilis. Nomen verò & appellationem sortita est hæc insula, à *Hvenilda* gigantissâ, quæ eam inhabitaverat. Olim quatuor arcibus insignis D fuit; quarum fundamenta adhuc animadvertere est, sed rudera nulla sunt residua. Nomina verò earum adhuc recensentur, quarum una *Synderburgum* dicta, versus meridiem sita erat; eiq; oppositas partes tenebat *Nordburgum;* sicuti alia ortum hyemalem, *Carlshöi* nominata; *Hammera* verò æstivum respiciebat. Hanc quoq; insulam memoriæ proditū est incoluisse quondam Illustrem Heröa *Nöglingum,* cognomento *Niding;* qui filiam ex conjuge Botilda tulerat *Grimildam,* E virginem ortu nobilissimam, sed indole pessimâ & animo ad omnes dolos fraudesq; exercitatissimo. Ea primùm nupserat Generoso Viro, Domino *Sigfrido Horn,* cujus apud Germanos in Athletarum Historia celebris est commemoratio. Priore marito defuncto, Grimilda ad secundas transiens nuptias, fratres suos *Haquinum,* cui à rebus fortiter ac præclarè gestis, cognomentum *Herois* incessit, & *Falquardum,* ab insignibus, quæ Citharam præferebant, vul- F go *citharœdum* dictum, in insulam, ad solennem convivij genialis festivitatem invitavit. Quo quum advenissent, validissimos quosque, ex ingenti pugilum, quos alere solebat, numero, perfidè subornat, qui utrumque incautum, & nihil doli suspicantem, invadentes opprimerent. Verum Haquinus invicto animi corporisq; robore egregiè se defendens, immissos à sorore percussores ad unum omnes obtruncavit, atq; intentatum capiti suo discrimen hoc modo evasit. Sed frater Haquini Falquardus non minus animosè dimicans, tandem cœsis cunctis pugilibus, qui ad se interimendum venerant, ipse speciosâ morte occubuit. Quamvis veteres Hvenensium annales Falquardum, quum fratrem suum Haquinum ab athletis Nordburgensibus peremptum falsò comperisset, epoto cornu, interfectorum à se pugilum sangvine repleto, voluntariam sibi necem conscivisse tradant. Cæterùm Grimilda, intellecto, Haquinum omni defunctum periculo, adhuc superstitem agere, furore percita, sed vultu lætitiam præ se ferens, Nordburgum contendit, ibidemq; cum fratre Haquino fœdus & amicitiam contrahit, hac conditione; ut si qui pugilum suorum humi eum semel prosternerent, nequaquam in pedes sese erigendo assurgeret, verùm genibus nixus defensionem suam exequeretur. Quo pacto inito, callidissima fœmina, in ipso arcis aditu, bovinum corium probè madefactum, pisis insterni curavit, ut lubrici tergoris offendiculo incautos fratris subigeret gressus. Mox totis viribus tres simul athletæ Haquinum adoriuntur, infirmoq; gressu vacillantem facilimè ad terram affligunt. Quos tamen ille omnes, lethali prius vulnere saucius, ferro consumpsit. Idem verò Haquinus paulo anteà, Grimildæ permissu, in uxorem duxerat nobilissimam virginem *Hvenildam;* ex quâ natus est ipsi filius nomine *Rancko,* qui patris patruiq; cœdem hoc astu egregiè ultus est. Etenim Grimildæ persuasit, in colliculo propè arcem Hammeram, ingentis pretij thesaurum reconditum delitescere, cujus custodiam, unà cum conditorij clavibus, pater moriens sibi demandasset. Ad eum visendum amitâ fortè deductâ, in antrum quidem cum ea ingreditur; sed mox cursu citato extrà cavum se proripiens, valvas pessulo obdito firmiter occlusit. Ubi illa paulò post fame & squalore enecta miserrimè perijt.

Pag. 240. vers. 43. *Petrus matre Botildâ natus*] Quemadmodum Rex Daniæ Sveno, non à patre Vlfone, filium Vlfonis; sed à matre Esthrita, *Esthritium* se nominari voluit: ità hic Petrus à matre Botildâ, vulgò *Botildæ filius,* in omnibus Annalibus Danicis appellatur, suppresso parentis nomine, quod & ipsum propterea planè ignoratur. Fuit autem Petrus, Episcopus Roschildensis, secundùm Nobilissimum Hvitfeldium; & in prælio Fotevicensi unà cum quinque Episcopis occubuisse dicitur Anno Christi cIↄ. C. XXXV. Hic quoq; est idem ille Petrus Botildæ filius, qui Monasterium Beati Petri, in oppido Nestvedensi, è bonis suis hæreditarijs fundavit: quod posteà in vicinam silvam translatum est, & tandem Illustri Scholæ dicatum à Nobilissimo Viro Dn. HERLUFO TROLLE, ejusque conjuge Nobilissima Dn. BIRGITTA GØIE. Idipsum testatur vetus Mona-

Monasterij hujus Calendarium aureis literis in membranâ nitidè descriptum, quod mecum ex singulari gratiâ & favore communicavit Illustris & Generosus Heros, Dns. Christophorus Vlfeld de Svenstrop, Eques auratus, & regni Daniæ Senator amplissimus: cujus sub initium hæc leguntur verba. *Nomina Nobilium virorum ac mulierum & fundatorum nobis bona sua largientium; videlicet, Dominus Petrus filius Botildis, fundator loci: Domina Botildis mater ejus: Domina Unæ uxor ejus: Georgius Comes; & Dominus Hemmingus fraters Domini Petri: Domina Cecilia, uxor Georgij: Touæ, uxor Hemmingi: Dominus Georgius, filius Domini Petri: Domina Margareta uxor ejus: Dominus Kanutus, filius Petri: Domina Cecilia, uxor ejus: Dominus Job, filius Petri: Domina Asa, uxor ejus: Dominus Saxe & Kanutus, filij Domini Georgij: Domina Christina Soror eorum: Dominus Thuco, filius Kanuti; & Kanutus frater ejus; & Domina Cecilia soror eorum: Dominus Agho, filius Job: Dominus Eskillus, Episcopus Roschildensis; coadjutor & coôperator in fundatione Domini Petri: Dominus Nicolaus, Episcopus Roschildensis, & Dominus Thuco & Dominus Suno, fratres sui: Dominus Ingvarus Episcopus Roschildensis &c.* Eadem ferè nomina occurrunt in ipsis Fundationis literis, quæ in Archivis illustris Scholæ Herlovianæ hodieq; asservantur. Harum ego exemplum nactus cum essem, in gratiam eorum, qui Antiquitatibus nostris pretium aliquod ponere norunt, hoc loco inserendum duxi: *Universis præsens Scriptum cernentibus, Nicolaus divinâ miseratione Roskildensis Episcopus, Salutem in omnium Salvatore! Notum facimus universitati vestræ, quod nos Privilegia super donatione possessionum infrà scriptarum, à Petro Botildis filio, & fratrum suorum, nec non & matris eorundem, Monasterio Beati Petri, Næstvveth piâ liberalitate indulta prospeximus, & ad petitionem Domini Abbatis Monasterij memorati, verbo ad verbum transcribi fecimus in hunc modum: In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Ego Eskillus, Roskildensis Ecclesiæ, Dei gratiâ, Episcopus, notum esse volo omnibus Catholicæ Ecclesiæ filijs, tàm præsentibus, quàm & futuris in posterum, qualiter Petrus Botildis filius, fratres quoq; ejus Hemmingus atq; Georgius, unà cum matre suâ, charitate divinâ succensi, consolatorij spiritus rore perfusi, decorem domus Dei ampliaverint, & fundamento ejus, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, gemmas, lapides polites & pretiosos superædificaverint. In hac ergò convalle lacrymarum ascensiones in corde suo disponentes, ut recipiant pro parvis magna, pro terrenis cœlestia, cohæredem & Dominum fecerunt, & Ecclesiam in Næstvveth, quæ juris eorum videbatur, nostrâ concessione, cum omnibus suis Appendicijs, Deo & Sancto, Petro ad Monasticam inibi instituendam vitam, secundùm Beati Benedicti Regulam, per manus nostras delegaverunt. Ad stipendia quoq; ibidem Deo militantium suum participati sunt patrimonium, Petrus in Lathby & Bukketorp* A *curiam suam, ut ipse possederat, cum omni familia & agris, pratis, & silvis, Mansum unum & dimidium & quadrantem dedit, & sextam partem silvæ, quæ Foxingsvvoræ dicitur, in Mön in villa Kelby quinque mansos & dimidium. Hemmingus in villa Alebech dimidium mansum, & in Falstria in Gætesby & Skælby & VValnæs duos mansus, eo jure pratorum silvarumq;, ut ipse habuerat. Mater verò eorum in Næstvveth parvâ medietatem villæ & silvæ, quæ Lathbyvvoræ nuncupatur, & Thorp; & in Nestvveth* B *majori mansum unum, & quadrantem, & molendinum donavit. Hæc pro remedio animarum suarum suorumq; pro salute videlicet viventium, pro refrigerio decedentium, præfatæ Ecclesiæ contulerunt, & ut nulli unquam mortalium quicquam nec sibi, nec suis hæredibus, salvâ in omnibus Episcopali Reverentia, debeant, manu nostrâ roborari, bannoq; nostro confirmari petierunt. Huic eorum pio affectui justæque petitioni libenter annuens Ego Eskillus servorum Dei servus, simulq; cum ipsis in Resurrectione* C *partem beatam habiturum me credens: volui in Domino juvare manus eorum; Memento ergò mei Deus in bonum, & eandem Ecclesiam in Nestveth, & eam quæ est in Chierby, nec non & eam, quæ est in Hasleva, & omnia eis attinentia, Deo Sanctoq; Petro in eodem loco, unà cum prædictis fratribus manumisi: & ut servi Dei liberâ hæc quiete possideant, omne exhinc Episcopale tributum, eis quod moris est Eccesiarum, remisi: nec deinceps seculari aut Ecclesiasticæ cuiquam personæ in aliquo subjaceant, præ*D*terquam Episcopo, in cujus sunt Diœcesi, debitam subjectionem, & quæ sanctos debet, obedientiam exhibeant. Ipse verò omni sollicitudine curam eorum gerat, consoletur, sustineat, si quid inter eos, quod absit, controversiæ, ortum fuerit, si Prælatus eorum nequiverit, per ipsum emendari & corrigi canonicè debebit. Quin ergò, annuente Deo, propter spem retributionis æternæ, ad memoriale perpetuum, tàm nostri, quàm & successorum nostrorum, volumus Ecclesiam hanc in bonis omnibus augere, concedimus* E *eisdem Fratribus nostri juris Decimam in toto quadrante de Thiuthabjergs hærith, in quo consistunt: itemq; Decimas suarum omnium in nostro Episcopio possessionum, & præsentium, & futurarum in perpetuum, ut si quando pro utilitate Ecclesiæ, intrà vel extrà provinciam, ad Synodum vel Concilium eundum fuerit, pro ut Episcopo visum fuerit, aut cum eo, aut ejus vice, Abbas suâ expensâ honestiori vadat. Hæc ut rata & inconcussa permaneant, præsentis Privilegij sanctione firmavimus, & sigilli no*F*stri impressione signavimus. Si verò aliqua Ecclesiastica secularisvè persona hæc nostra statuta violare tentaverit, & servos Dei inquietare temerario ausu præsumserit, secundum occasionem commonita si non resipuerit, divinæ ultioni subjaceat, cum Dathan & Abiron, quos terra deglutivit, dispereat, duplici contritione conteratur, de libro viventium eradicetur, induatur sicut diploide, confusione sua, sitq; Anathema Maranatha. Fiat fiat. Amen. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXV. Indi-*

ctione IV. imperante Lothario, Romanorum Cæsare Augusto: anno V. Erici Danorum Regis, Episcopatus autem Eskilli, Roschildensis Ecclesiæ Venerabilis Episcopi, Anno II. in villa Næstvveth, his testibus: Salomon Præpositus, Richard ejusdem Ecclesiæ Prior, Hermannus Episcopi Capellanus, Elias, Ericus, Isaac, Boso, majoris Ecclesiæ Canonici: Laici quoq; Karolus Agonis filius, Tholf Godescalki filius, & Hemmingus filius ejus, & Ingulf Vbbi filius, Gundi Hemmingi filius, Lubbi in Stenchilstorp, Bo filius ejus, Sunni de Rivæbeck, Bo Asceri filius, & complures alij, 3. Calendarum Decembrium, Præsidente Catholicæ Ecclesiæ Universali, Innocentio Papa Secundo. Quia verò Originalia Privilegiorum sinè periculo non possent aliquibus exhiberi, testimonium super præmissis omnibus dignum duximus perhibere, & præsentem paginam transcriptorum, Sigilli nostri munimine communire. Datum Humbleoræ, XV Kalend. Julij, Anno Domini M. CC. XLV.

46. *Tunicam ejus crebris foraminibus absumptam*] Nihil vehementius misericordiam accendit, quàm signa illatæ injuriæ; ut vestes eorum, qui mala sunt passi. Eo consilio Antonius, qui posteà triumvir fuit, in funere Caji Julij Cæsaris, concioni vestem ostendit pugionibus ac gladiis perforatam: eòq; Bruti & Cassij caussam evertit apud plebem; ut quæ hac re accensa ad conjuratorum ædes cucurrerit, quò eas incenderet. Apud Maronem quoq; haud absimile est exemplum. Nam quamvis Æneas jam ad misericordiam inclinare cœperat, tamen viso Pallantis baltheo, quem Turnus interemerat, recruduit ira. Quippe ait, Æneid. XII.

Ille oculis postquam sævi monumenta doloris,
Exuviasq; hausit, furijs accensus, & irâ
Terribilis: tunè hinc spolijs indute meorum
Eripiare mihi?

Etiàm Clotildis Clodovæi filia, durè sæviterq; habita à marito Almarico, Visigothorum Rege, cum sudarium suo imbutum sangvine misisset ad fratres suos Childebertum, Clotharium, & Theodoricum, Francorum Reges, immane illud bellum excitavit, quo res Visigothorum penitus fuêre attritæ & deletæ; ut apud Gregorium Turonensem legitur Lib. III. Cap. X. & inde apud P. Æmylium Lib. I.

Pag. 242. vers. 34. *Regio apud Isoram nomine insigniri nequiret*] *Isora* portus est Sialandiæ, quem angustissimus efficit maris sinus ad ipsum usq; oppidum Roschildense procurrens. Nostratibus vulgò dicitur Iisefiord/ vel Isørefiord. Celebratissimus hic in Annalibus nostris locus est, cùm ob Regum electionem è veteri memoria ibidem peractam, tum propter res alias insignes, quæ subinde in eo contigerunt. Sic in Isora Rex Daniæ Hotherus electus est & constitutus. Saxo Lib. III. *Inde Sialandiæ portum Isoram ingenti classis numero occupat, imminentis fortunæ beneficio usurus. Ubi Rex ab occurrente sibi Danorum populo constitutus.* In Isora Poppo, Episcopus Arhusiensis, candentem ferri laminam, chirothecæ formam habentem, confirmandæ religionis ergò, intrepidè gestavit. Saxo Lib. X. *Hic Danorum concione publicè apud portum, cui glacici frequentia agnomen peperit, habitâ, cum eos, nè fana excolere vellent, sermone flectere nequiret, evidenti indicio certissimum assertioni suæ argumentum præbuit, doctrinæq; fidem conspicuo sanctitatis miraculo probavit.* Apud Isoram Haraldus VI, cognomento Hein, Regium diadema adeptus est. Saxo Lib. XI. *Igitur Isoram, habendi delectus gratiâ, conveniunt. Ibi quidem ingens Oceani vastitas ostijs admodùm angustis excipitur, furensq; fretum, coactu littorum, in arctas fauces terra compellit. Medium sinus arenæ tenent obscura nautarum celantes pericula. Nam ut abiens ea æstus aperit, ità rediens claudit.*

37. *Literas ad Lotharium facit*] *Literas facere*, pro, literas dare, ad aliquem scribere, usitata isti ævo loquendi formula. Lupus, Abbas Ferrariensis, Epist. VII. *Feci autem literas ad Andoinum & Ebronum de tua reversione.* Quin & Justinum sic locutum invenio Lib. XXVII. Cap. II. *Inde ad Antiochum fratrem literas facit, quibus auxilium ejus implorat.*

40. *Secus Jutiæ mœnia*] Intelligit munimentum illud longè celebratissimum, quod propè Slesvicum, contrà exterorum irruptiones, ab Illustrissima Regina, & Danicâ Semiramide, Thyra Danebod, exstructum erat, vulgò Danewerck dictum. Id quod sequentia declarant verba: *At Magnus utriusq; hostis adventum accuratâ valli munitione præcurrens, validum portus præsidium applicuerat. Interjectis diebus, Nicolaus citeriora valli immenso Jutorum agmine circumfudit.*

Pag. 243. vers. 3. *Nicolaus occasivum Daniæ militem contrahebat*] Hoc est, Nicolaus Rex copias conscribebat ex provinciis Daniæ ad Solem occasum sitis, ut Jutia & Fionia: cum contrà Ericus ex Scania & Selandia, quæ Orientem spectant, auxilia compararet.

Pag. 244. vers. 21. *Tormentorum artificia mutuatus*] Per *tormenta* hic non intelligenda veniunt, ænea sivè ferrea illa; quorum hodiè magnus in bello usus. Ea etenim multis post annis inventa, & quidem autore humani generis hoste Diabolo. Verùm catapultæ, ballistæ, & id genus aliæ mahinæ, quæ jaculandis saxis inserviebant; id quod ex verbis sequentibus liquidò patet. Tormentum enim generale vocabulum est omnium machinarum, saxa, tela, & id genus varia torquentium. Cæsar 4. bell. Gall. *Atq; inde fundis, tormentis, sagittis hostes propelli ac submoveri jussit.* Cicero ad Catonem: lib. 15. *Aggere, vineis, turribus oppugnavi, usus q; tormentis multis.*

Pag.

Pag. 245. verf. 51. *Quò occupatius, hoc negligentius*] Non enim fimul poffumus facere multa, eademq; benè. Hinc rectè Xenophon. Lib. III. Inftitut. Cyri. Ἀδύνατον τὸν πολλὰ τεχνώμενον πάντα ποιεῖν καλῶς. *Impoffibile eft eum, qui multis operam impendit, omnia rectè facere.*

Pag. 246. verf. 44. *Pijffimi viri interitum*] Nempè S. Canuti Ducis, quem Magnus, perjurus & perfidus parricida, tàm nefarie trucidaverat.

Pag. 247. verf. 22. *Ad ultimum & regium abfumpferunt*] Atq; ità & Magnus & Nicolaus, fangvine fuo profufo, juftas meritasq; occifo Canuto dedêre pænas. Adeò rariffimè impunitate fcelera gaudent. Inprimis verò Deus Opt. Max. & juftus Judex, punire folet injuftas cædes & homicidia. Omnes enim homicidæ injufti rapiuntur ad pænas. Et licet aliquamdiu effugiant manus magiftratus; tamen eos Deus mirabiliter ad pœnam retrahit. Hoc fit ità univerfaliter: *Qui gladium acceperit*, [fcilicet non datum à legibus] *gladio peribit.* Sic olim percufforum Cæfaris neq; triennio quifquam amplius fupervixit, neq; fua morte defunctus eft. Damnati funt omnes; alius alio cafu perijt; pars naufragio, pars prælio. Nonnulli femet eodem pugione, quo Cæfarem violaverant, interfecerunt. Svetonius in Vita Cæfaris.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XIV. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 247. verf. 16. *Perfidiæ exprobratione pulfabat*] Hoc eft, perfidiæ illis crimen objectabat, perfidiæ eos ac proditionis accufabat. *Pulfare*, pro accufare, objurgare, affligere, vexare, defatigare, vel confimili fignificatione, apud alios bonæ notæ autores obvium eft; inprimis verò apud ævi pofterioris fcriptores. Valerius Maximus Lib. I. Cap. VI. *M. Craffus plurimis & evidentiffimis, antè tantam ruinam, monftrorum pulfatus ictibus.* Sic *crimine pulfari*, apud Claudianum Libro de bello Gildonico: *Infamiâ pulfari*, apud Firmicum, Mathefeos Lib. VIII. Cap. XIX. *Lite pulfatus*, apud Symmachum Lib. X. Epift. XLV. *Dolore pulfari*, Evgippius in Vita Severini. Cap. LXIV. *Invidiâ pulfari*, Adrevaldus in Tranflat. Benedicti Cap. VIII. Hanc verò nos fyllogen debemus eruditiffimo C. Barthio in Notis ad Phæbadium. pag. 104. Cui nos fequentia addimus: Ammianus Marcellinus Lib. XIV. pag. 18. *Eodem tempore Serenianus pulfatæ majeftatis imperij reus à Lege poftulatus.* Et Lib. VX. *Gravi mole criminis pulfabatur.* Eodem Libro, pag. 43. *Vitam pulfaturus infontis.* Et rurfus ibidem: *Pulfare infontem.* Hericus, Monachus Altiffiodorenfis Lib. VI. de Vita S. Germani:

——— *Immodicæ pulfatus verbere febris.*

Philoxenus Gloff. *Pulfat*, αἰτιᾶται, ὠθεῖ. Ibidem: *Pulfati*, κατακτπάμενοι, αἰτιαθέντες. Valerianus Cimelenfis, Sermone de Bono difciplinæ: *Ne noftram negligentiam pulfet*, id eft, accufet. Valerius Maximus Lib. VI. Cap. II. *Pulfata eft tunc eximij civis potentia, hinc invidiosâ querelâ, hinc lamentatione miferabili.* Videantur quæ fuprà annotavimus ad hæc verba Lib. I. *Nec tua bilis Pectora pulfet.*

Pag. 249. verf. 5. *Solenni ritu prolui juffi*] Hoc eft, Luftrici lavacri gurgite, & falutari Baptifmatis fonte ablui & purgari.

25. *De fceptrato cucullatus evafit*] Magnus fceptro & regno privatus cucullum Monachalem induit, & affumpto habitu religiofo, in Monafterium fe abdidit. Quis verò tam obefæ eft naris, qui non hic ftatim iftius ævi fordes olfaciat? Monftra vocabulorum, *fceptratus, cucullatus*: quæ tamen, & id genus alia, tenerius adamavit iftius feculi barbaries, quàm fimia fuos pullos. Johannes Hantvillenfis Archithrenij Lib. III. Cap. XVII.

Abfit ut hæc lateat fceptratos gloria ——

A fceptro *fceptratus*, ficut à cucullo, *cucullatus* inflectitur. Senfus omninò eft: Magnus ex Rege Monachus factus eft.

35. *Tantis laudibus profequi confveverat*] Hinc *Emundi* cognomentum fortitus eft; quafi diceres *Jactatorem*, qui inanes flaret glorias, qui fortius dicere, quàm facere folebat, cujusq; virtus in linguâ unicè fita erat: verè *Miles gloriofus* Plauti.

46. *Petri Botildæ filij collegium nactus*] Id eft, Petrum Botildæ filium, conjurationis adverfus Ericum Regem, focium, confortem, & ὁμόψηφον nactus. Eo namq; fenfu *Collegij* vox ufurpatur libro præcedente: *Qui fe fuperius Henrico fceleftiffimi confilij collegio fociaverant.* Et paulò poft: *Protinus collegio fe peftiferæ conjurationis abrupit.* Et hoc ipfo Libro: *Saxoniæ Satrapam in armorum militiæq; collegium follicitat.* *Collegium* etenim propriè *focietatem* fignificat medij ævi fcriptoribus. Eleganter fanè autor Queroli: *In amicitiam & fidem ftultum nè receperis. Nam infipientum atq; improborum facilius fuftinetur odium, quàm collegium.* Prudentius Cathemer. Hymno circa Exequias:

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sinè mente videmus:
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.

Ad quem locum ità Æl. Anton. Nebrissensis: *Collegia alti sensus*, id est, societatem animi, qui altùm sentit, & profundè intelligit. Sic *Collegium Fastorum*, pro Collegio Consulum, quorum nomina Fastis inserebantur, dixit Ammianus Marcellinus Lib. XVI. Et Libro XXIII. *In collegium trabeæ adsciscì.* Eucherius Epistola de Comtemptu Mundi, ubi de duabus rebus agit, quæ maximè homines in negotijs seculi vinctos tenent, & eblanditis sensibus captos illecebroso amore constringunt, videlicet, Opum voluptate & Honorum dignitate: *Hæc utraque*, inquit, *alternis nodis irretitis gressum impediunt, fallax complexa collegium.* Ubi pro *irretitis*, fortè *irretitum* est legendum, ut ad *gressum* referatur. Aldhelmns de Laudibus Virginitatis Cap. VII. *Inseparabilis Angelicæ sodalitatis collegio perfrui mereatur.* Ità *Collegium Episcopale*, apud Optatum Afrum Milevitanum, Lib. 1. nihil aliud quàm Episcoporum universum ordinem & societatem significare, rectè observavit Cl. Vir, Mericus Casaubonus, magni parentis haud degener filius, in eruditissimis suis ad eundem autorem Notis.

Pag. 250. vers. 7. *Cui, ex patientiâ, Agni cognomen obvenit*] Non secus ac Q. Fabius Maximus ex morum clementia *Ovicula* dictus. Autor de Viris Illustribus urbis Romæ. Nostratibus dictus est *Erich* Lamb. Helmoldus vocat *Ericum* Spage.

Pag. 251. vers. 1. *Ne singulariter in hostem procurreret*] Ne solus & absq; comitibus in hostem impetum faceret.

13. *Quâ reis patriæ bonorum pœna*] *Reos patriæ*, suo more & loquendi modo, eos hic appellat Saxo, qui hostilia adversus patriam arma tentassent; vel, ut ipsius verba Lib. V. habent, *qui inimicum civibus scutum attulissent.* Nostrates dicunt, De som fore Affuind skiold imod deris Fæderneland. Nam de his ipsis talem quondam Legem tulerat Frotho III, Rex Daniæ, *ut rerum ac vitæ periculo pœnas luerent.* De qua vide Lib. V. Ad eundem verò modum loquitur noster infrà Lib. XV. *Quorum patrimonium VValdemarus lege, quæ patriæ reos omnibus bonis damnat, adeptus.*

38. *Fabulosæ cujusdam opinioni credulus*] Ridiculâ planè superstitione quædam loca olim, quasi fatalia, & mali ominis, vitabant Reges Daniæ. Talem fuisse *Landoram*, innuere videtur Saxo. Sic & alia quamplurima in augustissimo hoc Daniæ regno loca Regibus fatalia esse, & non sine summo vitæ discrimine ab ijs adiri posse, credulum vulgus hodieq; existimat: ut sunt; in Selandia, *Heddinga* oppidulum, Pons *VVera*; in mari Balthico, Samus in-

A sula; & nescio quæ non. Ità *Lincolnia* civitas suspecta quondam fuit Angliæ Regibus. Gvilielmus Neubrigensis Lib. I. Cap. XVIII. *Anno regni sui duodecimo, cum Rex Stephanus extortâ de manibus Comitis Cestrensis civitate Lincolniâ potiretur, ibidem in celebritate Natalis Dominici solenniter voluit coronari: vetustam superstitionem, quâ Reges Anglorum eandem civitatem ingredi vetabantur, laudabiliter parvipendens. Deniq; incunctanter ingressus, nihil sinistri ominis, sicut illa*
B *vanitas comminabatur, expertus est; sed regiæ coronationis solennibus adimpletis, post dies aliquot, cum exultatione, & superstitiosæ vanitatis derisione, egressus est.*

Pag. 252. vers. 54. *Non tàm pudicitiâ, quàm parentelâ conspicuam*] *Parentela* familiam, cognationem, progeniem, prosapiam, consanguinitatem significat Jul. Capitolinus in Gordiano: *Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, duxit uxorem filiam Misithei, doctissimi viri,*
C *quem causâ eloquentiæ dignum parentelâ suâ putavit.* Valerianus Cemeliensis Homiliâ 1. de Bono Disciplinæ, pag. 139. *Non ità Propheta gradum parentelæ, aut necessitudinem consangvinitatis exposuit, ut extraneos à gratiâ fraternæ dilectionis excluderet.* Cæsarius Heisterbachcensis Libr. I. Cap. XXXVIII. de Abbate Philippo: *Hic cùm esset de honesta parentelâ natus.* Petrus Chrysologus Serm. CXL. *Una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris,*
D *cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione.* Ivo Carnotensi Epist. CXXX. *Ordo autem parentelæ suprà scriptus est.* Dudo S. Quintini Decanus Lib. II. de Moribus & Actis Normannorum: *Parentelam diffusæ generositatis vestri Senioris, casusq; & labores vestros, nobis retulerunt plurimi.* Frequens etiàm vox est in veter. ll. Burgund. Salic. Longobard.

E Pag. 254. vers. 28. *Per eadem tempora Romanus Antistes*] Is fuit Eugenius III; à quo primùm indicta fuit in Palæstinam expeditio, circà Annum Christi CIↃ. C. XLV. Sed mox anno sequenti & altera adversus Boreales populos, adhuc paganos, ab eodem Pontifice Evgenio III. indicta fuit expeditio, cujus hic meminit Saxo noster. Otto Frisingensis, & ipse unus ex cruce signatis, ijs, qui huic expeditioni, tàm Orientali, quàm Boreali, nomina dabant sua, di-
F versas pro tesserâ militari Sanctæ Crucis imagines datas fuisse commemorat Lib. I. Cap. XL. *Saxones verò*, inquit, *quia quasdam gentes, spurcitijs idolorum deditas, vicinas habent, ad Orientem proficisci abnuentes, cruces itidem, easdem gentes bello attentaturi, assumpserunt, à nostris in hoc distantes, quòd non simpliciter vestibus assuta essent, sed à rota subterposita in altum protendebantur.* Videatur doctissimus Purpuratorum Patrum, & Chronographus diligentissimus, Cæsar Baronius,

nius, Annal. Ecclesiast. Tom. XII. pag. 210. ad Annos Christi 1145. & 1146. Cæterùm longè antè tempora hujus Evgenij, Vrbanus, Pontifex Romanus, Anno Domini cIↄ XCV, Concilio generali apud Clarum montem habito, expeditionem in Terram Sanctam primus edixit, moremq; hunc instituit, ut qui ad Hierusolymam, de manu ac servitute infidelium liberandam, proficiscerentur, vestibus suis in signum voti, & futuræ peregrinationis, Crucis notam imprimerent. Sic etenim VVilhelmus Tyrius, B Archiepiscopus Metropolitanus, qui Historiam Belli Sacri verissimam & utilissimam conscripsit, Lib. I. Cap. XVI. *Convenerat autem apud omnes, & id ipsum de mandato Domini Papæ injunctum fuerat, ut quotquot prædictæ viæ voto se obligarent, vivificæ Crucis salutare signum vestibus imprimerent, & in humeris, illius sibi portarent memoriam, cujus passionis locum visitare proposuerant; illum imitantes, cui ad nostram redemptionem properanti, factus est principatus ejus super humerum* C *ejus.*

30. *Universos Christianæ credulitatis hostes*] Christianæ religionis & fidei hostes. *Credulitas* enim hic fidem denotat; sicut etiàm infrà: *Exemplumq; ei corrigendæ credulitatis proponeret.* Eàdem notatione usurpasse hanc vocem reperies Salvianum Massiliensem Lib. III. contrà Avaritiam, pag. 126. *Licet credulitatem tuam verbis velis asseverare, non credis.* Et infrà: *Non quæro, ut mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus* D *probes.* Et pag. 136. *Satis te firmum existimas credulitatis habere subsidium.* Ità etiàm apud Petrum Chrysologum, Sermone CLIX. *Sicut illi Magi, qui sunt fidei nostræ duces, credulitatisq; Principes.* Et Sermone sequenti: *Quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Judæorum notata crudelitas.* Usus est eodem vocabulo Gregorius Turonensis, de Gloriâ Confessorum, Cap. XXVII. de Martiali Episcopo: *Eversisq; simulacrorum ritibus, repletâ jam credulitate Dei urbe, mi-* E *gravit à seculo.* Valerianus Cemeliensis Epistolâ ad Monachos: *Ut doctrinæ ordine constituto, cum Romanis prædicari credulitatem vestram in toto orbe cupientes. &c.* Aliâs *Credulitas* in vitio ponitur: ut & *Credulus*, pro eo, qui facilè & citò nimis credit, proindeq; ut est apud Plautum, actutùm fallitur.

Pag. 256. vers. 1. *Paterna in Canuto merita perosus*] Quòd scilicet Magnus Canuti pater, Waldemari patrem Canutum interfecisset. Vide F suprà Lib. XIII.

21. *Et salutis disperatio*] Desperatio sæpè addit animos. Tacitus Lib. IV. Annalium: *His partæ victoriæ spes, & si cedant, insignitius flagitium: illis extrema jam salus, & adsistentes plerisque matres & conjuges, earumq; lamenta, addunt animos.* Imò sæpè Desperatio victoriæ causa fuit. Exemplo possunt esse Locrenses, qui numero quindecim millia, & vitæ & victoriæ spe

A abjectâ, centum viginti millia Crotoniatarum in fugam conjecerunt. Qua de re locus est Justini elegantissimus Lib. XX. Cap. III. *Itaq; cum in aciem processissent, & Crotoniensium centum viginti millia armatorum constitissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes [nam sola quindecim millia militum habebant] omissâ spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant; tantusq; ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honestè quærunt, feliciter vicerunt; nec alia causa victoriæ fuit, quàm quòd desperaverunt.* Sic & olim Themistocles, timens, *nè interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, & iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent*, Xerxem occupare transitum maturatâ fugâ jubet. Idem Justinus Lib. II. Cap. III. Ità etiàm Q. Metellus, *cum in hostem suos ire periculoso loco juberet, facientibus omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundem foret, non deterritus proposito, quem moriturum miserat, militem victorem recepit. Tantum effecit mistus timori pudor, spesq; desperatione quæsita.* Vell. Paterculus 2. Hinc Virgilius Æneid. 2.

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Ideò rectè monet Vegetius de re militari Lib. III. Cap. XXI. non semper hostes locorum angustijs, aut armatorum multitudine circumdandos; *quòd clausis ex desperatione crescat audacia, & cum spei nihil est, sumat arma formido. Libenter enim cupit commori, qui sinè dubio scit se moriturum.* Item Lib. IV. Cap XXV. svadet civibus fugiendi potestatem esse concedendam. *Necessitatis enim quædam virtus est desperatio.* Vel ut alij legunt: *Necessitas quædam virtutis est desperatio.* Q. Curtius Lib. V. *Ignaviam quoq; necessitas acuit; & sæpè desperatio spei causa est.* Apud Tacitum, Histor. Lib. III. Vitellio quis autor est, *ut desperatione saltem in audaciam accingeretur.* Quamobrem cum desperatis pugnare summæ temeritatis est & periculi. Qui enim mori constituunt, illi mortem suam ulciscuntur acerrimè, & apud inferos cœnaturi, plures secum umbras ad istas Plutonis epulas adducunt. Unde rectè inquit Bodinus Lib. III. de Republ. Cap. VII. *Infeliciter cum desperatis hominibus bellum geritur, qui cum nullam, si vincantur, salutis aut præsidij spem habent, desperatione victoriam sæpissimè adipiscuntur.* Et Josephus de bello Judaico Lib. 1. Cap. 14. *Hostes audaciores facit victoriæ desperatio.* Ut & Jovius Lib. 2. Historiar. *Ultima necessitas desperatos in rabiem vertit; & plerumq; qui penitus de vita desperant, ex timidis longè pugnacissimos facit.* Hinc rectè Vespasianus in quadam pugna cum Judæis, militibus suis imperat, nè cum hostibus mortis avidis manum consererent. *Nihil enim est impetuosius desperatis.* Josephus Cap. 3. Quod præceptum optimè inter alios novit Agesilaus Lacedæmonius, qui cum intellexisset in acie, hostes locorum condi-

 tione

tione clausos desperatione acrius dimicare, suorum ordines laxavit, & ad evadendum viam aperuit, rursusq; in abeuntes contraxit aciem, atq; ita sine suorum sangvine hostes cecidit.

Pag. 260. vers. 37. *Saltus contulis edunt*] Hæc mens est autoris: Frisij scrobes, quibus agros suos cingere solent, ubi ità usu venit, hastis, longurijs, sivè contis transiliunt. *Saltus edere* suo more dixit pro *transilire*: quemadmodum *dare saltus* Ovidius Lib. III. Metamorphos.

Doq; leves saltus, udæq; immittor arenæ.

Et paulo infrà:

Undiq; dant saltus, multâq; aspergine rorant.

Contulus autem diminutivum à τοῦ *Contus*. Belgæ *Pols-stock* vocant. Hodieq; sunt ejusmodi conti in usu tàm Frisijs quàm Hollandis, cæterisq;, qui loca palustria incolunt.

Pag. 261. vers. 53. *Fridericum Romano recenter imperio functum*] Intelligit Fridericum, ejus nominis Primum, cognomento *Ænobarbum*, sivè *Barbarossam*, anteà Svevorum Ducem, qui Anno Christi cIↃ. C. LII. Imperator Romanus Aquisgrani coronatur: teste Ottone Frisingense Lib. I. Cap. I. de gestis ejusdem Friderici.

Pag. 262. vers. 7. *Conradi Cæsaris*] Ejus nominis III; in cujus aula Sveno hic noster, unà cum Friderico, posteà Imperatore, diu educatus fuerat.

15. *Mersburgum oppidum Teutonicæ nobilitatis frequentiâ repletum*] Illic enim tùm temporis Comitia Imperij magnâ solennitate peragebantur. Ad quæ Fridericus Imperator etiam Svenonem nostrum, sub specie quidem & prætextu veteris amicitiæ firmandæ, sed re verâ, ut vi & minis adigeret ipsum ad imperata facienda, [quomodo eventus docuit] evocaverat. Attingit Historiam hanc non ipse solum Fridericus Imperator in Epistola ad patruum suum Otthonem, Episcopũ Frisingensem: sed & duo nobilissimi ejus seculi scriptores, Ottho modò nominatus, & Guntherus Poëta: qui tamen, quasi de compacto, eundem errorem omnes errant, *Svenonem* perperàm appellantes *Petrum*; *Canutum* verò *Gvidonem*, *Guvotonem*, *Gvirtonem*, & nescio quid non; quum fortè *Cnutonem*, more istius seculi, eum vocare in animo habuerint. Verba Friderici ità habent: *Post primam unctionem Aquisgrani, & acceptam coronam Teutonici regni, generalem Curiam, Merseburgk, in Pentecoste, celebravimus: ubi Rex Danorum Petrus* [qui nobis Sveno est] *ad Curiam nostram vocatus venit, & homagio ac fidelitate nobis factâ, coronam regni de manu nostrâ accepit.* Ottho Frisingensis rem ità commemorat Lib. II. Cap. V. de gestis Friderici: *Erat illo tempore in regno Danorum, inter duos consangvineos, Petrum scilicet, qui & Svevus,* [*Sveno*, rectius] *& Guvotonam* [*Cnutonem* dicere volebat] *de regno gravis controversia. Quos Rex ad se venire præcipiens, Curiam magnam in civitate Saxoniæ Martinopoli, quæ & Merseburg, cum multâ Principum frequentiâ habuit. Eò præfati Juvenes venientes, ejus se mandato humiliter supposuerunt: eorumq; ad ultimum causa, judicio seu consilio primatum, sic decisa fuisse dicitur: ut Guvoto, relictis sibi quibusdam provincijs, regium nomen per porrectum gladium abdicaret:* [*est enim consvetudo Curiæ, ut regna per gladium, provinciæ per vexillum, à Principe tradantur, vel recipiantur*] *Petrus verò, accepto ab ipsius manu regno, fidelitate & hominio ei obligaretur. Ità corona regni per manum Principis sibi impositâ, in die sancto Pentecostes, ipse coronatus, gladium Regis sub corona incedentis ipse portavit. Gvaldemarus etiam, qui ejusdem sangvinis particeps fuit, Ducatum quendam Daniæ accepit.* Ad eundem modum Guntherus, insignis isto ævo Poëta, qui vitam & res gestas Friderici Barbarossæ, luculento Poëmatio descripsit, Lib. I. Ligurini sui, totum hoc negotium exponit:

Posteà Saxoniæ fines ingressus, ad illam,
Quam Martinopolim vocat incola Teutonus, urbem,
Concilium Procerum, toto de corpore regni
Convocat: ut digno celebretur Curia cœtu,
Tempore solenni, quo Spiritus almus ab alto
Cum sonitu veniens in pectora sancta piorum
Ignea distinctis effudit lumina lingvis.
Huc etiam geminos, Petrum simul atq; Gvidonem,
Danorum proceres, quos inter sangvine junctos
Moverat ejusdem regni dissensio litem,
Evocat, ac tali causam ratione diremptam
Terminat, ut quædam provincia tota Gvidoni
Cederet, at regnum cum nomine Petrus haberet.
Ergò ubi vexillo partem, quam diximus, ille,
Hic autem gladio regnum suscepit ab ipso.
[Hunc etenim longe servatum tempore morem
Curia nostra tenet] posito diademate Petrus
Regali dextrâ tulit alti Principis ensem,
Præcessitq; sacram brevius diadema coronam.

Pag. 263. vers. 45. *Nicolaus urbis Romæ Cardinalis*] De Nicolao hocce Cardinale, qui natione Anglicus, & Albanensis Episcopus fuit, operæ pretium est consulere Gvilielmum Nevbrigensem, Lib. II. Cap. VI. ubi totam ejus à puero vitam luculenter describit, & inter alia, de Legatione ista Danica pariter ac Norvagica, hæc subjungit verba: *Non multò pòst, sumptis industriæ ejus experimentis, ad gentes ferocissimas Dacorum & Norrigorum, cum plenitudine potestatis, direxit Legatum.*

47. *Maximi Pontificatus titulis insignivit*] Snoro Sturlæsonius circà Annum Christi cIↃ. C. LIII. Norvagiam Archiepiscopum accepisse testatur, in Historia trium fratrum simul imperantium, Sigurdi, Ingonis, & Oisteni, his verbis: *Per eadem tempora, dissensione quâdam inter Reges coortâ, in Norvagiam appulit Nicolaus, Urbis Romæ Cardinalis, Legatus Pontificius, qui primum in Norve-*

Norvegia Archiepiscopatum erexit, Nidrosiâ sede Archiepiscopali, sivè Metropolitanâ, constitutâ. Primusq; ab ipso consecratus est Archiepiscopus Jonas Byrgeri filius, anteà Episcopus Stavangriensis. Meminit etiàm hujus legationis Baronius ad Annum Christi cIɔ. C. LIV. *Processu verò modici temporis, Eugenius III, Pontifex Romanus, cognitâ ipsius honestate, & prudentiâ, de latere suo eum ad partes Norvegiæ Legatum Sedis Apostolicæ destinavit, quatenus verbum vitæ in ipsa provincia prædicaret, & ad faciendum omnipotenti Deo animarum lucrum studeret. Ipse verò tanquàm minister Christi, & fidelis ac prudens dispensator mysteriorum Dei, gentem illam barbaram ac rudem, in lege Christiana diligenter instruxit, & ecclesiasticis eruditionibus informavit.*

Pag. 264. vers. 4. *Svetici Sacerdotij insigne*] Fortè *Pallium Episcopale* ut vocant, intelligit, quo investiri solebant tùm temporis novi Episcopi, sed magnis impensis redemptum.

10. *Decedente Eugenio Maximus Pontifex surrogatus est.*] Evgenio III, Pontifici Romano, defuncto, proximè successit Anastasius. Anastasio, quum anni unius Pontifex fuisset, successit hic Nicolaus, posteà dictus Adrianus. Gvilielmus Neubrigensis loco dicto: *Evolutis diebus non multis, Anastasio, qui Evgenio successerat, decedente, omnium in eum votis concurrentibus, Romanæ Urbis Pontificatum suscepit, factus ex Nicolao Adrianus.* Videatur etiàm Baronius ad Ann. Christi cIɔ. C. LIV. & LV.

17. *Militiæ negotium ingens, fructus exiguos fore*] Idipsum responsi loco Legati Vexoris, Regis Ægyptij, quondam à Scythis retulerunt, ut est apud Justinum Lib. II. Cum etenim is bellum adversus Scythas moliretur, missis prius legatis, qui hostibus parendi legem dicerent, Scythæ jam antea de adventu Regis à finitimis certiores facti, legatis respondent: *Miramur tàm opulenti populi ducem stolidè adversus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum; quòd belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifesta sint* Sic Josephus Devonius Lib. VI. de bello Trojano:

> —— *Bellum pendit, quòd causa pudori,*
> *Congressus damnis, & commoda nulla triumphis.*

Huc pertinet quoq; πολυθρύλλητον illud Augusti Cæsaris, quo minima commoda non minimo sectantes discrimine similes ajebat esse aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensare posset.

Pag. 265. vers. 7. *Cæsis nemoribus, truncarum arborum coagmentis*] Arboream illam struem, quâ agrestes, hostium irruptionem metuentes, faucium angustias præcludere solent, Latini unico vocabulo *Concædem* appellarunt. Tacitus I. Annal. *Castra in limite locat; frontem ac tergum vallo; latera concædibus munitus.* Vegetius Libro III. Cap. XXII. *Et rursus pòst se præcisis arboribus vias claudunt, quas concædes vocant.* Ammianus Marcellinus pag. 110. *Celsarum arborum obsistente concæde, ire protinus vetabatur.* Et Lib. XV. *Concœde arborum densâ undique semitis clausis.* Qui & ibidem talem concædem paucis describit: *Iisdem diebus, exercituum adventu perterriti Barbari, qui domicilia fixère cis Rhenum, partim difficiles vias, & suapte naturâ clivosas & incommeabiles, clausere solerter, arboribus immensi roboris cæsis.* Et Lib. XVII. *Ilicibus incisis, & fraxinis, roboreq; objecto magno, semitas invenere constratas.* Paulus Warnefridus Histor. Longobard. Lib. III. Cap. IV. *Concisas* dixit: *Facta etiam concisis per devia silvarum.* Nostrates Braader dicunt: at hugge Braader vdi Beyen.

Pag. 268. vers. 40. *Henrici Ducis*] Hic ille est Henricus, Saxoniæ Dux, cognomento *Leo*; qui posteà à Friderico I. Imperatore proscriptus, & in exilium pulsus. Videatur Helmoldus.

Ad socerum] Videlicet Conradum, cognomento Pium, Marchionem Misniæ, cujus filiam Adelheidam Sveno duxerat; sicuti paulo anteà tradidit Saxo.

Pag. 270. vers. 33. *Concubinarij filij*] *Filius concubinarius* is fortè erit, quem ex concubina susceperat Vox admodum rara.

Pag. 271. vers. 27. *Saxonum Satrapæ Henrico*] Meminit quoq; rei gestæ Helmoldus, Chron. Sclavor. cujus verba apponenda putavi, quæ ità habent: *Ducem Henricum Leonem Curiâ redeuntem adierunt Principes Saxoniæ, interpellantes, ut fieret Svein auxilio, & reduceret eum in regnum suum. Promisitq; Duci Svein pecuniam immensam. Collectâ ergò maximâ militiâ, Dux noster, hiemali tempore, reduxit Svein in Daniam, & statim apertæ sunt ei civitates Slesvicb & Ripa. Non tamen ultra prosperari poterant in negotio.*

Pag. 272. vers. 15. *Hesbernus solus*] Fuit Hesbernus ille, Schjalmonis Candidi ex filio Ascero Rógh nepos, post dictus Snare/ ex hujus itineris inopina celeritate. Snar etenim Danis *celerem* significat.

Pag. 274. vers. 44. *Ringstadio susceptum expertus*] Anteà hic legendum putavi, *susceptum exspatiatus*, pro, ad suscipiendum. Verùm tolerari potest prior lectio. Etenim sensus est: Cognito Svenonem Ringstadium pervenisse: cum Canutus fando conperisset Svenonem è Lalandia Ringstadium appulisse. *Suscipi Ringstadio*; quemadmodum Actor. III. v. 21. de Christo dicitur; *Oportet Christum cœlo suscipi, sivè capi*: ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι: sed non tanquàm loco alicui affixum: quod absit cogitare, nedùm dicere. Christus enim Deus & homo tàm secundùm humanam, quàm divinam naturam, est ubiq;.

Pag. 275. vers. 15. *Infantilibus blandimentis jocatum*] Justinum suum, ut anteà sæpius, hoc loco

loco quoq; expressit Saxo. Sic etenim ille Lib. XVII. *Ibi eum, seu misericordiâ fortunæ ejus, seu infantilibus blandimentis inductus Rex, diu protexit.*

18. *Minutioribus poculis*] In eandem ferè sententiam Macrobius Lib. 2. Saturnal. Cap. I. *Hic ubi modestus edendi modus cessare fecit castimoniam ferculorum, & convivialis lætitia minusculis poculis oriebatur.*

22. *Tabulato non suppetente*] Quum ad manum non esset Abacus, seu Alveolus lusorius. Id enim hoc loco significat *Tabulatum*: quod alijs optimæ notæ scriptoribus *Tabula* dicitur. Hinc *Tabula alearis* Tertulliano de Carne Christi: *Tabella alearis* Cœlio Anreliano Lib. II. Tard. Passion. Cap. I. *Tabula aleatoria* Festo. *Tabulæ lusus* Ambrosio Sermone XXXIII & Prospero de gloria Sanctorum. *Ad tabulam ludere* P. Diacono Lib. I. Cap. XX. Videatur Sidonius Apollinaris Lib. I. Epist. II. Isidorus Origin. Libr. XVIII. Cap. LX. Concilij Elibertini Canon. LXXIX. Lucanus in Panegyrico ad Pisonem. Græcis eâdem notione Τάβλα, vel ut alij legunt, Ταύλη, Tabula est, in quâ luditur tesseris. Corona Pretiosa: Ταύλη, ταυλίον. *Fritillus.* Ital. *Tavolier.* Gall. *Tablier.* Quod convenit cum Danico nostro Tavl/quod etiàm pro alveolo lusorio sumitur. Hinc totiens in antiquis Cantilenis occurrit: Hand kaste Terning i forgylten Tavl: pro quo hodiè Bretspil dicimus. Alioquin *Tabulatum* pro tabulâ quâcunque usurpavit Valerianus Cemeliensis Homilia XX. *Requiramus cujus sit vitium, quòd tenui tabulato hominis vita committitur, & dubijs casibus incerta tentantur.*

27. *Post ærumnas malorum meminisse*] Cicero Epist. XII. Lib. V. ad Familiar. *Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem.* Seneca Tragicus Hercule Furente:

——— Quod fuit durum pati,
Meminisse dulce est. ———

Autor incertus de Moribus, Libro I. Epigram. Veterum:

Aspera perpessu fiunt jucunda relatu.

Evripides: Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Svave est è periculis liberato malorum meminisse.

Ità & Æneas suos ad patientiam hortatur Lib. I. Æneid.

—— Forsan & hæc olim meminisse juvabit.

42. *A subornatis ferrum distringitur*] Helmoldus tragicam hanc scenam, & cœnam verè Thyesteam, [cui quodammodo comparari poterit convivium illud, quod olim Absalon in fratris sui Amnonis perniciem instruxit, de quo legere est Reg. II. Cap. XIII. v. 27, 28, & sequent.] hunc in modum exponit: *Post hæc Canutus & Voldemarus fecerunt convivium maximum in Selande, in civitate, quæ dicitur Roschilde, & invi-*

A *taverunt cognatum suum Svein, ut exhiberent ei honorem, & recreationem, & consolarentur eum super omnibus malis, quæ irrogaverunt ei in die hostis & belli. At ille pro ingenitâ sibi crudelitate, ubi convivio assedit, & vidit reges convivas impavidos, & omni suspicione vacuos, cœpit rimari aptum insidijs locum. Tertiâ ergò die convivij, cum jam tenebræ noctis adessent, annuente Svein, allati sunt gladij, & insilientes regibus incautis, Canutum repentè confodiunt. At ubi percussor libravit ictum in*
B *caput Valdemari, ille fortius exiliens lumen excussit, & salvante Deo, in tenebris elapsus est, uno tantùm vulnere saucius.*

Pag. 277. vers. 19. *Internitentium fulminum ictibus micans*] Eucherius Epistola de laude Eremi: *Expavit hinc micantia expressis ignibus fulgura, & tonitrua crebris fragoribus, mixto buccinarum clangore, reboantia.*

Pag. 279. vers. 23. *Ferrugineis succincta tunicis*] Per *ferrugineas tunicas* hic intelligit Saxo vel
C ferreas loricas, vel etiàm tunicas pullas, & ferruginei coloris, ut & horrorem incuterent, & simul ferreas loricas mentirentur. Id quod verba indicant mox sequentia: *Quam Svenonici ob eximiam ferri similitudinem vario loricarum genere excultam rati, in eam cohortem exercitus sui cuneum distrinxerunt.*

Pag. 283. vers. 3. *Sacrificia deindè legitimis verbis confecta*] *Sacrificia* Saxonem dixisse pro *Sacramentis*, more loquendi isto ævo usitato, nullum est
D dubium: quo scilicet, Sacrosanctum illud Corporis & Sangvinis Christi mysterium, *Sacrificium pro vivis & mortuis esse*, statuerunt.

Pag. 289. vers. 11. *Scuta pulsare cœperunt*] Antiquissimus hic mos militaris, quo milites ad terrorem hostibus incutiendum, clypeos gladijs, vel hastis percutiebant, & armis inter se collisis, ingentem excitabant tumultum. Tacitus Lib. II. Historiar. *Ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis & certo ictu, adversus temerè*
E *subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio nudis corporibus, super humeros scuta quatientium.* Livius Lib. 21. de Gallis: *Galli occursant in ripam cum varijs ululatibus, cantuq; moris sui, quatientes scuta super capita, vibrantesq; dextris tela.* Idem Lib. XXXVIII. de ijsdem loquens Gallis: *Procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladij; ad hoc cantus ineuntium prælium, & ululatus, & tripudia, & quatientium scuta, in patrium quendam morem, horren-*
F *dus armorum crepitus, omnia de industria composita ad terrorem.* Diodorus Siculus Lib. II. Clypeos hastis percutere iræ signum fuisse usurpatum Ægyptijs docet. Q. Curtius Lib. X. *Sequitur phalanx hastis clypeos quatiens.* Ammianus Marcellinus Lib. XIV. *Quibus occurrere benè pertinax miles explicatis ordinibus parans, hastisq; feriens scuta: qui habitus iram pugnantium concitat, & proximo jam gestu terret.* Idem Libro XV. *Militares omnes horrendo strepitu scuta genibus illidentes,*

quod

quod est prosperitatis plenum indicium. Nam contrà, cum hastis clypei feriuntur, iræ documentum & terroris. Libro XVI. *Ardoremq; pugnandi, hastis illidendo scuta, monstrantes.* Lib. XXI. *Unanimi consensu, voces horrendas, immani scutorum fragore, edentes.* Lib. XXXI *Horrendo fragore, sonantibus armis, pulsuq; minaci scutorum, territi barbari.*

Pag. 290. vers. 10. *Superati sine prælio barbari*] *Barbaros* Saxo hic vocat Sclavos, sicut & ipsos Germanos, alibi passim: modo scilicet loquendi suo seculo usitato, non contemptu. Ità Romani vocarunt omnes extrà limites Imperij sui, Græcis exceptis: à quibus tamen ipsi vicissim audierunt *Barbari.* Cato apud Plinium Lib. XXIX. Cap. I. *Nos quoq;* [puta Romanos] *Græci Barbaros dictitant.* Et Pyrrhus Romanam conspicatus aciem: *Ordo hic,* inquit, *Barbarorum, non est barbarus.* Plutarchus in Pyrrho. Ægyptios item omnes, qui aliâ, quàm ipsi, linguâ utantur, appellare Barbaros, annotavit Herodotus Lib. II. Ità D. Paulus Apostolus ad Corinth. I. Cap. XIV. commate XI. *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus; & qui loquitur, mihi barbarus.* Joh. Gvilielmus Stukius in Periplum maris Erythræi pap. 7. *Vox Barbari,* inquit, *& generatim usurpatur, & speciatim. Generatim enim quemvis rudem & imperitum absurdâ & inconditâ voce linguâq; utentem; item alienum & extraneum: deniq; Græcis eum, qui non est Græcus; Latinis eum, qui non est Latinus, significat. Speciatim idem vocabulum certis quibusdam populis, locis, atq; regionibus applicatur.* Sic autem & alios medij juxtà, ac posterioris ævi scriptores locutos comperimus. Ecchehardus Junior, Monachus S. Galli, qui extat inter rerum Alamannicarum scriptores Melchioris Goldasti, Cap. III. eo utitur sensu: *Barbaricè clamans,* inquit, hoc est, Alamannicè: quomodo rectè exponit Optimus Goldastus in Notis, pag. 287. *Barbari* etenim Alamanni, sivè Germani, κατ' ἐξοχήν. Walafridus in Vita Galli, Prologo Lib. I. *Priori nomine nos appellant circumscriptæ gentes, quæ Latinum habent sermonem: sequenti nos usus nuncupat Barbarorum.* Et Cap. VI. de B. Gallo: *Non solùm Latinæ, sed etiàm barbaricæ locutionis cognitionem non parvam habuit,* id est, Alamannicæ linguæ. Et Cap. XXV. *Ad utilitatem barbarorum benè prolata interpretando transfunderet,* hoc est, Alamannorum. Paderbornensis Monachus Annalium de gestis Caroli Magni Lib. I.

> ——————— *quod barbara lingua*
> *Nominat Eresburg.*

Et eodem libro:

> *Nomen Heristalli dederat cui barbara lingua.*

Sidonius Apollinaris Lib. IV. Ep. XVI. ad Arvogastum: *Sic Barbarorum familiaris, ut tamen nescius barbarismorum.* Videndus doctissimus Savaro in Notis, & Commentarius Goldasti ad A Einhardum. Quare non est, quòd tantoperè sugillet Saxonem nostrum Henricus Meibomius, cætera Vir doctus, qui Apologiæ suæ pro Othone IV. Imperatore, pag. 103. planè ipse nescit, quam infamiæ notam tàm divino scriptori nostro inurat, quòd Germanos alicubi *Barbaros* vocaverit: cum is usus vocabuli ætate Saxonis fuerit; nec desint autores, quibus nitatur. Eandem planè litem bonis scriptoribus intenderat olim Irenicus Lib. II. Exegeseos Cap. B XXXIV. *Itanè,* inquit, *Germani sunt barbari?* Sed nervosè respondet Vir subacti judicij, Fridericus Tilemannus, Discursus Philologici, pag. 253. quem Historiarum Studiosi nocturnâ diurnâq; manu versare debent: *Barbari dicuntur à plurimis Germani, & à Bonfinio Decad. IV. Lib. V. Quod Irenico durum videri non debet; cum æquivocum sit vocabulum, & semper referendum ad Autorem, cui omnes barbari sunt, qui non eandem, sed penitus incognitam autori Dialectum eloquuntur, teste Apostolo in I. ad Corinth. XIV. Cap. v. XI. Atq;* C *illo sensu Italia Plauto in Prologo Trinummi vocatur* Barbaria. *Et Hebræi Ægyptios, gentem humanissimam, sinè contumeliâ* [*nec enim mores, sed linguam attendebant*] *Barbaros appellant: ut in principio Psalmi CXIV. Rabbi David Kimhi annotavit: veluti & Hebræos à Græcis scriptoribus barbaros dici notissimum est.*

Pag. 291. vers. 18. *Mersi lapidis exemplo perituros*] Haud dissimili ritu Romani olim in feriendis D fœderibus uti solebant. Polybius in commemoratione fœderis inter Carthaginenses & Romanos icti sic scribit: *Romani Jovem lapidem, secundum vetustissimum ritum, ac per Martem jurarunt.* Ritus verò jurandi per Jovem lapidem, fuit hujusmodi: Fecialis sumpto in manibus lapide, postquàm de fædere inter patres convenerat, hæc verba dixit: *Si rectè, ac sine dolo malo hoc fœdus, atq; hoc jusjurandum facio, dij mihi cuncta felicia præstent. Sin aliter aut ago, aut cogito, cæ-* E *teris omnibus salvis, in proprijs legibus, in proprijs laribus, in proprijs templis, in proprijs sepulcris, solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet.* Nec plura locutus, manu lapidem dejiciebat. Sic etiàm Festus: Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: *Si sciens fallo, tùm me Diespiter, salvâ urbe arceq;, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.*

26. *Circà tria tempora maximè cogitationem expendit*] In hanc sententiam Seneca ali- F cubi: *Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura provide, præterita recordare. Nam qui nihil de præterito cogitat, perdet vitam; qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.*

Pag. 292. vers. 3. *Saxoniæ Satrapam*] Henricum Leonem: quem Sveno anteà ad partes vocaverat, deq; societate belli gerendi sollicitaverat.

7. *Navigio Draconem simulante*] Navigio, quod instar Draconis tortuosas habebat proras;

proras; quomodo Lib. VIII. loquitur Saxo de navigio Thririkari cujusdam, qui Ringonis castra sequebatur: vel quod insigne Draconis habebat, & ut Nonnus alicubi loquitur, ἀντίτυπον μίμημα Δρακοντείοιο προσώπου. Naves etenim antiquitus nomina sortiri solebant vel à forma, vel ab insignibus: quod hodieq; est usitatissimum apud omnes gentes & nationes. A forma *Pristis* dicta navis quædam fuit. Nonius Marcellus de genere navium Cap. XIII. *Pristis navigij genus, à formâ Pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti.* Insignia fuère vel imagines deorum, sub quorum essent tutelâ: vel animalium, ut centauri, draconis, chimæræ, tigridis, arietis, tauri, leonis, & cæterorum. Deorum verò nomina vel erant inscripta & picta navibus, vel eorum simulachra in puppe posita. Virgil. Lib. V. & X. Æneidos. Silius Italicus Lib. IV. & XIV. Actor. Apostol. Cap. ult. vers. XI. Lazarus Bayfius de re navali pag. 40.

Pag. 294. vers. 17. *Per patrem vos*] Solennis hæc clausula est Orationum, quas habuisse ad exercitum suum Imperatores ac Duces constat. Sic in Oratione Darij, quâ Satrapas suos ad extremum prælium adhortatur, apud Curtium Lib. V. *Per ego vos decora majorum, qui totius Orientis regna memorabili cum laude tenuerunt: per illos viros, quibus stipendium Macedonia quondam tulit: per tot navium classes in Græciam missas: per tot Regum trophæa oro & obtestor, ut nobilitate vestrâ gentisq; dignos spiritus capiatis.* Utitur etiàm Dido apud Virgilium Æneidos Lib. 4. sed orandi tantum causa:

— Per ego has lacrymas, dextramq; tuam te,
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos
Oro. ——————

Plura exempla brevitatis causâ recensere supersedeo.

Pag. 297. vers. 18. *Gallia Alexandro obtentui fuit, Germania, autore Cæsare, Octaviani partibus obsecuta est*] Hoc XX. Schisma fuit, quod ortum est ob investituras: & accidit tempore Imperatoris Friderici Barbarossæ, & duravit annis XVII. Historiam verò hujus Schismatis à Johanne Majerio Belga olim descriptam, hoc loco, in gratiam curiosi Lectoris, inserendam duxi; quæ sic habet. Anno Domini M. C. LIX. ortum est Schisma inter Papam Alexandrum III. Senensem, electum suffragijs XXIII. Cardinalium, & Octavianum Romanum, quem tres tantum Cardinales creârant, & Victorem appellârant. Alexander ità electus in bona existimatione ac opinione apud omnes se esse ratus, Imperatorem Barbarossam, qui tunc Cremonam in Lombardia oppugnabat, nuntio ad ipsum misso orabat, ut schisma hoc tollere vellet. Imperator Fridericus itaq; jussit, ut ambo Papæ, quò melius causam dissensionis cognoscere

A posset, Paviam venirent, eò & se venturum esse. Alexander verò venire recusavit. Quare Imperator commotus, Concilium Paviæ ad Ticinum indixit: ad quod Octavianus venit, & Papa Alexandro, ipsius competitore, indignante, confirmatus est. Offensus itaq; Alexander III. Imperatorem Fridericum Barbarossam excommunicat. Imperator verò intereà patrimonium S. Petri occupat. Coactus sic fuit Alexander in Galliam aufugere, & auxilium Regis implo-
B rare. Factum hoc est tempore Philippi Augusti, sub quo celebravit Concilium III. Claromontanum in Avernia. Quo Concilio Alexander III. Imperatorem & Antipapam Octavianum, Victorem appellatum, excommunicavit. Intereà Imperator occupat Mediolanum & Dertonam; nam adversus ipsum rebellârant. Postea legationem ad Regem Philippum Augustum mittit, an Schisma tolli posset. Locus igitur Concilij, ubi Principes convenire de-
C berent, nominatur Divio, ad fines Burgundiæ. Nam Imperator Fridericus Burgundiam nomine dotis tenebat. Venit itaq; comitatus Rege Bohemiæ & Scotiæ, adducens Antipapam Victorem, & milites strenuos multos. Alexander autem III. locum suspectum habens, venire recusabat, dicens, quod liber aditus ei non pateret, & quod non esset locus Concilij, qui non suâ autoritate assignatus esset. Cogebatq; aliud Concilium apud Turonenses. Imperator suprà
D modum commotus, quod etiàm minis prolatis non dissimulabat, in Germaniam revertebatur. Et mortuo Antipapa Victore, creavit tres alios Antipapas. Alexandrum verò ità premebat, ut habitu mutato Venetias profugere coactus fuerit. Tandem reconciliationes admittebantur. Et quoniam intereà Hierosolyma, à Turcis & Sarracenis, erepta Christianis esset, Imperator in Turcas bellum asperum movit, omnibusq; præliis victor evasit, ad mor-
E tem usq; suam, quæ fuit indigna tanto Imperatore. Nam cum frigida lavaret, in flumine quodam submersus est. Exercitus ejus hoc casu desolatus & dissipatus Christianos in magno discrimine reliquit. Hactenus Majerius. De eodem Schismate videatur Illustris Cardinalis Baronius ad Annum Christi M. C. LIX. & seq. Item doctissima Epistola Arnulphi Lexoviensis ad Episcopos Angliæ, quæ extat pag. 28. & deinceps: sicut & illa, quæ præcedit ad Arnul-
F phum ipsum.

Pag. 298. vers. 32. *Reges de rerum summâ certantes*] Nempè Svenonem, Canutum, & Waldemarum; qui cum de imperio intestina & civilia bella gererent, conjunctis viribus vim hostilem propulsare nequaquam animum induxissent: ideoq; eos bello lacessere haud difficile fuisset.

Pag. 299 vers. 1. *Urbem in solido Lethricæ paludis*] Hanc *Sióburgum* fuisse autumant nonnulli.

Ante-

48. *Antequam Maguntiæ Pontifex creatus esset*] Christianus ille, cujus hic mentionem facit Saxo, Friderici Barbarossæ, Imperatoris Romani, Cancellarius fuit: à quo etiam in Conradi, Archiepiscopi Moguntini, absentis & dejecti, locum suffectus Anno Christi clɔ. C. LXIV. Luculentum ejusdem elogium ex Libro MS. depromit Nicolaus Serrarius Lib. V. Rerum Maguntinarum, pag. 823. *Fuit Christianus diversis naturæ dotibus ad miraculum usq; conspicuus; facundus, illustris, largus, magnanimus: Latinâ, Græcâ, Italicâ, Belgicâ linguâ, ut suâ, utebatur; divinarum scripturarum non ignarus. Usus est ejus operâ plurimùm Imperator in legationibus obeundis, in bellis verò maximè.* Vide ibidem plura, quæ hic recensere longum nimis foret & Lectori tædiosum.

50. *Regis conniventiam assecutus*] *Conniventia* hoc loco *consensum* significat: quomodo etiàm loquitur Arnulphus Lexoviensis Epistola ad Episcopos Angliæ: *Donec iste noster ecclesiam regni sui consuluisse posset, & quod mente concepit, assensus vestri conniventia confirmasset.*

Pag. 300. vers. 21. *Luminibus orbatus, sed ingenij sagacitate perspicuus*] Non possum mihi temperare, quin hoc loco admirandam Naturæ compensationem summis efferam laudibus; quæ velut fidelis mater, quod in aliquibus sensibus adimit, in alijs restituit. Id quod olim accidit Didymo Alexandrino, qui quum luminibus orbatus esset, unà cum pijs precibus, indefessum laborem, ac juges continuatasq; vigilias, non ad legendum, sed ad audiendum adhibuit, ut quod alijs visus, hoc illi conferret auditus: eâque diligentiâ, docente Deo, in tantam divinarum humanarumq; rerum eruditionem & scientiam venit, ut Scholæ Ecclesiasticæ doctor extiterit: de quo scribit Ruffinus Histor. Ecclesiast. Lib. II. Cap. VII. Huc referri possunt duo memorabilia exempla, quæ Philippus Camerarius, insignis Historicus, recenset Centuriâ prima Operarum Subcisivarum, Cap. XXXVII. Notum est, inquit, fuisse majorum nostrorum tempore Joannem Ferdinandum, natum in Flandria, patre Hispano, cœcum, & prætereà inopem. Quas tamen ambas difficultates admodum contrarias hominibus doctis, ità superavit, ut non solum Poëta & Philosophus insignis evaserit, sed & tàm eximius Musicus, ut cum maximâ audientium delectatione, varia genera Musica tractaret, atq; insuper cantilenas aliquot vocum artificiosissimas memoriter componeret. Hunc tamen longè superavit Nicasius de Werba Mechliniæ natus. Qui licet ab anno tertio ætatis suæ oculis captus, & ob id etiam elementorum literarum penitus ignarus fuisset: tamen nihilominus in omni doctrina divina & humana adeò profecit, ut admirationi omnibus esset, & cum Lovanij gradum Magisterij accepisset, Scholis aliquamdiu Mechliniæ cum laude præesset, & Lovanij aliquantò post licentiam in Theologia consecutus, quamvis cœcus, Evangelium tamen publicè docuerit. Quin & post hæc gradum Doctoris utriusque Juris in Academia Coloniensi quum accepisset, in gymnasio publicè ibidem Jura cum stupore omnium docuit, atq; libros utriusq; Juris, quos nunquam viderat & legerat, memoriter recitavit, donec Coloniæ moreretur Anno Christi clɔ. CCCC. XCII.

40. *Pontificalis ordinis insigne*] Rectè & verè Pontificalis dignitatis insigne vocat *Annulum* Saxo. Posteaquam etenim Adrianus, Pontifex Romanus, Carolo Magno investituram Episcoporum concessisset; mos ille tenuit, ut Imperatores Romani, præter alia Investituræ sacerdotalis solemnia, etiam per *Annulum & Baculum*, Episcopatus, Abbatias, aliaq; beneficia Ecclesiastica, conferrent. Canon IX. Concilij Aquisgranensis, Tomo III. Conciliorum. *Sacerdoti, dum consecratur, datur Baculus, ut ejus judicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & annulus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum.* Quare etiàm, si quando usu veniebat, ut propter delictum aliquod è gradu dejicerentur, tunc Annulum hunc, quo erant, investiti, deponere cogebantur. Sed si dejectus à gradu innocens reperiebatur, eundem annulum ab Episcopo coràm altari recipiebat. Videatur eruditissimus Tractatus eminentissimi Philologi, Johannis Kirchmanni, Amici mei non è multis, de Annulis, Cap. XX. Sed & ille mos ritusq; invaluit, [quem Kirchmannus meus planè prætermisit] ut mortuo alicubi Episcopo, aut Abbate, ejusdem Collegij, aut civitatis, principes ac primores, annulum & virgam pastoralem defuncti, ad aulam Imperatoris transmitterent, qui posteà sacra illa insignia, cuicunque vellet, conferret. Tangit hunc morem Andreas Abbas, posteà Bambergensis Episcopus, de Vita S. Othonis Lib. 2. Cap. V. & VI. *Nec multò pòst annulus & virga pastoralis Bremensis Episcopi ad curtem Regiam perlata est. Hoc siquidem tempore Ecclesia liberam electionem non habebat, sicut posteà sub Henrico V, mediante piæ memoriæ Callisto Papa, actum est: sed cum quilibet Antistes viam universæ carnis ingressus fuisset, mox capitanei civitatis illius, annulum & virgam pastoralem ad Palatium transmittebant; sicq; regia autoritas, communicato cum Aulicis consilio, orbatæ plebi idoneum constituebat Præsulem. Itaq; cum, ut diximus, virga Pastoralis & annulus Episcopi Bremensis Imperatori offerretur: mox ille accersito unicè dilecto sibi Othone, munera hæc ei conservanda tradidit. Post paucos verò dies, rursum annulus & virga pastoralis Ruperti Babebergensis Episcopi Domino Imperatori transmissa est.*

46. *Concilij nomine contractos fuisse*] Concilium hoc Paviæ celebratum est. Quum etenim Imperator Fridericus jussisset, ut ambo Papæ, quò melius causam dissensionis cogno-

ſcere poſſet, Paviam venirent, Alexander verò venire recuſaſſet: Imperator commotus, Concilium Paviæ ad Ticinum indixit, ad quod Octavianus venit, & Papa, Alexandro ipſius competitore indignante, confirmatus eſt. Johannes Majerius Tractatu de Schiſmatibus.

48. *Rolandum verò*] Alexander Antipapa, alio nomine dictus eſt etiam Rolandus.

Pag. 302. verſ. 40. *Ingreſſos Bremam, civitatis Antiſtes*] Hartvvicus nempe, qui & ipſe comitem ſe Regi Waldemaro in Germanico hoc itinere adjunxit: ut jam dicendum nobis erit.

44. *Complures quoq; Saxoniæ Principes*] Inter quos præcipui fuere Adolphus Comes Holſatiæ, Hartvvicus Archiepiſcopus Bremenſis, & Geroldus Epiſcopus Aldenburgenſis. De regio hoc comitatu ità loquitur Helmoldus Chronici Sclavorum Lib. I. Cap. XCI. *Præterea miſit Cæſar nuncios ad regem Daniæ, & ad regem Vngariæ, & ad regem Bohemiæ, ut venirent ad conſtitutum diem. Inſuper omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & ſummis poteſtatibus regni ſui, & religioſis quibuscunque, ſolenniter adeſſe mandavit. Grandis ergò erat exſpectatio univerſorum ad tàm celebrem Curiam, quò uterque Papa & tanti terrarum Reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt ſimul VValdemarus cum Epiſcopis Daniæ, Hartvvicus Archiepiſcopus, Geroldus Epiſcopus, & Comes Adolphus, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquij locum.* Et Anonymus in Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, quem ex Bibliotheca Ranzoviana edidit Erpoldus Lindenbruck: *Anno Domini M. C. LXIII. Imperator tàm Rolandum, quàm Octavianum vocat ad judicium, curiam indicens Biſunziæ. Venit Imperator, venit Rex Daciæ VValdemarus; in cujus comitatu Dux Dorius erat, quem ipſe poſteà ſubmerſit, quia regnum affectavit. Ibi VValdemarus duo regna Daciæ & Sveciæ ab Imperatore ſuſcepit. Venit Hartvicus Bremenſis Archiepiſcopus, conquerens ibidem, quòd tria regna Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ ſe de ſua ſede abſtraxerint violenter, cum jure deberent ſuam Synodum obſervare.*

51. *Cum ab urbem Methin veniſſet*] Variant ſcriptores de loco Comitiorum. Saxo noſter *Methin* ponit, quæ in Gallia Belgica Mediomatricum urbs eſt: alijs Diviodurum. Helmoldus loco jam dicto, *Laonam: Et miſit*, inquit, *ad Regem Franciæ Ludovicum, ut occurreret ſibi ad colloquium apud Laonam, quæ eſt in terra Burgundionum, juxtà Ararim fluvium, ad redintegrandam unitatem Eccleſiæ.* Autor incertus in Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, cujus modò mentionem injeci, *Biſunziam, ſivè Veſontium* adducit: *Anno Domini M. C. LXIII. Imperator tàm Rolandum, quàm Octavianum vocat ad judicium, curiam indicens Biſunziæ.*

Pag. 303. verſ. 43. *Britanniæ Regis inclinata majeſtas*] Reſpicit his verbis Saxo ad homagium illud, quod Henricus II, Angliæ Rex, præſtitit Ludovico Francorum Regi, Anno Chriſti Sal-

A vatoris M. C. LV. cujus meminit Rogerus de Hoveden Annalium parte poſteriore; in Hiſtoria Henrici II. *Deinde*, ait, *transfretavit in Normanniam, & homagium fecit Ludovico Regi Francorum de Normannia & Aquitania, & Andegavia, & Cenomannia, & Turonica, & de omnibus earum pertinentijs.*

Pag. 304. verſ. 33. *A Maguntinis proprij Pontificis interfectoribus*] Arnoldus, Epiſcopus Moguntinus LXIX, Archiepiſcopus XXIX, & XIII. E-

B lector, ſecundùm Serrarium, à Moguntinenſibus, ortâ ſeditione, occiſus eſt Anno Chriſti ↀ. C. LX. Dodechinus, quem ad teſtimonium citat Serrarius Moguntiacarum rerum Lib. V. pag. 820: *Eòdem anno Arnoldus Præſul Moguntinus revertitur, & in Nativitate D. Johannis Baptiſtæ à Moguntinenſibus occiditur in Monaſterio S. Jacobi.* Vberius Bruſchius: *Anno 1160, in die S. Joannis Baptiſtæ, ait, miserè à ſuis Moguntinis civibus, incomparabili tyrannide,* [Arnoldus Epiſcopus] *truci-*

C *datus in cœnobio S. Jacobi, veſtibusq; exutus, & in ſterquilinium præcipitatus eſt. Undè à pauperibus quibusdam iterùm extractus, mortuus etiam per integrum triduum horribilibus modis tractatus. Tandem verò à Canonicorum Collegio clàm quæſitus, in urbem portatus, & cum ſummo luctu terræ mandatus eſt in D. Virginis collegiata Eccleſia.*

36. *Conjugis ſuæ patrimonium eſſe*] Beatricis videlicet, Reinaldi Allobrogum Comitis filiæ, cui pater moriens totam Burgundiam teſtamen-

D to reliquerat. Teſtis eſt Gunterus, incomparabilis illa ætate Poeta, Ligurini ſui Lib. V. v. 255.

> *Principis in thalamos ſucceſſerat illa Beatrix,*
> *Principe digna viro, prolem paritura beatam.*
> *Quam Comes Allobrogum, Regum de gente vetuſta*
> *Ortus, & ipſe ſuis Reinaldus clarior actis,*
> *Progenuit, moriensq; tuos, Burgundia, fines*
> *Orbatæ in teneris & pupillaribus annis*
> *Et validas urbes, munitaq; caſtra reliquit.*

E 50. *Pontifex verò Maguntinus*] Haud dubiè Conradus I. qui ſtatim poſt immanem Arnoldi cædem electus fuit, & eodem hoc anno ↀ. C. LXIII, quo Waldemarus Rex Daniæ reditum in patriam parabat, adhuc Cathedram Epiſcopalem tenebat, ſed paulò poſt dejectus. Cujus in locum, adhuc viventis, ſuffectus eſt ab Imperatore Chriſtianus, ejus Cancellarius. Vide Serrarium Lib. V. Moguntiacarum rerum,

F pag. 822.

Pag. 305. verſ. 24. *Præceps undas exſiluit*] Chronicon Norvagicum Snoronis Sturlæſonij, quod linguâ vernacula ab eminentiſſimo Viro, D. Olao Wormio editum, ante novennium in lucem prodijt, de Sivardo hoc, alijsque rebus Norvagicis, quæ hoc loco à Saxone commemorantur, multa habet, quæ ut à Saxone haud planè diſſentiunt, ità nec conſentanea per omnia referunt. Principio illud obſervatio-

nem

nem meretur, quòd Sivardus hic Norvagis dictus sit Sigurd / cognomento Slembidiacon / eam ob causam, quod à teneris ungviculis, literis addiscendis adhibitus, adhuc planè adolescens, Diaconus consecratus sit: sed tandem cum ad virilem ætatem pervenisset, relictis studijs, animum ad bellicas artes adjunxerit, rixisque & dissidijs excitandis unicè deditus fuerit. Deindè quod hanc narrationem atttinet de singulari Sivardi astutiâ, quâ periculum sibi intentatum evasit; eam sic prosequitur Sturlesonius: Cum Rex Norvagiæ Haraldus Gille toto sexennio regnasset, Sivvardus ex itinere Hierosolymitano & longinquâ peregrinatione redux in patriam, Regem adijt, seq; ijsdem, queîs ipse, parentibus ortum, paternumq; genus anteà in Dania, per ignitos vomeres, satis comprobasse, profitetur. Rex nullo eum responso dignatus, rem deliberatione ulteriore accuratius expendendam statuit. Idcirco convocatis regni proceribus, maturam cum iis consultationem instituit, & quid sibi hoc in negotio faciundum foret, diligenter inquisivit. Eò tandem omnium sententiæ propendebant, ut Rex Sivardum, ob cædem amici sui, Torkilli Somerlidij, in Orcadibus ab ipso patratam, in jus vocaret. Mox omnium judicio, tanquàm objecti criminis reus, morti adjudicatur. Hinc Regis jussu, Provinciarum Præsides juvenes quosdam viribus & audaciâ præstantes subornant, qui Sivardum ex hospitio suo evocatum, interciperent, inque alto mergendum ad promontorium Nordnæs transveherent. Sivardus dolum subesse persentiens, vincula, quibus exterior tunica astricta erat, sensim dissolvit, ut eò ad natandum expeditior esset. Cumq; ad promontorium pervenissent, exurgens Sivardus ad foros navis se proripuit, eo consilio, ut in undas se abjiciens, natatu evaderet. Verùm ubi animadvertit spiculatores, quibus sui custodia demandata erat, non exteriorem solùm vinculis jàm solutam, sed & interiorem tunicam, caligasq;, & cœtera vestimenta, retentandi gratiâ, apprehendisse: utrumque fortiter arreptum in mare præcipitem egit, & ipse unà statim undas insiluit, priusque se littori, quàm vehementissimo remigio concitata ratis cursum sistere posset, restituit. Cæterum planè similis est Historia Wilhelmi Tellij, quam describit Josias Simlerus Lib. I. de Republ. Helvetior. qui eodem acumine, quo Sivardus servatus, periculo, cui destinabatur, ereptus est. Cum etenim Grislerus Hispaniarum regis in Helvetiâ Præfectus, Altorffi in foro, pileum prælongæ perticæ imposuisset, & publico decreto edixisset, ut omnes nudato capite, flexisq; genibus honorem eum pileo exhiberent, quo se præsentem afficere consvevissent: Tellius verò pileum illum stipiti impositum, nullo reverentiæ & honoris signo exhibito, sæpius præteriisset: Præfectus vehementer iratus, Tellium, in perpetuos carceres conjiciendum, vinctum navi imponi jubet, & aliquot è sua familia ministris, qui eum ex Vriorum regione Cussenacum abducerent, committit. Jamq; medio lacu navigabant, cum subitò gravis tempestas navim concutere, & fluctibus pænè obruere cœpit. Ibi cum in summo vitæ discrimine omnes versarentur, quidam è servis Grifleri monet dominum, unicam salutis spem superesse, si vinctus Tellius solvatur, & gubernaculo adhibeatur. Hunc enim navigandi peritissimum esse, & simul quoq; robore corporis multùm pollere. Necessitate urgente omnes id consilium probant, ac Tellium solvunt. Ille verò gubernaculo sumpto, vix multa vi è fluctibus navem eripit, & eam adversus Svitiorum terram dirigit: quo loco non multum à littore ingens saxum suprà undas eminet, quod Tellij saxum hodiè nuncupant. Huic cum appropinquasset, arrepto arcu suo [forte ponè ipsum in puppi jacebat] in saxum hoc desilit, & simul quanto maximo potest nisu, navim pedibus in fluctus repellit, atq; inde se fugâ in proximos montes proripit. Navis verò diu fluctuans tandem à servis Præfecti portui, quem Brunnam à fontibus nominant, appellitur.

27. *In amplexu pellicis per insidias interfecit*] Consentit Chronicon Norvagicum Snorronis Sturlæsonij, quod factum hoc per circumstantias paulò clarius exponit. Sivardus jam defunctus periculo, quod Haraldus Rex ipsi molitus fuerat; non audebat tamen in conspectum Regis prodire, auxiliumvè ejus implorare: sed totâ æstate clanculum hinc inde oberrans, de Rege interficiendo, non solùm cum amicis, sed & cum aulicis quibusdam, qui in Magni Regis contubernio & familia vixerant, consilia captabat. Hujus propositi sui exequendi talis emersit occasio. Fortè contigit, ut versperâ D. Luciæ sacrâ, duo ex ministris aulicis, apud mensam Haraldi Regis, inter se colloquerentur: cumq; Rex inquireret, qua de re sermonem instituissent? unus eorum assurgens ità respondit: Altercatio quædam, Rex potentissime, inter me & commilitonem hunc meum exorta est, cujus decisionem tuo arbitrio committendam duximus. Ingenti autem vase mellis pleno, tanquam pignore deposito, certamus atq; contendimus de loco, ubi hanc noctem transigere constituerit Majestas tua. Ego te in amplexu Reginæ tuæ & conjugis Ingeriæ pernoctaturum edico: ille contra decrevisse te in thoro Toræ Guttormi filiæ sommum capere affirmat. Rex ignarus doli, qui sub involucro hoc quæstionum latebat, subridens, incautè consilium suum prodidit, & ad percontantem aulicum se convertens, Tu, inquit, pignus perdidisti. Ex quo responso facile erat colligere, ubinam illa nocte quiescere vellet. Id quod illi

 mox

mox Sivardo indicantes unà cum ipso, aliisq; sibi viris militaribus adjunctis, ad cubiculũ Toræ properant, foribusq; effractis, districtis gladiis lectulum, in quo Rex alto somno sopitus [quippè benè potus cubitum concesserat] jacebat, petunt, primum ictum in caput Regis vibrante Ivaro Kolbeini filio. Unde statim evigilans Haraldus exclamavit; Nunc, ô Tora, insolitum & tristem ludum mecum incipis. At illa lectulo exsiliens; Durius te, inquit, tractant, inclyte Heros, qui pejus tibi cupiunt, & minore te amore, quàm ego, prosequuntur. Et cum dicto Haraldus plurimis vulneribus confectus occubuit, Anno Christi clↄ. C. XXXVI.

Pag 306. vers. 33. *Per incuriam nutricis fortè sinu delapsus*] Dissentit nonnihil Chronicon Norvagicum. Refert etenim, in acerrimo illo prælio, quod apud anteriorem Mungærdam, inter Duces ac proceres Ingonis & Magnum Norvagiæ Regem, magnis viribus commissum est, Tjostolfum quendam Alasonium, sub vexillo Regio, in sinu suo gestasse Ingonem, puerum adhuc bimulum: cum verò, hoste sibi ardentius imminente, sæpius periclitaretur, nec adeò exactam & accuratam curam atq; custodiam pueri gerere posset; Ingonem sinu ipsius delapsum, atq; ita humo inflictum esse, ut confracto dorso reliquum vitæ tempus gibbo oneratus exigeret, & uno pede claudicaret. Hinc agnominatus est Krogbag.

Pag. 307. vers. 18. *Gregorium summæ post Regem dignitatis*] Hic est ille Gregorius Dagsøn/ [Dagonis filius] Dux militiæ Ingonis, generosâ ortus prosapiâ, vir prudens, strenuus, copiis opibusq; florentissimus: qui quum injustam Haldori Brynolfi cædem ab Haquino perpetratam ulcisceretur, nocturno prælio in glacie, cujus firmitatem hostes clandestinis excisionibus debilitaverant, fortiter dimicans, guttur sagittâ trajectus, in undis submersus perijt Anno Christi 1161.

33. *Erlingus cum filio suo Magno*] Erlingi hujus, cognomento Skacke/ ob res præclarè gestas in Annalibus Norvagicis nomen est celebratissimum. Patrem habuit Gormonem Kyrpingium [Norvagis Orm Kyrping] matrem verò Ragnhildam Svenchonis filiam. Cum pubertatis annos excessisset, in Palæstinam, aliasq; ad Orientem sitas regiones, peregrinationem suscepit. Ex quâ in patriam reversus, uxorem duxit, annitente Rege Ingone, filiam Sivardi Regis Christinam. Ob sapientiam, eloquentiam, fortitudinem, cæterasq;, quibus excelluit, virtutes, apud Ingonem primum amicitiæ gradum adeptus erat. Ingoni certè addictissimus fuit, multaq; pro ipsius & patriæ totius salute bella gessit. De quo plura nosse qui desiderat, Chronicon istud Norvagicum Snoronis Sturlæsonij, toties à me citatum, diligenter

A evolvat, quod vitam & illustria facta tanti Herois luculenter conscripta complectitur.

34. *Arctam materni generis propinquitatem habente*] Ingeburga etenim Waldemari Regis mater, & Malfrida Magni Norvagiæ Regis avia, sorores erant, Haraldi filiæ de Garderige, qui Waldemari Jaresleifi nepos erat.

Pag. 315. vers. 50. *Divina vulnera meis æquata*] Blasphemiæ vicina est hæc oratio Saxonici
B equitis, qui sua vulnera & plagas bello acceptas, sacrosanctis JESU CHRISTI vulneribus, per quæ toti mundo salus & vita æterna parta est, comparare audeat. Expendat cordatus Lector.

Pag. 318. vers. 45. *Hujus quondam Ericus usu violentius intercluso*] Tangit hic Saxo historiam expeditionis, quàm Rex Daniæ Ericus III. cognomento Emund, adversus Rugianos suscepit, à se sub initium præsentis libri XIV. abundè satis
C commemoratam. Eâdem etenim occasione Ericus validâ obsidione Archonenses cinxit, & vallo opacæ admodum altitudinis, tractum, qui Archonensium fines propemodùm Rugia abscissos cum continenti committit, omnem illis aditum ad contrahenda auxilia interclusit. Quâ necessitate victi, Erico se dediderunt. Fontis autem hujus, quo Septentrionale urbis latus scatere indicat Saxo, nulla ibi extat mentio. Ve-
D rùm stagni cujusdam meminit, quod Archonenses, obsidione solutâ, ab Erico Rege, solenni ritu prolui jussi, majore pellendæ sitis, quàm initiandæ religionis ardore petebant.

49. *Exterior ædis ambitus accurato cœlamine renidebat*] Andreas quidam, Abbas Monasterij S. Michaëlis prope Bambergam, Vitam S. Othonis, Bambergensis Episcopi, & primi Pomeranicæ gentis Apostoli, circà Annum Domini & Salvatoris nostri M. CD. LXXXVII, composuit:
E in quâ multa extant atq; leguntur de fanis & simulacris sivè Idolis ejusdem gentis, quæ omnia & singula Otho Episcopus, cum ibidem populi ad fidem Christianam convertendi gratiâ versaretur, pio Zelo destruxit. Inter alia notatu digna sunt, quæ Cap. XXXI. de magnificentissimo quodam in Stetinensi civitate templo commemorat Andreas, cujus externum ornatum parili modo, quo hic Saxo, describit. Verba autoris ità habent: *Erant in civitate*
F *Stetinensi Continæ quatuor*; [sic appellabant Pomerani templa Idolorum suorum] *sed una ex his, quæ principalis erat, mirabili cultu & artificio constructa fuit, interius & exterius sculpturas habens de parietibus prominentes, imagines hominum, & volucrum, & bestiarum tàm propriè suis habitudinibus expressas, ut spirare putares ac vivere. Quodq; rarum dixerim, colores imaginum extrinsecarum, nulla tempestate nivium, vel imbrium, fuscari vel dilui poterant, id agente industriâ pictorum.*

Pag.

Pag. 320. vers. 2. *Quatuor capitibus, totidemq; cervicibus*] Andreas Abbas, quem modo laudavi, in Contina illa, sive fano Stetinensi fuisse scribit simulacrum triceps, quod in uno corpore tria capita habens, *Triglaff* vocabatur: quod S. Otho Episcopus destruens, ipsa capitella sibi cohærentia, corpore comminuto, secum inde pro trophæo asportavit, & posteà Romam pro argumento conversionis Pomeranorum transmisit.

Pag. 321. vers. 3. *Ex earum rerum manubiis diversi generis insignia*] Non aliter Andreas Abbas in Contina sive delubro Stetinensi omnem prædam, spoliaq; hostium, reposita fuisse tradit eodem Cap. XXXI. *In hanc ædem, ex prisca Patrum consvetudine, captas opes & arma hostium, & quicquid ex præda navali, vel etiàm terrestri pugna, quæsitum erat, sub lege decimationis congerebant. Crateres etiàm aureos vel argenteos, in quibus augurari, epulari, & potare nobiles solebant ac potentes in diebus solennitatum, quasi de sanctuario proferendos ibi collocaverant. Cornua etiàm grandia taurorum agrestium deaurata & gemmis intexta potibus apta, & cornua cantibus apta, mucrones & cultros, multamq; supellectilem pretiosam, raram visu, & pulchram, in ornatum & honorem deorum suorum ibi conservabant.*

10. *Rex Danorum Sveno*] Haud dubiè Sveno ille cognomento *Tiuffveskeg*, sive furcatâ barbâ: qui sæpius à verâ & Christianâ religione ad Idolorum cultum deficiebat: ut ex Historia ipsius liquet, quam fusè Saxo persequitur suprà Libro X.

12. *Infelici carcere pœnas persolvit*] Sic legendum duxi, pro *nece*. Nam bis à Sclavis captus, & tenebris carceralibus inclusus fuit, ut Saxo superius loquitur. Mortem vero ejus & vitæ finem non adeo infelicem fuisse, Saxo disertis tradit verbis Libro X. *Cæterùm Sveno senilis animæ laboribus fessus, divinis rebus infatigabilem ultimi temporis curam tribuit. Nec spiritu, quàm religione diuturnior fuit. Siquidem omni humanâ concussione vacuus in ipso perfectissimæ vitæ fulgore decessit.*

22. *Auspicia quoq; per eundem equum hujusmodi sumebantur*] Planè consentanea de equo Stetinensi, quem tamen non albi, sed nigri coloris fuisse indicat, Andreas Abbas loco jàm dicto commemorat. *Habebant etiàm caballum miræ magnitudinis & pinguem nigri coloris & acrem valde. Iste toto anno vacabat, tantæq; fuit sanctitatis, ut nullum dignaretur sessorem: habuitq; unum de quatuor sacerdotibus templorum, custodem diligentissimum. Quando ergò itinere terrestri contra hostes, aut prædatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo per illum solebant prædiscere. Hastæ novem disponebantur humi, spatio unius cubiti ab invicem disjunctæ. Strato ergò caballo, atq; frænato, sacerdos, ad quem illius pertinebat custodia, tentum fræno per jacentes hastas in transversum ducebat ter atq; redu-*

A *cebat. Quod si pedibus inoffensis hastisq; indisturbatis, equus transibat, signum habuêre prosperitatis, & securi pergebant.* Cæterum ex candidis, vel quomodo Saxo loquitur, *albi coloris* equis, auspicia quoq; solennia capere soliti vetustissimi Germanorum. Autor est Tacitus Libro de moribus ejus gentis: *Proprium,* inquit, *gentis equorum quoque præsagia ac monitus experiri. Publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi, & nullo opere mortali contacti: quos pressos sacro curru Sacerdos ac*
B *Rex, vel Princeps civitatis comitantur, hinnitusq; ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides non solùm apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant.* Dietmarus quoq; Chronici Lib. VI. suo ævo in Luiticiorum natione præsagium equinum notavit, eodem ferè ritu, quo Saxo describit: *Equum,* inquit, *qui maximus inter alios habetur, & ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum hastilium inter se transmissorum cuspides, sup-*
C *plici obsequio ducunt, & præmissis sortibus, quibus id prius exploravêre, per hunc quasi divinum, denuò augurantur.* Herodotus Lib. 1. testis est, in Cyri exercitu, quum Babylonem is peteret, fuisse ἱερὰς ἵππους λευκὰς, *sacros equos candidos.*

35. *Nec sortium eis usus ignotus extitit*] De Germanis quoque disertè testatur Tacitus in dicto jam libro de Germania, *auspicia eos sortesq; ut quos maximè observasse.* Quale autem sortilegij genus fuerit, simul describit: *Sortium consue-*
D *tudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant; eosq; notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt. Mox, si publicè consulatur, sacerdos civitatis; si privatim, ipse pater familiæ, precatus Deos, cœlumq; suspiciens, ter singulos tollit: sublatos secundùm impressam antè notam interpretatur.* Herodotus etiàm lib. IV. Scythici quoddam sortilegij genus recenset, ab illo Germanorum aliquanto diversum: *Apud*
E *Scythas permulti sunt divinatores, qui pluribus virgis salignis divinant, ad hunc modum: Grandes virgarum fasces postquàm attulerunt, humi positos dissolvunt, & separatim ponentes earum singulas, vaticinantur: simulq; dum hæc dicunt, virgas rursùm convolvunt, & singulatim in unum componunt, atq; hæc illis tradita à majoribus divinatio. Enares autem atq; Androgyni ajunt sibi à Venere traditam divinandi scientiam, qui tiliæ fronde vaticinantur. Tiliam ubi quis trifariam sciderit, digitis eam implicando, ac*
F *resolvendo tractat, atq; in hunc ritum de futuris prædicit.*

39. *Fortuitas in cinere lineas describebant*] Hoc divinationis genus τεφραμαντεία dicitur: quam doctissimus Germanorum Caspar Peucerus in eruditissimo Commentario suo de varijs divinationum generibus, paulò aliter quàm Saxo, describit: *τεφραμαντεία fit,* ait, *cum cineri digito bacillovè res, de qua divinandum est, velut sulcis ductis, inscribitur, isq; sub patulum cœlum, nullo*

nullo tectus operculo, exponitur. Quæ enim remanent literæ non dissipatæ ventis, aut obliteratæ, vel confusæ & oppletæ agitato cinere; eo quo se consequuntur ordine, docere de re quæsitâ existimantur.

51. *Sanctumq; Vitum Corvegiensem religiosâ nece insignem*] Sanctus Vitus Martyr, unà cum Modesto & Crescentiâ, sub Imperatore Diocletiano, martyrij palmam accepit. Martyriologium Romanum, ad diem XVII Kal. Julij: *In Lucania apud Silarum flumen natalis Sanctorum Martyrum Viti, Modesti, atq; Crescentiæ, qui sub Diocletiano Imperatore è Sicilia illuc delati, ibidem post ollam ferventis plumbi, post bestias & catastas divina virtute superatas, cursum gloriosi certaminis peregerunt.* Ejus corpus primum translatum est Româ Parisios Anno Christi DCCLV: indè verò in Saxoniam delatum Anno Christi DCCCXXXVI, Ludovici Imperatoris Anno XXIII. Sigebertus Gemblacensis ad Annos jam dictos: *Fulradus, Abbas Sancti Dionysij Parisiensis, Corpus Sancti Viti Martyris Româ Parisios transtulit.* Et paulo infrà: *Hoc tempore reliquiæ Viti Martyris à Parisiis ad Corbejam Saxoniæ transferuntur: Unde ipsi Franci testati sunt, quòd ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata sit.* Witichindus Monachus Gestorum Saxonicorum Lib. I. *Pòst multa tempora Romam veniens quidam Fulradus nomine, & ibi gesta legens pretiosi martyris, notavit locum sepulchri: veniensq; levavit reliquias sacras, collocavitq; eas in pago Parisiaco. Indè regnante Luthovico Imperatore translatæ sunt in Saxoniam & ut legatus Caroli confessus est, ex hoc res Francorum cœperunt minui, Saxonum verò crescere.* Inprimis notatu digna sunt, quæ de Sancto Vito, [quem Rugiani in Idolum convertentes *Svantevith*, sive *Santevith*, suâ linguâ appellarunt] commemorat Helmoldus Chronici Sclavorum Lib. I. Cap. VI. *Sanctum*, inquit, *Vitum, quem nos martyrem ac servum Christi confitemur, Rugiani pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Non est aliqua sub cœlo barbaries, quæ Christicolas ac Sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur: cui etiàm templum ac simulachrum amplissimo cultu dedicaverunt, ei seorsim divinitatem tribuentes.* Et Libro II. Cap. XII. *Tenuis fama commemorat, Ludovicum Caroli filium, olim terram Rugianorum obtulisse B. Vito in Corbegia, eò quòd ipse fundator extiterit cœnobij illius. Inde enim prædicatores gentem Rugianorum sive Ranorum, ad fidem convertisse feruntur, illicq; oratorium fundasse in honorem Viti Martyris, cujus veneratione provincia insignita est. Postmodùm verò ubi Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error pejor priore. Nam SANCTUM VITUM, quem nos servum Dei confitemur, pro Deo colere cœperunt, fingentes ei simulachrum maximum, & servierunt creaturæ potius quàm creatori. Adeò autem hæc superstitio apud eos invaluit, ut Zuantevith Deus terræ Rugianorum, inter omnia numina Sclavorum primum locum obtinuerit, clarus in victorijs, efficax in responsis.*

Pag. 322. vers. 20. *Inter quas erat Stanitia magnitudine ac colore insignis*] Ad oram veteris Codicis appositum erat *Stuatira*: sed neutrum rectè. Forte legendum erit: *Inter quas erat Svantoviti*; subaudi *aquila*: ità observante & monente Excellentissimo Viro, & multarum Antiquitatum peritissimo, D. Henrico Ernstio, Collega & Amico meo conjunctissimo.

Ibid. *Cui tantum venerationis à populo Rugiano tributum est*] Magnâ quondam superstitione apud nationes quasdam, etiàm posteaquam veræ religioni nomina dedissent, vexilla & signa militaria colebantur. Tale fuit olim apud Gallos vexillum *Flammula*, sive *Flamma aurea* dictum, quod ex auro & purpurâ erat, & in templo Divi Dionysij asservabatur, nec indè educi solebat, nisi pro summis Regis regniq; necessitatibus; de quo Armoricanus in descriptione Bovinensis pugnæ sic loquitur:

At Regi satis est tenues crispare per auras
Vexillum simplex cendato simplice tectum,
Splendoris rubri, quali, celebri Litaniâ,
Utitur in certis Eccesia sancta diebus:
Flamma *cui cum sit Francis vulgò*, aurea, *nomen,*
Omnibus in bellis habet omnia signa præire.
Quod Regi præstare solet Dionysicus Abbas,
In bellum sumptis quoties proficiscitur armis.
Idq; gerit tollens equitum præfectus in altum,
Vectus equo cunctas suetus præcedere turmas.

Flammulæ autem hujus in bellis gerendæ jus soli retroactis temporibus habuerunt Comites Vilcassini. Videatur Sugerius Abbas, alijq; rerum Francicarum scriptores. Forte ejusmodi quoq; vexillum fuit Ottonis Imperatoris, cui *Angelo* nomen fuit, quo viso milites erecti & ad pugnam animati sunt: cujus meminit Witichindus Gestor. Saxonicorum Lib. I. *His optimis verbis erecti milites, Imperatoremq; in primis, medijs, & ultimis versantem videntes, coramq; eo* Angelum, [*hoc enim vocabulo effigieq; signum maximum erat insignitum*] *acceperunt fiduciam, magnamq; constantiam.* Quin & nostrates olim habuêre suum διοπετὲς, Vexillum nempe Danerbroge dictũ, quod cœlo decidisse dicitur, quum Waldemarus II. Rex Daniæ adversus Livonos, adhuc gentiles, bellum gereret, quos ad fidem Christianam convertere omni studio allaborabat. Tunc temporis etenim, exercitu ipsius in effusam fugam conjecto, signum hoc augustissimum cœlitus delapsum Annales nostri perhibent. Videatur Nobilis. Hvitfeldius in I. parte Continuationis Historicæ pòst Saxonem: & in Historia Johannis, Regis Daniæ: ubi vexillum hoc in infelici illo prælio cum Dithmarsis commisso, circà Annum Christi cIↃ. IↃ. periisse scribit.

Pag.

Pag. 325. verſ. 46. *Dæmon in furvi animalis figura*] Dæmones etiàm Muſcarum figuris ex delubris Idolorum Volgaſtenſium prorupiſſe, autor eſt Andreas Abbas, quem paulò anteà laudavi, Lib. III. Cap. X. *Sed non prætereundum videtur, quid miraculi in deſtructione fanorum ipſorum apparuerit. Subitò enim aſtante populi frequentia, inſolitæ magnitudinis muſcæ, quæ nunquàm in terra illa viſæ ſunt, magno impetu ex delubris idolorum proruperunt, & tanta denſitate omnem civitatis ambitum operiebant, ut penè lucem diei tetrâ caligine obducere viderentur: ſed & oculos & labra univerſorum nimiâ importunitate vexantes, non parvum horrorem aſpicientibus ingerebant. Sed cum violentis manuum percuſſionibus abigerentur, nihilominus tamen diutius inſiſtebant: donec fidelibus laudes Dei concrepantibus, crucisq; vexillum circumferentibus, inviſum monſtrum portis apertis evolans, terram Barbarorum, qui Rutheni dicuntur, pernici velocitate petijt.*

Pag. 327. verſ. 22. *Nam hirundines*] Rectè exclamat Saxo noſter: *Dignum numen, cujus effigies tàm deformiter à volucribus fœdaretur!* Ità & Jeremias Propheta in Epiſtola, quæ extat Baruchi Cap. VI. Idolorum vanitatem deſcribit: *Super corpus ipſorum, & ſuper caput, advolant noctuæ, hirundines, & aviculæ.* Sic Lactantius gentilium inſaniam irridet, quod ſimulachra timerent, *cum aves ipſæ ſimulachris fabrefactis inſideant, nidificent, inquinent.* Lib. II. Divinar. Inſtitut. Cap. IV. Minutius Felix itidem in Octavio: *Quantò veriùs de dijs veſtris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non ſentire eos ſciunt, rodunt, inſultant, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo dei veſtri ore nidificant. Araneæ verò faciem ejus intexunt, & de ipſo capite fila ſua ſuſpendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos, quos facitis, protegitis & timetis.* Inſignis quoq; locus eſt ille Arnobij Lib. VI. *Ità non videtis ſub iſtorum ſimulachrorum cavis ſtelliones, ſorices, mures, blattasq; lucifugas nidamenta ponere atq; habitare? ſpurcitias huc omnes, atq; alia uſibus accommodata conducere, ſemiroſi duritias panis, oſſa in ſtupam tracta, pannos, lanuginem, chartulas, nidulorum in mollitiem, miſerorum fomenta pullorum? non in orbe aliquando ſimulachri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint impudentiumq; muſcarum? Non hirundines deniq; intrà ipſos ædium circumvolantes tholos, jacularier ſtercoris plenas, & modò numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliasq; omnes partes in quascunq; ſe detulerit deonerati proluvies podicis? Erubeſcite ergò vel ſerò, atq; ab animantibus mutis vias rationis accipite: doceantq; vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulachris, in quæ obſcœna dejicere neq; vitant, leges ſuas ſequentia, & inſtincta veritate naturæ.* Quo facit etiàm illud Clementis Alexandrini, Admonitione ad Gentes: Αἱ δὲ χελιδόνες, καὶ τῶν ὀρνέων τὰ πλεῖστα, κατεξαι-ρεσιν αὐτῶν τῶν ἀγαλμάτων εἰσπετόμενα, ἐδὲν φροντίσαν: *Hirundines autem, & multæ aves, ſæpè advolantes, inquinant imagines, ratione nullâ habitâ, &c.*

52. *Dei qui ſibimet opitulari non poſſet*] Lactantius loco mox citato: *Quæ vanitas ab his aliquam ſperare tutelam, quæ tueri ſemet ipſa non poſſunt!* Sapientiæ Salomonis Cap. XIII. v. 14. & 15. de Idolo: *In pariete illud collocavit, ferroq; firmavit, ac nè decideret, proſpexit ei: ſciens illud nè ſe ipſum quidem adjuvare poſſe, quippè opis alienæ indigum.* Videatur totum VI. Caput Baruci Prophetæ, quod apprimè huc facit, & idolorum vanitatem luculenter exponit.

Pag. 331. verſ. 34. *Parentem altario honoratum*] *Altarium* dixit pro altari: cui ſimilia & alia apud alios, ex Nominativi fortè pluralis ſimilitudine, nata. Martianus Capella Lib. VIII. de ſignis cœleſtibus: *Invicem oriuntur cygnus & Aquila, & Sagitta, & Altarium.* Salvianus Maſſilienſis de Gubernatione Dei, Lib. VI. *Chriſtum in altario dimittimus.* Ad quem locum ità Clariſs. Rittershuſius: *Vetus Gloſſarium indicat formam nominis eſſe diminutivam: Altare, Ἐπίβωμις, &, Altarium, Βωμισκάριον. Sed promiſcuè tamen uſurpatum reperio altarium pro altari.* Paulus Diaconus Lib. II. Cap. XIII. *In quâ etiàm altarium in honorem Beati Martini conſtructum.* Angelomus Stromat. in Libros Reg. *Ab altario fidei expulſi.* Hildebertus Cenomanenſis Sermone V. *Sed fortaſſis hic dicitis: Non de altario vivant, qui altario deſerviunt.*

Pag. 333. verſ. 3. *Uniformem principijs, oſtijs bipertitum*] Indicat Saxo, fluvium hunc, indè à lacu, ſivè fonte, undè primùm emanat, unico duntaxat alveo decurrere, & Julinum Caminumq; præterfluere: verùm poſteà gemino diverticulo in ramos ſeſe, & gemina quaſi brachia diffundere, & bipertito exitu in mare ſe exonerare.

Pag. 343. verſ. 44. *Circipœnenſem ſtatuit attentare provinciam*] Hanc lectionem priori planè vitioſæ ſubjicere viſum. Per *Circipœnenſem provinciam* intelligit, quæ citrà Pœnum fluvium, quaſi Ciſpœnenſem, vel fortè, quæ circà Pœnum fluvium.

Pag. 346. verſ. 46. *Galliæ cœnobium, quod Claravallis nuncupatur, petivit*] Incidit hæc Eskilli Archiepiſcopi profectio in Annum Salutis cIↄ. C. LXXVIII. Clarevallenſis autem Monachus fieri dignatus eſt amore potiſſimum Bernhardi, Abbatis olim Claravallenſis, pietatis, virtutis, ac eruditionis nomine per id tempus celeberrimi, cum quo etiàm prius vixerat Eskillus, contractâ cum eodem familiaritate & amicitiâ ſingulari. Et extat Bernhardi ad Eskillum Epiſtola, inter epiſtolas ejusdem, ordine CCCXIV, teſtis ſummæ inter hos conjunctionis & benevolentiæ. Honorificam quoq;

 Eskilli

Eskilli Archiepiscopi mentionem facit Gaufridus Monachus Clarævallensis, B. Bernardi Notarius, in vitâ ipsius, Lib. IV. Cap. IV. quæ extat in IV Tomo de Vitis Sanctorum, Laurentij Surij: *Vir magnus & magnificè honorandus Danorum Archiepiscopus Eskillus patrem sanctum unico venerebatur affectu, unicâ devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cum novum cœnobium extruxisset, & impetrasset ab eo desideratum sacræ congregationis examen. Prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ autoritatis, & in insulis illis tàm ecclesiasticâ quàm seculari autoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiàm semet ipsum periculis multis traderet & labori. Nam de expensis dicere non est magnum: quamvis eundem audierimus protestantem, quòd expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quam sexcentas. Venit igitur Claravallem persona sublimis: quam à finibus terræ non curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei Zelus & plenitudo devotionis attraxit. Ubi quantùm fleverit, qualem sese non modò ergâ eum, quem tàm unicè diligebat, sed etiàm erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu.*

Pag. 347. verf. 48. *Sverus quidam fabro patre genitus*] Snoro Sturlæsonius in Historia regum rerumq; Norvagicarum, omnino contendit Sverum hunc non fuisse fabri istius, *Unas* dicti, filium, sed Sigurdi Haraldsonij, Norvagiæ Regis, & Gunhildæ. Originem etenim ejus & educationem hunc in modum describit. Sivardus, vel Sigurdus, [Sigurd namq; Norvegis dictus] Haraldi filius, Rex Norvagiæ, ex fœmina quadam nomine Gunhilda filium genuit, cui *Sveri* nomen imposuit Id quod paulò antè cædem ipsius contigit. Ab excessu Regis, Gunhilda fabro cuidam nupsit, cui *Unas* nomen fuit, [Norvegis Unas Smed] qui fratrem habuit Episcopum Ferrógiensem. Sverus autem in Norvegia educatus ad annum usque quintum ætatis, ignorans se alium habere patrem, quàm Unam fabrum. Quum verò increbuisset rumor, Erlingum Schackium Magnumque Morvagiæ Regem, de universa stirpe regia per Norvagiam delenda consilia agitare: Gunhilda Sveri mater, unà cum marito Unâ, Ferógiam in insulam se contulit; ubi filium suum Sverum Roario, Ferrógiæ Episcopo, in bonis literis artiumq; liberalium cognitione instituendum erudiendumq; tradidit. Quem tandem Episcopus in Sacerdotem consecrare voluit, sacro huic muneri & ætate & eruditione prorsus aptum atq; maturum. Eo cognito, Gunhilda Sveri mater, se nolente id fieri lacrymis largiter effusis testata est. Quam filius Sverus compellans, quid causæ esset, quòd adeò mater lacrymis & lamentationibus indulgeret, sciscitari cœpit. Augustam etenim hanc & sacram dignitatem, potius gaudij, quàm doloris causam matri futuram existimabat. Ea statim respondens, iste honor, inquit, longè inferior est & vilior illo fasti-

(A) gio & eminentiâ, quæ tibi jure justissimo debetur. Natus etenim & ortus es parente ipso Norvagiæ Rege Sigurdo, non eo, quem tu nunc patrem esse tuum, perperàm tibi persuades. Id quod certis de causis celandum duxi, donec ad virilem pervenires ætatem. Obstupescens Sverus, si mater, ait, dictis tuis fides constaret, haud equidem stolâ sacerdotali jus regni Norvagici, sceptrumq; regium mutarem. Atq; exinde de imperio occupando seriò cogitare cœpit. (B) Hucusq; Snoronis Historia. Sed & dignissima lectu sunt, quæ apud Gvilielmum Neubrigensem Libro III. Cap. VI. de eodem hoc Svero extant; ubi inter alia titulus sigilli ejus talis fuisse dicitur:

Sverus Rex Magnus, ferus ut Leo, mitis ut agnus.

Pag. 348. verf. 34. *Quo tigres occupandi consvetudinem habebat*] Apros intellige, aut alterius generis feras. Nam Tigres in Dania nunquàm visæ, nisi aliunde allatæ. (C)

Pag. 350. verf. 15. *Qui potis sit insidias*] *Potis sit* Saxo more antiquorum & Poëtice dixit, pro *possit*. Plautus Persâ Act. 1. Sc. 1.

Facere amicum tibi me potis es sempiternum.

Catullus ad Ortall. Epigr. LX.

Nec potis es dulces Musarum expromere fœtus.

Ità enim Nominativo hoc *potis* autores & activè & passivè utuntur. Videantur plùria exempla in Observationibus Philologicis Clariss. Viri, (D) M. Thomæ Bangij, Sanctæ Linguæ in Regia Hafniensi Academia Professoris eminentissimi, Amici longâ necessitudine conjunctissimi.

Pag. 252. verf. 14. *Penes ferrum purgationis morem consistere*] Candens sivè ignitum hic ferrum intellige, quod purgandi se causâ rei gestare solebant: de quo jam antè satis superque dictum nobis. Vulgo Sterf Jern appellatum fuit.

28. *Patriæ legis institudo dilabendi inducias tri-* (E) *bui*] Ex parte abrogata est hæc consvetudo. Vide Leges Cimbricas, Lib. II. Cap. XXII. & ad eas Commentarium Dn. Canuti, Episcopi Vibergensis. Leges Selandicas Lib. II. Cap. XXII. Sed legitimè convictus inducias fugiendi habeat extrà regnum, intrà mensem & diem. Vide etiàm Leges fundamentales, sivè Jus regni ab Olavo Rege Daniæ datum, [vulgò Handfestning] Articulo XIV.

Pag. 358. verf. 26. *Calidum laterculum cistulâ* (F) *crebis foraminibus distinctâ*] Ejusmodi cistulâ hodieq; arcendi frigoris causâ, suppedanei vice, fœminæ Batavicæ utuntur, vulgoq; *Stoefken* appellant. De ea extat tale Epigramma Clariss. Viri, mihiq; dum vixit, amicissimi, nunc τοῦ μακαρίτου, D. Johannis Isacij Pontani, Lib. VI. Poëmatum:

Suppedaneum, vulgò Stoefken.
Æthranion nuribus comes adsum fida Batavis,
Et frigus, quod fert aspera bruma, levo.

Apud

42. *Apud curiam fautor vigebat*] *Curia* pro aula Imperiali, vel Papali, frequentius usurpatur. Innumera nobis exempla suppeditat Guntherus in Ligurino suo, eximius pro ista ætate Poëta, quem consulas licet; imò, ut perlegas, hortor: de quo adjungam Justi Lipsij breve, sed verum A elogium Poliorcet. Lib. II. Dialogo IV. *Guntherus*, inquit, *Poëta spiritus & ingenij haud spernendus, imo, ut illo ævo, admirandus.* Floruit Imperatore Friderico Barbarossa, cujus de rebus gestis libros X. conscripsit, Anno Christi M. C. LXXXI.

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XV. HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 361. vers. 30. IN *rerum suarum raptores*] Slavos nimirùm; quorum piratæ Legatis Waldemari spoliatis, navigium eidem à socero transmissis onustum ceperant: cujus rei superiore libro meminit Saxo.

Ibid. *Expeditione Sclaviam petere statuit*] Ità legendum duxi pro *eam*, ut omnino vox esset, cui sequens Relativum *quam* responderet. Alioquin locus est planè exulceratus.

34. *Slesvicensium Antistes Fredericus*] Fridericum hunc, qui facto naufragio, in mari C Baltico perijt, Soræ, [ubi hæc scripsi] sepultum, testantur Insignia ejus in templi pariete Boreali depicta, cum hac inscriptione:

FRIDERICUS. EPISCOPUS. SLESVICENSIS.
SEPULTUS. IN. MURO. SANCTUARII.

Et servatur in Sacrario templi Sorensis Tabula quædam lignea suspensa, in quâ inter alia hæc scripta leguntur: *Dominus Fridericus, Episcopus* D *Slesvicensis, in mari Baltico submersus, jacet in eâdem Capella.* Hujus etiam satis honorificam mentionem facit Johannes Adolphus Cypræus Historiæ suæ Ecclesiasticæ Cap. XXVII. *Anno M. C. LXVII. Occoni mortuo successit Fridericus, Episcopus Slesvicensis, qui & ab Eskillo Lundensi legitimè ordinatus ac consecratus fuit. Vir eruditus, magni animi & consilij, rerum gerendarum peritissimus, ut qui non tantùm in literis versatus, sed & in re mili-* E *tari benè egregieq́; exercitatus esset.*

Ibid. *Perfectissimum honestatis specimen*] Valerius Maximus Lib. IV. Cap. III. *M. autem Curius exactissima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectissimum specimen.* Sic Rutilius Numatianus Gallus, Poëta suavis ac doctus, Protadium, *virtutis specimen* appellat Itinerarij sui pag. XXIV. vers. 547. Plura in hanc sententiam vide sis in eruditissimis ad Rutilium Animadversionibus Nobilissimi Viri Casparis Barthij, cui plurimùm etiàm noster Saxo debet. F

49. *Præcordialis amici*] *Præcordialis amicus* is est, quem ex penitissimis cordis recessibus diligimus. Vox in sequioris ævi scriptoribus sæpius obvia. Vide quæ suprà notavimus ad illum Saxonis locum Lib. V. *VVestmarus ad precordialem puellæ sententiam relegatus.*

B Pag. 302. vers. 40. *Seductis majoribus*] *Seductis*, hoc est, seorsim abductis & ab omnibus quasi arbitris remotis. *Seducere* enim hoc loco idem est, quod Græcis ἀπολαμβάνειν κατ' ἰδίαν Marci VI. vers. XXXIII. Glossar. *Seducit*, εἰς τὸ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾷ καὶ ἐξάγει. Plautus Asinariâ Act. 2. Sc. 2. vers. 95.

Nam me hodiè senex seduxit solum seorsim ab ædibus.

Petronius Arbiter: *Ascyltos postquàm depositum esse inviolatum vidit, seduxit me paululum à turba.* Persius Sat. II.

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.

Et Satyrâ VI.

——————— *At tu meus hæres*
Quisquis eris, paulùm à turba seductior audi.

Autor Queroli: *Aggrediamur hominem, atq́; à publico seducamus, ut secretò disserat.* Sic Saxo suprà Lib. VIII. *Torkillus seductis sociis hortari cœpit.* Et Libro XII. *Itaq́; seductos majores. Majores* autem hic sunt præcipuæ dignitatis viri, quos in Sclavica hac expeditione comites sibi ac commilitones, jussu Valdemari Regis, asciverat Absalon.

Pag. 363. vers. 28. *Pertransito ponte*] Pontem innuit in Eidorâ flumine stratum, qui instar limitis cujusdam erat olim inter Daniam & Saxoniam: cujus dimidium Henricus Saxoniæ Dux, arrogantissimus mortalium, si quando cum Waldemaro Rege colloquium instituerit, præ mera superbiâ, vix transgredi consveverat; verùm nunc mutatâ fortunæ aleâ, totum excesserat. De hac Henrici insolentiâ loquitur Saxo libro præcedente XIV: *Posterâ æstate Henricus Bavariâ reversus, apud Eidoram solenne cum Danis colloquium habuit. In quo ob prosperos rerum successos adeò se insolenter ac tumidè egit, ut medium pontis, sicut antè consveverat, visendi Regis causâ, transgredi recusaret, nè sibi dignitate præstare, quem peteret, fateretur: immemor prorsus illum paternum avitumq́; regimen gerere, sibi alieni imperij præfecturam cessisse.*

Pag. 364. vers. 3. *Exuviæ à soricibus corrosæ*] *Exuviæ* hic vestes sunt, quas exuerat Absalon. Q. Serenus Sammonicus Cap. XXXI. de urina sistendâ:

Quon-

Quondam etiam nimium præceps urina fluendo
Irrigat exuvias, obscænoq; inficit imbri.

Cæterum inter prodigia olim reputabant, si mures res insolitas arroderent. Sic Capuæ mures, in æde Jovis, aurum roserunt, & Antij, coronam auream. Julius Obsequens cap. XXXIX & XLIV. Sed hoc loco, quod sorices Absalonis vestimenta arroserint, non tam prodigium fuit, quam omen, quomodo rectè Saxo ipse interpretatur.

Pag. 366. vers. 37. *Exploso Pontificis ministerio*] Hoc est, Episcopi Lundensis, non Pontificis Romani. Sensus etenim est, furiosam plebem Sacerdotum duntaxat in sacris faciundis operâ contentam, non opus habere Episcopi alicujus, aut Pontificis ministerio.

Pag. 368. vers. 33. *Misso per omnes stipite*] Antiquissimus hic Septentrionalium mos fuit signo aliquo conventum indicere. Sic apud Islandos, adhuc gentiles, conventus habendi signum erat *cestra* vel *malleus Jovis*, ᚼᛅᛘᛅᚱ ᛏᚼᛅᚱᛋ, Hamar Thors: verùm, quum jam in fidem Christianam jurassent, pro ejus temporis religione, *Crux lignea*: quam quilibet colonus ad suum vicinum perferret, die, loco, & causâ conventus indictis: cujus signi intermissi aut neglecti, certa pœna. Arngrimus Jonas Lib. 1. rerum Islandicar. Cap. VII.

Pag. 369. vers. 13. *Scaniæ gyro pertransito*] *Gyrus* hic pro ambitu & circuitu positum: quasi diceret; Intereà dum Rex omnem in circuitu Scaniam peragraret; vel, dùm totam, quà patet, Scaniam circumiret. Ità *Gyrare*, & *Regyrare*, pro, sæpius circumire, usurpat Bernhardus Morlanensis, ingeniosissimus Dactylicorum versuum conditor, Lib. 2.

Institor est, fora gyrat & æquora, propria laudat.
Spirat ad æquora nauta, pedes fora sæpè regyrat.

Pag. 370. vers. 43. *Excellens corporis habitus venerabilem faciebat*] Incredibile dictu est, quantam venerationem & autoritatem Principibus conciliet eminens illa & grandis statura. Ejus rei exempla luculentissima nobis abundè suppeditat seculi nostri decus, & Bataviæ lumen, Gerardus Joannis Vossius, Amicus meus conjunctissimus, in aureo Opere Institution. Oratoriar. Lib. I. Cap. III. *Aristoteles*, inquit, *Lib. IV. Politicor. Cap. III. tradit, in quâdam Æthiopiæ parte, regna deferri ad eos, qui magnitudine cæteris præstant. A quo more non abludit, quod Strabo scribit in Meroë insula Reges designari, qui aut robore, aut formâ, aut opibus, aut virtute alendi pecora, reliquis antistant.* Sulpitius Severus Lib. 1. *Sacræ Historiæ ait de Saulo: Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, formâ excellenti erat; ut meritò dignitas corporis dignitati Regiæ conveniret. Itidem Florus de Pseudophilippo: Regiam formam & regium nomen animo regio implevit. Et Nepos in Iphicrate, ac Capitolinus in Pertinace, staturam proceram vocant Imperatoriam. Qui loquendi modus à vulgo originem traxit: ut Tacitus etiam indicat Lib. 1. Historiar. Ipsa ætas Galbæ & irrisui & fastidio erat, assuetis juventæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis* [*ut mos est vulgi*] *comparantibus.*

53. *In quanto Regis adventum poneret*] Rara loquendi formula, & quæ Græcismum sapit. Nam apud Dionem & Ælianum legere est, Ἐν μεγάλῳ τίθεσθαι : ἐν ἐλαφρῷ ποιεῖσθαι; aliaq; apud alios autores. Sed & Svetonius, *In magno habere*, dixit in Cæsare, Cap. XXIII. *Ad securitatem ergò posteri temporis, in magno habuit obligare semper annuos magistratus*: quomodò rectè censet legendum, summus Vir & Criticus felicissimus, Isaacus Casaubonus, consentientibus Codicibus MS. quamplurimis. Tacitus etiam, *In levi habere*, usurpavit: *Quocunq; casu acciderat, dum atrocia metuebantur, in levi habitum.* Sed fortassis in hoc dicendi modo Ellipsis τοῦ *pretij*, aut *negotij*, vel similis vocis, erit statuenda. Sic suprà Lib. XIII. Saxo, *In æquo ponere*, dixit.

Pag. 371. vers. 24. *Datis solenniter aquilis*] Per *aquilas* intelligere convenit vexilla, per quæ Feuda solenniter conferuntur. Firmant sequentia: *Qui si fuissent, quanto oneri se exigui panni receptione substernerent.* Solebant enim antiquitus regna per gladium, provinciæ per vexilla conferri. Otho Frisingensis Lib. II. Cap. V. *Est enim consuetudo Curiæ, ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à principe tradantur, vel recipiantur.* Guntherus Lib. I. Ligurini:

Ergò ubi vexillo partem, quam diximus, ille,
Hic autem gladio, regnum suscepit ab ipso:
Hunc etenim longo servatum tempore morem
Curia nostra tenet. ——————

Ad quem locum doctissimus Germanorum, & de multis autoribus præclarè meritus, Cunradus Rittershusius, ità commentatus est: *In actibus legitimis fermè omnibus Romani notas quasdam, solennesq; ritus, & symbola atq; insignia adhibebant. Hunc ergò morem Feudistæ quoq; in Vasallorum creatione, quam Investituram vocarunt, imitari voluerunt, ut gladio, vexillo, coronâ, sceptro, baculo, seu fuste, dignitates contulerint.*

NOTÆ VBERIORES IN LIBRUM XVI. ET ULTIMUM HISTORIÆ DANICÆ SAXONIS GRAMMATICI.

Pag. 373. vers. 40. *Monentibus arbitris*] Svadentibus regni proceribus ac Senatoribus, qui Canuto erant ab intimis consiliis; quasi dicat, ex decreto Senatus. *Arbiter* vetustè dicebatur pro teste. Unde illud, *Remotis arbitris*, pro sine teste, & in solitudine.

Inter-

Interdùm *Judicem* significat; quod & Festus A probat Lib. I. his verbis: *Arbiter dicitur Judex, quòd totius rei habeat arbitrium, & facultatem.* Propriè tamen videtur esse *speculator, inspector, spectator:* sicut apud Horatium Lib. I. Epist. II. Plautum Aulular. Actus IV. Sc. I. Milit. Glorios. Actus. II. Sc. II. Apulejum Metamorph. Lib. I. Saxoni verò nostro frequentissimè *Arbiter* significat secretorum consiliorum participem & Consiliarium. Exempla in superioribus libris passim obvia sunt. B

43. *Quod unctionis suæ tempore*] Per *unctionem* intelligit autor solennem Canuti in successionem regni Coronationem & inaugurationem, quæ vivo etiamnùm patre Waldemaro, peracta fuit Ringstadij, circà Solenne Johannis, Anno Christi M. C. LXXI. vel anno sequente, ut habet Chronicon meum MS. *Rex Canutus coronatus est in Regem Anno M. C. LXXII.* Ejus meminit Saxo Lib. XIV. *Rex omni Danicâ nobilitate sub edicto Ringstadium evocatâ, circà solenne* C *Johannis, quod in æstivo solstitio colitur, & parenti cœlestes honores, & filio regios celebrare constituit.* *Unctio* igitur hic pro coronatione, quod suscepturi sceptrum Reges sacro oleo ungerentur: qui mos hodieq; obtinet.

45. *Apud VVrnensem*] Ità omninò legendum, pro *Vernensem.* Celebre enim quondam fuit in Ducatu Slesvicensi Dicasterium sive Forum Wrnense, quod nunc, nisi fallor, esse desiit. Nobis Vrneting / vel Vrnehesfuetz Landsting dicebatur. D

49. *Cladis apud Dysiam pontem peractæ*] Loquitur de conflictu Dysvicensi, cujus libro proximè præcedente luculentam egit mentionem Saxo. Is incidit in Annum Christi Millesimum Centesimum Octogesimum primum; ut nonnulli Chronologi calculum ponunt. Multi illic è plebe Scanicâ cæsi: compluribus amnis exitio extitit. Clarissimus Vir, M. Andreas Vellejus, in sua versione pontem hunc *Falchenbergensem* indigitat. E

Pag. 374. vers. 19. *Haraldum quendam regij sangvinis*] Haraldus hic cognomento *Skreng* dictus fuit. Chronicon MS. Anno Christi M. C. LXXXIII. *Haraldus Skrenck à Scanis princeps creatus.* Eum regio sangvine oriundum Saxo dicit, quòd originem duceret è prosapiâ Canuti Regis Roschildiæ interfecti: de quâ cæde Saxo suprà Lib. XIV.

Sed obtusi cordis] *Obtusi cordis* est stolidus, F vecors, hebes, bardus, blennus, bliteus. Ità loquitur etiam Saxo Lib. III. de Amletho: *Nec credi poterat obtusi cordis esse, qui tàm exculto manus artificio calluisset.* Locutio est Valeriana. Sic etenim Valerius Maximus Lib. VII Cap. III. ubi de Bruto agit: *Obtusi se cordis esse simulavit, eâq; fallaciâ maximas suas virtutes texit.* Isidorus Lib. X. *obtusos sensus* dixit: *Stultus, hebetior corde. sicut quidem ait: Ego me ipsum stultum etiàm existimo, fatuum esse non opinor, id est, obtusis quidem sensibus, non tamen nullis.*

28. *Ad novi principis opinionem*] Hic verò cum Euripide exclamare licebit: Δεινὸν οἱ πολλοὶ κακȣ́ργȣς ὅταν ἔχωσι προστάτας: *Formidabile quiddam multitudo, cum nacta est præsides maleficos.* Huc etiàm facere videtur locus iste Livij lib. XXIV, quo vulgi ingenium eleganter exprimit: *Hæc,* inquit, *natura multitudinis est, aut servit humiliter, aut superbè dominatur: libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt: & non fermè desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atq; intemperantes plebejorum animos ad sangvinem & cædes irritent.* Cui planè adsimilis ille est, qui Lib. XXVIII. occurrit, in Oratione Scipionis ad seditiosos milites: *Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est; ut venti & auræ cient, aut tranquilli, aut procellosi.*

42. *Dubietati subjecit*] Dubium & incertum reliquit. Forma loquendi ad istius ævi genium. *Dubietas,* Αμφιβολία. Lupus Abbas, qui Caralo Calvo vixit, Epistola CXX. p. III. *Cum loco autem diem mensis exprimite, nè dubietate aliquâ confundamur.* Fulbertus Episcopus Carnotensis, Ep. I. p. 10. *Jam procul removendus est totius lubricæ scrupulus dubietatis.*

53. *Suscepti vulneris dolorem*] *Vulnus* per translationem sumi pro clade & damno, abundè dictum nobis ad ista verba, quæ Lib. I. Saxonis nostri habentur: *Cum ob accepti vulneris magnitudinem reparandarum intrà patriam virium non haberet copiam.* Livius lib. II. Belli Punici: *Non vulnus super vulnus, sed multiplex clades nunciabatur.*

Pag. 375. vers. 27. *Quo mediante*] Hoc est, intercedente, se interponente. Rara vox est, & ferè incognita melioris notæ autoribus; in aliis ubivis obvia. Joannes Januensis Catholico, in voce *Medio*: *A Medius dicitur Medio, as, are; id est, in medio locare, vel per medium dividere, vel medietatem auferre, vel conjungere, vel pacificare inter aliquos.* Unde *Mediator* vox Theologis perusitata, pro *intercessore, sponsore.* Gr. μεσίτης. Idem Joannes Januensis: *Mediator est, qui conjungit, & inter aliquos est medius, ut eos conjungat & pacificet. Unde Jesus Christus dicitur Mediator Dei & hominum, quòd inter Deum & hominem constitutus est medius, ut homines ad Deum perduceret.*

36. *Compluribus enim Cæsaris Legationibus*] Cæsar hic fuit *Fridericus,* cognomento *Barbarossa,* qui crebris hisce Legatorum missiculationibus nihil aliud, ut rectè judicat Saxo, intendebat aut moliebatur, quàm ut Canuti simplicitatem ijsdem perfidiæ laqueis circumveniret, quibus olim patris Valdemari credulitatem implicatam habuerat, hoc est, *ut Daniæ regnum semper liberrimum ad Imperij feudum redigeret,* ut loquitur autor Compendiosæ Historiæ Serenissimorum Daniæ Regum, quem edidit Erpoldus Lindenbruch.

Persi-

40. *Perfidiæ laqueis*] *Laqueus* translatè omne A id significat, quo homo capi & irretiri potest. Sic *laqueos judicij* Cicero pro Milone dixit: *Atq; illam belluam judicij laqueos declinantem jam irretitam teneret.* Piè & acutè Gvigo Carthusianus in Meditationibus: *Laqueos comedis, bibis, vestis, dormis; omnia laqueus.*

47. *Sigfridum, qui sororem ipsius*] Sigfridus hic est Marchio Thuringiæ, qui Waldemari filiam Ingertham, Cæsare adstipulante, sibi desponderat. B

Pag. 376. vers. 54. *Militaris roboris nervos sicut otio hebetari*] Inter Regulas militares hanc etiàm producit Fl. Vegetius Lib. III. Cap. XXVI. *Exercitus labore proficit, otio consenescit.*

Pag. 377. vers. 10. *Jarimari cum eis consiliaturi*] Hoc est, Consulturi, deliberaturi. *Consiliare* est consilium dare, vel petere. Horatius Libr. III. Carm. Ode III. *Gratum eloquuta consiliantibus Junone divis*, hoc est, consilium habentibus de Romulo in deorum numerum recipiendo. Ad C eundem locum ità Petrus Gvaltherus Chabotius, vir in omni literaturâ perfectissimus: *Grammatici tradunt huic verbo vim dandi & capiendi consilij, undè oritur: hic est deliberare & consultare.* Cicero Epistolar. Lib. XV. Ep. IX. ad Attic. *Quid egeris tuâ cùm tristi, tùm etiàm difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto.* Tacitus Lib. II. Historiar. *Et rediêre omnes Bononiam rursus consiliaturi.* Eâdem notione *Consiliari* positum. Quintilianus Institut. Orator. l. III. c. VIII. D *Proœmio, quale est in Judicialibus, non ubiq; eget; quià consiliatus est ei quisque, quem consulit.*

Pag. 384. vers. 13. *Ad pedes Regis suppliciter abjecit*] Homagium Canuto Regi Daniæ præstitit Bugislavus Dux Pomeraniæ, Anno Christi M. C. LXXXVI. Innuit id Chronicon meum MS. *Anno cIↃ. C. LXXXVI. Bugislavus senex, factus est homo Regis Canuti.* Ubi *homo* pro *Vasallo*, sivè *Cliente Feodali* sumitur: quo significatu frequentius occurrit in antiquis monumentis. Videa- E tur Glossarium Viri genere, literis, ingenioq; juxtà nobilissimi, Henrici Spelmanni Angli, pag. 359. in voce *Homo.*

17. *Principis huc necessitatis deducti*] In excussis anteà Codicibus nullo plane sensu legebatur: *Principis huc necessitati miseratione permotus.* Nos ità hunc locum duximus restituendum, freti autoritate Valerij Maximi, quem ut alibi sæpius in Historia hac sua, ità & hic exprimere voluit Saxo noster. Verba Valerij sic habent Lib. VIII. Cap. I. *Satis jam graves eum pœnas sociis dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis, ut abjicere se tàm suppliciter, aut attollere tàm deformiter cogeretur.*

23. *Ingenti nubium volumine colliso*] Diligens sanè lector Martiani Capellæ Saxo fuit, adeo ut in succum & sangvinem tantùm non converterit. Ab ipso hæc certè mutuatus est, quæ totidem ferè verbis extant Lib. V. Cap. I. *Hæc cum in progressu arma concusserat, velut fulgureæ nubis fragore colliso, fracta diceres crepitare tonitrua.*

25. *Quo eventu Sclavici regni interitum portendi*] Solent interdum regnorum interitum ostenta præcedere, & periturorum fata populorum vel Solis ac Lunæ defectus, vel insoliti terræ motus, vel horrenda tonitrua fulminumq; jactus, aut ardentes cœlo faces, & crinita siderum flamma præcurrere, ut eleganter observavit Quintilianus, sivè ut alij volunt, Posthumius Junior, Declamatione IV. quæ inscribitur *Mathematicus.* Ità pridiè quàm ultimum illud prælium, quo de rerum summâ decertatum est inter Perseum Macedonum Regem, & Æmilium Paulum, Romanorum Consulem, consereretur, Luna defecit: *triste id ostentum Perseo omnibus præsagientibus, finemq; Macedonici regni portendi vaticinantibus*; teste Justino Libro XXXIII. Cap. I.

Ibid. *A conjecturarum sagacibus*] *Conjectura* pro divinatione ut plurimum sumitur. Apprimè huc facit locus Quintiliani Lib. III. Instit. Orator. Cap. VI. *Conjectura dicta est à conjectu, id est, directione quadam rationis ad veritatem: undè etiàm somniorum atque ominum interpretes,* Conjectores *vocantur.*

26. *Bogislavi quoq; animus constantiæ pignoribus refertus*] Luculentissimum heîc tandem & ultimum imitationis Valerianæ specimen repræsentat Saxo. Nam quod de Masanissâ Rege commemorat Valerius Maximus Lib. V. Cap. II. id omne ad Bogislavum artificiosè noster transfert. Sic etenim ille: *Massanissæ Regis pectus grati animi pignoribus refertum, memoriam inclyti muneris ad ultimum vitæ finem constantissimâ fide perduxit:* & quæ plura ibidem in hanc sententiam exstant.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX



INDEX ABSOLUTISSIMUS
cùm rerum memorabilium, tùm vocum ac locutionum rariorum, quæ in Notis occurrunt.

Igno-

Noro-

Pœnale,

Roluo,

Signa

Tonsi,



INDEX AUTORUM,

qui in superioribus Notis laudantur & illustrantur.

Baltha-

Hiero-

Pacatus



Pag.4. Prolegomen. Cap.2. pro, unllo, *lege,* ullo.
Pag. 6. Proleg. Cap. 4. pro, iuaudiverant, *lege,* inaudiverant.
Pag. 8. Proleg. pro, CAP. VIII. *lege,* CAP. VII.
Pro, ſtipenda, *lege,* ſtipendia.
Pag. 9. Proleg. Cap. 8. pro Quin, *lege,* Quin &c.
Pag. 10. Proleg. pro, Osbium, *lege,* Osbjurn.
Pro, quid, *lege,* quod.
Pag. 12. Cap. 9. Proleg. pro, Navtre, *lege,* Navtæ.
Pag. 14. Proleg. Cap. 10. pro, ſocis, *lege,* locis.
Pag. 16. Proleg. Cap. 11. pro, Trinitatas, *lege,* Trinitatis.
Pag. 19. Proleg. Cap. 12, pro, contubernro, *lege,* contubernio.
Pag. 28. Proleg. Cap. 18. pro, favorum, *lege,* favorem; *& pro,* propenſam, *lege,* propenſum.
Pag. 29. Proleg. pro, repititur, *lege,* repetitur.
Pag. 34. Proleg. Cap. 20, pro, haad, *lege,* haud.
Pag. 35. Proleg. Cap. 21. pro, no, *lege,* non.
Pag. 37. Prol. pro, proximum, *lege,* proximorum.
Pag. 37. Prol. pro, Antequitates, *lege,* Antiquitates.
Pag. 38. Prol. cap. 23. pro, propriora, *lege,* propiora.
Pag. 44. Proleg. pro, ſeclus, *lege,* ſcelus.

Pag. 1. Notar. lit. c. pro, quornm, *lege,* quorum; *& pro,* ultimnm, *lege,* ultimum.
Pag. 4. pro, momumenta, *lege,* monumenta.
Pag. 7. b. pro, Archipiſcopum, *lege,* Archiepiſcopum.
Pag. 15. b. pro, exhibebit, *lege,* exhibuit.
Pag. 15. c. pro, ᛒᛅᚢᛏᛁᚼᛅᛁᚴᛁ, *lege,* ᛒᛆᚢᛏᛁᚼᛅᛁᚴ.
Pag. 16. e. pro, ergegium, *lege,* egregium.
Pro μανεϳτȣ, *lege,* μαναεϳτȣ.
Pag. 18. c. pro, filices, *lege,* ſilices.
Pag. 19. a. pro, ᛏᛡᛆᛏ, *lege,* ᚦᛆᛏ. *& ſic in cæteris eâdem paginâ vocibus, in quibus* ᛏᛡ, *perperam ponitur pro* ᚦ.
Pag. 19. c. pro, minos, *lege,* minor.
Pag. 19. e. pro, ᛡᛁᛁᛅᛁᚱ, *lege,* ᛡᛁᛁᛅᛁᚱ.
Pag. 19. f. pro, ᚴᛅᛁᚹᛆᚦ, *lege,* ᚴᛅᛁᚹᚴᚦ.
Pag. 19. b. 2. pro, Svitiod / *lege,* Svidiod.
Pro, Farand i/ *lege,* farandi.
Pag. 19. e. 2. pro, quiſcere, *lege,* quieſcere.
Pag. 20. b. 1. pro, ᛏᛡᚢᚱᚦᚢ, *lege,* ᚦᚢᚱᚦᚢ.
Pag. 20. d. 1. pro, Genetivi, *lege,* genitivi.
Pag. 26. a. 1. pro, Acconenſis, *lege,* Arconenſis.
Pro, hnnc, *lege,* hunc.
Pro, Martianns, *lege,* Martianus.
Pag. 27. c. 2. pro, Græciæ, *lege,* Græcia.
Pag. 29. c. 1. pro, qnendam, *lege,* quendam.
Pag. 31. e. 1. pro, origine, *lege,* originem.
Pag. 32. a. 1. pro, Sanctus, *lege,* Sanctes.
Pag. 32. [illegible] 2. pro, Italius, *lege,* Italicus.
Pag. 33. c. 1. pro, ᛗᛡᛅᚱ, *lege,* ᛗᛦᛅᚱ.
Pag. 33. a. 2. pro, dagna, *lege,* dagnar.
Pag. 34. a. 1. pro, pediſſegna, *lege,* pediſſequa.
Pag. 35. f. 1. pro, pulſatus, *lege,* pulſare.
Pag. 35. e. 2. pro, Herorum, *lege,* Heroum.
Pro, magificè, *lege,* magnificè.
Pag. 36. f. e. pro multu, *lege,* multa.
Pag. 42. b. 1. pro, eriam, *lege,* etiam.
Pag. 43. d. 1. pro, ᚹᛁᚴᚢᛁᚴᛏ, *lege,* ᚹᛁᚴᚢᛁᚴᛆ.
Pag. 43. d. 2. pro, canicula, *lege,* caniculæ.
Pag. 45. b. 1. pro, amplum, *lege,* amplam.
Pag. 46. f. e. pro, ᛏᛡᚢ, *lege,* ᚦᚢ.
Pag. 48. b. 2. pro, Hadindo, *lege,* Hadingo.
Pag. 48. e. pro, ᛏᛡᛆᚱᚴ, *lege,* ᚦᛆᚱᚦ.
Pag. 50. a. 2. pro, quæcumque, *lege,* quæcunque.
Pag. 51. c. 1. pro, eâ, *lege,* eo.
Pag. 52. e. 2. pro, Oratione, *lege,* Orationem.
Pag. 53. a. 1. pro, Rutilos, *lege,* Rutulos.
Pag. 57. b. 1. pro, contignere, *lege,* contingere.
Pag. 58. a. 1. pro, ᛏᚹᛏᛏᛁ, *lege,* ᚦᛆᛏᛏᛁ.
Pro, ᛋᛁᚹᚴᚹᚢᛁ, *lege,* ᛋᛆᚴᚹᚢᛁ.
Pag. 58. pro, ᚢᛆᚹᛆ *lege,* ᛋᛆᚹᛆ.
Pag. 59. a. 1. pro, ſuut, *lege,* ſunt.
Pag. 59. c. 2. pro, Perſona, *lege,* Porſena.
Pag. 61. b. 2. pro, indulta, *lege,* induta.
Pag. 62. b. 2. pro, exiſtimaſſe, *lege,* æſtimaſſe.
Pag. 63. d. 2. pro, opprobij, *lege,* opprobrij.
Pag. 64. a. 1. pro, Latinititis, *lege,* Latinitatis.
Pag. 65. e. 1. pro, aptem, *lege,* aptam.
Pag. 67. d. 1. pro, afflixeruut, *lege,* afflixerunt.
Pag. 67. b. 2. pro, intulernut, *lege,* intulerunt.
Pag. 68 f. 1. pro, autiquitatis, *lege,* antiquitatis.
Pag. 68. f. 2. pro, pertiſſimus, *lege,* peritiſſimus.
Pro, ſpargi, *lege,* ſpargi.
Pag. 70. f. 1. pro, ᛉᛁᛆᛏ, *lege,* ᛉᛁᛆᛚ.
Pro, ᛒᚱᚢᛏᚢᛯ, *lege,* ᛒᚱᚢᛏᚢᛦ.
Pag. 70. b. 2. pro, ᚹᚠᛆᛏᚴᛁ, *lege,* ᚹᛚᛆᛏᚴᛆ.
Pro, ᛋᛏᚱᛆᛗᛆᛋ, *lege,* ᛋᛏᚱᛆᚴᚦᛆᛦ.
Pag. 71. f. 2. pro, ceſiſſe, *lege,* ceſſiſſe.
Pag. 72. a 1. pro, aliqiud, *lege,* aliquid.
Pag. 74. c. 2. pro, Rolveni, *lege,* Rolvoni.
Pag. 76. a. 1. pro, ᚢᛁᚹᚹᛁ, *lege,* ᛋᛁᚹᚹᛁ.
Pag. 77. b. 2. pro, aut, *lege,* ut.
Pag. 77. c. 2. pro, doctrimâ, *lege,* doctrinâ.
Pag. 80. b. 1. pro, ᚹᛚ, *lege,* ᛆᛚ.
Pag. 80. c. 1. pro, ᛉᛁᚦᚱ, *lege,* ᛉᛁᚼᚱ.
Pag. 81. d. 1. pro, babere, *lege,* habere.
Pag. 81. f. 1. pro, illus, *lege,* illius.
Pag. 82. e. 1. pro, erfide/ *lege,* ervide.
Pag. 82 f. 1. pro, hiner/ ᛡᛁᚴᛁᚱ, *lege,* ᛁᚴᚢ, enn.
Pag. 82. c. 2. pro, ſttemmatis, *lege,* ſtemmatis.
Pag. 87. c. 2. pro, bomines, *lege,* homines,
Pag. 88. d. 2. pro, etiammum, *lege,* etiamnum.
Pag. 90. a. 2. pro, quæ, *lege,* qui.
Pag. 90. b. 2. pro, uuus, *lege,* unus.
Pag. 90. c. 2. pro, Craturæ, *lege,* Creaturæ.
Pro, Idololataræ, *lege,* Idololatræ.
Pag. 93. e. 2. pro, repedabuut, *lege,* repedabunt.

Pag. 96.

Pag. 96. b. 1. pro, nifi, *lege,* nisi.
Pag. 96. e. 1. pro, tunc, *lege,* tune.
Pag. 100. d. 1. pro, duce, *lege,* dulce.
Pag. 100. e. 2. pro, Paſſivæ, *lege,* Paſſiva.
Pag. 103. c. 1. pro, affectam, *lege,* affectum.
Pag. 104. c. 2. poſt illa verba :
Et juxta Baptiſtam Mantuanum :
ſtatim ſubjungendi ſunt verſus:
Omne quod excellens &c.
Pag. 109. a. 1. deleatur ſe.
Pag. 109. e. 2. pro, corpore, *lege,* corpora.
Pag. 111. 2. 1. pro, nnlla, *lege,* nulla.
Pag. 111. a. 2. pro, effectat, *lege,* affectat.
Pag. 111. e. 2. pro, qni, *lege,* qui.
Pag. 112. a. 2. pro, Philadelpholo, *lege,* Philadelpho loquentes.
Pag. 114. b. 2. pro, currarum, *lege,* curarum.
Pag. 115. b. 1. pro, ſhal Jarl/ *lege,* Pall Jarl.
Pag. 115. b. 2. pro, anicum, *lege,* amicum.
Pag. 117. f. 1. pro, Metahyſicum, *lege,* Metaphyſicum.
Pag. 118. a. 2. pro, Normarchia, *lege,* Nomarchia.
Pag. 121. b. 1. pro, ter- tertium, *lege,* tertium.
Pag. 122. a. 1. pro, occupandum, *lege,* occupandos.
Pro, pericula, *lege,* periculi.
Pag. 122. b. 2. pro, aſſignababur, *lege,* aſſignabatur.
Pag. 123. c. 1. pro, cincere, *lege,* cinere.
Pag. 125. d. 1. poſt illa verba : quæ Odino aſſignat, *adde vocem* Edda, *& lege,* quæ Odino aſſignat Edda.
Pag. 125. d. e. pro, inijſiet, *lege,* iniiſſet.
Pag. 128. e. 1. pro, Puſca, *lege,* Puſei: *& pro,* Puſci, *lege,* Puſei.
Pag. 128. b. 2. pro, pugnanpi, *lege,* pugnandi.
Pag. 113. b. 2. pro, nonumento, *lege,* monumento.
Pag. 131. d. 2. pro, Synechdochice, *lege,* Synecdochice.
Pag. 135. d. b. 1. pro, Fær, *lege,* Faer.
Pag. 135. c. 1. pro, ᛘᛆᚿᛘ, *lege,* ᛘᛆᚱᛘ.
Pro, ᚱᛆᚴᚢᛆᛦ, *lege,* ᚱᛆᚢᚴᛆᚱ.
Pag. 137. d. 1. pro, gerendo, *lege,* gerenda.
Pag. 138. c. 1. pro, impares, *lege,* imparem.
Pag. 139. b. 1. pro, prædicabant, *lege,* prædicabat.
Pag. 145. c. 1. pro, nunciaans, *lege,* nuncians.
Pag. 146. c. 1. pro, interpremur, *lege,* interpretemur.
Pag. 148. e. 2. pro, aliq;, *lege,* aliaq;.
Pag. 151. d. 1. pro, ſimile, *lege,* ſimili.
Pag. 152. a. 2. pro, laquacitatis, *lege,* loquacitatis.
Pag. 154. a. 2. pro, forſitam, *lege,* forſitan.
Pag. 156. f. 1. pro, Paranomaſiæ, *lege,* Paronomaſiæ
Pag. 156. c. 2. pro, Auctor, *lege,* Actor.
Pag. 160. d. 2. pro, veruis, *lege,* verius.
Pag. 163. d. e. pro, alias, *lege,* alas.
Pag. 163. e. 2. pro, Capita, *lege,* capita.
Pag. 163. f. 2. pro, aſtituitur, *lege,* adſtituitur.
Pag. 165. b. 2. pro, confeſſit, *lege,* confeſſi.
Pag. 165. f. 2. pro, dedulit, *lege,* detulit.
Pag. 170. e. 2. pro, Naffn/ *lege,* Naffn.
Pag. 176. b. 2. pro, vox, *lege,* vix.
Pag. 177. e. 1. pro, pollicetar, *lege,* pollicetur.
Pag. 178. c. 1. pro, viantinm, *lege,* viantium.
Pag. 184. e. pro, ſuperio- periore, *lege,* ſuperiore.
Pag. 189. d. 1. pro, ᛁᛆᚢᚦᛆ, *lege,* ᚦᛆᚢᚦᛆ.
Pag. 190. b. 2. pro, ᚼᛆᚴᚽᚢᛘ, *lege,* ᚼᛆᚴᚦᚢᛘ.
Pag. 190. f. 2. pro, ᚼᛁᚴᛚᛆᚱ, *lege,* ᚼᛁᚴᚴᛆᚱ.
Pag. 193. e. 1. pro, ᛒᛚᛆᚦᚱᛁᚹᛁᛚ, *lege,* ᛒᛚᛆᚦᚱᛁᚹᛁᛚ.
Pag. 193. b. 2. poſt illa verba : novæ à ſe in Saxonia fundatæ Corbejæ, *interſere vocem,* præfecit, *quæ omiſſa eſt.*
Pag. 194. f. 2. pro, oceapavit, *lege,* occupavit.
Pag. 195. d. 2. pro, eundem, *lege,* eundum.
Pag. 201. c. 1. pro, porfunditate, *lege,* profunditate.
Pag. 208. f. 1. pro, Svæciæ, *lege,* Sveciæ.
Pag. 212. e. 2. pro, juculari, *lege,* jaculari.
Pag. 213. a. 2. pro, Anglica, *lege,* Anglia.
Pag. 215. d. 1. pro, porcurabant, *lege,* procurabant.
Pag. 217. b. 1. pro, ſuum, *lege,* ſuam.
Pag. 223. c. 1. pro, tructu, *lege,* tractu.
Pro, aquorum, *lege,* aquarum.
Pag. 223. d. 2. pro, Soxones, *lege,* Saxones.
Pag. 226. e. 1. pro, tribribuere, *lege,* tribuere.
Pag. 229. e. 2. pro, mahinas, *lege,* machinas.
Pag. 231. b. 1. pro, fratres, *lege,* frater.
Pag. 232. a. 2. pro, glacici, *lege,* glaciei.
Pag. 232. f. 2. pro, mahinæ, *lege,* machinæ.
Pag. 233. e. 1. pro, VX, *lege,* XV.
Pag. 235. f. 1. pro, diſperatio, *lege,* deſperatio.
Pag. 237. b. 2. pro, ſilvaram, *lege,* ſilvarum.
Pag. 237. e. 2. pro, patavi, *lege,* putavi.
Pro, conperiſſet, *lege,* comperiſſet.
Pag. 238. b. 2. pro, Anreliano, *lege,* Aureliano.
Pag. 241. b. c. pro, Concicij, *lege,* Concilij.
Pag. 242. c. 2. pro ſterquilium, *lege,* ſterquilinium.
Pag. 247. e. 1. pro, orbe, *lege,* ore.
Pag. 248. d. 2. pro, inſtitudo, *lege,* inſtituto.
Pro, crebis, *lege,* crebris.
Pag. 249. f. 1. pro, precordialem, *lege,* præcordialem.



PUBLIC LIBRARY
OF THE
CITY OF BOSTON.

ABBREVIATED REGULATIONS.

One volume can be taken at a time from the Lower Hall, and one from the Upper Hall.

Books can be kept out 14 days.

A fine of 3 cents for each imperial octavo, or larger volume, and 2 cents for each smaller volume, will be incurred for each day a book is detained more than 14 days.

Any book detained more than a week beyond the time limited, will be sent for at the expense of the delinquent.

No book is to be lent out of the household of the borrower.

The Library hours for the delivery and return of books are from 10 o'clock, A. M., to 8 o'clock, P. M., in the Lower Hall; and from 10 o'clock, A. M., until one half hour before sunset in the Upper Hall.

Every book must, under penalty of one dollar, be returned to the Library at such time in October as shall be publicly announced.

No book belonging to the Upper Library, can be given out from the Lower Hall, nor returned there; nor can any book, belonging to the Lower Library be delivered from, or received in, the Upper Hall.